
NAZIONALE
12
31 P
B
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

NAZIONALE
55
10 C
18
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

PAVLI ARESII
MEDIOLANENSIS,
CLERICI REGVLARIS, THEOLOGI
In Aristotelis Libros

DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE
Notationes, ac Disputationes:

Illis textus breuiter elucidatur: His doctrina eius, aliorumq; præcipuè recentiorum Philosophorum examinatur, quæstionesq; ac difficultates quàm plurimæ ad alias quoque Philosophiæ partes attinentes, ipsa rei veritate inspecta, dirimuntur.

Cum quadruplici, locupletissimoque Indice.

AD CATHOLICVM HISPANIARVM REGEM
PHILIPPVM TERTIVM.







MEDIOLANI, Apud Hieronymum Bordonium. M. DC. XVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

D. ANDREAS PISCARA CASTALDVS
Congregationis Cleric. Regul. Præpos. Generalis.

Cum liber à P. D. Paulo Aresio nostræ Congregationis Clericorum Regularium professo conscriptus, cui titulus est, Notationes, & Disputationes in libros Aristotelis de Generatione, grauium, & Doctorum virorum iudicio, quibus id commisimus, approbatus fuerit, vt Typus mandetur, facultatem, quantum in nobis est, concedimus; in quorum fidem præsentes manu propria subscriptas, & nostræ Congregationis sigillo munitas damus. Romæ apud S. Siluestrum Montis Quirinalis die 28. Septembris 1615.

D. Andr. Præpos. Gen.

D. Io. Bapt. de Aprile Secret.


Imprimatur

Fr. Aloys. Bariola Augustinianus Consultor S. Officij Mediol. pro Reuerendiss. Inquis.

Aloys. Boss. Can. Ord. Theol. pro Illustriss. Card. Archiep.

Vidit Saccus &c.





PHILIPPO TERTIO REGI CATHOLICO, Potentissimoque

PAVLVS ARESIVS MEDIOLANENSIS, Clericus Regularis summam precatur felicitatem.



Elebberrimus ille pingendi artifex, pictorumque Princeps eximius, Apelles, Serenis. Rex (nō enim aliē num maiestate tua puto, illius verbis aures accommodare, quem Magnus quoque Alexander, Macedonum Rex maximi semper fecit, nec semel alloquio suo dignatus est) Apelles, inquam, ille, picturæ decus, cum tabulam à Protogene pictam aliquandiu tacitè esset contemplatus; in hanc tandem vocem erupisse fertur: *Ingens labor, ac mirandum opus: desunt tamen Gratiæ, quæ hoc, & alia eiusdem artificis auferant, & in cælo reponant.* Quod apophtegma, si quis ad subti-

les philoſophorum commentarios transferat, mea quidem ſententia, nihil à ſcopo veritatis aberrauerit. Sunt etenim illi proculdubio ſummo labore, atq; induſtria elucubrati, admirandamq; continent rerum abditiſſimarum ſcientiam: verumtamen diuino quodam Gratiarum afflatu, qui legentium animos allicit, remoratur & oblectat, deſtituti videntur, nullo ſcilicet verborum delectu ornati, nulla Rhetoricorum floſculorum varietate diſtincti, nullis poetarum figmentis deliniti, & quodammodo edulcati, nullo denique emblematum, & figurarum artificio expoliti. Quinimo vepribus, ſpinis, ſalebriſq; paſſim implicantur, & obſidentur; vt non mirum ſit, ſi delicati homines non modo greſſum, verùm etiam obtutum ab eis retorqueant.

Improuiſum aſpris, veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſq; repentè refugit.

Huic igitur incōmodo dum ego in lucubrationibus hiſce meis philoſophicis, alioqui etiam non magnifaciēdis, ſuccurrere cogito; opportunè mihi ſeſe obtulit Maeſtatis Tuæ nomen, vnde gratiam, leporē, venuſtatem, veneremq; omnem ipſis conciliare poſſim. Quidni enim paruo libello ſplendorem afferat, ac decorem Auſtriacum nomen, quod nouum orbem terrarum, barbarie fædum, feritate immanem, errorum caligine tenebricoſum, ac vitiorum monſtris nefandum ad mites, ciuileſq; mores traduxit; fideiq; Catholicæ doctrina illuſtratum, veluti ex informi, obſcuro-

ſcuroq; Chao in lucē, ordinemq; eduxit, ac diduxit?
Plin li 12.c.24 Tradunt Plinius, & Ariſtoteles ſuauius redolere fruti-
Ariſto. Sect. 12 ces, ſuper quos curuetur cæleſtis arcus, Quidni igitur
proble. Maieſtas Tua, quæ Imperij ſui magnitudine vniuerſū
q. 2. terræ globum, inſtar ingentis Iridis, amplexatur, ſyl-
ueſtres hoſce ingenij mei frutices redolere faciat ſua-
uiter, ſi ſuper ipſos quoque vis, virtusq; illius clemen-
tiſſimè inclinetur? Neque verò deſperandum eſt hoc
mihi, qui non alienis tantùm, & vbiq; locorum diffu-
ſis, ſed domeſticis etiam, & compluribus Regiæ beni-
gnitatis tuæ exemplis in hac ſpe confirmer. Nam, vt
ea prætercam, quæ in parentes, auos & proauos meos,
progenitores tui beneficia contulerunt: nuper Maie-
ſtas ipſa Tua germanum meum Præſidem Areſium
tot ac tantis muneribus, & honoribus decorauit, vt
ſpem, & vota noſtra præuerterit, ac ſuperauerit. Pate-
re igitur, Rex Potentiſſime, pro tua ſingulari humani-
tate & clementia, vt liber hic tuo nomine auguſtiſſi-
mo inſignitus, & munitus in lucem prodeat. Sic enim
& ipſum præclariſſimo lumine tuo illuſtrabis, & me
maximo beneficio obſtringes, & nouum edes beni-
gnitatis tuæ teſtimonium, tantò luculentius, quantò
humilius eſt opus, quod nomini tuo dicatur. Vale,
Regum Maxime & Optime; cuius nomen de libro
Vitæ numquàm expungat Deus.

N more est positum, vt qui libros edunt, humanæ imbecillitatis memores, veniã erratorum à Lectoribus petant, aut audaciam excusent, aut aliquid aliud deprecentur: Sed nec fortasse minus vsitatum est, vt non idcirco reprehensionem fugiant, multorum, illud Catonis senioris vsurpantium, qui Albino veniam petenti, quod Græcè historiam scripsisset, *danda* (inquit) *foret venia, si Amphictyonum decreto coactus, Græcè scripsisset*: Verum tantùm abest, vt hoc ego respõso, ab hac editione deterrear, vt etiã maximopere ad eam impellar; Mihi enim danda erit venia, qui, superiorum meorum decreto, & impulsu ad scribendum accessi. Sed esto me coactum non fuisse, nunquid ego fortasse alios ad has meas lucubrationes legendas cogo? quibus non libuerit, eas ne legunto. At non deerunt fortasse, quibus non displiceat quidem hic labor meus, sed neq; tamen omnino placeat, selectiora verba nonnulli requirent: maiorem quæstionum numerum, & argumentorum copiam alij desiderabunt; longitudinem, quamuis moderatam, & necessariam alij fastidient: Si quid ab alijs non antea dictum aliqui offendãt, offendentur; Si vero quidpiã ab alijs antea scriptum repererint, actum me egisse, seq; operam lusisse arbitrabuntur: Erunt qui textus enarrationem vberiorem malint: Non deerunt, qui omnem laborem circa Aristotelis verba, post tot præclarissimos interpretes superuacaneum putent. Hæc tamen, & id genus alia, me non admodum solicitant, neq; ab instituto remorantur. quòd enim ad verborum delectum spectat, non esse hunc philosopho necessarium, & ipse Cicero docuit. *A Philosopho enim* (inquit lib. de finibus) *si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem*; Imò incongruum iudicat Seneca. *Nam quæ veritati dat operam oratio* (inquit ep. 40.) *incomposita esse debet, & simplex; imò verò noxium id nostro fini, si Platonem audiamus, quem refert Galenus lib. 4. de vsupartium cap. 23. dicentem, Si verba contemneremus, ditiorem philosophiam rerum possideremus*. Deniq; consuetudo præstantissimorum virorum, à nobis stat, quorũ clypeo tuti, non est, cur aduersariorũ tela pertimescamus. Nec de cæteris obiectionibus magis solicitus sum, vt quæ communiter in scriptores omnes contorqueri possint, cui enim vmquam datum est, omnibus, vt satisfaceret? *quare satius fortasse fuerit genio indulsisse suo*.

Illud verò me magis commouet, quod vereor, ne arrogantiæ, & temeritatis accuser, vt qui nonnumquam inueteratas,

& al-

& altiſsimis fixas radicibus, opiniones, è philoſophorum mentibus conuellere conatus ſim, meamq; aduerſus philoſophiæ proceres ſententiam proferre, & pro viribus corroborare, non dubitarim. Quid enim hic reſpondeam? An me illos ingenio, vel doctrina ſuperare? abſit, abſit.

.... Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quid nam tremulis facere artubus Hædi Lucret. lib. 3.
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis Equi vis?

Ingenij mei tenuitatem agnoſco, doctrinæ inopiam fateor, prioreſq; philoſophos, qui ante me ſcripſerunt, vti præceptores veneror, & admiror. Verum illud etiam me non fugit, luſcos interdum, melius collineare, quàm lynceos: Nam qui ita acri, ac feruido ſunt ingenio, viribus proprijs ſubnixi, nimium ſibi, vt plurimùm, arrogant, naturamq; & ſenſum ſequi dedignantes, veritatem ipſam his amicam minime conſequuntur. Deinde primo ſtatim adſpectu, cuiuslibet rei naturam optimè ſe perſpexiſſe arbitrantes, dum altius rem perſcrutari negligunt, ad veritatem in intimo receſſu latitantem, non penetrant. Deniq; nimia ſui confidentia, quamlibet theſim, & quodlibet certamen ſuſtinere ſe poſſe non dubitant, ac proinde, non tam veram, quàm paradoxam ſententiam, ſui oſtentandi gratia, ſæpe amplectuntur. At qui paulo ſunt hebetiores, ſenſibus facilius adhærent, naturæ monitis, in qua ſunt omnium ſcientiarum ſemina, aurem libentius accommodant, à contemplatione rerum abditarum, nunquàm oculos auertunt, cauentq; maximè, ne in errorem labantur, quẽ poſtea ſubtilitate ingenij, ſe tueri poſſe deſperant. Vt non ineptè in hos quadret, lepidum cuiuſdam dictum, qui tutius dictitabat ambulare cæcos, quàm videntes, quia illi baculo prius pertentant, vbi pedem firment; hi verò, oculis, qui facillimè falluntur fidentes, greſſus ſæpe numero in incerto ponunt. Inter hos ergo, imbecillioris quidem ingenij, ſed cautiores, & veritatis ſtudioſiores recenſeri, & ego ambio, lectoreſq; velim id quod veriſsimum eſt, ſibi perſuadere, me nec ingenij oſtentandi, neq; alicuius inſectandi gratia, ſententiam vllam, vel nouam excogitaſſe, vel antiquam exagitaſſe, ſed ſolius veritatis amore, id quod mihi in quaque opinione certius viſum eſt, amplexũ fuiſſe, mox alijs dijudicandum reliquiſſe. Nolui etiam à mea ſententia proferenda abſtinere, quia ſi ea tantùm, quæ ab alijs dicta eſſent, euulgaſſem, fruſtra tempus conſumpſiſſe, & lectores deluſiſſe viderer, ſatiuſq; fuiſſet otioſum eſſe, quàm actum agere. Ariſtophanes certè, cùm certantium Poetarum Iudex præſideret,

Poetæ illaudato Victoriam dedisse fertur, quòd sua, non aliena recitasset, qua de re etiam Martialis gloriatur, dicens.

Pexatus pulchrè rides mea, Zoile trita.
Sunt hæc trita, quidem, Zoile, sed mea sunt.

Neq; hæc dixerim, quod omnia marte meo, me comparasse profitear, (Quis autem hoc polliceri de se ipso audeat?) fateor enim, complura quoque, me ab alijs accepisse, sed accepisse, non surripuisse, illis enim, à quibus desumpsi, ea accepta refero, nec solùm antiquis, sed etiam recentioribus; non enim eos approbo, qui neotericos authores, siue approbent, siue improbent, nuncupare dedignantur, quasi verò ex vetustissimis ipsi sint. Non ergo eorum, quos nominatim corripis, offensiones timebis? nequaquam, quoniam non adeo stultos eos esse existimo, vt se redargui nolint, in ijs, in quibus à veritate aberrauerint: nec profectò erunt, si Sanctum Hieronymum audiant, hæc D. Augustino scribentem: *Nec tam stultus sum, vt diuersitate explanationum tuarum me lædi putem, quia nec tu læderis, si nos contraria senserimus*, nec si D. Augustinum rescribentem; *Ego quidem absit, vt lædar, si mihi certa ratione volueris & potueris demonstrare, illud ex Epistola Apostoli, vel quid aliud scripturarum sanctarum, te verius intellexisse, quàm me. Immò verò absit, vt non cum gratiarum actione, lucris meis deputem, si fuero te docente instructus, aut emendante correctus*: Et paulo infrà; *Lædes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inueneris in factis, vel dictis meis; Nam si ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non sunt te lædes magis, quàm me*. Dum igitur procacia verba, & contumeliosa absint, (quod ego maximopere caui,) nullo modo lædi putandus est, qui solo veritatis amore, erroris arguitur; Quid verò si illa adessent? læderetur planè, sed qui ea proferret, non verò in quem prolata essent, is enim indignum se philosophi nomine ostendit, & veritate destitutum, qui ad iurgia descendit. Quo nomine Epicureos reprehendens Plutar. meritò hæc habet: *Si alioqui omnia sapienter statuissent. at certè ob maledicta, & criminationes longissimè fuerant à sapientia arcendi; Inuidentia enim excludenda est a Diuino sapientum choro, & obtrectatio, quæ ob imbecillitatem, id quod dolet, dissimulare non potest.*

Tandem rogatos vos uolo, amici Lectores, ne damnetis quidpiam antequam uideatis; Imò ne uideatis tantùm, sed æqua lance examinetis, nihilq; præiudicati, ad hoc examen afferatis. Præiudicia enim, tanquam præstigias uel ipse Cicero, qui eloquentia penè diuina, animos quocunq; uellet, flectebat, pertimescere solebat; cuius uerba, Vt à me quoque uobis dicta existimetis,

hic

referre libet: *Antequã (*inquit*) de ipsa causa dicere incipiã, id postulo; Primùm, id quod æquissimum est, vt ne quid hùc præiudicati afferatis. Etenim, non modò auctoritatem, sed etiam nomen iudicum amittemus, nisi hic ex ipsis causis iudicabimus, ac si ad causas iudicia iam facta deferemus. Deinde, si quam opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio conuellet, si ratio labefactabit, si deniq; veritas extorquebit, ne repugnetis.* Addam ego tertium, ne illustrium auctorum nomina apud uos, magis quàm rationes ualere permittatis; quod ne à iudicibus fieret, prudenter cauit Imperator Iustinianus; *l.1.C.de vetere iure enucleando §.sed neque;* Inquit enim; *sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est iudicatote, cùm possit vnius forsan, & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare.* Ego igitur deteriorem quidem me prioribus philosophis, esse non abnuam, non inde tamen efficitur, deteriorem quoque meam sententiam fore. Acqui igitur estote iudices, optimi lectores, & ualete.



INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Sectionum, quæ in hoc opere continentur.

Sit

De Mistione,

In Librum Secundum de Generatione.

De Elementis Disputatio I. 576.

Eo-

Disputatio Secunda.

De qualitatibus Elementorum actiuis. 615.

Ab

FINIS.





INDEX

Rerum ſpectantium ad alios Philoſophiæ Libros, vel ad alias ſcientias.

Vbi etiam textus aliorum Librorum Ariſtotelis habentur; qui in hoc Opere obiter, vel ex profeſſo explicantur.

Ad Prolegomena omnium librorum Areſtotelis, & Vniuerſæ Philoſophiæ.

Ad Logicam.

Ad Prolegomena.

Ad Prædicabilia.

Ad Prædicamenta.

Rela-

Ad quartum Physicorum.

Aristotelis loca.

Ad Quintum Physicorum.

Aristotelis loca.

An

Maris

Ad Libros de Anima.

Quo

Aristotelis loca.

&

Ad librum de sensu, & sensili.

Ad librum de iuuentute, & senectute.

Ad librum de longitudine, & breuitate vitae.

Ad Metaphysicam.

Ari-

Ex alijs Aristotelis libris loca quædam indicata.

Ex Poetica.

Ex libro de respiratione.


Ex libro Problematum.

Ex Quæstionibus Mechanicis.

INDEX THEOLOGICVS.

Ad Primam Partem.

FINIS.




MEDIOLANI,

Apud Hieronymum Bordonium. M. DC. XVII.

Superiorum permissu.





IN LIBROS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE ARISTOTELIS STAGIRITÆ PAVLI ARESII MEDIOLANENSIS CLERICI REGVL. QVAESTIONES, ET NOTATIONES.

De Aristotele horum librorum Authore, & reliquis Prolegomenis.

DISPVTATIO PRIMA.

An mortales omnes ingenio antecesserit Aristoteles. Quæst. I.

CVm, & horum librorũ Author, & totius Peripateticæ philosophiæ, quã cũ reliquis ferè oĩbus huius tẽpestatis philosophis, nos quoque profitemur, parens, ac princeps fuerit Aristoteles, meritò ab ipso est exordiendum, & quanti apud nos sit eius authoritas æstimãda, inquirendum. Sicut enim de amico sapienter pronunciauit Seneca epistola 3. *Omnia cum amico delibera, sed de ipso prius*; ità insipienter nos, nisi prius de Aristotele, omnia cum Aristotele determinauerimus. Quam fœlix igitur eius fuerit ingenium in hac quæstione, quam ingens eius doctrina in sequenti, examinabimus, vt inter tia, quanti sit facienda eius authoritas concludamus.

Quam grauis & discussione digna sit controuersia præsens. *Sectio I.*

PRæstantissimo ingenio præditũ fuisse Aristotelẽ, tam clarum est & in cõfesso apud omnes, vt nemo iã sana mente præditus id serio inficiari, aut in dubium vocare audeat:

Verbo Aristoteles Olim quidem fuit Timæus quidam, historicus, qui vt refert Suidas, non solum in Aristotelis mores acriter inuectus est, eum leuem audacem, petulantem, atque etiam voracem, Lurconem, & ad palatum omnia referentem appellans; sed etiam ingenium,ac sapientiam calumniatus, eum insipientem,indoctū,ac tardum fuisse asseruit. Sed huiusmodi calūnias,& tā aperta mendacia obseratis auribus prętερire, quam ratione redarguere præstat, præsertim cum ex *Verbo Timæus* eodem Suida constet, huic Timæo familiarissimum fuisse in alios ea vitia retorquere, quibus ipse scatebat.

Quamuis autem tamquam certū supponendū sit Aristoteli summum non defuisse ingenium, an tamē, & præcedentibus ingenij palmam abstulerit, & sequentibus prçripuerit omnibus,non paruam,nec indiligentem disquisitionem meretur. Hinc enim nonleuia argumenta, vt Aristotelis ingenium reliquis omnibus anteponamus, occurrunt, inde præter argumenta, magnitudo etiā rei, & laudis propemodum immensum decus,terret nos, ne pro vno Aristotele contra reliquos omnes sententiam feramus. Terret inquam magnitudo rei. Quid enim ingenio maius,cui reliqua omnia, quę in terris magna videntur, collata, non parua sed minima dici merentur? vt enim rectè Phauorinus philosophus dixit. *Cæl. Rhetor. lib. 2. c. 9.* *Nihil in terra magnum præter hominem. Nihil in homine præter mentem.* Ipsa etiam ingenij existimatio tanti ab hominibus fit, vt magnam verāque amissionem reliquorum bonorum æquius ferant, quam partæ de ingenio opinionis, vel modicam iacturam. Nec vlla in re, vel vincere magis gaudent, vel vinci acerbius dolent,quam cū de ingenij præstantiа certatur. Verè enim ac scite cecinit Martialis lib.8.Epigr.18.

Auram & opes, & rura frequens donabit amicus
Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Quod etiam ex veterū mente pulchre testatum reliquit Aristoteles sect.3. Probl.10. vbi quęrens, cur in Olympicis, vel cæteris ludis,corporum certaminibus fuerint à veteribus proposita præmia, Sapientię vero nullus quicquam statuerit, tres non tatu dignas responsiones affert. Primam quoniam certantibus sapientioribus deessent arbitri, qui, quod ad ingenium attinet, vel præstantiores, vel nihilò deteriores certantibus esse debent. Tertiam quod nullum sapientiæ reperiretur condignum prę mium, cū ea nihil sit præstātius. Secundam autem, quam fusius explicat,& ad rem nostrā attinet, quoniā, inquit, author ille præmiorum tale suis hominibus certamē proponere noluit,vnde inimicitię, seditionesq; maximæ orirentur, homines enim, cum in re sui corporis improbantur non moleste omnino ferunt, neque ijs infesti redduntur, qui ita iudicarint, at si stolidiores iudicati sint, iudicibus admodum ipsis succensent, ægreque, ac molestissime ferunt.

Nec diuersa Lacędemonis mens etsi eorum Respublica,& leges omnes in bellicam fortitudinem ordinatæ erant. Ingenio enim partam victoriam longè pulchriorem ab ipsis censeri, quam corporis viribus extortam, illo more declarabant, quod si calido consilio hostem vicissent, bouem Marti mactabant, si aperta vi fudissent, Gallum,ex nobilitate scilicet victorię sacrificij magnitudinem metientes.

Sed

Sed quis Alexandro Macedone, vel Iulio Cæsare Romano bellicæ gloriæ appetentior extitit? quis eam maiori in pretio habuit? Vterque tamé bellicos triumphos ingenij ac sapientię laudi postposuit. Illius peruulgata sententia est. *Malle se doctrina alijs, quam potentia, & opibus præstare*. Huius clarissimum est testimonium apud Plinium de Marco Tullio scribentis, quem *omnium triumphorum laudem adeptum esse maiorem affirmat, quanto plus est ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quam Imperij*. His Pompeium magni, & ipse cognomine, ob bellicam fortitudinem decoratū, addere possumus, qui Possidonij philosophi domum ingressurus, illius sapientiam sua dignitate, ac bellica fortitudine potiorem ducens, fasces consulares submitti præcepit.

Lib. 7. c. 30.

Denique nescio quid superhumanum ac prope diuinum esse videtur: *Ingenio* (vt verbis vtar Ciceronis) *quo vno homines maxime bestijs præstant, hominibus ipsis antecellere*. Siue igitur rem controuersam spectes, siue viros, inter quos versatur lis, attendas (sunt enim totius orbis ac omnium ætatum sapientissimi) summæ certè difficultatis, ac inuidiæ plenam, non minus tamen scitu dignā ac iucundam pręsentem disputationem iudicabis.

Alex. ab Alex. lib. 1. c. 27.

Omnium maximum Aristotelis ingenium fuisse quæ suadeant. Sectio II.

PRimum argumētum duci potest ab authoritate præstantissimorū virorum, quorum alij aperte Aristotelem cæteris omnibus prætulerunt, alij Aristotelem quidem miris laudibus efferunt, non tamen vel cum alijs conferunt, vel conferentes non omnibus præponunt, qui & si huic parti non directè suffragantur, indirectè tamen fauent, quoniam præstantius ingenium diiudicari potest, non solum eo quòd à multis alteri præferatur, sed etiā ex eo, quod eximios ac plures quàm alterum, vtcūque, laudatores habeat. Alij denique quanti faciant Aristotelem, tam verbis, quàm re ipsa declarant, cum ab eius ore tamquam ab oraculo, non ex tripode, sed cœlitus demisso pendeant; cæteros verò omnes nihili ducant, vel longè minus, quàm Aristotelem reuereantur.

Ex his omnibus nonnullos tantum ego afferam, nam vniuersos, nec possem, cum multos me latere credam, nec vellem, ne lectorem inutili prolixitate tœdio afficerem.

Exordiar igitur ab Aristotelis pręceptore, ac summo viro Platone, qui Aristotelis ingenium admiratus, modo eum νοῦν idest *mentem*, modo Ἀληθινὰς φιλοσόφον hoc est *veritatis Philosophum* appellabat, ex quibus prius Epitheton ad ingenij acumen spectare videtur, posterius ad iudicij sagacitatem, quę duæ partes omnia ingenij munera exhauriunt, vt Aristotelē non in vna tantùm parte (vt plurimos videmus) sed in vtraque, fęlicissimum sortitum esse ingenium indicaret. Idem sępe, eo absente, vel intelligentiam abesse, vel auditorum cœtum surdum esse mussitabat, planè significans tanto Aristotelis ingenium præstare cęteris, quāto animus corpori, sensibusque intellectus supereminet.

Cal. Rod. lib. 16. c. 7.

Summo philosopho connectā celeberrimum Regem, Philippum inquam Alexandri Magni parentem, qui se Dijs gratias agere dixit, non tam quòd optatum sibi filiū dedisset,

sent, quàm quòd Aristotelis tempore, à quo institui posset, nasci illum contigisset. Quo dicto omniũ sæculorum philosophis hõ obscurè eum prętulit, si enim alia tempestate Aristotele meliorem fuisse, aut fore credidisset, illius potius, quàm Aristotelis ætate, filiũ sibi nasci in votis habuisset. Platoni certè tunc viucti (cũ quo de ingenio est Aristoteli maxima l s) apertissimè antepofuit, cum, vt quidam aiunt, adhuc discipulum, ac proinde è Platonis schola, ipso viuente, ac docente prætermisso, Aristotelem euocauerit.

Fonseca lib. 1. Metaph. in Proem. cap. 1.

Plutarchus in Alexandro hoc Philippi de Aristotele iudicium narrãs, ipse quoq; paucis verbis non paruũ Aristotelis elogium cõplexus est, ipsum .n. appellat cunctorum philosophorũ illustrissimum, ac doctissimũ. Et in Catone maiore Antipatrũ refert hanc insignẽ laudem Aristoteli tribuisse, vt inter cæteras eius virtutes, etiã facultate eum præditũ fuisse flectendi, quò vellet animos.

Suidas eundẽ naturæ scribã nuncupat, atq; atramanti loco calamum mente imbuere solũ affirmat, pulchrè hac metaphora indicans, tantũ cæterorũ scripta ab Aristotelis exaratis superari, quantum insensibile atramentũ ab ipsa mente intelligentiæ, ac sapientiæ sede vincitur. Græcos denq; omnes tanquã miraculũ maximũ Aristotelicam sentẽtiarum grauitatem admiratos esse testatur S. Cyrillus Alex. lib. 1. aduersus Iulianum, testatur, & nomen, quo eum vniuersa gręcia insigniuit, Dęmoniũ appellans, quo nescio quid humana mente maius inuoluitur.

Porrò si ad latinos transeamus, occurrit primo loco M. Tullius Platonis quidẽ imprimis studiosissimus, qui tamen pluribus in locis mirificè Aristotelem laudat. In libro .n. qui Orator inscribitur hæc habet verba. *Quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus, vel inueniendis, vel iudicandis acrior Aristotele fuit?* In Topica ad Trebatium. *Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes vnam inueniendi, alteram iudicandi, vtriusque princeps, vt mihi quidem videtur, Aristoteles fuit*, & lib. 2. de Oratore, *rerum omnium vim atque naturam acie mentis*, ipsum vidisse ait. Neque in eo doctrinam tantum admiratur, sed etiam eloquentiam, quam Aristoteli defuisse multi existimant, nam in Proemio Topicorum ad Trebatium, incredibilem quandam copiam, atque suauitatem illi tribuit. libro quoq; De Inuentione secundo tantùm veteribus Rethoricæ pręceptoribus eũ suauitate, breuitatę, ac diligentia pręstare asserit, vt meritò nemo illorum pręcepta ex ipsorũ libris cognoscat, sed vnus loco omniũ legatur Aristoteles In Academ. Quęst. lib. 4. *Aristotele nihil* inquit, *est acutius, nihil politius*.

Deniq; reliquis omnibus philosophis vno tãtũ excepto Platone, sine controuersia prætu it. primo .n. Tusculan. qq. *Aristoteles* inquit, *longè omnibus (Platonem semper excipio)* præstans ingenio, & diligentia.

Cicero quoq; christianus, S. scilicet Hieronymus, mirum est, quantũ Aristotelis ingenio tribuat. nãq; in regula Monachorũm. 11. contra sapientiam mundi disputans, ita Aristotelem alloquitur: *Et tu fatuorum sapientum princeps Aristoteles. & si fueris absque dubitatione prodigium, grãdeq. miraculum ip tota natura, cui penè videtur infusum, quidquid naturaliter est capax humanum genus &c.* quibus in verbis duo consideranda sunt alterum quàm magnificè de Aristotele loquatur, alterum verò, quòd ait, *absque dubitatione* ostendens

dens, non tantum ex propria sententia; sed etiam ex communi omnium consensu id se asserere. Pręterea, qd in cap. 3. longę, Aristotelem in quorundam paucorũ numero ponit, qui veluti reges habentur omnium, & quorum præcepta, non vt præcepta mortalium, sed quasi oracula Deorũ accipiuntur.

Quintilianus lib. 10. cap. 1. Aristotelem admirans inquit. *Quid Aristotelem? quem dubito sciẽtia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suauitate, an inuentionis acumine, an varietate operum, clariorem putem.*

Plinius lib. 8. c. 16. Aristotelẽ *summum in omni sciẽtia virum*, & lib. 18. cap. 34. *virum immensæ subtilitatis appellat*. Transeo Macrobium, qui lib. 2. in somn. Scipionis cap. 10. tantum virum nihil ignorare potuisse ait. Taceo Apuleium lib. de mundo qui *doctissimum, ac prudentissimum philosophorum* vocat, & alios multos. Vocor enim in Aristotelis scholam, in qua eius discipulos in pręceptore laudando inuicem certantes visuri sumus, quo tamen in certamine primas absque dubio fert Auerrois, ex cuius pluribus dictis nõ nulla tantũm huc adducam. In 3. de anima com. 4. *Aristoteles*, inquit, *fuit regula & exẽplar, quod natura inuenit ad demõstrãdam vltimam perfectionẽ in materijs.* In pr. de Generatione animaliũ *Laudemus Deũ, ait qui separauit hũc virũ ab alijs in perfectione, & appropriauit ei vltimã dignitatẽ humanam, quã nullus homo potest in vlla ætate attingere.* In lib. destruc. disp. 7. in solutione dubit. 13. *Aristotelis doctrina est*, inquit, *summa veritas, quoniã eius intellectus fuit finis humani intellectus, quare benè dicitur de illo, quòd ipse fuit creatus, & datus nobis diuina prouidentia, vt non ignoremus possibilia sciri, & alibi* ait Aristotelem *fuisse principem, per quem perficiuntur omnes sapientes, qui fuerunt post eum, licet differant inter se in intelligendo verba eius, & in eo quod sequitur ex eis.* Quibus & alijs multis tantum se tribuere Aristoteli ostendit, vt meritò apud nonnullos in suspicionem venerit, ne alium Deum præter Aristotelem agnosceret, neuè aliam religionẽ, siue fidẽ, præter Aristotelicam doctrinam, amplecteretur.

Ammonius, siue is fuerit, vt multi volunt, Philoponus, vel alius quispiam in vita Aristotelis à se conscripta, inquit. Hic vir (Aristoteles) *in Philosophia cognitione humanum ingenium excessit, cum nihil in ea tractandа inchoatum reliquerit, imò verè cum multa suopte ingenio, suaque mentis acie eidem adiunxerit, totam philosophiam numeris omnibus absoluit.*

Simplicius in Præfatione ad Prædicamenta in multis Aristotelem cęteris omnibus philosophis præfert. Primum in ratione philosophandi, ac modo scribendi. *Genus enim* (inquit) *philosophandi Aristotelis differt à cæteris, quoniam obscuritates, & scyrpos eorum transtulit in perspicuã quandam, & propriam expositionem*, quòd si obscure aliquando scripsit ex industria hoc effecisse asserit, non ex inscitia, alioqui enim in conscribendis epistolis in quibus obscuritatem non affectauit, nemo, ait, illi similis est. Deinde in argumentorum robore, & euidentia, quę inquit, vbique tanta est in argumentis Aristotelicis, vt quemlibet necessariò cogat assentiri victum, tertio, quod non vnam, aut alteram partem philosophiæ, vt illi, attigerit; sed partes omnes philosophiæ naturalis vsque ad singularia euolutas, ac resolutas reliquerit.

Themistbius nobilis Peripateticis ad

lib.

lib. de anima in omnibus suis libris admirabilem esse inquit Arnno ciēs: In illis autem de anima *eatenus superasse veteres, vt quæ ne vnum quidem illi attingere potuissent, ipse veluti in numerato habens, diligentissime explicauerit.*

Ac ne singulos recenseam, in hoc album referri possunt omnes ferè Peripatetici, qui post Alexandrum Aphrodisiésem floruerūt, hic enim primus fuisse videtur, qui ita Peripateticus esse voluit, vt totum se Aristoteli addixerit, ac veluti in eius verba iurasset, omnia ad Aristotelis mētem docuerit. Vixit autem Alexander, vt ex ipso colligitur sub Antonino Imperatore circa annum Domini 180. vel sub Septimio Seuero circa annum Domini 200. Alexandrum deinde imitati sunt penè omnes, qui Aristotelem interpretati sunt. Sed hoc institutum ab Aristotelis vestigijs numquam deflectendi, multo etiam magis floruit post Auerroem, qui & maximè omnium illud excoluit (fuit autem Auerroes circa annum Domini 1131. hic enim conuenit cum anno æræ Maurorum, quo Auerroes paraphrasim in Rhetoricam Aristotelis se absoluisse testatur in eiusdem libri calce) tunc enim reliquis philosophorum sectis penè extinctis: nec philosophi nomen ab Aristotelis nomine distinguebatur, & vna eademque res philosophia secundum se, & Aristotelis doctrina videbatur. Nec apud philosophos tantùm hic mos Aristotelem sectandi inoleuit, sed in Theologos quoque irrepsit. Videas enim S. Thomā, Scotū, & reliqua huiusmodi præclarissima ingenia, Theologiæ lumina, ac Reipublicæ Christianæ ornamenta, tam ab Aristotele, quàm ferè ab ipsa veritate desecenda cauere. Non defuerunt denique, qui honoris ergo numismata ærea signauerint eius imaginē, quorum in aduersa parte naturæ miraculum esset inscriptum.

Politia. in miscellaneis.

Iul. Nogronius orat. 19.

Cum igitur ab Alexandro vsque ad hæc tempora *annorum circiter* 1420 fluxerint, quis non miretur toto hoc tempore summo omnium sapientum consensu, ac plausu, vnius viri non vnam tantùm, aut alteram sententiam, sed omnia eius dogmata, quę vniuersam philosophiam cōplectuntur, vt irreprehensibilia recepta, ac summa in veneratione habita? Quis non obstupescat tot sapientissimos viros ex omnibus ferè orbis partibus, maximis locorum, & temporum spatijs discretos, animis inter se infensis, inuicem sibi contradicentes, quódq; caput est, repugnantes religiones sectantes, deque ipso Deo dissentientes, in vnius Aristotelis ingenium celebrandum, in vnius Aristotelis doctrinam tuendā, excolendamq; vnanimes conspirasse? Ab authoritate profectò humana argumentum maius, ne excogitari quidem posse ferè videtur.

Secundum argumentum deduci potest ex ipsius libris, ex quibus, cū sint eius ingenij partus, optimè tamquam ex effectis causas, ipsius vim conijcere possumus. Hos autē quis non admiretur? Si enim multitudinem spectes, propè ad quadringentos accedere inquit Laertius, sed nō omnes enumerasse Laertium, multi sentiunt, quare Patritius ex varijs authoribus Aristotelis libros diligētissimè colligens vsque ad 747. ipsorum numerum deducit: si multiplicem variamq; doctrinam requiras, nihil reliquit Aristotelis intactum. Non solum enim phisiologiā copiosissimè tradidit, tum in genere de corpore, siue ente naturali agens, tum de singulis eius speciebus, sed

etiam

etiam ad morales Ethycam, œconomicâ, & politicam se extendit, ad diuina, & abstracta à materia in metaphysicis assurrexit. Ad rationales Rhetoricam, Poeticâ, ac Dialeticam se demisit. Mathematicas scientias, vel poemata forte quis in ipso desideret, sed de illis quoq; plures edidit libros, vt refert Laertius, qui non extât, præter illum de quæstionibus mechanicis, nec ab his abstinuit, poemata enim edidit ad Hermiam, ad Democritum, & Elegias. Si diligentem ac perfectam rerum discussionẽ optes, optimum finem (vt nomen ipsum Aristotelis præfefert) omnibus disciplinis tripo suisse videtur, numquam enim, nisi rebus exploratissimis conquiescit, nec nisi deprehensa veritate, ab eius inquisitione desistit. Ordinem prętetea, & methodum in vnaquaque doctrina tradenda cõmodissimam ac miram, & inuenit, & ad calcem vsque prosequitur. Stylus deniqueram modestè, & sine fuco purus, & comptus, vt philosophię tradendæ sit aptissimus & non immeritò ab ipso M. T. aureũ orationis flumen Aristoteles fundere sit dictus. Tertio argumentari possumus, Aristotelẽ cũ alijs sigillatim conferẽres, quẽ eĩ reperiemus illi æquandum, nedum præferendum? si de latinis loquamur, manus libenter illi dant; imò inter hos præcipui pro magna gloria ducũt se nõ indignos Aristotelis discipulos existimari. Si de Græcis, & veteribus loquamur, illos omnes quamuis fulgentes prius, ingenij sui splẽdidissimo fulgore offuscauit, ac obtenebratos reddidit Aristoteles.

Lib. 4. Acad. q. 4.

Argumenta pro contraria parte afferuntur, Sectio III.

SVperiorem sententiam, quamuis valde munitam, siquis impugnare velit, duplici ratione eam adoriri poterit, vel probando scilicet, alterius cuiuspiam ingenium maximum fuisse, aut saltem Aristotelico maius, vel ostendendo Aristotelis ingenium absolutè consideratum non adeò summum excellensque iudicandum.

A priori igitur exordientibus occurrit in primis Plato Aristotelis pręceptor, cuius ingenium Aristotelico pręstitisse multorum fuit sententia, ac primum vniuersæ Græciæ calculis superiorem Platonem iudicatum, ex agnominibus, quibus vtrumque honestauit, perspicuum videtur Platonem enim diuinum appellauit Aristotelem autem dæmonium, tum quia naturalium sciẽtiam imprimis complexus est Aristoteles, quorum ratio sublunari fere continetur mundo, qua in parte Dœmonibus præscripta putabant loca; Plato verò altius assurgens intelligibilium cõtemplationi addictus, de diuinis longè plura ac veriora, quàm Aristoteles disseruerit, tum etiam, vt innuerent, tanto Platonem videri Aristotele præstantiorem, quanto Dæmonijs Dij maiores, ac superiores habebantur.

Cal. Rho dig. lib. 1 cap. 23.

Sed non mirum diuini nomen ab alijs Platoni tributum, quando & ipse Aristoteles, eius æmulator nõ verbis tantùm, sed etiam factis Platonẽ tamquam Deum aliquem se veneratum fassus sit, aram enim ei erexit, & distico ornauit, cuius hic est sensus.

Marsil. Ficinus in Plat. vita.

Aram

Aram Aristoteles erexit hanc Platonis
Viri quē nec laudare scelestis fas est.

De M. Tullio non est, quod dubitemus. Platoni potius quam Aristoteli primas deferre. Mitto enim qđ eum vnà cum Panetio Deum philosophorum appellat, præterea quod subdit *malle se cum Platone errare, quam cum cæteris rectè sentire.* Ipsi quoque aduersarij, qui pro Aristotele aduersus Platonem pugnant, id fatentur, neque Cicero tantùm, sed etiam D. Augustinus, ac cæteri ferè Ecclesiæ prisci doctores non solum Aristoteli Platonem, sed etiam Peripateticæ doctrinæ, vel Academicam, vel Stoicam anteposuerunt.

Foñseca in proe. cap. 5.

Quintilianus non humano ingenio, sed Delphico quodam oraculo instinctum sibi videri Platonem affirmat.

Nominis autem celebritatem, quantam adhuc viuens adeptus fuerit Plato, quod narratur à Marsilio Ficino perspicuè declarat, sunt autē hæc eius verba. *Reuersus ex Sicilia Plato, cùm ad magnificentissimam illā Olympiorum celebritatem, quasi ad quendam orbis terrarum conuentum peruenisset, tam latis cunctorum occursibus exceptus est; vt ex Cœlo Deus ad mortales demissus videretur, ludos deseri, Athletarum spectacula relinqui, pugiles solos omitti certantes, & quod admirabilius est, qui tot longis terrarū marisque tractibus pascendorum oculorum, aurium que, & animorum gratia, Olympia venerant, omnis voluptatis obliti Platonem adibant, Platonem intuebantur, in Platone perinde atque amœnissimo diuersorio conquiescebant.*

Quod verò obijciebatur Aristotelem adhuc Platonis discipulum à Philippo Rege in præceptorē Alexandri fuisse selectum, cum vera cronologia non conuenit. Profectus est enim Aristoteles ad Philippum secundo anno centesimæ nonæ Olympiadis, vt ex Laertio, & alijs constat. Plato autem, vt ijdem testantur, anno primo Olympiadis centesimæ octauæ iam obierat.

Petrit. lib. 1.

Sed, vt certior de vtriusque ingenio sententia feratur, illos inuicem conferamus, ac veluti cominus pugnantes cernamus. Primum igitur si de eloquentia sit sermo, haud dubium, quin Aristoteli præstet Plato, cuius lingua loquuturum fuisse Iouem, si humana lingua loqui vellet affirmat Cicero. Neque solùm in oratione soluta valuit Plato, sed etiā in pangendis versibus excellenti lepidoq; ingenio prędiitus fuit, vt eius multa Epigrammata à Laertio, & alijs relata declarant.

Præterea si de doctrina loquamur, eximia certè in vtroque fuit, verùm etiamsi concedamus in Aristotele maiorem fuisse, non continuò tamē sequetur ingenij palmam ei deferendam. Quid mirum enim, si Aristoteles Platone doctior euaserit? Discipulus eius cùm esset, totam Platonis doctrinam ab eo hausit, cui vel minimo incremēto addito, maiorē, quam præceptor habuisset, consequi potuit scientiam. Quis miraretur Pumilionem super humeros gigantis collocatum altiorem eodem gigante apparere, vel sublimius eleuare manum? ita prorsus Aristoteli euenit, qui à Præceptore suo Platone ad altissimam philosophiam euectus, nullo ipse deinde labore. (Nam facilè est inuentis addere) paululum altius progressus est, atque ita multis, & doctior, & ingeniosior suo præceptore videtur. Non igitur ex doctrina est metiendum vtriusque ingenium, sed potius considerandum, an tāto maior fuerit Aristoteles Platone, quanto Plato ipse præcedentibus

bus

bus philosophis maior extiterit. Reperiemus autem Platonem quidem longo interuallo veteres philosophos post tergum reliquisse, Aristotelem verò, vel non prætergressum, vel paululum omnino antecessisse Platonem. Fortassis verò non deerit quispiam, qui pro Aristotele dicat, longe plura eum, quàm quæ à Platone didicerat, docuisse, multa enim edidisse, de quibus ne vestigiū quidem in Platonis libris reperias. Qui tamen pro Platone pugnare vellet, occurrere posset. Non omnia à Platone euulgata, quæ Aristoteli, & reliquis suis discipulis tradebat. Vt enim omittam, veterum fuisse philosophorum morem, vt maiori in veneratione haberentur, philosophię arcana non euulgare; colligi hoc etiam potest, ex diuturno tempore, quo Aristoteles Platonem audiuit, viginti enim annorum spatio eius auditor fuit, ex quo apertè consequitur, vel Aristotelem tardioris ingenij fuisse; quod nequaquam aduersarij concedent, vel longe plura à Platone audiuisse, quàm illa sint quæ in eius commentarijs leguntur. Adde quòd non puer, vel rudis Aristoteles Platonē adijt, iam enim 20. annum impleuerat, vt Ammonius, & Diogines, vel 23. vt alij tradunt, & medicam artem, quam à patre didicerat, exercens. Si igitur modo 7. vel 8 annorum emenso curriculo mediocris ingenij homines & philosophiam, & Theologiam se abundè consequutos esse existimant, quomodo Aristoteles tātī ingenij, vt aiunt, prodigiosi in illis tantùm, quæ in Platonis dialogis continentur adiscendis, temporis tantum consumpsit?

Tandem de numero, ac nobilitate sectatorum contendere possent Plato, & Aristoteles, quo in certamine, si antiqua tempora vsq; ad theologos scholasticos percurramus, vter superior fuerit, diiudicare facile nō erit, vterq; enim, & nominis celebritate, & insignium sectatorum frequentia maximè floruit. Christiani tamen nominis philosophi Platonem libentius, quam Aristotelē amplectabantur, qua ratione simpliciter etiam præferri posset Plato. Si de posterioribus verò tēporibus loquamur, in quibus theologi scholastici floruerunt, cùm omnes hi tamquam ducem, & præceptorem Aristotelem sequantur, eiusque vestigijs inhæreant, proculdubio Aristoteles discipulorum multitudine, ac dignitate longè clarior Platone redditus est. Hinc tamen non consequitur, vt etiam in hac lite de ingenij prę-stantia causa cadat Plato, quoniam hęc discipulorum multitudo accedere potuit Aristoteli, vel ratione methodi, quam in tradendis disciplinis obseruauit, quæ licet suauitatem, & ornamenta sermonis Platonicæ concedat, compendiosius tamen, ac tutius, ad veritatis consequutionem alumnos suos conducit, vel etiam ratione doctrinæ, quam licet admittamus in Aristotele quàm in Platone vberiorem, non tamen Platonis ingenio, vt supradiximus, præiudicamus. Ex his igitur facile æquo iudici constabit, Platonis ingenium, vel maius, vel saltem non minus Aristotelico fuisse. Non solus tamen Plato Aristoteli non concedit, sed plures alios possem in hanc arenam deducere cum Aristotele de Ingenij præstantia certatures, quorum omnium elogia si connumerare velim, quando tādem huic disputationi finē imponā? Vnius Homeri laudes, si quis ex varijs authorib⁹ colligeret, librū impleret. De eo hoc tantū ego afferā, tāti habitū apud veteres Homerū, vt cū

Politia. prap in Homer. Zoilus quidem Homeri se castigatorem profiteri esset ausus, velut Deũ ipsum blasphemasset, aliquandiu prius delusus, non minori tandem, quàm extremo supplicio affectus fuerit à Ptolomæo Philadelpho Ægypti rege. Mitto Socratem, Hippochratem, Carneadem, Demosthenem, & illum, quem præ omnibus, non tamen cũ paucis admiratur Cardanus, Archimedem, inquã, de quo egregium apud Ciceronẽ extat Elogium lib. 2. de Nat. Deor. antiqui enim *Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæra conuersionibus, quam naturam in efficiendis*, & alios quamplures græcos, quorum singulis non deesset probabile aliquod argumentum primi loci sibi vendicandi. Quid? Nec Epicuro deerit, qui ipsum Aristoteli præferat, & Lucretium non minus eleganter, quàm falsò canẽtem. *Qui genus hominum ingenio superauit, & omnes præstrinxit stellas exortus vti æthereus sol.* Si de latinis verò loquamur, tot sese erũt, qui cum Aristotele manus conserere audebunt, vt satius ducam, quia non possum omnes, neminem in mediũ afferre, ne aliorum inuidię subiaceã; sufficiet tamen, in genere afferere, latinos ingenij palmam Græcis, nec concedere velle, nec debere. Imò M. Tull. latinorum ingenia reliquis omnibus anteponit. Inquit enim lib. 1. de Oratore. *Ingenia verò (vt multis rebus possumus indicare) nostrorum hominum cæteris hominibus omnium gentium præstiterunt.* Neque antiqui tantum, sed etiam ex recentioribus fortasse non deerunt, quoscum Aristotele conferas. *Iust. lip. epist.* Scaliger certè exerc. 324. quem alij non minus, quã Aristotelem ipsum admirantur, tres viros recenset, quorũ ingenia non minoris quam Aristotelicũ æstimare videtur; Io. Scotum, *quem limam veritatis* appellat, Calculatorem, *quem penè modum excessisse humani ingenij affirmat*; & Gulielmum Ochã, *cuius ingenium cætera omnia ingenia subuertisse asserit*, quibus tamẽ multos protulisse & Hispaniam, & Italiam, cæterasque prouincias pares, indubiũ non est reuocandũ; vt enim cæteros præteream, Ioan. certè Picus Mirandulæ princeps, qui admodum iuuenis in omni artium scientiarum, & linguarum varietate eruditus vsque ad miraculum fuit, nulli eorũ postponendus videtur. Sed de hac prima ratione hactehus.

Qui verò alteri viæ insistens, Aristotelis ingenium de primo loco deturbare vellet, ita argumentari posset. Duo sunt ingenij munera; Inuentio, & Iudicium; sed in vtroque parum laudis meruisse videtur Aristoteles; non igitur est eius ingenium maximum existimandum. Minor non difficile probari potest. Si enim de inuentione loquamur: Quid docuit Aristoteles, quod à veterib⁹ mutuatus non fuerit? In tres præcipuè partes philosophia distribuitur; in Naturalem, Moralem, & Rationalem, harũ nullius inuentor fuit Aristoteles. Naturalem, siue Physicam docuerũt primi philosophi, vt Thales, Demetrius, Empedocles, & relíqui huiusmodi, quos etiã Physicos ipse Aristoteles appellare consueuit, *1. Phys. cap. 2.* Ethicæ inuentionem Socrates sibi vendicat, vt oẽs fatentur, Dialecticam verò inuentã, & perfectã à Platone scribit Laertius in Platone, alij verò non pauci Dialecticæ inuentorẽ faciunt Zenonẽ Eleatem, quã falsò igitur Auerr. in lib. physicorũ in proœmio afferat, nõ solũ Logices, sed etiã Physicæ, & diuinæ scientiæ authorẽ, & perfectorẽ Aristotelẽ fuisse, quis nõ videat? Quod si has philosophiæ partes in minutiora etiam membra diuiu-

diuidamus; nihil forte reperiemus, quod Aristoteles ab antiquis suffuratus non fuerit, fama quidē est, illū veterū philosophorum monimenta diligenter cōquisita combussisse, ne quæ ab ipsis surripuerat, paterent; adhuc tamen ex ipsorū fragmentis & ex his, quæ Aristoteles ipse citat, plurima ab illis eū accepisse, constat. summa ego tantùm rerū capita percurram, alioqui vniuersam philosophiā hic cōgerere oporteret, qui autem fusius hæc videre optat, consulat Franciscū Patritium non modicę eruditionis philosophum in suis discussionibus Peripateticis, qui octo libris hanc eandem thesim, scilicet Aristotelem ab antiquis omnia ferè sua mutuatum, tuetur, & probat.

Nos igitur à Logica incipientes, inueniemus, decem categorias ante Aristotelem docuisse Archytam Pythagoricum. In libro de Interpretatione, quem tamen nonnulli, an sit Aristotelis, ambigunt, imitatum esse Clitomachum Tirium, de quo Laertius in Diodoro, *& Clitomachus Thurius, qui primus de axiomatis, & categorematis, & talibus alijs conscripsit*; & Præceptorem etiam habuisse Platonem, qui in Sophista Cratylo, & alibi non pauca semina Aristotelicæ messis spargit; Oretenus autē credibile est, vt supradiximus, multo locupletius hæc suis discipulis tradidisse. In libris Priorum agit Aristoteles de argumentatione, cuius artis inuentorē fuisse Aristotelem, palàm negat Themistius, quem refert Philoponus in Priorum. De Demonstratione, & si non ita perfectè plura docuerunt etiam Speusippus Aristotelis condiscipulus in suis definitionibus, & Crito quidam in libris quatuor de cognoscendo, siue quid sit in scientia prænotatis. In Dialectica, siue Topica excelluisse Socratem, nulli dubium. De arte respondendi tantum gloriatur Aristoteles, se primum scribere, sed an verè id dicat, dubitationē pariunt illi Xenocratis libri, quos de artificio in disputando conscripserat. De Elenchis quoque nihil à veteribus scriptum fuisse, asserit Aristoteles, cum tamen Laertius, à Protagora librum esse cōscriptum, tradat de arte Elenchorum.

Quoad physicam spectat. De Principijs, & causis rerum naturalium multa accepit à Platone in Phædro, & in Timæo, & ex Ocello, libro de natura, à quo multa alia verbis etiā ipsis transcripsisse, eius tamen vbique nomine suppresso, Patritius tradit. De motu, & reliquis accidentibus plura scripsisse veteres physicos Aristotelis testimonijs comprobatur, at de motu 7. phys. cap. 3. De Infinito. cap. 4. De loco 4. phys. cap. 1. De vacuo cap. 6. De tempore cap. 10. De speciebus corporis naturalis idem fatendum est, videre enim licet, vbique Aristotelem auctoritates antiquorum referre, quamuis plurimum pro virili refellat. De ente, & Metaphysica ante Aristotelem scripsit Simmicas Thebanus ex Laertio, Parictione Pithagorica mulier, Plato toto Parmenide, & alij. Non igitur philosophiæ inuentor fuit Aristoteles, neque dogmata omnia, quæ ipse contra veteres improbat, illis sunt ascribenda. Primum quoniā, vt Simplicius, & alij testantur, sæpissime Aristoteles non mentem, sed verba veterum impugnat, vel gloriolæ captandæ gratia, vel vt alij clemētius, ac benignius eius mētem interpretantur, ne tardioris ingenij homines id, qđ verba primo aspectu præseferunt, amplectentes, nec vlterius veritatem inuestigātes, in errorem laberentur. Præterea secundo

Patric. tit. 3. lib. 3.

cundo, quoniam Aristoteles laudis amantissimus, sicuti errores antiquorum libentissimè in medium producebat, ac refellebat, ita eorum nomina, à quibus placita sua mutuabatur, supprimebat, vt eorum videretur esse author, vt de Hippocrate testatur Galenus, à quo tã multa credidit sumpsisse Aristotelem, vt eius libros non aliud, quàm Hipochraticæ doctrinæ commentarios, scribere veritus non sit.

Præterea à Platonico fonte quàm plurima hausisse Aristotelem argumento illo, quo etiam, supra vsi sumus de 20. annorũ spatio, quo eius auditor fuit, confirmari potest. Ad hæc dum præstantissimi philosophi in ea sunt sententia Aristotelem, & Platonem concordes esse, cõsequenter planè testantur, nouum nihil ab Aristotele inuentum, sed omnia à præceptore Platone mutuatum, attamẽ, vt gloriam captaret, verbis saltem à præceptore dissentire voluisse. Constat igitur in hoc priori munere ingenij, quod circa inuentionem versatur, non plurimum laudis sibi cõparasse Aristotelem.

Quod verò ad iudicium spectat, hoc in duobus præcipuè enitet: Alterum est in electione veriorũ dogmatum: Alterum in eorumdem confirmatione, ac contrariorum confutatione. Quoad primum, si conciliatores Platonis, & Aristotelis audiamus, parum laudis Aristoteli tribuemus, nõ maiorem, scilicet quàm reliquis omnibus Platonis discipulis, qui in præceptoris doctrina perstiterunt. Si verò concedamus in multis Aristotelem à Platone dissentire, non semper veriora elegisse Aristotelem, simul etiam cõstabit. Nam de mundi origine, de animæ immortalitate, de prouidentia Dei, de bonorum proemio, ac malorum pœna longè rectiùs sensisse, & loquutum fuisse Platonem, quam Aristotelem, absque fidei Christianæ detrimento negari non potest. Multa quoque alia sunt Aristotelis placita, quamuis non à fide, à veritate tamen aberrantia, quorum tamen falsitatem probare, quoniam hic importunum esset, absque probatione autem asserere arrogans, & temerarium videretur, in alium locum differatur. *Vide q. 3.*

Quid verò interim de Confirmatione suorum dogmatum dicam? frequentissimè videas, eum, vt sua confirmet placita, vel vt aliorum infirmet, tam infirmas adducere rationes, tam leuia argumenta, vt plumbeos pugiones cum Cicerone merito vocare possis. Non esset difficile hoc multis comprobare exemplis, sed breuitatis studio supersedeo, lege tamen si placet, quæ de motu per vacuum, de mundi æternitate, ac de eiusdem vnitate, quæ de primo motore, de elementorum numero, de qualitatibus, & de intellectu affert, & cernes sæpius conjectari eum potiùs, vel verba in aerem fundere, quam demonstrare quidpiam, hinc sæpe videas ipsius interpretes eniti, & ad sudorem vsque conari, vt Aristotelis rationes nemine impellente corruentes fistant, & firment, quibus etiam asylii loco tutissimum, ac frequentissimum solet esse perfugium, ad hominem, vt aiunt, Aristotelem argumentari, eiusque rationes, licet non absolutè, contra antiquos tamen, quos ipse impugnat, aptissimè concludere, sed ò vanum futileque perfugium, tum quia quælibet absurda antiquis illis non contemnendis philosophis gratis impingunt, & quos Aristotelis ictus, ne attingunt quidem, nedum perfodiant,

tom-

comprehenduntur miseri, & in Aristotelis gladios frustra aeris verberantis inniti impelluntur, tum etiam quia ad veritatem in se confirmandam nullius roboris Aristotelis argumentationes esse; hoc pacto fatentur. Præterea multò etiam plura, vel menda, vel mendacia in Aristotele coargui possent, nisi ipse callidus, & vafer obscura quadam dictionis, & sensuum caligine, qua mirum in modum est delectatus, omnia sua obtegisset.

Sed neq; silentio, aut sine censura prætereundus est ordo, & methodus docendi Aristotelis, in qua mirificè ipsius sectatores eum laudãt; non minimum enim iudicij in ea rectè instituenda cognoscitur. In hac igitur Aristotelem reprehensione non carere, pluribus ostendi potest; Primum, quoniam contra præceptum ab ipso traditum de partibus animalium sæpè eadem repetit, vt in metaphysicis ea, quæ in logica, & in physica tradiderat. Secundo, quoniam interpretes laborant, & prolixas disputationes texunt, vt Aristotelis capita, & contextus connectãnt. Tertiò, ex eius obscuritate, recta enim distributio, & rerum ordo perspicuitatem parit. Quartò, quoniam in alieno loco res pertractat; ita vt cogantur dicere interpretes, illa docere Aristotelẽ alieno habitu indutum, vt cum de primo motore agit in physicis, indutum esse habitu metaphysici. Quintò, ex prolixitate inutili, quæ enim de principijs toto primo physico, & alijs etiam docet Aristoteles, in paucas conclusiones concludi possent. Sextò, quoniam recentiores, qui materiam aliquam seorsum ab Aristotele tractandam suscipiunt, Aristotelis ordinem aliquando inuertunt, vt in physicis prius agunt de quantitate, & de loco; quam de motu, de quo tñ primo ferè loco post principia rerũ naturaliũ agit Aristoteles.

Quòad multitudinem verò librorum, longè plures Epicurus ipse Philosophorum infimus, quam Aristoteles scripsit, vt alios prætereã. Præterea si ab Aristotelis libris antiquorum dicta demas, & sæpius repetita reseces, longè pauciores, & breuiores reddẽtur. Tertio, quid mirũ multa scripsisse, cum & ocio abundãret, & Alexandri iussu multa hominum millia quæcumque cognita, & obseruata ex venatu, aucupio, & piscatu, vel alia ratione haberent, ad Aristotelem scribenda deferrent? *Laerti. in Epicu ro.*

Denique si ex regulis Physiognomiæ quicquam coniectari licet, ex hoc etiam capite nõ maximum ingenium Aristoteli à natura concessum argumentari possumus. De eius enim habitu, ac corporis forma hæc habemus. Ex Laertio balbum eum fuisse, cruribus tenuibus, & paruis oculis. Ex alijs verò Paruum, Gibbosum, & omninò deformem, singula quid indicent, consideremus.

Ex deformitate quidem, quoniã generalis quædam est affectio, non videtur indicium vllum posse sumi, nihilominus tamen tardum eam potius ingenium, quàm optimum arguere, suaderi potest; Primò, quoniam optimæ indolis indicium est mediocritas inter excessum, & defectum, & inter magnitudinẽ, & paruitatem; colligitur hoc ex multis Aristotelis locis physiognomicis, vt cap. 9. de facie, de oculis, de fronte, & cap. 10. de magnitudine, & paruitate, quibus in locis semper dicit medium habitum præstare, & in hoc vltimo hæc habet verba. *Media autẽ natura bonũ ad sensus optima, et perfectissima*, sed ex hac mediocritate oritur pulchritudo, cũ n. hæc in ꝓportione mem-

membrum præcipuè consistat, si omnia membra mediocritatem seruēt, optimam inter se habebunt proportionem, ergo cum pulchritudine conexa erit optimi ingenij indoles, & è cōtrario cum deformitate ingenij prauitas. Idem probari potest ex altera parte pulchritudinis, quę in suauitate colorum consistit, nam color omniū pulcherrimus est albedo rubore mixta, & hic idem ab Aristotele inter ingeniosi signa recensetur; Præterea tertio, ab eadem causa intrinseca proueniunt tum pulchritudo, tum apta organorum dispositio, quę ad ingenij perfectionem conducunt, ergo ex vna alteram probare poterimus. Probatur antecedens; quoniam tū pulchritudo, tum etiam ingenij præstantia nititur optimo temperamento, quod erit, vel medium, in quo omnes qualitates, & humores in debita, & æqua proportione consistunt, vel in quo nobilissimus humor nempè sanguis prævalet. De pulchritudine probatur à posteriori, tum quia per malam valetudinem, à qua optimum temperamentum dissoluitur, pulchritudo labefactatur, tum etiam quia color suauissimus ab hoc eodem temperamento oritur. Deinde à priori, quoniam pulchritudo nil aliud est, quā apta quædam diuersarum rerum, & proportionata compositio, cum igitur in optimo temperamento fint aptè, & proportionatè disposita tum membra, tum humores, etiam pulchritudo sequetur. Præterea Prouidentiæ diuinę cōgruum fuit, vt quoniam corpus ad animæ functiones destinabatur, tale temperamentum requireret, quod, & ad sui ornamentū, & ad animæ munera esset aptissimum. Quod verò ingenij præstantia ab eodem perfectissimo temperamento oriatur, ijsdem ferè argumentis suaderi potest, nam & optimus color, qui ex medio, vel sanguinis temperamēto oritur, est ingenij signum, & quo organa perfectius fuerint disposita, & contemperata, aptius animæ muneribus deseruiēt. Accedit, quòd sanguinea complexio aptior est, ad spiritus, & plures, & viuaciores producendos, quibus maximè in suis functionibus anima vtitur, quò igitur illi plures, & perfectiores erunt, perfectius quoque anima sua munera obibit. Scio quidem, in diuersa sententia nonnullos esse, & censere, temperamentum exibile, & melancholia per mixtum ad mentis perspicaciam accōmodatius esse, sed non est, huius loci, hæc fusius, & enucleatius pertractare.

Cal Rho dig lib. 9. c. 39.

Collig. Corn 2. de Gen. c. 89.

Sequitur staturæ paruitas, de qua licet Aristoteles dicat, Acutiei signū esse, idem tamen in fine illius capitis fatetur, mediocrem staturam ad sensus optimam esse, internorum autem sensuum perfectionem etiam ingenij præstantia comitatur. Ex oculorum paruitate pusillanimitatē indicari, author est idem Aristoteles; si tamen Cardanum sequamur, non nihil inrerto nostram hinc eliciemus, inquit enim, oculorum defectum indicare errorem naturę circa cerebrū, omnis autem error in cerebro munera intellectus impedit.

Crurium tenuitas luxuriem indicat teste eodem Aristotele capit. 6. *Quicunque habent crura tenuuia, neruosa luxuriosi.* Non fallax autē fuisse hoc signum, quæ de ipso Aristotele narrantur à Suida, & alijs, testantur. Ex quo quamuis non liceat argumentari, optimum ingenium à natura sortitum non fuisse, licet tamen concludere, his actionibus ab eo hebetatum, maximè enim hæ voluptates obscœnæ intellectus actionibus obsunt, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 15. art. 3.

art. 3. Præterea notandus est locus Aristotelis 4. de partibus animalium cap. 10. vbi inquit, habere partem superiorem magnam, inferiorem verò, quæ pondus sustinet, motumq; exercet, paruam, minimeq; respondentem superiori, illis esse, inquit, qui minus mente valent, idq; pluribus probat; ex hoc igitur argumentamur contra ipsum, cuius crura tenuia fuerunt, ergo pars inferior non fuit superiori respondens, ergo parum mente valuit.

Cæl. Rhodig. lib. 7. c. 27. Denique balbuties se offert, quæ primo loco fuerat recensita, huius si causam quæramus ex Galeno habemus esse nimiam humiditatē, quare & ebrij aliquādo balbutiūt, quia nimia humiditate profunduntur. Nimiam autem humiditatem ingenio officere, ex infantibus experientia deducta comprobatur, non enim alia ratione infantes mentis vsu destituuntur, quam ex nimia humiditate. De Gibbo esset dicendum, sed quia hic (si Cardano credimus) defectum potius circa cor, quam circa cerebrum indicat, omittitur. Ex omnibus igitur his signis non improbabile argumentum aduersus ingenium Aristotelis desumi posse videtur, sed his disputationis gratia præmissis, accedamus ad nostram sententiam de præstantissimo ingenio paucis explicandam.

Propria Sententia explicatur. Sectio IIII.

Temeritatis facilè fuerit, non maximo ingenio, nec mediocri fortassis præditum, iudicem se præbere inter summos, & præstantissimos viros, de ingenij laude, ac palma certantes, cum in hoc certamini in genere vel præstantiorem, vel certè non inferiorem certantibus iudicem esse oporteat, vt supra ex Aristotele retulimus. Verū ego, non vt iudex in palestra sedebo, sed vt quilibet de populo, qui pugnæ in theatro spectator, quamuis, & pugnantibus impārem se cognoscat, & ferendo iudicio non aptum, cohibere tamen se nequit, quin nutibus, voce, plausibus, quid de vnoquoque pugnantium sentiat, aperiat, ita ego, qui hucusq; huius certaminis spectator fui, liberè nunc sensum meum aperiam, aliis me sapientioribus relinquens, vt & de ipsis certantibus, & de hoc ipso meo iudicio sententiam ferant.

Dico igitur primò. Per diuinam potentiam creari posse ingenium Aristotelico longè maius atque præstantius. Conuenient, ni fallor in hāc sententiam omnes, etiam pro Aristotele laudati. Quis enim tam diffinitæ potestatis, tamquam angustis diuitijs præditum existimet Deum, vt de thesauris ingeniorum, non modò Aristotelico, sed etiam angelico acutius, & perspicatiùs procurare nequeat? vnus fortassis reperietur Auerroes, qui & minus dignè de potentia diuina sensit, cum Machometi sectator fuerit, & longè plus æquo Aristotelis ingenio tribuerit.

Probatur nihilominus hoc dictū. Quoniam potest Deus ex communi Theologorum consensu, quamlibet rem, quæ augumentum, & decrementum recipere possit, in infinitum perfectiorem producere; Humanū ingenium, vt experientia constat maioris, & minoris perfectionis est capax, siue intrinsecè ex varia scilicet animæ rationalis indiuiduali natura, siue extrinsecè, hoc est ex corporis temperamento hoc ei proueniat, poterit igitur vsque in infinitum fieri perfectius, & consequenter cum Aristotelis ingenium infinitum non S. Tho. p. 1. q. 25. ar. 2. D. Bonau. in d. 44. 1.

fue-

fuerit, quò minus à Deo maius crea ri possit, nihil impediet.

Obijci tamen posset intensiuam ingenij latitudinem in specie huma na esse determinatam, ita vt non mu tata essentia excedi non possit, qua re sicut dari non potest, calor maior calore ignis, quoniam in ipso est in summo, ita nec ingenium Aristoteli co, in quo summum fuerit, præstan tius Sed facilis est responsio. Primū quidem disparem esse rationem ca loris, & ingenij, nam calor cum for ma ignis necessariò summus conne ctitur, nec in eo augmentum, aut de crementum patitur, sicuti neque for ma ignis; at non ita se habet in ho mine ingenium, quod experientia constat, intensius, vel remissius in vno quàm in altero reperiri; nihil igi tur mirum, si limites, extra quos pro gredi nequeat, habeat calor, nullis verò limitibus coerceatus ingenium sicuti neque lux, motus velocitas, & aliæ plures qualitates, quæ in infini tum saltem syncategorematicè inten di possunt. Adde quod inter calida principem locum obtinet ignis, ac proinde non improbabiliter dicitur fieri non posse calidiorem: at verò ingenium humanū angelico est lon gè imperfectius, cùm igitur sum mum gradum ingenio possibilem non possideat, perfectius fieri posse, fateri tenemur. Præterea quamuis demus naturaliter effici non posse calorem intensiorem calore ignis nō fortasse tamen id negandum est po tentiæ diuinæ, & de facto ita viden tur sentire multi de Gehennæ igne, de quo tamen ego probabilius exi stimo, vim quidem exurendi maio rem habere ex imperio diuino, for maliter verò non habere intensiorē calorem, cùm essentialiter non dif ferat ab igne, quem apud nos habe mus.

Dico secundo. Neque naturaliter repugnare, quin modo nascatur quispiam perfectioris, vel saltem æ que præstantis ingenij, quàm fuerit Aristoteles. Probatur quoniam non apparet, vnde possit oriri hæc repū gnantia, cùm neq; ex parte ingenij, nec ab ipsa natura, neque ratione tē poris, & nostri æui nascatur? Quod ex parte ingenij nulla sit repugnan tia, vt producatur æquale Aristoteli co, clarissimū est; si enim tanta per fectio ingenio repugnaret, neque in Aristotele esse potuisset, neque verò quod semel productum fuerit ob stat, quin iterum producatur, quia non loquimur de productione eiuſ dem indiuidui, sed de diuersis indi uiduis eiusdem virtutis. Probabilis simum est etiam posse maius produ ci, tum quia fortasse nō datur termi nus magnitudinis in ingenio, cuius limites excedi non possint naturali ter, tum etiam quia, & si daretur, nō adhuc constaret maximum huiusmo di ingenium Aristoteli tributum. Quod neque ex parte naturæ repu gnet, eadem ferè ratione concludi tur, de æquali quidem, quia quod se mel tribuit Aristoteli, non est dē ne gandum, alteri quoq; tribuere pos se. De maiori verò quia demonstra ri non potest omnes suas vires in v num Aristotelem ornandum contu lisse naturam. Remanet igitur tan tum tertium membrum, scilicet.

Ex parte temporis, quod libenter arripiunt aduersarij, & alij multi, qui antiquitatis tantùm admiratores clamitant, Naturæ vigorem defecis se, ac præterijsse illa fœlicia tempora, quibus in vnaquaque re homines perfectissimi nascebantur, nunc, se nescēte mundo, omnia in peius sem per labi, nilque parere ætatem præ sentem, quod cum antiquitate con ferri possit; quod se demonstrasse cre-

credant, cum, mortales omnes non tam diuturnæ ætatis, non tam proceræ altitudinis, non tam firmæ valetudinis videri, vt priscis illis temporibus, sacris etiam adstipulantibus litteris, comprobant. Cæterùm hæc ipsa tela in ipsos, atque in Aristotelem retorquere, non erit difficile. Primū enim, si hac ratiocinatione colligendum est, hoc nostro, vel paulo superiori æuo non potuisse naturam senescentem æquè perfectos. & ingeniosos homines parere, ac quōdam Aristotelis tempore, consequeretur planè, & Aristotelem ipsum longè inferiorem fuisse priscis illis sapiētibus, quibus adhuc florente naturæ iuuenta nasci contigit, nam senio laborasse tunc quoque naturam, quando Aristoteles natus est, eodem ipsorum argumento comprobari potest, iam .n. tunc declinata erat hominum ętas, iā diminutæ vires, iam magnitudo corporis humani in paruitatem redacta, & ex Aristotelis sæculo vsq; ad nos, aut nullum, aut minimum decrementum passum est humanam genus, maximum verò ex diluuij temporibus vsque ad Aristotelem, vixit. n. Aristoteles annos 63. & iam antea cecinerat, vel, dicam verius, planxerat Dauid, numerum annorum humanorū ad 70. vel 80. etiam in robustæ complexionis hominibus, (hoc enim significat in potentatibus) plurimum procedere, & eorum plurimam partem (amplius eorum) laborem, & dolorem esse, quam metam nostra quoque ætate non pauci, quibus curæ est valetudo, attingunt, nonnulli etiam superant. Ante diluuium autem, & paulò post pluribus annorum centurijs hominum vita constabat.

Præterea si ex mundo senescente argumentari licet, colligam ego, longè sapientiores homines modò esse, quàm vmquam fuerint. senectutis enim proprium est, quantum virium adimit corpori, tātum sapientiæ addere menti, quod his verbis testatur Plutarc. lib. de educandis liberis. *Sola mens senescens iuuenescit, & tempus cum adimit alia, senectuti apponit: scientiam.* & ante Plutarcum dixerat Plato *tunc animum efflorescere, cum deflorescit corpus*, idem etiam testatur Sanctus Hieronymus ad Nepotianum. *Omnes inquit, virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapiētia, decrescunt cætera*, quod non solum ex diuturno rerum vsu, & experientia illis euenire, sed ex eo etiā quòd corporis temperamentum ex siccitate, & abundantiori melancholiæ humore, quæ in senibus abundant, ad animæ functiones fiat aptius proficisci, nonnulli asserunt. Concedamus igitur, ad senium iam peruenisse mundum, concedamus, corporis robur cū cæteris eius proprijs dotibus simul cum mundi iuuenture defloruisse, dummodo & ipsi concedant nobis, sapientiam, quæ veluti in puero, in mundo olim imperfecta erat, iam in mundo sene ad summum perfectionis gradum peruenisse. Quare Glossa l. Gall. ff. de liber. & posthumis, *Quāto iuniores*, inquit, (non ętate scilicet, sed tempestate) *tanto perspicaciores*, quin & Aristoteles ipse 2. Polit. ca 8. *Vetusta autem*, inquit, *pleraque rudiora sunt nouis.* & M. Tull. cap. 1. Academicarum quæstionum *Recentissima queque*, inquit, *sunt correcta, & emendata maxime.* *Vltimo de legibus, & in Phædro.*

Cæterum, vt verum fatear, ex hac mundi diuersa ætate nihil puto, vel contra nos, vel pro nobis, quò ad ingenium spectat, hauriri posse. Primùm, quoniam si hæc eximia ingenij præstantia, de qua nos loquimur, ætati mundi accepta referatur, non vni tantùm, aut alteri homini, sed omnibus, vel saltem plurimis illius

sæculi hominibus, quod tamen est valde incertum, esset tribuenda, sicut vitæ longitudo, & staturę proceritas in omnibus ante diluuium erat maior. Deinde si eadem esset ratio de corporis robore, vel magnitudine, atque de ingenij præstantia, liceret etiam, in vnoquoque homine argumentari ex vna ad alteram, quod q̃ ineptum esset, & fallax, nemo non videt. Tertio si concedendum esset, naturam in dies senescentem minus virium ad producendos homines habere, numquam filius parentibus, vel quoad corpus, vel quoad animũ, præstantior nasceretur, cuius cõtrarium non infrequenter cernimus. Denique à Sapientissimo Salomone insipientiæ damnata est, & reprobata huiusmodi opinio. Eccl. 11. vbi, ne dicas (inquit) *quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quã nunc sunt? Stulta enim est huiusmodi interrogatio*. Non igitur ætas mundi, vel naturæ seniũ officit, quin præstantius ingenium nascatur modò, quàm Aristotelis fuerit.

Dico tertio probabilissimum videri, ac me certè in ea sententia esse, & natos fuisse, & nascituros præstantioris, vel æque saltem præstantis ingenij, atque Aristoteles fuerit. Probatur primùm ex superiori dicto. Nam si hoc fieri potest, cur negabimus, per tot sæcula numquam euenisse? Inuida, aut auara certè natura non est, sed libentissimè in filios suos thesauros effundit, & semper optimum, ac perfectissimum gignere conatur, non est igitur credibile, semper post Aristotelem sine suo frustratam fuisse.

Secundò confirmatur, quoniam qualibet ætate floruerunt viri ingenio præstantissimi, vt ex chronologijs, & ipsorum operibus cõprobari potest, & hoc etiam nostro, vel superiori sæculo non pauci extiterunt, quos certè antiquis æquare, vel etiã præferre possemus, si modò antiquitatis personam, vel ab illis detrahere, vel istis apponere liceret. Nescio enim, qua, vt ita dicam, futili consuetudine reneamur, vt adeò procliues ad antiquos admirandos, & nihili æstimandos, ac fastidiendos recentiores simus. Nouerat hoc optimè Seneca, qui de Iunio Cranio loquens lib. de tranquillitate vitæ dixit, *Illius admirationi nihil defuisse*, nisi quod eo seculo vixerat. Nouerat etiam Cornelius Tacitus, qui libro 2. Annalium. *Arminium*, inquit, *Græcorum annalibus ignotum, qui sua tantùm mirantur, Romanis haud perinde celebrem, dum vetera extollunt, recentium incuriosi*. Et libro de oratoribus vitiũm malignitatis humanæ appellat, *quod vetera semper in laude, præsentia sunt in fastidio, & vetera, antiquaque miremur, nostrorum temporũ studia irrideamus, atque contemnamus*; quo vitio se maximè laborare, Iudæi patefecerunt, dum Christum dominum, & Deum nostrum miracula omnibus inaudita sæculis patrantem, Eliam, aut Hieremiam, aut vnum ex prophetis esse asserebant. Supponebant enim, suis temporibus nasci non posse hominẽ, qui illos antiquos ęquaret, & idcirco quia non poterant eius miracula negare, ne suo ęquo tribuerent, dicebant, antiquum reuixisse, videant autem, ne eos imitentur, qui si quid laude dignum à recentiorib. prolatum reperiant, id statim ab aliquo antiquo suffuratos esse, calumniantur.

Hoc idem vitium suo tempore viguisse, cõqueritur, Horatius pulcherrimè ad Augustum Epistola, quæ est prima libri secundi, atque inter alia hæc etiam habet

In-

Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat
Si veteres ita miratur, laudatq; poetas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.

& paulo infra

Indignor, quicquam reprehendi, non quia crasse
Compositum, illepidéve putetur: sed quia nuper,
Nec veniam antiquis, sed honorem, & præmia posci.

S. quoque Hieronymus Episto. 118. post Plautum, & Horatium queritur, ingenium, quasi vinum probari, hoc est ab antiquitate, atque in eamdem sententiam multa videri poterunt in Sidonio lib. 3. Epistolarum Epistola 8. & in eius Scholiaste Sauro, & Velleio Paterculo. lib. 3. & Ioanne Lau tino in cap. 7. Ecclesiastes. Denique hoc verum esse, ex eo quoque perspicuè patet, quòd illi ipsi, quos nos antiquos veneramur, ipsorum æquales, vel paulo iuniores, in eo pretio, quo nos nostros recétiores habem⁹, habuerunt. Quis enim eo tempore, quo Aristoteles viuebat, ausus fuisset, eum Platoni, Socrati, & reliquis omnibus philosophis præponere? Quis ne Aristoteli contradiceret, veluti piaculum admissurus, religione se teneri fassus esset? Immò videm⁹, etiam post Aristotelem, & priorum sectas philosophorum floruisse, & nouas in multis Aristoteli repugnan tes emersisse. Nunc tamen reliquis ferè sectis extinctis, cæteris philosophis ablegatis, solus legitur Aristoteles, à solo Aristotelo qui discedit, in philosophiam ipsam peccare videtur, quis hoc ei tribuit? summū ipsius ingenium? fateor, sed nón solū, verùm cum antiquitate coniūctum.

Sed quis etiam Homerum ad tantum fastigium euexit, vt ipsum omnes admirentur, vt Poetarum exemplar habeat, vt neminem ei æqualē, nedum superiorem, fuisse, omnes ferè affirment? summa eruditio cum ingenij felicitate coniuncta? contulerunt hæc quidem non parum, sed longè plus antiquitas, qua qui destituuntur, licet ingenio, & cæteris omnibus præstent, causa tamen cadunt; exemplo fit Virgilius, quē si adhuc viuentem serio quis (serio inquam, licet enim non defuerit, qui diceret *Cedite Romani scriptores, Cedite Graij. Nescio quid maius nascitur Iliade*, hyperbolice, vt mos est Poetarum Laudantium, dictum existimandum est) præposuisset, vel æquasset Homero, non ne demens, ac temerarius ab omnibus habitus fuisset? ita prorsus, nam & multis deinde post Virgilij mortem sæculis, illum audebat nemo cum Homero conferre, & nūc quoque à pluribus Homero primæ deferuntur; si tamen ad veritatis tribunal æqua rationis trutina vterque expendatur, superior fortassis euadet, ita quidem censet eruditissimus, ac perspicacissimi ingenij vir Iulius Cęsar Scaliger in sua Poetica, in qua non solùm in Homero multa reprehensione digna notat, sed etiā Virgilio postponit his verbis. *Quantum à plebeia, ineptàque muliercula matrona distat, tantum summus ille vir* (Homerus) *à diuino viro nostro* (Virgilio) *superatur*; ac deinde multa puerilia, absurda, indecora, inepta, ac repugnantia in Homero notat, quod etiam postea, ipsum imitati duo recentiores Paulus Benius, & Alexander Tassonius præstiterunt; quorum iudicio, ac libertate, fateor, mirificè sum delectatus, non enim passi sunt, Homericarum laudum torrente se abripi, nec eos deteruit plurimorum, ac præstantissimorum virorum authoritas, quin Homerum illum inter

Decs poematis laude zelatum, ad veritatis tribunal sisterent, ac de eo veram, ac sinceram sententiam aliquando ferrent; libuit autem, horum virorum iudiciū huc afferre, & si enim extra rem philosophicam; non tamē extra rem nostram, cum pro veritate contra inueteratam, & tam praiudicatam opinionem pugnet; quos vtinam aliquando imitarentur philosophi, qui prę cæteris, veritatis studiosos se profitentur: & huiusmodi laruis ab humana authoritate, & antiquitate detractis, nō à quo, sed quid dicatur, attenderent, nec quo sæculo quis vixerit, supputarent, sed quàm rectè scripserit, expenderent. Philosophi inquam imitarentur, non reliqui omnes, dum enim de rebus agitur, ad quas ingenij vires pertingere nequeunt, quales sunt, quæ ex reuelatione diuina, vel humana authoritate pendent, antiquitas summo in honore est habenda, nec cuiuspiam ingenij præstantiam, aut subtilitatē non ei subijci, fas est.

Sed huius prauæ cōsuetudinis causas, operę pretium erit, in medium afferre, vt ex eius saltem parentibus, quàm vilis, & prauæ naturæ sit, cognoscatur, cognitaque deseratur. Prima igitur est ęmulatio, & inuidētia, quæ inter æquales præcipuè esse solet, nā si cuipiā philosopho, quāuis sapienti Aristotelem pręferas, nō indignabitur, si alterum coętaneum præponas, rarus erit, qui æquo animo ferat; Ex hac igitur oritur, vt recentiorum laudes non ęquis, ac libētibus auribus excipiātur, & antiquis semper postponantur; quod suo sæculo euenisse, conqueritur ille dicēs

Esse quid hoc dicam, uiuis quod fama negatur,
Et sua, quod rarus secula, lector amat?
Hi sunt inuidia nimirū Regula mores
Praeferat antiquos semper, vt illa nouis.

& alius

——— Nos nostraque liuidus odit
——— Et nisi q̄ terris se mota suisq.
Temporibus defuncta videt, fastidit,
& odit.

Secunda causa multorum est imperitia, qui cū non adeò iudicio polleant, vt ex ipsorum meritis vnūquēque metiri possint, vtuntur, tanquā regula, vel mensura conducta, aliorū iudicio, & quoniam antiquorum laudes à multis passim reperiunt decantatas, recentiorum verò rarus est, qui meminerit, nedum eos laudet. (quis enim nondū natos laudare potuit?) illos ipsi quoq; admirātur; hos vel non cōmendant, vel despiciunt.

Tertia nonnullorum est socordia magna cum philautia coniuncta; hi enim alios ex semetipsis metientes, nolunt alijs tribuere, quod in se non cognoscunt; atque vt suam inscitiam excusent, quod illorum propriū est, in sęculum pręsens proijciunt, vt appareat, non ipsorum culpæ, sed labēti seculo tribuendum, quod sapiētiores, aut meliores non sint; itaque vt à se ignominiam remoueāt, omnes in idem inscitię barathrum, & flagitiorum lutum detrudunt, quodque se assequi posse desperant, contemnūt, similes vulpi apud Æsopum, quæ vuas, quas nullo modo assequi poterat, vti acerbas contemnebat.

Nonnulli tamen sunt, quos neq; liuor, neque imperitia à laudādis recentioribus retinent, sed ne aliorum offensam incurrant, dum ex his aliquos laudant, vel temeritatis notam subeant, dum antiquos non admirantur, à multitudine, antiquos tantùm admirante, se quodammodo abripi, & cum illa trahi patiuntur. Ex ignorantia igitur, & ex inuidentia plurimum hæc nascitur cōsuetudo, quod ad eam detestandam, ac summopere vitandam satis, superq; esse deberet.

Di-

Dico quartò. Adeo difficile est diiudicare, quis omnium hominum ingeniosissimus fuerit, vt nõ modò exiles iudicij mei vires excedat hoc munus, sed neque à quopiam alio definiri certò posse putem. In priori parte confirmanda, non est, quod immorer, imbecillitatis enim ingenij mei conscius ego sum, & alij non difficilè mihi fidem præstabunt.

Probatur posterior pars. Primum ex ingeniorum varietate, & dissimilitudine. Rerum enim diuersitas, ita earum comparationi obest, vt nullatenus inuicẽ cõferri possint, quæ omnino diuersa sunt; quod in illis euenit, quæ sub diuersis generibus collocantur; quæ verò aliqua ex parte tantùm diuersa sunt, quò magis differunt, eò difficilius inuicem conferuntur, nam difficilius vtique cognosces, vter ex duobus coloribus intensior sit, si alter eorum albus sit, alter verò viridis, quàm si ambo albi essent, quod tamen de naturæ, non de graduum diuersitate intelligendum est; in hac enim quò maius est discrimen, eò facilius iudicium fertur, nã albede, vt 8. nullo negatio intensior esse albedine, vt duo, cognoscetur; non modica tamen oculorum acie opus erit, vt excedere albedinem septem graduum perspiciatur. Dũ autem hominum ingenia conferre volumus, ex vtroque capite difficultas occurrit, & ex naturæ dissimilitudine, & ex perfectionis modica dispari tate. Voco autem naturæ dissimilitudinem, variam illam ingeniorum insitam vim, ac indolem, qua ad vnumquodque suum genus, quodam quasi fatali genio vnusquisq; abripitur, qualem in se ipso erga poesim fuisse testatur Ouidius, & in se quoque erga Philosophiam Plato, vterq; enim cum primùm ad aliam scientiam animum appulisset, ad illam tamen, ad quam natura duce ferebatur, tandem diuertit. Cùm igitur ingeniorum genera, & plurima, & diuersissima sint, & hoc in poesi summum sit, illud in philosophia in alijs verò scientijs alia, difficillimum vtique erit, sententiam ferre, cui nam prima laus sit tribuenda, tum quia laboriosum valde erit, cognoscere, quod nam in genere suo perfectius fuerit, tum etiam quia vlteriùs inuestigandum erit, quodnam genus sit alijs præferẽdũ, in quo enim vnusquisq; plurimum potest, illud maxime cæteris antefert. Oratores ad nullam scientiam, tam præclarum, ac ex omni parte absolutum ingenium requiri, quàm ad eloquentiam comparandam, contendent, neque minùs Poetæ, Philosophi, Mathematici pro sua quisque scientia propugnabunt, nec facilè erit, hanc dirimere litem. Ægrè igitur inter se illos, qui varijs disciplinis operam nauarunt, conferemus. Sed neq; difficultate carebit, omnes eiusdem disciplinæ alumnos comparare, nã in ipsis quoque mira ingeniorum diuersitas reperitur, hunc enim videas in suis placitis corroborandis strenuum, illum in soluendis aliorũ argumẽtis summe perspicacem, aliũ in deijciendis aliorum sententijs solertem, cumque mutuò diuersis in rebus se excedant, ancipitem valde relinquunt litem, hærentem iudicem. Cum hac quoque diuersitate coniuncta est persæpe ferè non inęqualis pfectio, ita vt plusquã lynceis sit opus oculis ad eam inæqualitatem intuendam.

Secundò difficultas augetur ex tẽpore, quo floruit vnusquisque, cuius sanè non modica est habenda ratio, qui enim ætate posterior est, cum alterius excogitata perspexerit, nõ mirum, si præiactis ab alio fundamentis, ipse maiorem ædificij molem super

per imponat,& quamuis ingenio inferior,eruditione tamē superior euadat,vt supra dicebamus,Aristotelem cum Platone conferentes, quod de musica scripsit Aristotel. 2. metaph. tex.2. Si Phrynis musicus non adeo excellens prior non extitisset, ne Thimotheus quidem tantum melodiæ assecutus fuisset], quamuis etiam aliquando è conuerso accidat, vt natu posterior suopte ingenio idipsum pariat, quod antea natu maior ediderat; in quo quamuis ingenij vis par in vtroque fuerit, totam tamen laudem sibi vendicauit, ac præripuit senior. Cum igitur constare nobis non possit,quid in philosophia valiturus fuisset Aristoteles; si Platonis ei doctrina frui non contigisset, nec quantum profecturus fuisset Plato, si ab alio eam accepisset, philosophiam, quam ipse posteris tradidit, neque liquidò definite licet,vter eorum ingenio alteri præstiterit.

q.1.a.11.

Tertiò tandem ab ipsa rei magnitudine,& conditione difficultas oritur.Propriū enim in hac ingenij lite esse,vt iudicaturus certantes oēs, vel superet ingenio,& sapiētia,vel adæquet saltem, supra ex Aristotele retulimus,quod si verum est, non solùm requiritur, vt is absolutè omnium sapientissimus habeatur; sed etiam, vt in vnoquoque genere cæteris omnibus præstet, vt,exempli causa, in poeticæ laude omnes poetas antecellat, in philosophia omniū philosophorum peritissimus sit, inter Rethores nemo eloquentior illo reperiatur, & ita in omnibus omnino scientijs sigillatim omnes superet. Cum enim inter hos omnes versetur lis,non poterit iustam, ac certam sententiam ferre, nisi probè perspectū habeat, quid vnusquisq; vnaquaque in re valeat, quod quomodo cōstare possit ei, qui scientias ipsas ignorat,ego planè nō video.Ita enim de sensu communi afferunt philosophi, illum solū,quidquid omnes externi sensus muneris obeunt, percipere, qm̄ illorum quodāmodo iudex est à natura constitutus. Ac talem, & tantum virum quis reperiet vnquam ? Excipiamus nos Dominum nostrum Iesum Christū, qui non solùm vt Deus, ipsamet est sapientia per essentiam, sed etiam vt homo longe sapientissimus fuit omnium hominum in vnaquaq; re,nullum certè alium inueniemus,excedit .n. naturę limites tanta perfectio, nō patitur humanę vitę breuitas tot sciētiarum perfectam acquisitionem, nō sufficit ad tantam sapientię molem nostri ingenij imbecillitas.

q.1.a.3

Non deerit tn̄ fortasse quispiā,qui dictum illud Aristotelis non admittat, scilicet de Sapientibus iudicaturum ęquè sapientem esse oportere; quod ego quoque in vniuersum verū esse, non contendo, attamen si de iudicio illo loquamur, in quo præstantissimi,ac pene pares in sapientia conferuntur, certè nō nisi summum in sapientia virum arbitrum esse debere,nemo profectò iure inficiari potest,qua de causa sapientissimi quoq; viri à ferendis in hac causa suffragijs plerumque abstinēt,ne sibi videlicet nimiū arrogare videantur, ita Plutarchus,qui in Grecis cum latinis cōferendis plurimum studij posuit, cū ad eloquentissimos oratores Demosthenem,& M.Tullium peruenisset, eloquentiæ comparationem aggredi non est ausus, imò Cęcilium quēdam repręhendit, qui Demosthenis, & Ciceronis comparationem edidit. Concludamus igitur, Aristotelis ingenium excellētissimum quidē fuisse, vtrum autem omnium maximum; vel minimū, id certò comprobari nō posse, à qua sententia neque authores primæ opinionis abesse crediderim,

rim,sed potius, vel hyperbolicè, vel vt ab Aristotelis sectatoribus gratiā inirent,vel ne à cæteris discedere videretur tam magnifica, ac sublimia de Aristotele pronuntiasse.

An Doctissimus omnium mortalium fuerit Aristoteles. Quæst. II.

Quibus rationibus pars affirmans innitatur. Sectio I.

Plut. de educat. liberor. & Aristot. apud Laertium. TRia sunt, quę ad doctrinam con sequendam plurimū conferūt, Natura,Studium,& Pręceptores.Na turæ nomine ingenium intelligo, & memoriam;Studium voco animi conatum,nullum non lapidē mouētis, & assiduè in hoc incumbentis,vt doctrinam assequatur. Sub Præceptoris verò nomine,etiā libros intelligi, volo,& si qua sunt alia huiusmodi extrinseca adiumenta. Si quis igitur in Aristotelem hæc tria summo in gradu confluxisse ostēderet, is plenè maximam in Aristotele doctrinā fuisse, apertè concluderet, sed illud probare non videbitur fortassis laboriosū. Ac primum quoad ingeniū spectat, supponer,qui hanc prouinciā susceperit, maximum in Aristotele fuisse ob ea,quæ quæst.præcedenti.num.4. dicimus. Studiū quoq; maximū erga sciētias Aristoteli nō defuisse,multa declarant. Primùm enim in euoluendis libris indefessus fuit, & infatigabilis,cuius rei gratia Anagnostes à Platone nuncupatur, ab eodē etiā veritatis philosophus dicebatur, qd numquam,nisi rebus exploratissimis eius animus conquiesceret. Præterea cùm somno pugnabat, vt tempus, quod ab eo suffurabatur, studijs impenderet.Referunt .n.eū, vt nocturnis lucubrationibus vacaret, æream sphæram in manu pelui subiecta tenere consueuisse,eo consilio, vt cum dormientis manu delapsa sphæra in subiectum æreum vas incidisset, sonitu illius excitatus, exurgeret. Expensis quoque nullis pepercit. Narrat.n Gillius lib.3.cap.17.cum libros pauculos Speusippi philosophi post mortem eius emisse talentis Atticis tribus,qua summa fieri nummi Romani ss. duo,& lxx. millia, idem affirmat. Sed nihil æquè,ac ipsi⁹ mors declarat,q̄ ardenti erga rerū naturaliū cognitionem amore flagrauerit. cùm.n.Euripum diu, noctuq; septies reciprocantem intuens admiraretur, postquam diu, qua ratione id fieret, vim omnē mentis intendens,inuestigasset, nec inuenisset, mœrore tabescēs, vltimū diē clausit,vel vt alij referunt doloris amētia exardescēs in pelagū ex alto se pręcipitauit, veluti scrutaturus in profundo veritatem. *Iustin. marty.* *Calius Rodig. lib.9.c. 41.*

Quod verò ad præceptores attinet,Platonē in primis habuit, & ī eo totius orbis rerarū sapientissimos viros, iā.n.antea Plato propinquas, & remotas regiones peragrans, & doctissimos quosque adiens, illorum sapientiam in se collegerat. Præterea, neque diuinarum litterarum cognitione destitutus fuit,à quodam enim Iudæo veteris testamenti libros illi enarratos, tradunt nonnulli.

Demum ad libros comparandos ad rerum naturalium historiam ex oculatis testibus perdiscendā, & ad experimenta capienda Macedoniæ Regis magnificentia tot ei suppeditauit pecunias, vt nihil prætereain hoc genere ei desiderādum esset. Cū hæc tria igitur summa fuerint in Aristotele, summā quoq; eius doctrinā fuisse, inficiari certe nemo pôt. Sin aūt præter rationes patronos quoq; huius sentētiæ requiras,cōplures reperies ex illis, quos supra sect. 1.n.4. retulimus,quos oēs illic cōgessimus, nā difficile,& incōmodū videbatur, eos, qui doctrinā Aristotelis cōmeda-

dabant ab illis, qui ingenium admirabantur, se iungere.

Doctrinæ palmam non omnibus posterioribus Philosophis præripuisse Aristotelem. Sectio II.

QVamuis dum ingenij lis agebatur, sententiam, qua certi aliquid statueretur, proferre ausus non sim, hic tamen liberè, & absque vlla hæsitatione affirmare non vereor, nō paucos, & præsentis æui; & superiorum etiam Aristoteli præstare. Adducor in hanc sententiam Quoniam cum tria sint, vt supra diximus, quæ ad doctrinam conferunt, in duobus primis pares Aristoteli, vel paulò inferiores extiterunt multi, in tertio autem Aristoteles tam inferior posterioribus philosophis remanet, vt nulla ferè sit comparatio. Primum enim quò magis Aristotelē laudes, eò magis nostræ sententiæ fauebis, vt enim interrogatus Croesus à Cābyse, vter ipse Cambyses, an pater eius Cyrus maior esset, Cyrum respondit maiorem, eò quòd talem reliquisset filiū, ita ego, doctiores Aristotele eius sectatores fuisse, asseram, quòd talem nacti sunt præceptorem, alium autē Aristotelem, quem audiret, Aristoteles ipse non habuit, non minùs enim præceptoris doctrina in discipulum non tardum confluit, quàm filij gloria in patris honorem redundat Ad hæc. Quot præclarissimi philosophi post Aristotelem extiterunt? quot libri editi? quot denuo excogitata, atque inuenta? Quot excitatæ quæstiones, quatū ne riuulos forsan intelligeret, si ab inferis rediens denuo viueret Aristoteles? Si enim ad ea, quæ Aristoteles posteritati mādauit, nil ipso posteriores addiderūt, quorsum quotidie oculis, manibusque terun-tur? vt quid S. Thomas euoluitur? vt quid Scotus? quorsum tot recentiores doctissimi philosophi leguntur? ablegentur omnes, vni incūbamus Aristoteli; Si verò fatearis, vt verè fatendum est, addidisse quàm plura, quid mirum, modò ingenio præstantem philosophum, cū & ea, q̄ Aristoteles tradidit, teneat & ea, quæ alij addiderunt, didicerit, ipso Aristotele doctiorem euadere? Hoc idem certe euenire, videmus in cæteris, & artibus, & scientijs, exempli causa in Astrologia tempore Aristotelis peritissimi complures extitere, octauum tamen orbem postremum credidere, eorum posteri nouas obseruationes veteribus addentes, nonum orbem concedendum esse, probarunt, cui etiam decimum, & tandē vndecimum addēdum esse, vel vnicum tantum, sed permeabile, & fluidum admittendum, nouis experimētis, & rationibus, adhuc recentiores compulsi affirmarunt.

Quid si pulcherrima recentiorum inuenta recenseam, Aristoteli, cæterisque illius æui mortalibus ignota? Acum nauticam, cuius beneficio in tenebris acutissimè cernunt nautæ, & immensa maris spatia non antea cognita, nullo ferè negotio, & mira facilitate prætereuolant, quis non laudibus extollat? Artem libros typis æneis imprimendi, qua litterarum studijs subsidia alioqui difficillima ære paruo, non minori industria, & celeritate, quàm facilitate comparantur, quis sapientum, vt par est, laudare queat? Tubum æneum, quo pilæ ferreæ summo cum fragore, & impetu exploduntur, fulminumq; æmulatorem, quis non admiretur? Quis denique, vt plurima alia prætercam, noui orbis inuentionem dignis laudibus extollere possit? Hæc igitur, & alia multa recentiorum ingenijs accepta

cepta sunt referēda, & adhuc ingratitudinis, & inuidentiæ œstro nonnulli perciti, antiquorum tantùm ingenia suspiciēt, & admirabuntur? Vel in reliquis, quidem scientijs, & artibus plurima subtiliter excogitata, & accuratè perfecta his nouissimis temporibus fatebuntur, Philosophię autem, quę propriū est humani ingenij ornamentum, & in qua decoranda excellentissimi desudarunt mortalium, ne hilum quidem post Aristotelem additum fuisse, obstinato animo pernegabunt? non certè viri sobrij, & veritatis cupidi hoc iudiciū foret. Fateamur ergo, recentiores veterum inuentis ditatos, & proprijs etiam obseruationibus, & laboribus adiutos, non difficillimè superare illos potuisse. Quod multo magis in his, quę ad speculationem, quàm in his, quæ ad praxim pertinent, concedendum videtur; Quoniam ad praxim, quamuis superiorum doctrina non parum conferat, multò tamē magis, proprio ingenio, & industria opus est, quoniam longè difficilius est, exequi q̄ scias, quàm, quod exequēdum sit, scire. At in his, quæ ad intellectum tantum speculatiuum pertinent, ea solùm, quæ ab alijs traduntur, percipere, vt illis æqualis euadas, sufficit Doctrina autem, de qua nos loquimur, & in qua multos Aristoteli præstare asserimus, in cognitione, & speculatione tota posita est.

Præterea disputationes, quæ à Theologis Parisiensibus in scholas introductæ sunt, veritati etiam abditissimæ eruendæ magno sunt adiumento. Primum quoniam difficultates, quas in sua sententia quis non perspexerat, vel quia, vt parens eā benignius intuebatur, vel quia non omnia omnibus data sunt, aduersarius, cui contradicendi voluntas mētis aciem acuit, & cernet & in mediū proferet. Deinde quoniā sicut agentia naturalia dicuntur per contrarij obsistentiam, quam Græco nomine antiperistasim appellant, vires proprias, vt illi resistant, augere & corroborare; ita dum quis ab argumentorū telis sua dogmata tueri debet, animi sui vires colligens, illa ne aduersariorum ictibus impugnata corruant, vndique munit, se ipsum veluti ad prælium, ne succumbat, præuia diligenti meditatione armat, & præparat, ac se ipso doctior euadit. Tertiò. Quoniam dum mutuò sapiētes viri colloquuntur, & differunt, alter alterius ope acutior, ac perspicacior redditur iuxta illud Prou. 27. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Quòd non latuisse videtur veteres illos Poetas, qui eamdem Deam Palladem nō minus bellis, quàm litteris præsidentē finxerunt, maximo enim sibi inuicē sunt adiumento bellica fortitudo, & philosophica sapientia, & quemadmodum in bello ad victoriam obtinendam sapientia opus est non vulgari, ita ad ipsam sapientiam comparādam huiusmodi altercationes, & pugnæ litterariæ, quæ disputatione geruntur, plurimum conducunt.

Hic autem disputādi mos, quamuis Aristotelis tēpestate aliquo etiā pacto vigeret, vt pręter alia Platonis Dialogi testantur, in quibus Socraticæ disputationes describuntur, his tamen posterioribus sęculis, multò magis floruit, & ad commodiorem formā redactus est, ex quo sanè plurimum emolumenti philosophiæ acquisitum est.

Sed tertiò & maximè omnium super Aristotelem Christianos philosophos euexit diuinæ fidei lumen, ex quo non solum multa nobis apertè indicantur, in quibus Aristoteles,

vel lapsus est, vel animo hæsit, vt de mundi origine, & de animę immortalitate, sed etiam ex eius principijs multa colligimus, quæ ad res ipsas prorsus naturales cognoscendas mirificè deseruiunt. Ad quantitatis.n. essentiam cognoscendam Eucharistiæ sacramentum, in quo quantitas à substantia separata manet, plurimũ prodesse, quis non videat? Ex diuina omnipotentia, quot conficiuntur hypotheses, quæ mirum in modum ad cuiusque rei essentiam declarandam, viam patefaciunt? omitto morum sanctitatem, quæ in multis christianis philosophis enituit, qua reddita mens purior, & à cupiditatibus rerum terrenarum abstractior, in veritatem ipsam intellectus aciem firmius, & acutius figere poterat. Prætereo quoque orationis vim, qua in rebus aliquando obscurioribus Deũ consulebant, atque ab eo lucem cœlitus sibi demitti, ac sapientiam, sancti homines non frustra flagitabant, satis enim ex supradictis, quod probandum proposueram, cõfirmatum existimo. Sed iam de authoritate eius disseramus, cuius gratia hæc de ingenio, ac doctrina necessariò præmittenda fuere.

Quanti sit facienda Aristotelis authoritas. Quæst. III.

Tres Sententiæ referuntur. Sectio I.

NOn apud omnes Aristotelis authoritas æquale pondus habet, quam diuersitatem in tres sententias distribuere, commodũ mihi visum est. Prima est eorum, qui in omnibus omnino rebus, ita Aristotelẽ defendendum putant, vt à qualibet eius sententia discedere, vel latum vnguem, nefas putent. In hac fuerũt Alexander, Auerroes, & alij permulti. Rationes pro hac opinione nõ aliæ adduci possunt, quàm illæ, quas supra pro ingenio, ac doctrina Aristotelis retulimus. Secunda Sententia distinctione vritur, quædã enim sunt in Aristotele, nec fidei catholicę contraria, & communi philosophorum consensu approbata, vt de principijs rerum naturalium, de Natura, de Causis &c. Et his non assentiri, temeritati ascribit: Sunt verò alia nonnulla, quæ vel Christianæ fidei aduersantur, vt de mundi æternitate, vel non pari plausu ab omnibus philosophis excipiuntur, vt de motu per vacuũ in instanti, de quiete inter oppositos motus, & id genus alia, Aristoteli igitur aduersari, in illis quidem necessariũ, in his autẽ, fas esse putát, quamuis etiam ex his nòn pauci vbiq; Aristotelem ad veram sententiã aliquo modo pertrahere conentur. Multa pro hac sententia, quam plurimi hac præcipuè tẽpestate amplectuntur, adduci possent. Omnium tamen caput videbitur esse, quòd in priori illo membro non tam pręualet Aristotelis authoritas, quàm vnanimis philosophorũ Aristotelem sequentium consensus, quem plurimi faciendum nõ immeritò asserunt, quo in posteriori destitutus cum idem sit, non mirum, si minoris eius authoritas æstimetur.

Tertia tandẽ sententia esse potest, Aristotelis authoritatem, siue solam, siue omnium Peripateticorum comitatu suffultam, paruifaciendam esse. Huius præter alia, fundamentum esse potest, quòd & si plurimi Aristotelis sentẽtiam amplectuntur, id tamen non ratione ducti, sed sola præceptoris authoritate moti, facere videantur, quare illorum omnium assensus non pluris, quàm Aristotelis sola authoritas, æstimandus est,

cum

cum hæc fuerit illis ratio formalis, propter quam illi sententiæ assentiantur. Sed quid nobis in hac controuersia videatur, planius explicandum erit.

Aristotelis authoritatem grauissimam esse, veritati tamen, & rationi post-habendam. Sectio II.

PLurimum authoritatis meritò sibi Aristotelē, apud philosophos vendicasse, iureq; optimo, cęteris sectarum Imperatoribus omissis, pro duce, ac scientiæ naturalis regē in scholis haberi, vt non negauerim; ita oraculi loco eius omnia dicta absq; delectu, & oculis clausis suscipere, ac suspicere, nullumq; rationi, nullum experientiæ, nullum posteriorum philosophorum ingenio locum relinquere, nō probauerim. Prior huius pronunciati pars probatione non indiget, satis .n. omnium Peripateticorum conspiratione, & Aristotelicis elogijs est cōmunita, totus ergo ero in altera confirmanda, quam si non expresse, adumbratè tamen, nō pauci damnant; quibus si quid ab Aristotele non dictum, aut eius doctrinæ non admodum cōsonum proponas, exēplo nulla, nec audita, nec reddita ratione improbānt, exsibilant, authorē insipiētię, ac temeritatis, sentētiā falsitatis, atq; erroris dānant. Cōtra hos igitur, & pro nostra sententia.

Prima ratio deduci poterit ex Aristotelis ingenio, & doctrina. Nā etsi cōcederemus, Aristotelē oēs mortales ingenio, & doctrina superasse, adhuc tñ nō consequeretur, in oibus eius dicto standū esse; homo.n.adhuc fuisset, hallucinari potuisset, cęteris tñ pręstaret, quia sæpius alij, rarius ille in errorē lapsus esset; numq̄ enim offendisse, humanę cōditionis modū trāscenderet. Si autē lapsum, vel semel, concedas, cur clausis oculis, ei᷒ vestigijs erit insistendū, & nō potius, ne simul cū eo labamur, animaduertendū? Sed si illud cōsequēs ex illo antecedēte nō rectè infertur, quid inferemus, si antecedens ipsum inuertamus, dicamusq; q̄ supra probatū est, nec ingenio reliquos omnes Aristotelē vincere, & doctrina à multis vinci? quis, hoc supposito, Aristotelis authoritatē maximi faciendā, & nō potius eius oppositū colligere debeat? Tam sanè est euidens, hinc cōsequi, Aristotelis authoritatē nō magnifaciendā, vt negari nulla ratione queat. Secūdo probatur idem ex incertitudine, q̄ in vnoquoq; ferè dogmate, an sit Aristotelis, reperit. Quis enim sequatur ducē, quem tenebris inuolutū videat? cuius vestigia certò cognoscere nequeat? nam etsi itinerū peritissimus ille recta, quò cupis, pergat, facillimè tamē falleris tu, dū semitam, quam ille præcedens terit, ignoras, nullaq; in re superabis eum, qui sine duce pergit. Ita prorsus, licet cōcedamus, à veritate nūmquam aberrare Aristotelem, si tñ eius nobis mens cōstatē nō pōt, frustra ad veritatē consequendam eo duce vtemur.

Maximam porro incertitudinem de Aristotelis mente vbiq; reperiri, multis vijs ostēdere possumus, quas, quoniam ante me diffusè, ac eruditè prosecutus est Ioann. Franc. Picus in exam. vanit. doctr. gent. Ego ne acta agā, breuiter h c tantū cōmemorabo.

Prima est, quoniam de vnoquoq; ferè libro, an vere sit Aristotelis, dubitatur. Nam multi à Laertio, qui diligēter omnes Aristotelis libros enumerauit, prætermittuntur. Præterea octo fuere eodē Aristotelis nomine nuncupati, vnius igitur libri alteri ascribi potuere. Ad hæc, ab Aristotelis discipulis ad eius imitationem multi sunt editi libri, qui pro Aristotelicis faciliè supponi potuerunt.

Secunda via, quoniã etsi certò cõstet, librum aliquem Aristotelis esse, adhuc incertitudo doctrinæ oritur ex ipsorum librorum deprauatione, nam refert Strabo, post Aristotelis mortē subterra defossos, ac diu post erutos, inuentos laceros, & tineis, blattisque rosos, & humores labefactatos, ab Appolicone deinde grammatico emptos, scriptura non rectè suppleta, erroribus plenos editos fuisse, ab alijs etiam deinde transcriptos vendendi causa, & magis etiam viciatos fuisse. Quòd si, vt inquit Pius Secũdus. cap. 71. Asiæ minoris, *Græca Aristotelis exẽplaria corrupta fuerunt; quid de his putandum est, quæ in Latinum conuersa sunt? illa præsertim, quæ qui legunt, non tam quod dicatur, quam quod dicei velint, nosse laborant? quippe si reuiuisceret Aristoteles* (concludit Pius) *multa sua esse negaret, quæ nos illi attribuimus.*

Lib. 13. Tertia. Si de aliquibus etiam certò constet, germana, & incorrupta, prout ab Aristotele ipsa prodiere, haberi, adhuc Aristotelis mens incerta ex ipsius modo scribendi manebit, constat enim apud omnes, obscuritatem ipsum affectasse, ac sepiæ instar (vt Themistius inquit) ne caperetur, effusa verborum caligine, se occultasse. Constat, Alexandrum Aphrodisiensem, optimũ Aristotelicæ mentis interpretem, affirmasse, ideo se Aristotelis sententiam de mundi æternitate vnam ex omnibus, quam tueretur, delegisse, non quòd omnium verissimam, sed quòd Aristotelicam maximè omnium esse constaret.

Possuil. lib. 13. Bibl. Sel. c. 17.

Huic incertitudine certam fidem faciunt tot inter se Peripateticorum diuersę, imò etiam contrarię sententię, inter quas nulla reperitur, cui aliquando fauere non videatur Aristoteles. Si igitur de ipsius mente nusquam non altercantur eius interpretes, quomodo constare nobis poterit, quæ nam fuerit eius germana, ac certa sententia?

Sed demus, constare de eius sententia, statim ne de ipsius veritate certi erimus? Docet, & rectè S. Augustinus, nihil certi in Sacra Scriptura fore, si vnicum tantum in ea admittatur mendacium, ita enim scribens ad D. Hieronymum epist. 8. inquit, *Admisso semel in tantum authoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, vt cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis authoris consilium, officiumque referatur.* Atqui Aristotelis authoritatem, maiorem, quàm sacrorum librorum, nullo pacto decet esse, ergo si vel vnum errorem in eius doctrina reperiemus, in reliquis omnibus eius authoritatem mutire, non verò pro incõcussa, & infallibili haberi, oportere, credẽdum erit. Porrò quis nesciat, non vnum tantũm, sed plurimos errores in Aristotelis doctrina reperiri? testantur id Lactãtius Firmianus lib. 1. suarum instit. cap. 1. Theodoretus lib. 10. de cur. Gręcorũ af. S. Gregorius contra Eunomium. Io. Franc. Picus Mirand. lib. 4. exam. cap. 3. Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 5. Medina de recta in Deum fide cap. 3. & 5. Iabellus de celsitudine philosophiæ christianæ cap. 4 Bozius de signis Ecclesiæ sign. 30. lib. 7. cap. 6 Posseuinus in bibliotheca selecta p. 2. lib. 13. c. 18. & alij. Sed quod caput est, cogunt, nos id fateri, fides catholica, & experientia. Multa enim docuisse Aristotelem contra fidem nostram, certò certius est, vt mundum ab æterno fuisse, & in æternum fore. Ex nihilo nihil posse fieri, & id genus alia, quæ

quę recenset Nicolaus Eymericus in directorio Inquisitorum part. 2. q. 4. vt ea omittam, de quibus est tantùm suspicio, sed vehemens, vt animam rationalem, mortalem, vel assistentem esse. Deum agere ex necessitate naturę, esseque loco, & virtute finitum, & res futuras ignorare, quæ nõ tantùm fide, sed etiam lumine naturali falsa deprehendi possunt. Hocque, etiam si nulla alia suppeteret ratio, nobis satis esse deberet, ne Aristotelis authoritatem etiam in ijs, in quibus citra vllum fidei periculum ei assentiri possumus, magnifaceremus. Nam si concedas, in reliquis omnibus veritatem assecutum Aristotelē, & in rebus tantùm fidei nostræ aduersantibus hallucinatum, quis gentilium philosophorum nos non irrideat? Quis nõ calumnietur, illa Aristotelis dogmata à nobis reijci, non quia falsa, sed quia contra nos esse, animaduertimus? Quis autem reus, testem contra se productū, probatissimæ fidei in omnibus semper fuisse, assereret, contra se tamen, dum testimonium diceret, mentiri? Imò potius alias sæpissimè mētitum esse, probare conaretur, vt eius eleuata fide, contra se mentiri, minori negotio obtineret. Quis in disputatione respõdẽtis partes sustinens, admitteret, aduersarij assumptum, contra se prolatum, in reliquis quidem omnibus verum esse, sed illa in re peculiariter falsum, gratis, & absque vlla ratione assereret? imò potius inductione, vel saltem aliqua instantia, falsitatem eius in alijs quoque rebus ostendere niteretur, ne hac tantùm de causa, quia sibi aduersatur, illud inficiari videretur. Cur igitur nos quoq; aduersus Aristotelem eādem non insistemus viam? Cur vires nostras omnes, non vt eum ab errore defendamus, sed potius vt, eum in multis hallucinatum esse, ostendamus, nõ exercebimus? Si tamen hoc non libet, ne è conuerso videamur, non veritatis amore, sed bilis commotione perciti, eum insectari, saltem eos, qui aliquando etiam in naturalibus lapsum esse Aristotelem affirmant, temeritatis non damnemus, non è scholis ablegemus, non contra eos classicū canamus; sed benigne audientes, non pro Aristotele, vel contra Aristotelem, sed pro ipsa rei veritate, sententiam pronunciemus.

Confirmo hanc rationem, quoniā quæ Aristoteles contra nostram religionem protulit, non linguę lapsu, aut mentis inconsideratione pronūciauit; sed plerumque, cum totam mentis suæ aciem in id intendisset, cum maxime veritatem se crederet assecutum, cum sententiam suam demonstratiuis rationibus se muniuisse arbitraretur, postea tamen, & fidei dirigente lumine, & ipsa quoque conuincente ratione, (vt salté agenti de æternitate mundi euenit) deprehenditur, à veritate aberrasse, falsum docuisse, ac infirmissimas, & fallaces rationes pro demostrationibus habuisse. Si igitur quæ veluti compertissima tradidit, ac pro virili corrobare conatus est Aristoteles, falsa deprehenduntur, cur tamquam irreprehensibilia, & extra dubitationis aleā posita recipientur ea, in quibus ipsemet hæret, in quibus ambiguè loquitur, in quibus ex coniecturis, & probabilibus se procedere, ipso scribendi modo fatetur?

Accedit fidei catholicæ experientia, quæ secundas partes certitudinis merito sibi vendicans, volentes, nolentes ab Aristotele nos sępe auellit. Possem id pluribus demonstrare, sed non est animus, omnes hic eius lapsus recensere. Quatuor igitur, aut quin-

quinque tantùm exempli causâ subijciã. hoc enim proposito nostro satis, superq; erit: Horum primus sit.

Docet Aristoteles 2. metheor. cap. 5. Zonam torridam inhabitabilem esse. *Terra enim altera pars (inquit) cultoribus caret, quod frigore rigeat, altera autem, quod nimio calore vratur*. At quàm falsò (saltem quod ad torridã spectat) qui eas regiones peragrarunt, testentur, qui non tantùm habitabilem, sed etiam amœnissimã, & temperatissimam experti sunt. At dicent, non mirum, in hoc Aristotelem errasse, quoniam fuit omnium philosophorum, & geographorum hic error communis, quousque tandem nouis, & admirandis nauigationibus tellus illa detecta fuit. Verùm hinc ratio mea roboratur. Nam si in re, in qua omnes cum Aristoteles conuenerunt, & cui experientia ipsa suffragari videbatur, eius tamen opinionem cõperimus, esse falsam, quã fronte in alijs rebus omnibus, in quibus à multis ei cõtradicitur, hallucinari eum non potuisse, & falsitatem sub ipsius opinione delitescere non posse, affirmare audebimus? Non potuit certò scire Aristoteles, quamuis, certò se id scire, existimaret, quænam terræ pars habitabilis esset, quomodo ergo, quæ nobis de Deo, de animę natura, de ignis sphęra, de cœlis, à nobis longè remotioribus, tradidit, certa erunt? non certè pro certis habentur, eò quòd veriora sint, sed quia eorum falsitas tã clarè demonstrari nequeat. Accedit, non defuisse apud antiquos, qui multò rectiùs, quàm Aristoteles, de Zona torrida senserint. Nam vt refert Pius 2. aliàs Æneas Syluius in hist. de mundo cap. 5. Eratosthenes sub æquinoctiali perbenignam temperiem esse arbitratus est, & idẽ ferè sentit Polybius; & Ptolomeus Taprobanæ insulę partẽm sub eo collocat, nec Plato in Timæo ab hac sẽtentia alienum se ostendit, quod ergo Aristoteles de Zona torrida affirmauit, non vt alijs assentiretur, sed quia certa ratione id se tenere existimauit, asseruit, ac proindè omni culpâ eius error vacare nequit.

Secundum exemplum sit de Galaxia, siue via lactea, quam ab exhalationibus conflari, Aristoteles credidit, & credere alios voluit 1. Meth. c. 8. quod non tantùm firmissimis rationibus, & experimentis falsum esse, deprehẽderunt astrologi, & præcipuè ex paralaxi, siue aspectus diuersitate, qua via lactea caret; sed & alioqui nulla probabili ratione fulcitur, non enim credibile est, tot exhalationes immutabiliter per tot sæcula in eodem prorsus loco, eadẽq; figura, & quantitate perdurasse.

Tertium lib. de longit. & breuit. vitæ, & sect. 14. problem. 9. & 10. homines affirmauit diutius viuere, qui calidiora habitant loca, qua re nihil ferè dici potuit rationi, & experientiæ magis aduersum. Longè melius Vitruuius lib. 1. cap. 4. aquilonares regiones, vtpotè frigidiores, salubritate, & vita tuẽda cæteris omnibus anteponẽdas censet. Corporum enim, & locorum conditio opposito modo se habẽt, vt idem fatetur Aristoteles, sect. 14. probl. 8. & 16. nam qui frigidiora loca incolunt, calidiori natura sunt, & multo sanguine abundant, quod & sanguineus color, qui in ipsis apparet, testatur, ac proinde diutius quoque viuunt.

Quartum cuiusdã Antiphontis historiam 3. Meth. c. 3. narrat, qui semper ante se propriam imaginem ex aduerso se intuẽtem cernebat, cuius causam refert in radios visuales, ob hebetem aciem videndi reflexos; quod falsum esse, experientia ostẽdit; quo-

niam infiniti prope sunt, qui videndi imbecillitate laborant, neque tamen simile quidquam ipsis contigit. Falsum est etiam, quod supponit, visionem fieri per radios visuales, neq; ipsius doctrinæ consonum. Potius igitur in eius corruptam imaginationem hoc referendum erat.

Quintum Solem supra lunam immediatè, octoq; tantum esse cœlestes orbes, cum sui tẽporis astrologis docuit Aristoteles 2. de Cælo c. 10. At solem medium inter planetas locũ obtinere; nouoq; orbes non sufficere ad omnes motus, qui in syderibus obseruati sunt, posteriores astrologi, nemine dissentiente, statuerunt; qua in re, quamuis fortè non sit culpandus, Aristoteles, culpandi tamen conuincuntur, qui nihil noui post Aristotelem in rerum natura obseruari posse contendunt. Et hæ quidem rationes ex Aristotele ipso deductæ sint.

Quartò nunc argumentor ex persona Philosophi, quam sustinere; quotquot Aristotelẽ sequuntur, profitentur. Philosophi enim proprium est, veritatem nõn coniecturis, sed firmis, & euidentibus rationibus venari, & rerum causas inquirere, vt earum scientiam se possidere, iure possit affirmare; Atqui rationum vi contempta, soli innitũtur Aristotelis dicto, vel si mauis (vt illis morem geram) veritatis oraculo, fidem quidẽ illius rei habere poterunt, scientiam verò nequaquam obtinebunt, cum scire sit, rem per causam cognoscere, illi verò non per causam, sed per alterius authoritatem, cognitionem illam, & assensum sint assecuti. Qui igitur Aristotelis authoritatem tanti faciunt, vt ei nullam quoque rationem afferenti fidem præstent; alijs verò etiam demonstrationes afferentibus assensum negent, hi sanè philosophi nomine indignos se exhibent.

Quare Theologis quoque præcipit Angelicus Doctor quol. 4. ar. 18. vt non tantum Sacræ scripturæ, licet infallibilis, authoritate vtantur; sed et rationes adhibeant, *Oportet* (inquit) *rationibus inniti inuestigantibus veritatis radicem, & facientibus, scire quomodo sit verum quod dicitur, alioqui si nudis authoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est. sed nihil scientiæ intellectus acquiret; sed vacuus abscedet*. Si ergo Sacræ scripturæ authoritas sine rationibus vacuum relinquit auditoris intellectum ex S. Thoma; quid ab authoritate hominis ethnici, & opinantis potius, quam scientis expectandum erit?

Vltimo ex natura huius loci ab authoritate argumentari licet. Nam fatentur omnes, qui de locis, vel Dialecticis, vel Theologicis disserunt, locum hũc ab authoritate, si de humana loquamur, firmum nobis, & certũ non suppeditare argumẽtũ, sed probabile tantũ, cui proinde subesse põt falsum; cum igitur Aristotelis authoritas huius loci quoq; limites hõ trãscendat, quãuis supremà in sede collocetur, intra probabilitatis tñ sphęrã cõtinebitur, poteritq; patrocinari falso, & qui ei contradicit, verũ asserere; si ergo nõ implicat, verũ asserere, & Aristoteli repugnare, cur veritatis studioso non licebit aliquando Aristoteli cõtradicere, vt veritatem tueatur? Cur falsitatis cõdemnanda erit sententia indicta causa, eò solùm, q Aristotelem patronũ non habeat? Rationem igitur nos potius sequamur, quæ rectà tramite ad veritatem perducit, & eatenus Aristotelis authoritatẽ probemus, quatenus ratione comitata nobis occurrit, absque hac verò, nõ nisi quãdo authoritatibus, ac coniecturis agendũ est, plurimũ eiquoq; deferendũ arbitremur.

Authoritate tum aliorum, tum etiā ipsius Aristotelis id ipsum comprobatur. Sectio 3.

CVm in cęteris ab authoritate humana non nisi probabile sumi possit argumentum, hic quia contra ipsam authoritatem pugnamus, non minùs quàm ratio ipsa pollere videtur; si enim authoritati humanę certam fidem adhibendam censes, ergo fides illi quoque adhibenda quę nō adhibendam asserit; si fidem ei negandam affirmes, ergo firmum ab authoritate desumi argumentum nō potest, quod nos contendimus. Plurimæ autem sunt, quæ nobis fauent, & sanctorum, & philosophorum authoritates quas in duos ordines diuidere possumus. Prior erit earum, quæ vniuersim asserunt, nullius hominis authoritatem tamquam certā veritatis regulam assumendam esse. Posterior id de Aristotele peculiariter asserentium.

Prior ordo ab Ecclesię fulgentissimo lumine S. Augustino exordiendus est, cuius celebris est sententia epist. 9. ad Hieronymum: *Ego solis eis scriptorum, quibusiam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum scribendo errasse, audeam credere; Alios autē ità lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt;* Quam sententiam cum alijs similibus eiusdem S. Augustini refert Gratian. 9. dist. Decretal. & etiam S. Th. p. p. q. 1. ar. 8. ad 2. Neque minùs notanda sunt alia eiusdem S. Augustini in eadem epistola verba, scilicet, *Tantummodo scripturis canonicis hanc ingenuam debeam seruitutem, qua eas solas ita sequor; vt conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem*, vbi aduerte, appellari seruitutem à D. Augustino hanc intellectus subiectionem alterius authoritati, ingenuam tamē, quia scriptoribus sacris: Si autem homini Ethnico, & qui suum decipi, tū decipere potest, exhibeatur, quomodo misera, vilis, & homine Christiano indigna seruitus; imò captiuitas nuncupanda non erit?

Intellexit hoc idem Seneca, qui epist. 80. *Licebit*, inquit, *vnicadere, quod magis necessarium est per se eunti, & suam sequenti viam. Non ergo sequor priores? facio, sed permitto mihi, & inuenire aliquid, & mutare, & relinquere. Non seruio illis, sed assentior.*

Idem factitasse Ciceronem, ipsemet est testis, lib. enim primo de officijs inquit, *Stoicos non vt interpretes, sed vt solemus è fontibus eorum, iudicio, arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus.* Et lib. 4. Tuscul. 99. *Nos institutum tenebimus, nullisque vnius disciplinæ legibus astricti, quid sit in quaque re maxime probabile, maxime requiremus.* Eamdemque calcare viam filium suū docens. *De rebus* inquit *ipsis vtere tuo iudicio, non nam impediat.* Non inquit iudicio Cratippi pręceptoris tui, quem principem illius ætatis philosophorum appellat, non patris tui, non alterius cuiuspiā, sed tuo & lib. 4. Accad. 99. inuehitur in eos, qui contra faciunt, ita scribens. *Cæteri* (philosophi) *ante tenentur astricti, quàm quid esset optimum iudicare potuerint. Deinde in firmissimo tempore ætatis, aut obsecuti amico cuipiam, aut vna alicuius quem primo audierunt oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati ad eam tamquam ad*

saxum adharescunt. Et paulò infra. Sed nescio quo modo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamarunt, pugnacissimè defendere, quam sine pertinacia quid constantissimè dicatur, attendere. Et 2. Tuscul. 99. *qui certis quibusdam* (inquit) *destinatisque sententijs quasi addicti, & consecrati sunt, non modo iniquo animo ferunt, se redargui, refellique, sed etiam ea necessitate constringuntur, vt qua non probare soleant, ea cogantur conscientia causa defendere.* Quem morem insectatur quoque Seneca epist. 12. hæc scribens. *Quod verum est, meum est. Perseuerabo Epicurum tibi ingerere, vt isti qui in verba iurant, nec quid dicatur æstimant, sed à quo, sciant quæ optima sunt, esse communia.* Nec amor, qui omnia vincit, vincere nos debet, & hanc libertatem adimere. Nam Plato, qui adeo Socratem dilexit, ac magnifecit, vt in eum omnem doctrinæ suæ laudem referret, veritati tamen eum præferendum negat, monetq; lectorem, tum in Phædone, tum in 10. de Republica, vt præ ueritate, Socratē ipsum paruipēdat.

Sed omnium optimè videtur hoc intellexisse Patamo Alexandrinus, qui, vt refert Laertius in proemio, sectam quãdam instituit, quam electicorũ appellauit; eò quòd de singulis sectis, quæ sibi placerent, seligeret; quæ digna planè esset, vt in eam quilibet Philosophus nomē daret, caneretque cum Venusino poeta lib. 1. Epist. 1.

Nullius addictus iurare in verba magistri.

Comm. de libr. proprijs. Galenus seruos appellabat omnes eos, qui, vel Hippocraticos, vel Praxagoreos, vel ex alio quocumq; tandem viro se nominarent: eligenda enim esse è singulis, quæ optima essent: & ob id sæpe hominum rusticorum iudicium in plurimis esse sequendum, monuit, quod incorruptũ esset, ac liberum, vtpotè ab hæresi nulla præoccupatum.

Nec alia mens Magno Gregorio fuit, qui S. Augustino Anglorũ Apostolo hæc scripsit: *Nouit fraternitas tua. Romana Ecclesia consuetudinem, in qua se meminit nutritam; sed mihi placet, vt, siue in Romana Ecclesia, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia aliquid inuenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem noua est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas: non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt; ex singulis ergo quibusq; Ecclesijs, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculũ collecta apud Anglorum mentes in consuetudinē repone.* Baron. an. 10. 787. tom. 9. Refert hæc Amalarius in prologo de ordine Antiphonarij. qui & eadem licētia se vsum esse, testatur.

Accedat Apollinis Oraculum, qđ licet sæpe mendax fuerit, hac tamen in re veritatem attigisse, euentus docuit. Consulenti enim M. T. Ciceroni Apollinem Delphicum, qua potissimum ratione summam gloriam assequeretur, sortes datæ fuerunt, vt suum ipsius ingenium, nõ vulgi existimationem, ducē sequeretur vitę. quod in ipsius vita tradit Plutarch[a].

Ex recentioribus quoque multos eadem sentientes adducere possem; duobus tamen cōtentus ero, sed eruditissimis viris Ludouico Viues, & Iusto Lipsio.

Multi, inquit, *addicti, & mancipati sunt veteribus; vt quidquid non putent, vetus esse, contiuuò damnent inauditum, incognitum, etiamsi maximè sit vetus, modo recens credant: vt recentia, si existimet esse vetera, adorent: neque enim iudicio adducuntur, sed sole nomine. Vidi, qui versiculos ho-* De causis corrupt. artium lib. 1.

minis viuëtis, quod in per vetere Bibliothecâ reperti essent pulnere obsit, ac iam ferè exesi tineis, aperto capite veneratus sit, tamquam Vergilianos, aut alicuius eni illius: & alius Ciceronis epistolam, cui consulto nomen erat propositum Gallicum, magno fastidio aspernatus est, addito etiam conuicio Barbariæ Transalpinæ.

Lib. 1. disp. 4. & 5. Alter verò in manuductione ad stricam philosophiam argutissimè, vt solet, inter alia hæc habet. *Vt si in Senatu sedeam, non audiam tantum; sed examinem, & ipse rogatus sententiam dicam. Nam semper illam vnius sequi (argute noster Annaus) non id curiâ, sed factionis est. Equidem assurgo, & veneror inuenta, inuentoresq; sapientia, sed vt homo homines, & qui non Domini nostri, sed duces sunt. Quis ille tam fœliciter, imò tam diuinè sapiens.*

Omnia veridico, qui quondam ex ore profudit.

Et paulò post. *Ex his effectum volui, nec homini vni, imò nec sectæ, districtè adhærendum. Quæ seruitus ista sit? alius iugum subeat, tu mecum, siue cum* Senec. epi. 45. *Seneca aude profari. Non me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero, multum magnorum virorū iudicio tribuo, aliquid, & meo uindico.* Quid?

Licuit, nec sine laude Eumpompo Pictori, cum interrogaretur, quem sequeretur antecedentium, respondere, naturam ipsam imitādam esse, non artificem, cuius responso audentiot factus Lysippus, vt refert Plin. lib. 34. cap. 8. tantò profecit, vt statuatiæ arti plurimum cōtulerit. Cur igitur Philosopho in sola naturæ contemplatione versanti nō licebit, non nunquam ab hominibus oculos deflectere, vt veritatem, ipsâ natura docente, exactiùs collineare possit? Denique S. Thomas loco supra citato approbat Boetium dicentem, locum ab authoritate humana infirmissimum esse, & cum S. Thoma sentiunt omnes eius interpretes, imò omnes Theologi, & Philosophi, nemo enim vmquam, ex hominis alicuius authoritate irrefragabile argumentum sumi, asseruit.

Imò non defuerunt, qui nouercam veritatis, & scientiæ, humanam authoritatem esse, arbitrati sunt, hac enim de causa Academicos sententiam propriam non protulisse, sed propositis pro vtraque parte rationibus liberum auditori iudicium reliquisse, ne ab authoritate dicentis auditor in hanc potiùs, quàm in illam partem impelleretur, sed potiùs rationem sequeretur, testatur Cicero lib. 4. Academic. 99. qui etiam lib. 1. de Nat. Deorum, idem docet his verbis. *Non tam authoritatis in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt. Quin etiam obest plarumque ijs, qui discere volunt authoritas eorum qui se docere profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident.*

Nec ob aliam rationem moris fuit apud Persas, vt colligitur ex cap. 1. Esther, vt qui inter sapientes, & regis consiliarios, ætate, vel authoritate minor esset, primus sententiam diceret, ne si maiorem se priùs audisset, illius authoritate commotus, nō tam rectè veritatis scopum attingeret.

Non potest igitur cuiusquam sapientis authoritas pedes nostros, ipsius vestigijs inhærentes, cum & ipse, vtpote homo, hoc priuilegio gauisus non fuerit, ab errore securos reddere. Quod si nemini hic honor, non Theologis, non Philosophis, non Sanctis Patribus est deferendus, cur Aristoteli tribuetur? Cùmque in hac, vt ita dicam, conclusio-

clusionis theoria omnes conueniant; nemoque eam inficiari audeat, cur indignabitur quis; cum deducetur in praxim? dignum sanè non modica admiratione est. Concedunt omnes, Aristotelem, vt hominem, aliquando errare potuisse: plus rationi, quàm Aristoteli tribuendum, nemo non clamitat; si quis tamen in aliquo dogmate ab Aristotele dissentiat, quamuis ratione id cogente, nedum suadente, id efficiat; in eum omnes insurgunt, indignum, qui audiatur, iudicant: non audi tum temeritatis, ac insipientiæ damnant; quasi verò in vniuerso liceat erroris Aristotelem reprehendere, in parte arguere nequaquam: possibileque sit, Aristotelem quidem in genere errasse, nullum tamen huius generis indiuiduum reperiri. Sed ad posteriorem ordinem accedamus, in quem congeri possent; tum illi, qui verbis, tum etiam, qui exemplo, Aristotelem à nobis deseri posse, declararunt. Non recensebo tamen alios, quàm Peripateticos, de cæteris enim neque dubium, neque mirum, totis viribus Aristotelis doctrinam opugnasse.

Franc. Patrit. tom. 1. lib. 12. Exemplo in primis nos docuerunt Aristotelis præstantissimi non solùm sectatores, sed auditores etiam, inter quos quis doctior Theophrasto? quis celebrior, quis præceptoris studiosior? Is tamen nec Aristotelis authoritate, nec reuerentia magistri, neque accepti beneficij memoria deterritus est, quin multis in rebus illi contradixerit, quod sæpe testatur Simplicius, vt primo Phys. com. 3. referens, eum contra Aristotelem pro Xenophane sensisse, & 3. Phys. capit. 5. Theophrastum in omnibus prædicamentis (contra Aristotelem) motum statuisse. lib. quoque 4. com. 36. adducit eundem, longè aliter, quàm Aristotelem, locum definientem. Auerroes denique, vt alios testes prætercam, 6. Topicor. cap. 1. fatetur Aristoteli contradixisse; Quippè non existimauit prudens vir, erga Aristotelem obseruantiæ quicquam derogari, si eius dicta omnia non tueretur, neque ita à præceptore suo institutus fuerat, vt veluti Pythagoreus, magistri verba demostrationis loco haberet.

Strato quoque, quem Plutar. lib. aduersus Colatem summum Peripateticorum appellat, teste eodem Plutarcho ibidem, ab Aristotele multis in rebus dissentit, si ergo tunc temporis reliqui quoque Peripatetici ab Aristotele dissentiebant, omnes erunt nobiscum; si verò ab ipso stabant, ab Aristotele dissentiens omnibus ei consentientibus præponebatur.

Prętereo, ne in re non obscura sim prolixus, Hermiam Hipparcum Eudemam, Ioannem Philoponum, Demetrium Phalereum, Damascum, cuius quoque sententiam de loco Simplicius Aristotelicæ præfert, & alios multos veteres Peripateticos, de quibus fusè Patritius tom. primo lib. 12. & ante eum Ioan. Franciscus Picus li. 4. de exam. vanit. doct. gent. cap. 6. & lib. 6.

Ad Scholasticos deuenio, apud quos summo in honore semper Aristoteles est habitus. Hos autem quis non videat, Aristotelem potius ad se, vel nolentem pertrahere, quàm ipsius mentem scrutari, vt ipsum sectentur? Sed demus aduersarijs, tunc eos ab Aristotele non dissentire; Non paucos adhuc reperiemus, qui ab Aristotele apertis verbis discessionem fecerunt.

Atque in primis quis S. Thoma erga Aristotelem studiosior? quis in Aristotele ad bonam mētem trahendo accuratior? vt non ineptè iocatus quidam fuerit, S. Thomā ex Ethnico, Christianum Aristotelem reddere voluisse. Idem tamen 2. contra gent. cap. 81. iuxta lectionem, quam contendit germanam esse. Picus lib. 4. exam. cap. 10. fatetur, Aristotelem repugnantia dixisse, dum mundum æternum statuit, & infinitum in multitudine dari posse, negauit. Quare & Caiet. p. p. q. 7. ar. 4. aduertit, S. Th. hac in re omnem viam concordiæ cū doctrina Aristotelis sibi ademisse.

Scotum etiam alterum Theologiæ Scolasticæ lumen, ab Aristotele aliquando discessisse, & contradictiones in eo annotasse, docet Mirandulanus lib. 4. examinis cap. 10. vbi etiā Durandum, Albertum Magnū, Gregorium Ariminensem, Henricum, Gulielmum, Hetucum, Io. Bacconem Carmelitam, Petrum Aliacensem, Franciscum Mayronem, & Ioannem Getsonem aliquando Aristotelis sententias improbasse, ostendit.

Sed neque ex recentissimis authoribus, qui maximè Aristotelici videri volunt, defuerunt, qui à Stagirita, ne sub eo cadente opprimerentur, se subduxerunt. Iacobus Zabarella, vir ingenio pollens, & nisi Auerroi nimis addictus fuisset, Philosophus præstantissimus, lib. de calore cœlesti, postquam Aristotelis sententiam diu euoluit, tandem concludit. *Ego igitur cum apertè fateor, me nullam inuenire rationem potuisse, qua sententiam Aristotelis tueamur, defensionem Aristotelis alijs excogitandam relinquo.*

Franciscus Toletus, qui doctrinæ præstantia ad Cardinalatus apicem gradum sibi fecit, lib. Phys. 6. quæst. 1. p. 2. sententiam Scoti, quòd indiuisibile per se moueri possit, ad mentem Aristotelis fatetur non esse, & tamen eam præfert cæteris, quæ Aristoteli adhærent, In tex. etiam 62. vbi agit Aristoteles de quiete inter oppositos motus, inquit, rationem Aristotelis quamdam tātùm probabilitatem habere, & eam soluit, quam solutionem, inquit esse verissimam. In tex. quoque 86. motum proiectorum tribuit virtuti impressæ, & non tantùm aeri, vt volebat Aristoteles, sicut & ipse fatetur in tex. 82.

Doctores Conimbricenses in 4. de cælo cap. 69. fatentur, secundum Aristotelē elementa grauitatem habere in proprijs locis, cuius tamen contrarium ipsi asserunt, in eademque sententia contra Aristotelē militare non solum Archimedem, & Ptolomeum, sed etiam Simplicium, Themistium Syrianum, Alexandrum, & reliquos ferè omnes Peripateticos, significāt.

Petrus Fonseca lib. 5. in metaph. cap. 6 q. 4. in fine ait, Aristotelē non rectè sēsisse de indiuiduationis principio, nec principium intrinsecum indiuiduationis accidentium satis apertè tradidisse, quare eius sententia relicta, Scoticam doctrinam de principio indiuiduationis amplectitur. lib. etiam eodem c. 13. q. 9. sect. 3. verum locum esse inquit spatium imaginarium, & vmbras certè consectari, qui aliter sentiunt, vbi latenter Aristotelem carpit, vt omittam, quod c. 4. q. 1. sect. 2. Aristoteli ascribit errorem reuera maximū, Deum scilicet agere ex necessitate naturæ.

Franciscus Suarez; qui plurima, & egregia scripsit, disp. 18. in metaph. sect. 3. rationem illam Aristotelis, qua 7. phys. tex. 2. probat, *Omne, quod mouetur, ab alio moueri*, considerans, concludit tandem, esse inefficacem, & Sophisticam, vtpotè quæ æquiuocationē contineat. Et disp. 30. sect. 1.

aliam

aliam Aristotelis rationem, qua infinitatem primi motoris astruere conatur, inquit, in principio falso fundari, ac proinde inutilem esse.

Gabriel Vasquez disp. 66. in primam partem cap. 5. Aristotelem errasse, dum de futuris contingentibus dari non posse determinatam veritatem, asseruit, pluribus contendit.

Hieronymus Dandinus lib. 3. de corpore animato cap. 28. pro Galeno contra Aristotelẽ pugnat dicentem, à corde neruos animalis proficisci, non autem à cerebro.

Hieronymus Mercurialis in suis libris variarum lectionum non raro Aristotelem falsitatis coarguit, vt lib. 1. cap. 14. eò quòd affirmauerit, animalia quædam ex igne, & ex niue oriri 5. de historia animal. cap. 19. Item lib. 5. cap. 17. dicentem 4. de historia animalium cap. 10. post quartum duntaxat annum homines in somnia pati. lib. 4. cap. 9. affirmantẽ, sal, & nitrum solo frigido humido dissolui. 4. metheor. lib. 6. cap. 2. asserentem sect. 22. probl. 2. ficus vltimo euomi, eò quòd in fundum stomachi sua grauitate descendant, & alibi alia ementientem.

Mitto Cardanum, Bernardinum Telesium, Iulium Cæsarem Scaligerum, Franciscum Valesium, Franciscum Patritium, Alexandrum Tassonium, & alios, qui vel data opera eius dogmata cõuellere conati sunt, vel saltem non vt præceptorem, & coriphæum sunt reueriti.

Adijciam verò, nullam ferè Aristotelis sententiam repetiri, quam materialiter saltem plurimi Philosophi non improbent. Etenim in omnibus ferè rebus, tum de rei veritate, tum de Aristotelis mente inuicẽ Philosophi digladiantur; Non potuit autem Aristoteles non nisi vni sententiæ adhærere, ergo qui reliquas consectantur, quamuis eas credant Aristotelicas esse, reuera tamen Aristotelem impugnant, & eum errasse existimant; & quemadmodum neminem in omnibus Aristotelis mentem assecutum fuisse, est verisimile, ita neminem non aliquando Aristoteli contradicere, etiamsi maximè renuat, putandum est. Et hactenus de ijs, qui exemplo docuerunt, ab Aristotele dissentire, non esse nefas, qui autem verbis docuerint, ex peripateticis paucos reperi, cum enim Aristotelem laudibus in cœlum extollant, & omnibus colendum proponant, ne sibi ipsis contrarij videantur, non hoc ostium aperire voluerunt, quare duobus tantùm contentus ero, sed antiquis, & grauibus, quorum prior erit Ammonius, qui Aristotelis categorias explanaturus, ita præfatur: *Horum explanator non debet per beneuolentiam adstruere conari ea quæ perperam sunt dicta, sed iudicem sine vlla passione, eorum, quæ dicuntur, se prebere:* Simplicius erit posterior, qui pariter de interprete loquens Aristotelis; *Oportet inquit iudicium habere sincerum, ne si quid animaduersione indigeat, omni contentione inculpabilia monstret.*

Sed iam idipsum Aristotelis authoritate confirmemus. Et adduci primò possunt illa omnia loca, in quibus asserit, Philosophi munus esse, veritatem inquirere, nec aliud philosophiam, quàm veritatis studium vt 2. metaph. tex. 3. *Rectè autem se habet, Philosophiam scientiam veritatis contemplatricem appellasse, speculatiuæ etenim finis veritas*, & 5. Topic. c. 11. *Ad philosophiam quidem secundum veritatem de ipsis tractandum est, dialecticè verò ad opinionem.* Ex ipsius igitur Aristotelis sententia, qui ex alterius opinione loquitur, Dialectici partes agit, quia non nisi proba-

babi-

babilitaté insequitur; Qui verò non ex aliorum opinionibus, sed ex veritate ipsa regulam sibi sentiendi statuit, is verè Philosophi munus exequitur. Quicunque igitur ex Aristotelis placitis philosophatur, nō scientificè, non verè philosophatur, sed ipso Aristotele iudice, Dialecticè tantum opinatur, & loquitur.

Secundo, argumentari possumus ex his locis, in quibus aliorū placitis, & dictis consentiendum non esse, si à veritate aberrent, asserit, ita lib. 13. Metaph. cap. 1. *Quæ ab alijs dicuntur primò speculandum est, vt tamen si quid non rectè dicant, nō simus eisdē conscij*. Et 1. de Elem. cap. 7. eos reprehēdit, qui nimium aliorū dogmatibus sunt addicti. *Accidit verò*, inquit, *vt de apparentibus cum dicant, apparentibus ipsis concordantia minimè dicant, huius rei causa est, quod non rectè prima principia accipiant; sed omnia velint ad terminatas quasdam opiniones reducere*. Eosdem etiam pessimè omnium philosophari docet 1. Eth. cap. 5. his verbis. *Videtur enim fieri posse, vt qui virtutem habeat, vel dormiat, vel in vita nihil agat, malis praterea affligatur sitque maximè infortunatus, cuiusmodi hominem sanè felicem appellant nemo; nisi qui seruare positionem velit*. Quare cap. 6. concludit veritatem omnibus præferendam. *Sed forsam*, inquit, *rectius esse, & oportere videre, vt pro veritatis salute vnusquisque, & præsertim Philosophi sua quoque propria refutarent. Nam licet amici ambo sint, sanctum est, veritatem ipsis in honore anteponere*. Hæc Aristoteles, quibus nil clarius, nil aptius pro nostra sententia dici poterat. Paratum se esse, ostendit Aristoteles, ad sua propria refutanda veritatis studio; nos verò adhuc ipsam nolentem, & inuitum veritati præferemus? sanctum, inquit, esse, veritatem omnibus anteponere, nos verò eam ipsi non postponere, nefas putabimus? Profectò qui ita sentiunt, non solum in veritatem contumeliosi sunt, sed etiam ab ipso Aristotele, quem maximè se sequi profitentur, quàm longissimè abscedunt. Tales igitur (vt de seipso quoq; S. Augustinus aiebat) optabit Aristotelis lectores, qualis ipse erga alios, & in primis erga suū præceptorem extitit, neq; à nobis requiret, vt in eius verba iuremus, qui nullius authoritatem tāti faciendā esse, & verbis, & exemplo nos docuit. *Ep. 19. ad S. Hier.* Cum ab Agesilao Spartanorum Rege pater ipsius rem iniustam peteret, prudenter, iustè, ac reuerēter respondit, vt Plutarc. de vitiosa verecundia refert. *Abs te pater à puero didici, parere legibus, quapropter nunc quoque tibi obtempero, cauens, ne quid faciam prater legem*. Sic nos dicamus Aristoteli, cum præter veritatem quidquam docet. Abs te docti sumus, veritatem omnibus anteferre, tuam igitur sentētiam sequimur, dum tibi quoque eam anteferimus.

Tertio, ad hoc ipsum confirmandum illa Aristotelis verba deseruiēt, in quibus dum suas explicat sententias, hærentem quodammodo, nec de re sibi omninò explorata loquentem se demostrat. Vt 1. de Generat. tex. 9. *Sed hac soluere tentandum*, inquit. Et paulò post *oportet, dubitationis solutionem tentare inuenire*. Primo Metheor. cap. 1. *Hac quidem dubitamus. hac autē attingimus quodāmodo*, & lib. eodem summa 2. cap. 6. *Quare si quomodo, & cur appareant cometa approbamus, causam tamquam dictā mediocriter*, & lib. 1. de anima tex. 4. difficillimam fatetur cognitionem de anima. *Omniquaque autem, & omninò difficillimum est, accipere aliquam fidē de ipsa*, ac de veritate vniuersim.

2. Me-

2. Metaph. tex. 1. inquit, tam difficilem esse eius speculationem, vt nemo satis eam consequatur. Denique frequentissimè verba dubitandi vsurpat, *vt fortè, quasi, videtur, &c.* quibus innuit, illa se non tamquam certa, & explorata tradere; imò est constans eius interpretum opinio, complura Aristotelem obscure docuisse, quòd animo hæreret, nolletque, ita suam prodere sententiam, vt non etiam contrariam insinuasse videretur, ne falsitatis conuinci posset.

Ex quibus liquidò constat, Aristotelem non pro certissima, ac indubitata suam doctrinam habuisse. Si igitur pari in pretio nos eam habeamus, quis conqueri poterit, nos Aristoteli aduersati, vel iniuriam facere? Qui autem præter Aristotelis authoritatem, rationem, experimenta, & reliquos omnes floccipendunt, videant, ne in hoc ipso, quod eam tanti æstimant, paruipendant.

Quid de Aristotelis authoritate vnanimi Philosophorum munita consensu sit dicendum. Sect. IIII.

Hic sanè maior est difficultas, nō enim de vnius Aristotelis, sed de omnium Philosophorum authoritate agitur, non est tamen ab instituto nostro aliena, nam Aristotelis sententia secum hunc Philosophorum vnanimen consensum pertrahere solet.

Non licere igitur ab ea discedere, videtur sententia Cani de locis theologicis lib. 10. c. 10. vbi inquit, *Philosophorum omnium vnam, eādemq; consensionem certam fidem facere Philosophici dogmatis, ac proinde non sine magna arrogantia, ac temeritate ab eis quenquam dissentire.* Probat.

Primum, quoniam in alijs artibus ab illis authoribus, qui probati in illis sunt, non sine temeritate discedi solet, ergo multò magis id in philosophia valere debet.

Secūdo, id esset bellare cum Dijs, id est naturæ repugnare, maior enim pars eò deferri solet, quò à natura ipsa deducitur.

Tertio, quoniam vulgi etiam iudiciū magnifitā pictoribus, & poetis; & si quid ab eò reprehensum est, corrigunt; multò magis igitur sapientū Philosophorū iudicio standum erit.

Quarto, Aristotelis authoritate, nā lib. 2. de cęlo. *Bene, inquit, se se habet, quemq. sibi persuadere veteres, & maiorum nostras sententias veras esse.* Et 6. Eth. c. 11. *nō minus ait eorum, qui sunt experti, & seniorum prudentum que sententijs, quàm ipsis demonstrationibus adhibere animum oportere.*

His tamen non obstantibus. Dico primum, ex omniū Philosophorum authoritate non licere certum argumentum, & infallibilem veritatem deducere. Est hæc sententia cōmunis interpretum, S. Th. in ar. 8. q. 1. p. p. ita Vasq; Molina, & alij, est videtur esse eiusdem Sancti Doctoris, cum dicat, argumentū ab authoritate humana absq; vlla distinctione infirmissimum esse: Nec fortè Canus ipse dissentit, potest enim intelligi de quadam certitudine morali, quæ communi Philosophorum consensui annexa esse solet. Eadem quoque fuit S. Augustini sententia, & ex eius epist. 29. colligitur, cum enim retulisset, omnibus Philosophis placuisse, virtutes omnes inter se connexas esse, nec vnam sine cæteris haberi posse. subijcit. *Hæc an ita se habeant, paulò diligentiùs inquirendum est, non enim & ista diuina sententia est, sed hominibus hoc visum est, multum quidem ingeniosis studiosis, sed tamen hominibus.*

Pro-

Probatur etiam ratione. Primum, quoniã vel ab extrinseco, vel ab intrinseco hæc certitudo Philosophorum authoritati connectetur. Non ab extrinseco, hoc enim non alio pacto esset, quàm ex prouidentia Dei, quæ non permitteret, omnes Philosophos errare, hoc autem absque vlla ratione diceretur, propriũ enim est Ecclesiæ Catholicæ priuilegium, vt eam Deus errare numquam sinat, quod Philosophis concessum, nemo vmquam dixit, neque enim, si omnes errare permittat, diceretur deficere Deus in necessarijs, tum quia fortè in dogmate necessario ad salutem non errabunt, tum quia aliqui non deerant, à quibus possint homines huiusmodi veritates necessarias edoceri. Neque ab intrinseco hæc certitudo oriri potest. Primo, quia potest quilibet eorum errare, ergo etiã possunt omnes, probatur consequentia, quoniam inuicem nullam habent dependentiam, & ita indifferẽs ego sum ad assentiendum alicui conclusioni, quamuis omnes ante me illam negauerint, ac si omnes eamdem admisissent, ergo si quilibet per se errare potest, poterit etiã simul cum omnibus alijs. Si dicas, moraliter esse impossibile, quòd omnes eumdem errorem amplectantur, sicuti, quòd qui tesseris ludit, semper eundem numerum iaciat. Non admodum repugnabo, sed contendam tantùm, nõ minùs esse impossibile, quòd in veram omnes, quàm quod in falsam sententiam cõueniant, & dato quòd in vnam conueniant, nõ inde sequi, hanc veram esse, quia si videatur difficile, omnes errasse, non minùs videtur, omnes veritatem assecutos. Confirmatur, nam supposita Philosophorum omnium consensione in vna conclusione, quæro, an possim ego, vel quilibet alius ab ea dissentire; si neges, reclamabit experientia, libertas repugnabit, vniuscuiusque conscientia contrarium testificabitur; nemo enim, se cogi ad assentiendum alicui conclusioni, sentit, nisi fortè loquamur de primis principijs, quibus necessariò quilibet assensum præbet, non propter aliorum authoritatem, sed propter ipsorum euidentiam. Si concedas, posse dissentire, ergo etiam poterat alius ante me, si autem duo, vel tres dissentiant, iam dissoluetur illa Philosophorum vnanimis consensio, eritq; in libertate vnius, vel duorum, certissimum dogma incertum reddere. Præterea si cuique liberum fuit, illi conclusioni assentiri, contingens ergo fuit, omnes hunc prompsisse assensum, si contingens, ergo nullam potest habere certam connexionem cum re necessaria. Non valet igitur argumentari ex contingenti consensu omnium Philosophorum ad certam veritatem cõclusionis, cum hic consensus coniungi potuerit, tam cũ falsa, quàm cum vera sententia.

Secundo, consenserunt aliquando Philosophi omnes alicui principio, & tamquam certissimum supposuerunt; quod postea falsum inuentum est, ergo euidenter conuincitur, non necessariò verum esse, quod omnes Philosophi affirmant. Probatur antecedens, Quoniam ante Dei aduentum in carnem, omnes Philosophi tamquam certum supponebant, ex nihilo nihil fieri posse: certissimum existimabant, inhærentiam esse de essentia accidentis, & alia huiusmodi multa, quæ deinde, fidei Christianæ detegente lumine, deprehensa sunt falsa. Si dicas, veritates huiusmodi vim naturalem ingenij nostri excedere, nec ratione inueniri potuisse, Occurram ego: contrarias tamen neque potuisse ratione naturali

demon-

demonstrari, & tamen Philosophi, illas se demonstrasse credebant, errabant igitur non solùm in supernaturali, sed etiam in veritate naturali. Præterea nunc etiam nõ omnia, quæ absoluta sua potẽtia potest Deus, nobis reuelauit, vnde nos ergo scire possumus an ex istis falsa nonnulla aliquando apparitura sint, quæ nos modò absque vlla hæsitatione affirmamus? Non solùm igitur infideles, sed etiam fideles omnes Philosophi errare possunt. Confirmatur hoc, quia ferè in omnibus scientijs euenit, vt quæ vno tempore ab omnibus illarum peritis vt vera & certa probabantur, alio deinde tamquam falsa, & improbabilia reijciantur.

Tertiò, est magnum argumentum ad hominem contra Canum. Non minus authoritatis in rebus sacris habere debent omnes Sancti Patres, quàm in rebus naturalibus, & philosophicis Philosophi; sed in illis vnus omnium Sanctorum Patrum consensus fidem certam non facit, nisi sit de re ad fidem, vel ad mores attinente, vel de expositione sacræ Scripturæ agatur, ergo nec in istis Philosophorum. Maior probatur quoniam, vt inquit Canus, in omnibus scientijs, siue artibus, illarum doctoribus, & peritis standum est; tales autem sunt in rebus sacris Sancti Patres, & eò pluris eorum authoritas facienda est, quòd à Deo ipso in hoc munus dati sunt. Minor autem ab ipso Cano libro 7. capit. tertio, conclus. quarta, non solùm recipitur, sed argumentis quoque probatur; sunt autem hæc eius verba. *Omnium etiam Sanctorum authoritas in eo genere quæstionum, quas ad fidem diximus minimè pertinere, fidem quidem probabilem facit, certã tamen nõ facit;* & eam deinde ibi multis exemplis cõfirmat.

Dico secundo, Non facilè à communi omnium Philosophorum sententia discedendum est, facilè autẽ ille discedit, qui vel nulla ratione, vel leui coniectura motus, eam deserit. Probatur, quoniam non leuiter credẽdum est, tot, ac tantos viros illi sententiæ adhæsisse, non igitur nisi ex graui caosa, nos ab ea discedere decet. Præterea arrogantiæ culpam non facilè vitabit, qui ab illis discedit, sicut enim rationem eis præferre, laudabile, ita nos ipsos præponere, non parum est reprehensibile, neque videntur hi veritatem quærere, sed inanem gloriolæ auram ex aliorum reprehensione aucupari. Denique hoc idem tantum probant argumenta à Cano allata.

Dico 3. Non obstante communi, & vnanimi Philosophorum consensu licere aliquando contra sentire. Probatur primùm ex primo dicto, si enim falsa esse potest sententia omnium Philosophorum, ergo licebit etiam eam deserere. imò si de falsitate constet, contraria erit omninò amplectenda, cum omnibus sit præferenda veritas. Secundò, quoniam non tam in vna amplectenda sententia, quàm in vno colendo Aristotele Philosophi quandoque conueniunt; ex quo efficitur, vt cum verbis Aristotelis loquuntur, non pluris ferè eorum omnium sit æstimanda authoritas, quàm vnius Aristotelis, a qua discedere nefas non esse, iam probauimus. Tertiò, quoniam multa cernimus, à recentioribus Philosophis tamquam falsa reijci, & explodi, quæ antiquioribus certa, & extra omnem dubitationem ferè videbantur. Si nemo autem primò ausus fuisset contra superiores ea asserere, in eadẽ ignorantiæ nocte semper permansissemus. Non igitur deterreri debet quispiam, quin efficaci ratione sub-

F nixus,

postulet, solet attendi; Philosophia verò veritati tota dicata est.

Ad secundum Resp. quod est à natura non in solis Philosophis, sed in omnibus hominibus reperiri, vt in primis principijs côueniunt omnes, modò terminos norint, & in his neque licitum, neque libitum esse potest ab alijs dissentire, natura, scilicet, non eorum authoritate, ad id impellente.

Ad tertium Resp. Vulgi iudiciû, non mirum, ab illis magnifieri, qui in gratiam vulgi opera sua edunt, cuiusmodi sunt pictores, & Poetæ; sed & hi quia non infallibile sciunt, ab eo aliquando ad rationem appellant. In Philosophia etiam aliquando adducitur populi opinio, vel tanquam ab eu nà sapientibus derivata; vel tamquam naturæ vox quędam simplicior, nulla vel arte, vel doctrina elaborata, non tamen tamquam infallibilis.

Ad Aristotelis primam authoritatem. Resp. Aristotelem debere intelligi, dummodo non adsit ratio oppositum nobis persuadens, vt ipse exemplo ostendit. Ad secundam eodem modo intelligi posse. Sed prætetea attendendum est, hoc dicere Aristotelem in lib. de moribus, quia in his longè plus authoritati, quàm in alijs tribuendum est, & loqui de his, quæ senes, & periti per experientiam didicerunt.

Quodnam sit horum librorum subiectum.

QVÆSTIO IIII.

QVem loquenté auditurí sumus, eiusdem prænoscere nomen, doctrinam, mores, atque in dicendo scopum, & methodum, naturæ quadam propensione omnes optamus. Nec aliter, si quem librum euoluere, aut scientiam perdiscere aggredimur, eorum subiectum, finem, ordinem, & id genus alia perspecta habere adeò percupimus; vt alioqui non conquiescat animus, verendumq́; te sit, ne in ipso statim limine viribus deficientibus nimio torpore languescat; Quod cum Philosophos non latuerit, meritò in cuiusque scientiæ vel libri vestibulo tãtisper, dum eorum naturam, & alia, quæ hanc subsequuntur, aperiant, lectorem, siue auditorem morantur. Ab hac igitur consuetudine neque nos recedemus. Quoniam tamen non totam ipsam Philosophiam, vel eius primam partem, sed vnam tantùm ex medijs explicare aggredimur, multa quę ab alijs initio Physicorum de ipsa tradi solent, omittemus & in ijs tantùm, quæ peculiariter huic operi intelligendo subseruiunt, versabimur, inter quæ primum locum sibi vendicate subiectû, ex quo cætera omnia, veluti connexa dependunt, nulli dubium est.

Alberti Magni sententia, Quid alij senserint. Sect. I.

NOn conueniunt Philosophi in explicando huius operis subiecto. Prima autem sententia est eorum, qui Albertû Magnum sequuti, *corpus simplex, mobile secundum formam*, pro subiecto statuunt. (*Corpus*) dicunt, non ens, ad excludenda accidentia, materiam, & formam, non quòd de his quoque in his libris nô agatur, sed quia nolunt, agi de ipsis per se, sed tantùm in ordine ad corpus, quatenus videlicet ipsius principia, partes, aut passiones sunt (*Simplex*) vt excludant mixta ex elementis, & ipsa tantùm elementa complectantur; quamuis enim elementa

mus, in primo libro Physicorum agi de principijs, tamquam de subiecto illi adæquato, & plures libros compositos fuisse ab Aristotele, habentes pro subiecto partem, siue passionem corporis naturalis, vt libros de partibus animalium. De somno, & vigilia: De respiratione &c.

Quintò, mutatio ad formam analogice dicitur de mutatione substantiali, & accidentali, per se autem prius de substantiali, ergo etiam in hoc libro subiectũ per se erit mutatio substantialis, & in ordine ad ipsam etiam mutatio accidentalis.

Sententia Zabarellæ.

Mixtum generaliter acceptum, existimat hic auctor, esse horum librorum subiectum, *quatenus propriam habet naturam*. (*Mixtum*) inquit, vt excludat elementa, de quibus affirmat, agi tantùm in ordine ad mixta (*generaliter acceptum*) quia de eius speciebus ait agetur postea in alijs libris, *quatenus propriam habet naturam*, vt modum considerandi, siue rationem formalem subiecti explicet, & hoc idem esse ait, atque corpus naturale generationi, & interitui obnoxium, quamuis enim sub hoc videantur contineri etiam elementa, & non sub illo, tamen reuera inquit non comprehendi, quoniam elementa secundum se tota incorruptibilia sunt, secundum autem partes corrumpuntur quidem, sed vt ex eis mixta generentur, non verò per se, quia ratione sui non indigent hac mutua generatione, & corruptione. Hanc autem suam sententiam subtiliter excogitatam his probat argumentis.

Primò, illud est subiectũ in scientia, cuius principia considerantur ex 12. Metaph. in principio, atqui elementa tractãtur in his libris, vt principia corporis mixti, ergo corpus mixtum est subiectum horum librorum. Minor probatur, quia de elementis secũdum se, & quatenus corpora naturalia sunt, agit Aristoteles in lib. de cœlo, ergo cùm hic iterum de ipsis agat, non amplius absolutè considerat, sed in ordine ad mixta.

Secũdò, necessarium omninò fuit, de mixto latè accepto in aliquo libro naturali agere, atqui id in nullo alio libro fit, nisi in libris de generatione, in quibus etiam videmus agi ex professo de mixtione, & de mixti generatione; ergo ipsum est ipsorum subiectum.

Tertiò, idem colligitur ex ordine librorũ Physicorum: Cùm enim primo loco actum sit de corpore naturali latè accepto, idque prima partitione diuidatur in simplex, & mixtũ, & simplex præcedat mixtũ: proinde secundo loco actum sit de corpore naturali simplici in libris de cælo, sequitur, vt statim tertio loco agatur de corpore naturali mixto in libris de generatione, vt mox in alijs libris naturalibus agendum maneat ordinatim de speciebus mixti.

Quartò, cognoscenda est quælibet res eo modo, quo est, atqui elementis data est generatio à natura propter generationem mixtorũ, ergo & hoc ipso modo, non alio, cognoscenda est: nempè vt competens quidem elementis, & mixtis, sed elementis vt principijs, & materiæ, mixtis verò, vt subiecto præcipuo.

Confirmatur ex Aristotele, qui in primo libro postquam definitionem generationis, & interitus declarasset, & mox de eorũ causis acturus esset, scopum, & consilium suum in contextu 43. proponit his verbis. *Quoniam autem oportet primum de mate-*

ria,

ria, & de vocatis elementis dicere, etenim, inquit Zabarella dictio (&) nõ est coniunctiua, sed declaratiua; quia postea nullam aliam materiam declaraturus erat, nisi materiam secũdam, quæ sunt quatuor elementa. De his igitur proponit agendum, non tamquam de subiecto, sed tamquam de materia.

Confirmatur secũdo, quia in principio secundi de generatione quatuor primas qualitates vocat Aristoteles principia elementorum, cum tamen accidẽtia potius sint, quia quatenus elementa sunt principia mixtorũ, illę qualitates dici possunt eorum formæ, sicut relatio est accidẽs respectu hominis, est tamen de essentia eiusdem, quatenus pater est.

Sententia Aegidij, & Marsilij.

Corpus mobile, siue ens mobile secundum formam, siue substantialem, siue accidentalem subiectum horum librorum statuunt supra adducti auctores. Probatur autem primo. Subiectum partis scientiæ debet esse pars subiecti totalis, cum enim scientia suam specificationem ab obiecto recipiat, sicut se habet obiectum vnius scientiæ ad obiectum alterius, ita se habent inuicem scientiæ, cum igitur hi libri sint pars scientiæ, cuius subiectum est corpus naturale, debet etiã subiectum ipsorum esse pars corporis naturalis, non potest autem assignari alia pars, siue species corporis naturalis, de qua hic agatur, quam corpus ipsum, prout mutabile ad formam. ergo.

Secundo, illud est subiectũ, cuius passiones in ea scientia demonstrantur; atqui generatio, & reliquæ mutationes secundum formam, quę in his libris demonstrantur, sunt passiones corporis mobilis secũdum formam, ergo hoc est reuera subiectum.

Tertio, magis communia debent anteponi minus communibus, ergo antequam Aristoteles ageret de mixtis vel de elementis, debuit agere de corpore generabili in communi, hoc igitur est eius obiectum.

Quarto, ex ordine horum librorũ idem probatur. Nam in 8. Physicis actum est de corpore naturali in cõmuni: Secundo loco in libris de cęlo de corpore incorruptibili, consequens est igitur, vt hoc tertio loco in libris de generatione de corpore corruptibili, & mutabili secundum formam agatur. Item in libris de cęlo consideratum est corpus mobile ad locum, ergo hic debuit immediatè post considerari corpus mutabile ad formam intrinsecam.

Quinto, De Subiecto scientiæ debet supponi, quòd sit, & quid sit ex primo Posteriorum, in his autem libris quęritur, an sit generatio, & quid sit, ergo non ipsa est subiectum, sed corpus generabile, quod pręsupponitur esse, & de quo demonstratur generatio.

Authoris sententia quinque conclusionibus compræhensa.
Sect. II.

PRIMA CONCLVSIO.

Corpus simplex mobile secundũ formam non est subiectum adæquatum horum librorum. Est contra primam sententiam, & facilè probatur, quoniam, Aristoteles in primo librorum tex. 5. repræhendit Platonem, quòd generationem tantùm elementorum considerauerit, ergo intendit ipse etiam mixtorum amplecti. Præterea agit hic Aristoteles de generatione, non tantùm elemẽtorum, sed etiam mixtorũ, nam ex professo agit de

de mixtione; absque ratione igitur mixta, vel eorum generatio ab horũ subiecto excluditur. Tertio, ipsemet Aristoteles etiam in principio horũ librorum promittit, se tractaturum de generatione omniũ. Quarto, definitio generationis, & reliqua, quæ Aristoteles de ipsa tractat, non tantũ elementorum generationi, sed etiam mixtorum conueniunt. Quinto, Nutritio, & augmẽtatio, de quibus accuratè etiam disputat Aristoteles, ad elementa non pertinent. ergo non elementa tantum sunt horum librorum subiectum.

SECVNDA CONCLVSIO.

Subiectum adæquatum huius operis non est mutatio tantum substantialis. Probatur contra secundã sententiam, quoniam Aristoteles ex professo agit de alteratione, & augmentatione, nam accuratissimè de ipsis disputat, ergo non sunt excludendæ à subiecto totali. Præterea alteratio, & augmentatio per se spectant ad scientiam naturalem, ergo per se debet de illis agi, nullibi autem, præterquam hic, de ipsis agitur, ergo per se hic considerantur.

TERTIA CONCLVSIO.

Mixtum generaliter acceptum, vt volebat Zabarella, non est adæquatum subiectum horũ librorum. Probatur primo quoniam agit Aristoteles in his libris de augmentatione, & nutritione, quæ huic mixto non conueniunt: Neque occurrere potest, quòd de his non agat per se, nam & in initio libri primi de generatione proponit, se acturum de accretione, & de ea valde accurate agit, & reprehendit veteres, quòd eam omiserint, & alibi in Physicis eam non habet pro subiecto. Præterea non tantùm agit de generatione mixtorum, sed, vt ipse fatetur, de generatione omnium, & de mutua elementorum trasmutatione, quã nõ producitur aliquod mixtum: Agit etiam de alteratione, & actione, & passione, quæ non sunt passiones mixtorum, imò neque corporum generabilium, nam alteratione perfectiua alterantur etiam cœli, cum illuminantur. Præterea tex 43. lib. 1. de generatione ostendit Arist. se agere de mixtione, vt elementorum generationem declaret; & non è contra, vt volebat Zabarella. inquit enim. *Quoniam oportet primùm de materia, & de vocatis elementis dicere, &c. oportet prius vtique dicere, de quibus indeterminatè dicitur. nunc omnes enim qui elementa generant & qui ea, quæ ex elementis segregatione vtuntur, & congregatione. Est aũt cõgregatio mixtio &c.* Agit igitur de mixtione propter generationem, nõ de generatione propter mixtionem. Tandem Arist. vel ignorauit, se in his libris agere de mixto, vel nobis hanc cognitionem ex malitia inuidit. Nullibi enim mentionem facit de mixto, cum alioqui consuetudo ipsius sit, proponere, de quo sit agendum in suis libris, & in hoc quoque de alijs se acturum promittat. Poterat etiam commodiùs inscribere hos libros de mixto sicut præcedentes inscripserat de cœlo, & sequentes, vel de animalibus, vel de illis rebus, de quibus in ipsis agit.

QVARTA CONCLVSIO.

Subiectum adæquatum horum librorum est *mutatio secundum formam, vt complectitur generationem, alterationem, & accretionem, non autem motum localem.* Dixi, *vt complectitur &c.* propter duo: Alterum est,

vt

vt ostenderem, agi non tantùm in genere de illa mutatione, sed etiam per se de suis illis speciebus. Alterum, quoniam in quæstione positum est, an motus localis sit mutatio ad formam, ne igitur alicui parti præiudicare videar, explicitè volui, ipsum excludere. Probatio huius conclusionis nescio, quæ maior desiderari possit, quàm apertissima Aristotelis authoritas, qui de his ipsis agendum proponit in principio horum librorum, & quòd promittit, exequitur. Et cum verba facturus est de elementis, de actione, passione, & mixtione; in ordine ad hæc ostendit, se de illis acturum, vt patet ex tex. 43. huius primi libri. Inscripsit etiam hos libros *de generatione, & corruptione*; (quam nos sub generatione comprehendimus, sicut etiam diminutionē sub accretione) quare nescio, quomodo clariùs potuerit nobis Aristoteles mentem suam aperire, quidué, eius mente cognita, sit nobis vlterius inuestigandum, cum hac in re non tantùm eius scientia (sicuti in cæteris rebus) fidem nobis faciat, sed etiam eius voluntas, potuit enim pro suo arbitratu hoc, vel illud subiectum in his libris sibi tractandum proponere.

Malui autem dicere mutationem, quàm corpus mutabile, primùm vt Aristoteli concinerem, qui de generatione proponit [illegible] actūrum, de corpore verò generabili numquam mentionem facit. 2. Quoniam non tam demonstrat Aristoteles generationē de aliquo corpore, quàm de ipsá generatione secundum se agit, & eius principia, passiones, & differentias considerat. 3 Quoniam alioqui simili ratione oporteret dicere, non animam esse subiectum in libris de anima, sed corpus animatum: quod falsum esse, ex eo colligitur, quod corpus animatum complectitur etiā libros de animalibus, vt aduertit Hieronymus Dandinus in sua præfatione ad libros de corpore animato. In libris etiam de somno, & vigilia, de iuuentute & senectute, & alijs similibus eorum subiecta dicenda essent Animal dormiens, & vigilans, iuuenc, & senex &c. quod est præter omnium opinionem. Denique potest dari scientia saltem partialis de generatione, cur enim non poterit quis proponere sibi explicandam generationem secundum se? quamuis enim non possit adæquate cognosci sine ordine ad corpus generabile, nō tamen ob hoc necesse est, eam semper cōsiderari sub hoc ordine, ita vt subiectum illius considerationis non sit ipsa generatio, sed corpus generabile, quia tunc corpus generabile poterit considerari, vt aliquid spectans ad generationem, nō autem tamquā subiectum adæquatum, sicut etiam in multis alijs accidentibus contingit, quæ secundum se quidem considerantur, non tamen sine ordine ad ipsorum subiectum, si perfectè, & adæquate cognosci debent. Ita. n. in Theologia fides, gratia, & virtutes considerantur, in philosophia respiratio, sómnus, vigilia, &c. Cùm igitur cōsiderari possit generatio secundum se, cur negabimus, hoc factum esse in his libris, in quibus nulla facta mentione de corpore generabili, proponit Arist. de generatione sibi agendum?

QVINTA CONCLVSIO.

Ratio formalis, sub qua consideratur prædicta mutatio secundùm formam, est, vt passio corporis naturalis. Probatur hæc conclusio; quia si consideraretur absque hoc ordine, sed vt habet propriam naturā tan-

tàtùm, vt existimat Zabarella, seque tetur, hos libros nō esse partem Philosophiæ naturalis; Pars enim dicit ordinem ad totum, si autem hi libri considerant suum ipsorum subiectū absque ordine ad subiectum totius philosophiæ; ergo nullum habent ordinem ad ipsam philosophiam; ac proinde pars eius esse non possunt.

Obijci tamen nobis potest argumentum, quod maximi facit Zabarella cap. 17. *de naturalis scientiæ constitutione*, & inquit, pluribus eruditis viris se obiulisse, neminemque reperisse, qui bene soluerit. Est autem huiusmodi. Efficax semper est illatio à *quatenus ipsum* ad *De omni*, si enim homo quatenus animal sentit, necesse est, vt omne animal sentiat; ergo si in his libris agitur de generatione, quatenus est passio corporis naturalis, sequitur, vt de omni eius passione hic agi debeat, quod est falsū.

Respondetur, Hanc illationem à *quatenus ipsum* ad *De omni*, nisi rectè intelligatur, non semper esse veram, quod multis exemplis ostendo. Video ego hanc paginam quatenus coloratam, neq; tamen sequitur, quòd videam omne coloratum. Comburit ignis hanc stuppam quatenus combustibilem, neque tamen rectè inferas, ergo comburit omne combustibile. Agit Theologus cū D. Thoma in eius prima parte de Angelis, quatenus reuelati nobis sunt, neque tamen rectè colliges, ergo in ea parte, in qua agit de Angelis, agit simul de reliquis omnibus reuelatis. Considerat Medicus corpus humanum quatenus sanabile, neq; tamen concludere poteris, ergo de omni sanabili etiā irrationali spectat ad ipsum agere. Est igitur inuestiganda ratio, cur non in omnibus locū habeat illa illatio à *quatenus ipsum* ad *De omni.*

Quæ duplex mihi videtur. Prior est, quoniam multa sunt, quæ præter rationem formalem, requirunt etiā aliquam conditionē, vt propinquitatem, siue applicationē, si igitur hæc desit, non valet argumentari à ratione formali, quæ significatur per *quatenus ipsum*, ad omne, in quo illa ratio reperitur. Ita non valet, ignis quatenus combustiuus stuppam cōburit, ergo omne combustiuum id ipsum efficit, potest enim stuppa applicata esse huic tantùm igni, & non alijs. Neque rectè inferes ego tribuo eleemosynam Socrati, quatenus pauper est, ergo tribuo omni pauperi, deest enim conditio, quòd sint præsentes reliqui pauperes, vel aliqua alia; & eadem ratione, videns aliqd quatenus coloratum, non sequitur, vt omne coloratum videat.

Posterior ratio est, quia Aduerbiū *Quatenus* nō semper ita strictè vsurpatur, vt solā, & totā rationē formalem significet, aliquando. n. vsurpatur pro conditione; vt cum dicimus, finis mouet agēs quatenus cognit⁹, aliquādo ꝓ rōne sub qua, vt cū dicimus colore videri quatenus visibilē. Vtraq; aūt ratio potest adhiberi pro responsione ad argumentū Zabarellæ.

Prior quidem, quoniam respōdere possumus, non tractari omnē passionem corporis naturalis in his libris, quia deficit conditio. s. applicatio Aristotelis. sicut. n. video hoc obiectū, & nō aliud, non ꝙ etiā aliud visibile nō sit, sed quia in hoc dirigo obtutū oculorū meorū, ita considerauit Aristoteles in his libris has passiones corporis naturalis, & nō alias, non ꝙ aliæ quoque considerari non possent, sed quia ad has tantū intentionem suam in his libris applicuit.

Posteriori quoque vti possumus, sed priùs notandū est, cùm dicimus, rationem formalem huius obiecti esse, *vt passionem corporis naturalis*,

non ita debere intelligi, quasi tota ratio obiecti formalis in hoc posita sit, vt consideretur vt passio, quia tunc non aliud de mutatione inquireremus, neque sciremus, quàm an esset passio, vel quomodò esset passio, sicuti quia videmus parietem vt coloratum, non aliud in pariete inspicimus, quàm colorem, non ita igitur se habet hæc ratio formalis, vt passio, sed cùm ipsa mutatio secundum formam non tantùm sit materiale subiectum, sed etiam ad formale pertineat (quod in scientijs speculatiuis non esse absurdum, alibi ostendemus) *vt passio* est veluti complementu[m] atque, vt ita dicam, pars formalis ipsius obiecti formalis intrinseca, sicuti tota anima rationalis est forma hominis, & in ipsa tamen distinguere possumus aliquid, quod se habeat vt materia, veluti ratio animæ generica, & aliquid, quod se habet vt forma, nimirum gradus intellectiuus. Vel dicamus: *Vt passionem* esse rationem formalem sub qua, nô verò rationem formalem quæ, & consequenter non esse necesse, vt reciprocetur cum obiecto adæquato scientiæ partialis, sed satis esse, si nô excedat obiectum totius scientiæ, & ab eius ratione formali contineatur, sicuti reuelatio diuina est ratio formalis, sub qua omnia tractantur in Theologia, & sub qua etiam singula, quæ reciprocatur quidem cum obiecto totali Theologiæ, non tamē cum singulis eius partibus; Ita ergo quamuis considerari vt passionem non conuertatur cum subiecto horum librorum, sed ipsum excedat, reducitur tamen ad obiectum physicæ totale, & ad eius rationem formalem. Reliquum est modò, vt argumenta in confirmationem aliarū sententiarum adducta, quatenus cōtra nos militant, diluamus.

Argumenta pro aliorum sententijs dissoluuntur. Sectio III.

Argumentis primæ sententiæ satisfit.

AD primum deductum ex Aristotelis authoritate appellantis hos libros de elementis, resp. Si ex inscriptione desumendum est argumentum, sententiam ferendam pro generatione, & cæteris mutationibus, à quibus frequentior, & absoluta desumitur inscriptio. Dicuntur tamen aliquando de elementis, quatenus in ipsis de elementis agitur quidem, sed quia pertractantur in ordine ad generationem, vt diximus, idcirco non sunt adæquatum ipsorum subiectum; qua ratione secundum quoque argumentum concidit.

Ad tertium respondetur, De elementis per se, quatenus scilicet constituunt simul cum cęlo hoc vniuersum, agi in libris de cœlo, & ita patet quoque ad quartum.

Argumentis pro secunda sententia respondetur.

AD primum respondeo, inscribi hos libros de generatione, non tamquam sit hæc totale subiectum, sed quia est præcipuum; non enim semper à totali subiecto desumi, vel possunt, vel debent librorum tituli.

Ad secundum negamus, proponi considerationem de alteratione, & accretione in ordine ad generationē, immo ex verbis Aristotelis contrarium colligitur, non enim inquit, de generatione agemus, & propterea etiā de augmentatione; sed postquam dixit, de generatione, & eius causis esse determinandum, subiungit. *Amplius autem de alteratione, & augmentatione*; particula enim *amplius*,

plius, est coniunctiua, non illatiua, per se igitur de vtrisque agit, & non de his propter illam.

Ad tertium respondetur, augmentationem esse passionẽ corporis animati, & etiam speciem mutationis secundùm formam, potuit igitur tractari cum subiecto, & cùm genere, sed Aristoteli visum est, tractandam potius cum genere, quia maiorem similitudinem habet cum reliquis eius speciebus, quàm cum subiecto, cuius perfecta cognitio non tam est necessaria ad cognitionem augmentationis, sicuti scientia de eius genere, & consspeciebus.

Ad quartum respondetur, illo argumento rectè concludi, non oportere in hoc opere esse subiectũ corpus generabile, aut naturale, non tamen inde potest concludi, solam generationem, & non reliquas etiam mutationes secundùm formam, esse subiectum horum librorum.

Ad quintum respondetur, Analogiam non repugnare subiecto totali, nedum partiali alicuius sciẽtiæ, alioquin ens non esset subiectum in metaphysica. Neque sequitur; aliqua, quoad esse, sunt analoga, ergo etiam quoad cognosci; quia quãuis, quoad obiectum cognitio debeat adæquari essentiæ, non tamen quoad modum cognoscẽdi obiectum, alioqui enim cum omnia sint propter Deum, omnia deberent in ordine ad Deum cognosci, & vnica esset scientia, nempè Theologia.

Adde, non hic tractari tantùm de mutatione in genere, in quâ analogicè cõueniunt eius species, sed etiam descendẽdo ad singulas eius partes, generationem. s. alterationem, &c. quamuis deinde non omnes species generationis, vel alterationis pertractentur.

Ad argumenta Zabarellæ.

AD primum respõdetur, Verum quidem esse, non agi de elementis per se in his libris, nego tamen, ea considerari in ordine ad mixta, siue vt sunt mixtorum principia, sed vt sunt materia, & principia generationis; apertissimè enim hoc fatetur Aristoteles 2. de generatione tex. 1. inquit enim *Reliquum est considerare circa vocata elementa corporum generatio enim & corruptio omnibus natura consistentibus substantijs nõ sine sensibilibus corporibus.*

Ad secundum respondetur. Non fuisse necesse, peculiarem librum instituere, qui ageret de mixto latè accepto, quia præter ea, quæ de speciebus ipsius, & de mixtione dicuntur, nihil superest de ipso inquirendum: Et cõfirmatur, quia neque de viuente, neque de animali in genere instituit peculiarem disputationem Aristoteles, sed cum tractatione de ipsorum speciebus, etiam generis considerationem commiscuit.

Ad tertium respondetur. Post tractationem corporis simplicis, opus non fuisse, agere de mixto latè accepto ob rationem in superiori responsione allatam. Congruum è contra fuit, vt, postquam primo loco de corpore naturali in communi, & de eius communibus principijs, & passionibus egit; & secundo loco de corpore simplici, & incorruptibili, tertio loco, antequam aggrederetur tractationem corporum mixtorum, & corruptibilium, de generatione, & alijs mutationibus ageret, per quas hæc ab illis differunt; Et quamuis alteratio quædam possit etiam conuenire corporibus incorruptibilib', vt illuminatio; hæc tamen non potuit commodè à consideratione alia-

rum alterationum separari, neq; aliæ à tractatu de generatione, & corruptione.

Ad quartum. Iam diximus in responsione ad quartum pro secunda sententia, rē debere cognosci eo modo, quo est, quatenus spectat ad obiectum cognitionis, non verò quoad modum cognitionis ipsius: Nā etiā mixta ordinata sunt ad homines, vt inquit Aristoteles. 2. Phys. ergo numquam de ipsis ageretur per se, sed homo dicendus esset subiectum in hoc libro, imò in tota philosophia. Adde, ꝙ etiam si tractentur elementa in ordine ad mixta, nō sequitur, mixta esse subiectum illius tractationis, sed finem, sicuti in theologia tractantur omnia in ordine ad Deum, neq; tamen sequitur, vt in tractatu de Angelis non dicantur Angeli esse subiectū illius, & sic de reliquis. Præterea sæpè corrumpuntur, & generantur elementa, & sæpissimè etiam alterātur, absq; eo ꝙ inde sequatur aliqua generatio mixti, ergo mixtorum generatio est finis extrinsecus generationis, & alterationis elementorum, ac proinde hæ mutationes sine ordine ad illam considerari possunt.

Ad confirmationem respōdetur, probare tantùm id, quod nos libenter concedimus, scilicet de elementis non agi per se, sed vt deseruiunt, non quidem mixtis, sed generationi, & corruptioni.

Ad argumenta pro quarta sententia.

AD primum respondetur, partē scientiæ non esse tantùm, quæ agit de parte illius obiecti, sed etiam quę agit de passionibus, quia non minùs passiones, quàm partes obiecti spectant ad scientiam totalem.

Ad secūdum respondetur primū, generationem non esse passionē corporis genetabilis, sed corporis naturalis, sicut risibilitas non est passio hominis risibilis, sed hominis, & quāuis generabile videatur dicere tantū aptitudinem, & generatio actum; attamen cum scientiæ abstrahant ab actuali existentia, idem est dicere, generationem alicui conuenire, atque illud generabile esse, sed neque ipsa generatio actualis est passio corporis generabilis, sed est actus illius potentiæ, sicuti, neq; motus dicitur passio corporis mobilis, sed corporis naturalis, quare ob hanc rationem dicendum esset potiùs, corpus naturale esse subiectum in his libris, quā corpus generabile, quod tamen absolutè non est dicendum, quia cum sit subiectū totius Physices, nō est proprium alicuius partis, quale est, quod nos hic quærimus.

Præterea respōdeo, ad hoc vt aliquid subiectū dicatur alicuius scientiæ, non satis esse ꝙ probentur eius passiones, sed oportet, vt probentur ex eius principijs, & de ipso, hic autem nō probatur hoc pacto generatio, sed deducendo ad inconueniens eos, qui eam negabant, & rationes contrarias soluendo, vt patet in textu. Denique etiamsi generatio probaretur ex principijs ipsius corporis, & de ipso corpore, sequeretur quidem in illa demonstratione, corpus ipsum esse subiectum, at si in eadem scientia aliæ quoque demostrationes fierent, non illud corpus, sed aliud, quod complecteretur omnia, esset assignandum pro obiecto. In libris autem de generatione non tantū probatur generatio esse, sed etiam multa de ipsa generatione, & reliquis mutationibus probantur, potius igitur dicendū est, ipsam generationem, & alias rationes esse subiectum, cū oīa cōplectatur, q̄ illud, de quo probaretur

tur ipsa generatio. Possumus etiam retorquere argumentū quia in his libris agitur de principijs, & passionibus mutationis secundùm formā, ergo hæc est verè subiectū. Dices, cōsideratur hic mutatio, vt passio corporis naturalis. ergo respicitur corpus naturale vt subiectū. Resp. aliud esse subiectū rei, aliud scientiæ; concedo, respici corpus naturale, vt subiectū rei. s. generationis, non verò vt subiectū scientiæ, seu vt subiectū totius, non autē partis, de qua nunc agimus, quamuis enim quod est subiectum totius scientiæ, sit etiam omnium partiū, tamen est præterea assignandū peculiare cuiuslibet partis subiectum, & hoc dicimus nos, in his libris esse mutationem secundùm formam.

Ad tertium, & quartum patet ex his, quæ diximus in responsione ad secundum, & tertium Zabarellæ.

Ad quintum respondeo. Aristotelem non loqui de scientia, quæ plures demonstrationes complectatur, sed de ea, quæ gignitur per vnicam demonstrationem à priori, & propter quid, in hac.n. si volumus probare passionem de subiecto, oportet, supponamus, subiectum esse, & cognoscamus etiā eius essentiā. Exempli causa si volo demonstrare risibilitatem de homine, oportet me supponere hominem esse, & esse rationalem, tunc.n. ita argumētabor. Omne rationale est risibile, homo est rationalis, ergo est risibilis. At verò nos non hic loquimur de scientia tā strictè sumpta, sed prout complectitur totam tractationem de aliqua re, & in hac dicimus, probari posse saltem à posteriori, vel per deductionē ad inconueniens subiectum illius, sicuti in theologia probatur esse De⁹, quare non propter hoc, quòd generatio probatur in his libris, est ab eorum subiecto excludenda.

Noto tamen hoc, quod à recentioribus dici solet, corpus generabile, siue mobile secundùm formam esse subiectum in his libris, probabiliter defendi posse, si velint, mobile, vel generabile non cōplere rationē subiecti, vt subiectū est, sed tātùm declarare, & coarctare ipsum corpus, quod alioqui excederet facultatem scientiæ, ita vt corpus quidem naturale sit subiectum, non tamen in sua latitudine sumptum, sed vt substat generationi, & vt de eo demonstratur generatio, siue mobilitas, sicuti in demonstratione, qua probatur homo esse risibilis, subiectū est homo, non quidem secundùm omnia, quæ in eo sunt, cōsideratus. quia excedit scientiam, quę habetur per illam demōstrationem, neq; vt risibilis, quia risibilitas non demonstratur de homine risibili, sed est homo; vt substat risibilitati. Dici quoq; non improbabiliter posset, corpus naturale esse simpliciter subiectum in his libris, neq; esse vllum inconueniens, quòd scientia partialis excedatur à suo subiecto, nam ob hoc dici videtur partialis, quia non totam naturam subiecti explicat. Magis tamen placet, quod supra diximus, mutationem secundū formā esse subiectum, tum quia multa de ea secundùm se traduntur; tum etiam quia per eam subiectum horū librorum discernimus ab aliorū librorū subiectis, neq; tamen excludimus corpus naturale, quatenus subiectum totale Physices, quia dicimus, tractari hanc mutationem vt passionem ipsius. Et hæc sufficiant de subiecto horum librorum, cum multa de subiecto totius Physicę in principio librorum, qui Physici absolutè appellantur, supponi debeant, & nō hic denuo examinari.

De

De necessitate, & vtilitate huius scientiæ.

QVÆSTIO V.

Videri posset superflua hęc scientia, nam certò certius est, & experimentis nimis constat, dari in rerum natura mutationes, tum substantiales, tum etiam accidentales, de quibus in ea agitur. Attamen dicendum est, eam necessariam esse, tum ad explicandas naturas harum mutationum, tum etiam ad earum existentiam à calumnijs vindicandam, cum, vt refert Aristoteles in primo capite primi libri, non defuerint, qui eas negarint, vel saltē ita eas confuderint; vt earum species diuersas non distinxerint. Accedit, quòd illi quoque, qui eas admiserunt, tenuiter, & valde imperfectè eas pertractarunt, quapropter, vt exactam earum cognitionem haberemus, meritò Aristoteles de ipsis disputationem ex professo instituit.

Huius porrò scientiæ vtilitas declarari potest, tum in ordine ad speculationē, tum in ordine ad praxim. Ad priorem apprimè vtilis est, quoniam ipsarum mutationum beneficio distinctiones rerū cognoscimus, vt formæ à materia, accidentium à subiecto, & accidentium inter se, sine quibus nulla pars Philosophiæ consistere posset. Ad posteriorem, scilicet ad praxim, quamuis vtilis nō videatur, quia cum sit scientia speculatiua, propter se expetitur, non autem propter aliquam operationē, fructibus tamen non carebit, qui eos ab ipsa requiret. Nam & medicinę, quæ tota circa alterationes, concoctiones, & his similia versatur, maximo erit adiumento; Et morali non paruam sementem vtilissimorū præceptorum suppeditabit, cum, sub sole, & luna omnia caduca, & mutationibus obnoxia docebit. Interitum vnius esse alterius ortum: Non semper res augeri, sed post determinatū augmentum iterum decrescere: Omne agens in agendo repati: Simile non pati à simili: Ad præsentiam vnius contrarij alterum roborari, & id genus alia demonstrabit, ex quibus non ineptè plures conclusiones moribus componendis accommodatas elicere poterit Philosophus moralis.

De huius scientiæ præstantia, & nobilitate.

QVÆSTIO VI.

Ex tribus maximè capitibus colligi potest alicuius scientiæ pręstantia, & nobilitas. Primum est latitudo extrinseca, quò enim vniuersalior est scientia, & plura complectitur, eò nobilior censetur. Secundum est modus procedendi, ex quo certitudo, & euidentia oritur. Tertium, & potissimum est obiecti præstantia, cum ex subiecto scientiæ natura præcipuè, & maximè depēdeat.

Quòad primum sicut præstat hæc scientia libris omnibus de animalibus, & de mixtis, ita octo libris Physicorum, in quibus de corpore naturali in communi agitur, priorem locum non inuita concedit. Altercatio tantùm esse posset cum libris de cœlo, in quibus de simplicibus corporibus agitur. Sed facilè hæc lis componi poterit, si dicamus, in magnitudine quidem obiecti libros de cœlo excedere, in multitudine verò hos de generatione; Nam nullum corpus corruptibile cœlorum molem ęquat, longè tamen plura sunt generabilia, & corruptibilia, quàm sint

corpora

corpora simplicia. Fortè tamen dicet quis, etiam corpora simplicia ambitum subiecti librorum de generatione continere, quia alterantur saltem perfectiua alteratione; Verùm, cùm non agatur de hac hic per se, sed quatenus tantùm separari non potest à consideratione cæterarum alterationum, à prolata sententia nō videtur recedendum.

Quoad secundum. Modus procedendi in his libris est ille idem, quē obseruauit Aristoteles in reliquis omnibus de Physico auditu, quare non est, cur propter hoc vnum alteri pręponamus; Comparatio autem inter hunc, & reliquos non Physicos, non est præsentis instituti, quia in tractatione scientiæ totalis locum sibi vendicat proprium.

Quoad tertiū. Omnibus ferè alijs Physicis libris videtur inferior esse hæc scientia, quoniam pro subiecto sibi vendicat mutationes, quæ sunt minimæ entitatis, cum reliqui libri aliquod corpus, vel substātiam considerent, vt libri de cœlo, de anima &c. contra verò actus secundus videtur nobilior primo, cum sit eius finis, mutationes autem, de quibus hic agitur, sunt actus secundi, ergo videntur esse nobiliores subiectis aliarum scientiarum, quę considerant actus primos. Præterea accidentia nobilitatem trahunt ex subiectis, & mutationes ex terminis, cum igitur generatio, & reliquæ mutationes, de quibus in his libris agitur, habeant pro subiecto, & termino substātiam, & hanc nobilissimam, cum complectatur etiam animalia, & ipsum hominem, videntur, & ipsæ eadem nobilitate præditæ esse.

Verùm non est in his discutiendis tempus amplius terendum, & breuiter dicendum videtur, si conferantur hi libri cum scientia de anima, vel de animalibus, ignobiliores prorsus esse, sicut nobilior est substantia suo accidente, & passione: Si cum libris de cęlo, & vincere, & vinci; vincere, quatenus agūt de rebus, quę ad gradus viuentium attinent: vinci, quatenus cœlum, vt substantia, est nobilior accidente, & mutatione, Si comparentur autem cum octo libris Physicorum, idem ferè dicendum, quatenus in illis agitur quidem de substantia, sed tam abstractè, vt gradus viuentium non attingantur.

Disputant hic etiam nonnulli, an motus cœli sit nobilior generatione, quæ tamen quæstio non videtur huius loci propria, sed potius octaui Physicorum, in quo agit Aristoteles de nobilitate motus localis, sed quoniam incidit ipsius mētio, dicamus, simpliciter esse nobiliorem generationem, quia habet terminum nobiliorem, nempè substantiam. Qui plura de hac quæstione requirit, videat Dominicum Bannes in quæstione præmiali ad hos libros, & nostram disputat. 2. quæst. 28. 54.

De Inscriptione, ordine, & diuisione horum librorum.

QVÆSTIO VII.

BReuiter hęc omnia expediemus, nam & facilia sunt, & ex supradictis, quid de eis sit dicendum, manifestè apparet. Inscriptio igitur est, *De generatione, & corruptione*, non quòd hæ sint totale subiectum, sed quia sunt præcipuum; Omissæ sunt autem cæteræ mutationes breuitatis causa, neque enim vno verbo poterāt omnia commodè comprehendi.

Ordo ita dispositus est, vt proximè sequantur libros de cęlo, & meritò. Postquam enim Aristoteles de corpore naturali in communi egit, descen-

descendit ad minus communia, quæ sunt corpora simplicia, & cōposita, & quia simplicia sunt priora, de his egit in libris de cœlo, aggressurus autem tractationem compositorū, prę mittit libros de generatione, in quibus de mutatione secundùm formā, quæ est omnibus illis communis, & partim etiam conuenit corporibus simplicibus, agitur.

Quoad diuisionem, & ordinē intrinsecum horum librorum. In priori libro agit Aristoteles de generatione, corruptione, alteratione, atq; augmentatione, nec non de quibusdam alijs, sine quibus illæ fieri non possunt, videlicet de actione, & passione, de contactu, & de mixtione. In posteriori verò cōsiderat quatuor elementa, non solùm prout ipsa gignuntur, & intereunt, sed etiam vt mixtis materia sunt, & occasio mutationum. Vel dicamus, in priori libro explicasse Aristotelem rationem formalem mutationum, in posteriori verò cæteras causas, finalem, scilicet, materialem, & efficientem.



ARI-

ARISTOTELIS STAGIRITAE PERIPATETICORVM

Principis de Generatione, & Corruptione.

LIBER PRIMVS.

SVMMAE LIBRI.

In prima de Generatione,& alteratione sermonem facit.
In secunda de Augmentatione.
In tertia de Tactu,de ipso Agere,& Pati & de Mistione.

Summæ primæ Caput primum. Quæ sit libri intentio. Deque generatione & alteratione antiquorum sententiæ,

Tex. 1. *DE Generatione autem,& Corruptione autem, quæ natura generantur, & corrumpuntur,similiter de omnibus & causas diuidendũ, & rationes eorũ determinandum. Amplius autem de alteratione, & augmentatione, quid vtrũque; & vtrũ existimandum sit eandem esse naturam generationis, & alterationis, an semotam,vt distinctum est & nominibus. Antiquorũ igitur, hi quidem vocatam simplicem generationem esse inquiunt alterationem, hi verò alteram generationem,& alterationem.* Genera tio,& alteratio non idē. *Quicumque enim vnum aliquod dicunt esse vniuersum, & omnia ex vno generant, his quidem vtique necesse est generationem alterationem dicere, & quod propriè sit alterari. Quicunque autem plures materias vnà ponunt, vt Empedocles,& Anaxagoras, & Leucippus,his alterum. Sed tamen Anaxagoras propriam vocem ignorauit. dicit enim quod fieri,& destrui,* idē constitit ipsi alterari. multa autem esse dicit elementa, quemadmodum & alij. Empedocles enim corporea quidem quatuor, omnia autem cum mouentibus sex numero: Anaxagoras autem,& Leucippus, & Democritus infinita. Sic enim ea, quæ sunt similium partium, elementa ponit,vt os,carnem,medullam,* & alia,quorum(vniuscuiusque vniuo ca pars est. Democritus autem, & Leucippus ex corporibus indiuisibilibus alia componi inquiunt. hæc autem infinita & multitudine, & formis esse ipsa autem à seipsis differre his, ex quibus sunt, & positione, & ordine horum. Contrarie autem videntur dicere Anaxagorici Empedocleis. Hi*

* τῷ ἀυτῷ καθεστάναι. τῷ ἀλλοιοῦσθαι.

* a l. al dis neruum.

enim inquiunt ignem, & aquam, & aerem, & terram elementa quatuor, & simplicia esse magis, quàm carnē, & os, & talia similium partium. Illi autem hæc quidem simplicia, & elementa esse, terram autem aquam, & ignem, & aerem composita. om ni seminarium enim esse horum. *Iis igitur, qui ex vno omnia constituūt, necesse est dicere generationē, & corruptionem alterationē. semper enim subiectum manet vnum, & idem: tale autem alterari dicimus. Iis autē, qui genera multa faciunt, differre à generatione alterationem, coeuntibus enim, & dissolutis, generatio contingit, & corruptio. ideo dicit Empedocles hoc modo,* ꝙ nullius natura est, sed solum mistio, & fœdus mistorum. *Quòd igitur proprius sit sermo eorum suppositioni ita loqui, manifestum est, & quòd dicunt hoc modo. Necesse autem est & his dicere generationem esse aliquid præter alterationem. impossibile tamen est secundum ea, quę ab eis dicuntur. Hoc autem, quod dicimus rectè, facilè est videre. quemadmodum enim videmus, quiescente substantia, in ea transmutationē fieri secundum magnitudinem, quæ vocatur augmētatio, & diminutio sic, & alterationem. sed tamen, ex quibus dicunt, plura principia facientes vno, impossibile est alterari; passiones enim, per quas hoc dicimus contingere, differentiæ elementorum sunt. dico autem, vt calidum frigidum, album nigrum, siccum humidum, molle durum, & aliorum vnūquodque. vt inquit Empedocles,*

*πανσπερμίαν.

In alteratione semper subiectū manet vnū & idem.

» Solem album videri, & calidum omniquaque: Imbrem autem in »
omnibus caliginosum, & rigidū. »

similiter autem determinat, & in reliquis. Quapropter, si non sit possibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum erit aliquid, neque ex molli durum, eadem autem ratio, & de alijs. hoc autē erat alteratio. An & manifestum est quòd semper vnū contrarijs supponendum materiam, siue trasmutetur secundum locum, siue secundum augmentationem, & diminutionem, siue secundum alterationem. Amplius autem similiter est necesse esse hoc etiam alterationem. si.n. alteratio est, & subiectum vnum elementum, & vna omnium materia habentium adinuicem transmutationem: &, si subiectum vnum est, alteratio est. ¶ *Empedocles igitur ipse videtur contraria dicere, & ad apparentia, & ad seipsum. Simul enim nō dicit alterum ex altero fieri elementorum vllum, sed alia omnia ex his. simul autem, in vnum cū iunxerit naturam omnem, præter litem, ex vno fieri rursus vnūquodq;, ita, vt ex vno aliquo per differētias, scilicet quasdam separatis, & passiones, factum sit, hoc quidem aqua, illud autem ignis, quemadmodū dicit. Solem album, & calidum: Terram autem graue, & durum. Ablatis igitur his differentijs (sunt enim auferibiles genitæ) manifestum est, quòd necesse est fieri, & terram ex aqua, & aquam ex terra. similiter autem & aliorum vnumquodque: & non tunc solum, sed & nunc, cum transmutantur passionibus. Sunt.n. ex quibus dicit Empedocles, possibiles*

Vnum semper contrarijs supponēdū materiā.

Tex. 2.

biles aduenire, & separari rursus, presertim aduersantibus adinuicem adhuc lite, & amicitia. ideoque & tunc ex vno generata sunt. non enim ignis, & terra, & aqua, existentia adhuc, vnum erat omne. Tex. 3 ¶ *Incertum autem, & vtrum principium ipsorum ponẽdum vnum, an multa. dico autem ignem, & terrã, & coordinata horum. secundum enim quòd vt materia supponitur, ex quo mutata per motum fiunt ignis, et terra, & aqua, vnum est elementum: secundum autem quòd hoc quidem ex compositione fit, coeuntibus illis, illa autem ex dissolutione, magis elementa quatuor illa, & priora natura.*

PROPOSITIONES ex capite primo.

t. 1. 1 *De mutatione rerum naturalium secundum formam, idest de generatione, corruptione, augmẽtatione, & alteratione agendum est in his libris; & vtrum alteratio à generatione distinguatur cõsiderandũ.*

2 *Qui vniuersum vnicum quid statuunt, generationem tollunt, & corruptionem, & solam alterationem admittunt.*

3 *Qui plura principia ponunt, generationem ab alteratione secernant, oportet.*

4 *Vnum, & idem manet sub vtroque termino mutationis, quod alterari dicitur.*

5 *Transmutatio secundum magnitudinem, vel qualitatẽ fit, quiescente substantia.*

6 *In omni mutatione subiectum oportet supponere contrariorum susceptiuum.*

7 *Omnium, quæ inuicem transmutantur, vna est materia.*

8 *Compositio prior est natura, quàm dissolutio.* t. 3.

NOTATIONES.

In prima propositione. Veritas huius propositionis, quoad priorem partem, quæstione 4. examinata est, posterior autem, in qua proponitur videndum, an alteratio differat à generatione, est veluti corollarium præcedentis, Si enim de generatione, & alteratione agendũ erit; vtiq; etiam consequenter videndum, an inter se differant re, vel nomine tantùm, ordinem tamen videtur inuertere Aristoteles, quia cum in vltimo loco proponat vidẽdum, an generatio ab alteratione differat, hoc deinde ante omnia discutit; Sed meritò, quia non potest aliquid rectè definiri, nisi prius distinguatur; adde, quòd frustra quæreretur, quid esset generatio, nisi constaret, ipsam in mũdo reperiri, idem autem est quærere, an generatio detur, atque an ab alteratione differat.

In 2. propositione. Non videtur necessariò consequens, vt qui vnum ens vniuersum statuunt, tollant omnem generationem, & corruptionẽ; quoniam ipsum ens, dicent aduersarij, corrumpi, & gigni: sicuti de ipso vniuerso multi Philosophi tradiderunt. Responderi potest, vel Aristotelem non loqui de prima illa generatione; sed de illis, quæ nunc fiunt in mundo, vel supponere, quod aliàs demonstrasse, sibi persuasit, mundum esse æternũ, vel denique, quòd si vniuersum esset vnicum ens, non daretur, à quo posset gigni, vel corrumpi. Dubitari præterea potest, quia ex eodem principio non tantùm generatio; sed etiam alteratio auferenda videtur; nam per altera-

tionem quoque fit aliquod ens, scilicet accidentale, at si vniuersum est vnicum ens, nullum poterit fieri ens de nouo; ergo tum generatio, tum alteratio tolletur. Respondeo ex Aristotele, per vnum quid intelligi nō vnum ens quomodocumq; sumptum, sed vnam substantiam, & vnū suppositum, quod pluribus accidentibus esse potest affectum, & consequenter alterari potest.

In 3. propositione. Non videtur necessaria consequentia, quā in hac propositione affert Aristoteles. nam posset aliquid constare ex pluribus principijs; & tamen numquam corrumpi, sed tantùm alterari, sicuti cœlum ex materia constat, & forma; & tamen per Aristotelem est ingenerabile, & incorruptibile. Respōdeo, Aristotelem per plura principia intelligere ea, quæ eo modo concurrunt ad productionem, quo elementa admista, quæ si quis concedat, admittat etiam, oportet, generationē, quia huiusmodi principia debent esse substantiæ, quod autem ex ipsis resultat, non potest esse nisi substantiale, & consequenter per generationē fieri, in alteratione enim vnicum datur principium substantiale. Ad instantiam de cœlo. Respōdeo, non concludere, quia cœlum non fit de nouo, & Aristoteles argumentatur supponēs, multa fieri de nouo, vt experientia constat, & inquit, quòd si hæc, quæ fiunt de nouo, multis principijs constant, oportet, ea gigni, & non tantùm alterari, nam & cęlū si de nouo fieret, gigneretur.

In 4. propositione. Idem dicitur manere, quod alteratur, secundum esse simpliciter, & substantiale: nam idem non manere quoad accidētia, ex ipsa alterationis voce satis cōstat.

In 5. propositione. Difficultatem patitur hæc propositio, nam magnitudo non videtur posse acquiri sine substantia, non enim fit augmentatio sine nutritione, & quamuis etiā non acquireretur noua substantia, tamen oporteret, ipsam substantiam extendi, & moueri localiter: ergo non quiescit. Respōdeo, in augmentatione formaliter nullam fieri acquisitionem substantiæ, vt in quæstione de augmentatione probabimus, quo ad motum verò localem, siue extensionis. Respondeo, hunc non tollere quietem substantię, quia hæc semper dicitur quiescere, dum non mutatur substantialiter.

In 6. propositione. Cōtraria, quorum dicitur hic subiectum esse debere susceptiuum, non debent strictè intelligi; sed largo modo, nam & sufficiunt opposita priuatiua, vt lux, & tenebræ, & etiam termini incompossibiles, ad hoc enim, vt quis localiter moueatur, sufficit, vt sit receptiuus diuersorum vbi, quę tamen non habent inter se oppositionem verè contrariam.

In 7. propositione. Ratio huius dicti est perspicua, quoniam in trāsmutatione remanet idem subiectum sub vtroq; termino, oportet igitur, vt termini transmutationum eandē habeant materiam, nota tamen, non idcircò verum esse cōtrarium, quòd scilicet eorum, quæ non transmutantur, debeat esse diuersa materia, quia quamuis ad transmutationē requiratur eadem materia, non tamen est causa sufficiens. consequenter etiā si duo habeant eandem materiam, poterit tamen aliunde impediri eorum transmutatio, vt alias diximus in quæstione de materia cœli.

In 8. propofit. Omni difficultate caret hæc propositio, quia non potest dissolui, nisi id, quod prius fuerit compositum, vt patet.

De

CAP. II.

De quo tractandum sit in hoc libro. Quòd non dentur indiuisibiles magnitudines. Quod Generatio non necessariò fiat per congregationem, & segregationem: & ideò generationem non esse alterationem.

Tex. 4.

Omninò itaq; de Generatione, et corruptione simplici dicēdum est, vtrum est, aut non est, & quomodo est, & de alijs simplicibus motibus, puta de augmētatione, & alteratione.

Tex. 5.

*¶ Plato igitur solum de generatione scrutatus est, & corruptione quomodo existant in rebus; & de generatione nō omni, sed de ea, quæ est elementorū: quomodo autē carnes, aut ossa, aut aliorum quid taliū, nihil. Amplius, neque de alteratione, neq; de augmentatione quomodo existant in rebus. Omninò autem * prҿter ea, quæ superficie tenus, de nullo aliquis institit, præter Democritū hoc autem videtur quidē de omnibus curasse, * iam verò in eo, quod est quomodo, differt. De augmentatione enim nullus quidem determinauit (vt dicimus) quod non & quiuis dicat, quòd aduenientē simili, augmentantur. quomodo autem hoc, nō vltra, neq; de mistione, neq; de aliorum, vt ita dicā, vllo, vt de ipso agere, aut ipso pati, quomodo hoc quidem agit, illud verò patitur secundū naturales factiones. Democritus autem, et Leucippus, facientes figuras, alterationem, & generationē ex his faciunt segregatione quidē, & congregatione generationem, & corruptionem: ordine autem, & positione alterationem. Quoniam autem existimabant verum esse in apparendo, contraria autem, & infinita sunt ea, quæ apparent, figuras infinitas fecerunt, ita, vt transmutationibus ipsius compositi idem contrarium videatur alij, & alij, & transmutetur paruo immisto, & omninò aliud appareat vno trāsmutato ex eisdem.n. Tragœdia, & Comœdia fit literis.*

* παρὰ τὰ ἐπὶ πολλῆς.

* a. l. addit hæc verba, Et principia supposuisse, quæ, ad omnia accommodari possunt, & ad alios motus.

Tex. 6.

¶ Quoniam autem videtur ferè omnibus esse aliud generationem, & alterationem, & generari quidem, & corrūpi, quæ congregantur, & disgregantur, alterari autem mutatis passionibus, de his insistentes speculari oportet. Dubitationes autem habent hæc, & multas, & rationabiles. Nam, si generatio est congregatio, multa accidunt impossibilia. Sunt autem rursus rationes aliæ cogentes, nec faciles, vt dissoluatur, quod non contingit aliter se habere, si generatio nō sit cōgregatio, aut omninò non est generatio: aut, si est, alteratio est. An, etsi hoc dissoluere sit difficile, tentandum?

Tex. 7.

¶ Principium autem horum omnium est, vtrum sic & generantur, & alterantur, & augmentantur ea, quæ sunt, et his cōtraria patiuntur, primis magnitudinibus existentibus indiuisibilibus: aut nulla est magnitudo indiuisibilis. differt.n. hoc plurimum. Et rursus, si magnitudines impartibiles, vtrum, vt Democritus, & Leucippus, corpora hæ sunt: an, vt in Timæo, plana. Hoc igitur ipsum, vt, & in alijs diximus, irrationabile est vsq; ad plana dissoluere.

uere. quapropter magis rationabile fuerit, corpora esse indiuisibilia. Sed & hæc multam habent irrationabilitatem. attamen & hos alterationem, & generationem contingit facere, vt dictum est, versione, & contactu transmutantes idem, & figurarum differentijs. quod quidem facit Democritus: quapropter & colorem non dicit esse: versione enim colorari. ijs autem, qui in plana diuidunt, non amplius. nihil enim fit, præter solida, compositis secundum latitudinem passionem enim non possunt generare aliquam ex ipsis. Causa, quare minus possint confessa videre, inexperientia est. quapropter quicunque magis versati sunt in naturalibus, magis possunt supponere talia principia, quibus multa possunt complicare. qui autem ex multis rationibus minimè contemplatiui existentium sunt, * ad pauca inspicientes, facilius enunciant.

* Ad pauca inspicientes de facili enunciant

Tex. 8.

¶ Videbit autem quis & ex his, quantum differūt qui Naturaliter, & qui Logicè considerant. De eo. n. quod est, indiuisibiles esse magnitudines, hi quidem inquiunt, quòd * ipse triangulus multa erit. Democritus autem videbitur vtiq; proprijs, ac naturalibus rationibus persuaderi. Manifestum autem erit quod dicimus, procedentibus. Habet enim dubitationem, si quis ponat corpus quoddam esse, & magnitudinem omniquaque diuisibilem. & hoc possibile. quid enim erit, quod diuisionem effugit? Si enim omniquaque diuisibile est, & hoc possibile sit, siue simul sit hoc omninò diuisum (& si nō simul diuisum sit) siue hoc fiat, nullum erit vtique impossibile. quapropter & secundum ipsum medium similiter. & omninò etiam, si omni ex parte natura est diuisibile, quãuis sit diuisum, nullum erit impossibile factum. quoniam, neque si in decem millia decies millies diuisa fuerint, vllum est impossibile: & si forsitan nullus vtique diuidet. Quoniã ergo omniquaque tale est corpus, diuidatur. quid igitur erit reliquum? magnitudo? non enim est possibile. non erit quippiam non diuisum: erat autem omniquaque diuisibile. At verò, si nullum erit corpus, neque magnitudo, diuisio autem erit, aut ex punctis erit, & sine magnitudine ea erunt, ex quibus componitur, aut nihil prorsus, quare, & si generabitur ex nihilo, & si erit compositum, & ipsum vtiq; vniuersum nihil, nisi apparens. Similiter autem & si fuerit ex punctis, non erit quantum. Quando enim tangebãt se in vna magnitudine, & vna erat magnitudo; & simul erant, nihil faciebant maius ipsum totū: diuisio enim in duo, vel plura, neque maius, neq; minus est ipsum totum, quam prius, quare si etiam omnes simul positæ fuerint, nullam facient magnitudinem. Sed & si quid, veluti rasura, diuiso corpore, fit, & sic ex magnitudine corpus quoddam abit, eadem ratio, illud quomodo diuisibile. Si verò non sit corpus, sed forma aliqua * separabilis, aut passio, quod recessit, & est ipsa magnitudo puncta, vel tactus hoc patientes, inconueniens est ex nō magnitudinibus magnitudinem esse. Amplius autem vbi erūt, & immobilia, aut mota puncta? tactusque semper

* αὐτοτρίγωνον.

Magnitudo an omni quaque diuisibilis.

per vnus duorum quorundam, tamquam existente aliquo præter tactũ, & diuisionem,& punctum. Si itaque quis ponat quoduis, aut quantumuis corpus omniquaque diuisibile,hæc omnia accidunt. Amplius si, eum diuisero, composuero lignum, aut aliquid aliud, rursus æquale,& vnum erit.igitur sic se habet,vt patet, etiam si incidero lignum secundum quodcunque signum.omniquaque igitur diuisum est potentia.quid ergo erit præter diuisionẽ? Si enim & est aliqua passio, at quomodo in hæc dissoluuntur,aut generantur ex his, aut quomodo separantur hæc? Quapropter, si quidem est impossibile ex tactibus,aut punctis esse magnitudinem, necesse est corpora indiuisibilia esse, atque magnitudines. At verò,& hæc ponentibus non minus accidit impossibile, cõsideratum autem est de his in alijs.

Tex. 9. ¶ Sed hæc soluere tentandum est: quapropter rursus à principio dubitationem dicere oportet. Omne igitur corpus sensibile,esse diuisibile secundum quodcumque signum, et indiuisibile,nõ est absurdum hoc enim potentia diuisibile, illud verò actu existit: esse autem simul omniquaq; diuisibile potentia, impossibile videbitur esse. Si enim possibile,& si fiat non tamen vt si simul ambo actu, indiuisibile, & diuisum,sed diuisum secundum quoduis signum:nihil igitur er t reliquum, & in incorporeũ corruptum erit ipsum corpus, & generabitur vtique rursus, aut ex punctis, aut omninò ex nihilo. & hoc quomodo erit possibile? At verò, q̃d diuidatur in separabiles, & semper in minores magnitudines, & in semotas, & separatas, manifestum est. Neque itaque successiue diuidenti erit infinita in minutas partes sectio, neque simul possibile est esse diuisum secundum omne signum (nõ enim possibile est:) sed vsque ad aliquid. Necesse est igitur insecabiles inesse magnitudines inuisibiles; & præsertim, si erit generatio, & corruptio hæc quidem segregatione, illa verò congregatione. Ratio igitur quæ cogere videtur esse magnitudines insecabiles,hæc est. Quod autem latet obratiocinans,& qua latet dicamus. Quoniam enim non est punctum puncto contiguum, esse omniquaque indiuisibile, est quidem vt inest magnitudinibus, est autem vt non. Videtur autem,quando hoc positum fuerit,& vbique, & omni in parte punctum esse. quare necesse est diuisam esse magnitudinẽ ad nihil. Vbique enim esse punctum, quare aut ex tactibus, aut ex punctis esse. Hoc autem, vt inest, in omni parte est, quia vnum vbique est, & omne vt vnumquodque. plura autem vno non sunt: consequenter enim non sunt: quare non omni in parte.Si.n. secundum medium est diuisibilis, & secundum contiguum punctum erit diuisibilis. hoc autem non: non enim est contiguum signum signo,aut punctum puncto, hoc autem est diuisio, aut compositio. Quare est & congregatio,& segregatio, sed neque in impartibilia, & ex impartibilibus (multa enim sunt inconuenientia) neque ita, vt omni in parte diuisio facta sit: (si enim esset contiguum punctum puncto, hoc vtique esset) sed

sed in parua, & minora est segregatio, & congregatio ex minoribus.

Tex.10 ¶ *Sed non simplex, & perfecta generatio congregatione, & segregatione determinata est, vt quidam inquiunt: eam verò quæ in continuo est, transmutationē, alterationem. Sed hoc est, in quo errant omnia, est enim generatio simplex, & corruptio non congregatione, & segregatione, sed cum mutatum fuerit ex hoc in hoc.* * *Alij autem putant alterationem esse omnem talem mutationem. Hoc autem differt. nā in subiecto, hoc quidem est secūdum rationem, illud autem secundum materiam. Quando igitur in his fuerit transmutatio, generatio erit, aut corruptio, quando autem in passionibus, & secundum accidens, alteratio. Quæ autem segregantur, & congregantur, facilè corruptibilia fiūt. si enim in minores aquas aqua diuisa sit, citius aer generatur: si autem congregata sit, tardius. Magis autem erit manifestum in sequentibus, nunc autem tantum determinatum sit, quòd impossibile est generationem esse congregationem, qualem quidam inquiunt.*

Generatio, & corruptio an alteratio, et quatenus *a l additis notā.

PROPOSITIONES ex Secundo Capite.

t. 5. 1 *Augeri res accessu rei similis, quis dicet.*

2 *Contraria, & infinita sunt, quæ diuersis vera apparent.*

t. 7. 3 *Magnitudinem ita dissolui posse, vt ad superficies indiuisibiles deueniatur, irrationabile est.*

4 *Rationabilius est, ponere atomos, vt Democritus, & Leucippus fecerunt, quàm corpora diuidi in superficies, vt Plato.*

5 *Causa cur à multis ea, quæ clara, & in confesso sunt, non videantur, est experientia expertem esse.*

6 *Qui è multis rationibus, quæ nam vera sint, perpendere non consueuerunt, ad parua respicientes, facilius enunciant.*

7 *Dupliciter aliquid considerari potest, naturaliter, & logicè, estque prior illa consideratio, propterea & melior.* t. 8.

8 *Si possibile reducatur ad actum, nullum sequetur impossibile.*

9 *Quod ex nihilo componitur, nihil quoque esse, necesse est.*

10 *Quod ex punctis conflatur, quantum non est.*

11 *Indiuisibilia addita magnitudini, ipsam non efficiunt maiorem.*

12 *Duobus se tangētibus, aliquid oportet existere præter tactum.*

13 *Corpus sensibile esse diuisibile secundum quamlibet partem potentia, indiuisibile verò actu, nullum est absurdum.* t. 9.

14 *Punctum puncto contiguum esse nō potest, & immediatum.*

15 *Generatio & corruptio simplex nō congregatione, & segregatione, sed mutatione huius in hoc fit.* t. 10.

16 *Cum fit mutatio circa materiam, vel formam, generatio, & corrutio existit, quando verò in accidentibus, alteratio.*

17 *Quæ in minutiores partes diuisa sunt, facilius corrumpuntur.*

NOTATIONES.

IN prima propositione. Nutrimentum debet esse dissimile nutrito, vt ex dictis de augmentatione patet, quomodo ergo inquit Aristoteles, augeri rès accessu rei similis, cum augeantur nutrimēto dissimili? Præterea,

terea quæ constant partibus dissimilaribus, videntur augeri posse accessu etiam rei dissimilis. Resp. nutrimentum, antequam conuertatur in substantiam nutriti, esse dissimile, postquam verò est conuersum, esse simile, & tunc per eius accessum viuens augetur. Ad secundum, Resp. quæ constant partibus dissimilaribus, non augeri, nisi partes ipsæ augeãtur, vnaquæq; autem pars est similaris, & simili augetur.

In 2. propositione. Attulit hanc propositionẽ Aristoteles contra Democritum, & Leucippum, qui adeò turpiter errarunt, vt dicerent, ea vera esse, quæ nobis vera apparent, quãuis fortè excusari possint, vt noluerint quidem, ea vera esse, quæ nobis apparent vera, quoniam, vt contra eos argumentatur Aristoteles, nõ possunt contraria esse vera; at sæpe contraria sunt hominum iudicia; ergo non illud est verum, quod quis verum esse iudicat, sed vt ostenderent, de veritate secundum se certos nos esse non posse, dixerunt, illud appellari verum, quod nobis tale apparet, quamuis fortasse tale non sit, quod si voluerunt, à veritate non tã longè aberrarunt, rara enim admodum sunt, de quibus certam omninò sciẽtiã nos habere possumus. Porrò tãta varietas opinionum in hominibus ex discursu præcipuè oritur, qa licet oẽs in principijs, & in ijs, quæ sensibus percipiũtur, cõueniant, cõclusiones tñ iuxta ꝓpriã ratiocinationẽ vnusquisq; diuersas colligit.

In 3. propositione. Quantitatem esse diuisibilem in infinitum, quod in hac propositione tradit Aristoteles, est commune etiam Philosophorum effatum, de quo copiosè dísseri solet in 6. Physicorum, & ex professo ab Aristotele in libro de lineis insecabilibus, de indiuisibilibus verò nos etiam egimus quæst. 13.

In 4. propositione. Volebat Plato, superficies esse principia rerũ, Democritus autẽ, corpora quędam minima, quare Aristoteles rectiùs, inquit, esse philosophatum Democritum, quoniam cum superficies indiuisibiles sint res quædam tantũ Mathematicę, licet concedamus, eas cõstituere corpus, non tamen poterunt esse principia affectionũ ipsius v. g. coloris, saporis, &c. quarum tamen Democritus aliqualem rationem licet non bonam afferre potest. Nota autem, Aristotelem non admittere indiuisibilia physica, sed tantũ Mathematica, alioqui enim nihil concluderet contra Platonem.

In 5. proposit. Mirũ est, quantum Aristoteles experientiæ, & sensibus deferat, nã & infra textu 59. inquit, relinquere sensum propter rationẽ, esse quid simile demẽtiæ, & meritò; quia oĩs nostra cognitio ortũ ducit à sensibus, & intellectus faciliùs circa intelligibilia hallucinatur, quã circa sensibilia sensus, hæc tñ intelligẽda sunt ijs de rebus, quarum cognitio à sensibus pendet, vt res Theologicas excludamus.

In 6. proposit. Docet hic Aristoteles, quomodo veritatẽ assequi possimus, oẽs. s. rationes pro vtraq; parte expendẽdo, nõ verò vti multi solẽt, vnam tantum respiciendo, & statim secundũ eã pronunciãdo sentẽtiam.

In 7. proposit. Physicas rationes præponit Aristoteles logicis: physicas autẽ appellat, quæ ex sensibus, & ex ipsa rei natura ducuntur, logicas verò, quæ ab extrinseco ex vi nostri intellectus, potius quã ipsa rei natura dictante desumũtur, sępe. n. huiusmodi rõnes captiosę sũt, & sophisticæ, at verò illę firmę, & solidę, q̃ doctrina est philosophãtib. summopere notãda, vt veritatis scopũ absq; er-

rore attingere possint, vtq; hanc rem exẽplo declaremus, qui affirmãt, nõ eadẽ esse accidentia in genito, & in corrupto, quis nõ videat logicis tm̃ vti rationib9, & apertè refragari sensui; At qui dicũt, eadẽ remanere posse, experimentis, & sensibus innituntur, & Physicis rationibus pugnant, quare non mirum, si longè plures sectatores sit hæc sententia sortita.

In 8. proposit. Verissima est propositio, sed ne quis ea abutatur, intelligenda est, vt eo pacto res ad actum reducatur, quo etiam est possibilis; nam quantitas est diuisibilis in infitum Syncategorematicè, non ergo oportet, hanc potentiam reduci Categorematicè ad actum.

In 9. proposit. Similis est hęcpropositio illi vulgatæ, ex nihilo nil il fit, similis, inquã, non eadẽ. nam illa intelligitur de termino à quo, quare naturaliter tantum est vera. Deus.n. ex nihilo omnia creauit, hæc autem de partibus componentibus, & est vera omninò, & simpliciter, quia neque per diuinam potentiam potest aliquod ens componi ex partibus, quæ nihil sint.

In 10. propositione. Sicuti in tertia dictum est, quantitatem dissolui non posse in indiuisibilia, ita in hac dicitur, non posse componi, hæc em̃ duo mutuo se inferunt, in ea enim res resoluitur, ex quibus cõponitur.

In 11. propositione. Ad eamdem materiã hæc propositio spectat, sed notãda est pulchra Aristotelis ratio, qua probat, indiuisibilia non augere magnitudinem, est autem hæc, partes non vnitæ non sunt maiores, quã totum, quod ex ipsis vnitis resultat, ergo superficies non facit magnitudinem maiorem, probatur consequentia, quia in partibus non vnitis duæ erant superficies, quando verò vniuntur, vnica tãtum remanet, quia copulantur termino communi; ergo si non vnitæ eãdem habent magnitudinem, quam etiam vnitæ, signum est, superficiem siue additam, siue ablatam, nec diminuere, nec augere magnitudinem.

In 12. propositione. Duobus se tangentibus, dicebat Democritus, quem in hoc approbat Aristoteles, oportet aliquid aliud adesse præter ipsa, in quibus fit contactus, non possunt igitur indiuisibilia à parte rei reperiri, quod intendebat Democritus, quia hæc si se tangerẽt, tãgerent se secundũ se tota, cõsequẽter nihil esset præter ea, in quibus se tãgerẽt.

In 13. propositione. Per indiuisibile actu, vel intelligitur actu indiuisum, & nulla est difficultas in hac Aristotelis propositione, vel quod eius tota diuisio nõ potest reduci ad actum, & ita etiam vera est Aristotelis propositio, quia continuum, & est diuisibile in omnem suã partem potentia, idest syncategorematicè, & distributiuè; & est indiuisibile actu, idest categorematicè, & collectiuè; quia si diuideretur cõtinuum in omnem suam partem, non esset amplius diuisibile, quòd est absurdum.

In 14. propositione. Consequens est hoc dictum ad ea, quæ superiùs tradita sunt de compositione quantitatis ex partibus diuisibilibus, de quibus in 6. Physicorum agitur.

In 15. propositione. Quomodo generatio sit mutatio huius in hoc, in quæstionibus fusè explicauimus, inquit autem, non fieri congregatione, & segregatione, eo scilicet modo quo volebat Democritus, qui nullã ponebat in ipsis congregatis alterationem, alioqui enim ex elementis, congregatis, & inuicem alteratis fit mistio, quæ est quædam generatio; Adde, quòd numquam etiam generatio, vel corruptio sunt congregatio,

tio, vel segregatio formaliter, sed cõgregationem, & segregationem cõsequuntur.

In 16. propositione. Mutationem fieri circa formam in generatione, patet, hæc enim recedit, illa verò aduenit; at verò circa materiam, quomodo est possibile? Respondeo, dici mutationem fieri circa materiam, nõ quòd ipsa materia secundum suam substantiam mutetur; sed quia ipsa est, quæ transit ab vna forma ad aliã. Vel dicas, Aristotelem nolle modo determinare, an generatio fiat per mutationem formæ, vel materię, verè tamen hoc dicere, quòd cũ vtraq; sit substantia, si contingat, fieri mutationem circa alterutram earum, forè hanc mutationem generationem.

In 17. propositione. Experimento patet, veram esse hanc propositioné, quia virtus vnita fortior, quæ autem in plures partes diuisa est, debilior.

CAP. III.

Quæ simpliciter, quæue secundũ quid aut secundum partem Generatio, atque corruptio dicenda sit, & cur vtraq; perpetuo duret.

Tex. 11 *DEterminatis autem his primo speculandum, vtrum sit aliquid, quod generatur simpliciter, & corrumpitur, an propriè quidem nihil, semper autem ex aliquo, & aliquid. dico autem vt ex laborante sanum, & laborans ex sano, aut paruum ex magno, & magnum ex paruo, & omnia alia hoc modo. Si enim simpliciter erit generatio, simpliciter vtique fiet ex non ente. quare verum fuerit dicere, quòd inest quibusdam ipsum nõ ens. quadam enim generatio, ex non ente aliquo, vt ex non albo, aut ex non bono: simplex autem ex simpliciter non ente ipsum autem Simpliciter, aut primum significat secũdum vnumquodq; prædicamentorum ipsius entis, aut vniuersale, & omnia comprehendens. Si igitur primum, substantiæ erit generatio ex non substantia. cui verò non inest substantia, neque hoc, manifestum est, quod neque aliorum vllum prædicamentorum, vt neque quale, neque quantum, neque ipsum vbi: separabiles enim essent passiones à substantijs. Si autem non ens omninò, negatio erit vniuersaliter omnium. quare ex nihilo necesse est id generari, quod generatur. De his igitur in alijs dubitatum est, atque determinatum sermonibus amplius, breuiter autem & nunc dicẽdum est, quod aliquo quidẽ modo ex non ente simpliciter generatur, modo autem alio ex ente semper. ipsum enim potentia ens, actu autem non ens, necesse est præexistere: dictum vtroque modo. Quod autem & his determinatis admirabilem habet dubitationem, rursus diligenter est inquirendum, quomodo est simplex generatio, siue ex potentia ente, siue etiam quodammodo aliter.*

¶ Dubitabit enim aliquis, an sit substantiæ generatio, & huius, sed non talis, & tanti, aut ipsius vbi. eodem autem modo, & de corruptione. Si enim quid generatur, manifestum est, quòd erit potentia substantia aliqua, actu autem non, ex qua generatio erit, & in quam necesse est id transmutari, quod corrũpitur. Vtrũ Tex. 12

igitur inerit quid huic aliorũ actu? dico autem vt uũquid erit quãtum, aut quale, aut vbi id, quod potentia solum est hoc, & ens, simpliciter autem non hoccine, neque ens. Si enim nihil sed omnia potentia, & separabile accidet id esse quod sic est non ens: & insuper (quod maximè timentes erant, qui primi philosophati sunt) ex nullo generari praexistente. Si autem hoc quidem, esse hoc aliquid, aut substantiam, non existet, sed aliorum quippiam prædicamentorum, erunt, quemadmodum diximus, separabiles passiones à substantijs.

Tex. 13 ¶ *Et de his igitur quantum fieri potest tractandum est, & quæ causa sit, vt generatio semper sit, & quæ simpliciter, & quæ secundum partẽ.*

Tex. 14 ¶ *Cum autem sit causa, vna quidem, vnde principium motus esse dicimus, vna autem, materia, talẽ causam dicere oportet; de illa enim dictum est prius in de motu sermonibus, quòd est illud quidem immobile per omne tempus, hoc verò, quod mouetur semper. horum autem de immobili quidem principio distinguere, * prioris est Philosophiæ. De eo autem, quòd, propterea quòd continue mouetur, alia mouet, posterius assignandum est, quæ talis eorum, quæ singularia dicunt, causa est.*

Tex. 15 ¶ *Nunc autem eam, quæ vt in materiæ specie ponitur, causam dicamus, ob quam semper generatio, & corruptio non deficiunt secundũ naturam simul enim forsitan hoc fiet manifestum & de eo, quod nunc dubitatum est, quonam pacto oporteat dicere de simplici generatione, & corruptione.*

¶ *Habet autem dubitationem idoneam, & quæ causa sit, vt connectatur generatio, siquidem quod corrumpitur, ad non ens abit: non ens autem nihil est. neque enim quid, neque quale, neque quantum, neque vbi ipsum non ens. Si igitur semper aliquid eorum, quæ sunt, abit, cur non consumptum est iamdudum, & inane ipsum vniuersum? siquidem finitum est id, ex quo fit eorum, quæ generantur vnumquodque. Non enim propterea quòd infinitum id sit, ex quo generatur, non deficit. hoc enim, est impossibile. actu enim nullum infinitum, potentia autem ad diuisionem. Quare oportebat hanc esse solam non deficiendi, quoniam generatur quiddam semper minus. nunc autem hoc non videmus.* Tex. 16

¶ *Quocirca, propterea quòd huius corruptio alterius est generatio, & huius generatio alterius est corruptio, inceßabilem necesse est transmutationem esse. De eo igitur, quod est generationem, & corruptionem similiter semper esse circa vnumquodque entium, hanc existimandum est sufficientem omnibus causam.* Tex. 17

¶ *Propter quid autem hæc quidem simpliciter dicuntur generari, & corrumpi, illa autem non simpliciter, rursus considerãdum. siquidẽ idem generatio quidem huius, corruptio autem huius, & corruptio quidẽ huius, generatio autẽ huius. quærit enim hoc aliquam rationem. Dicimus enim quod corrumpitur nunc simpliciter, & non solum hoc;* Tex. 18

& hæc

& hæc quidem est generatio simpliciter, hæc autem corruptio. hoc autem generatur quidem aliquid, non autem simpliciter generatur, dicimus enim discētem fieri quidem scientem: fieri autem simpliciter non. Quemadmodum igitur determinauimus sæpe, dicentes quod hoc quidem significat hoc aliquid, hoc autem non propter hoc contingit, quòd quæritur. Differunt enim ea, in quæ transmutatur id, quod transmutatur. puta forte quæ in ignem est via, generatio simpliciter, corruptio autem alicuius est, puta terræ: terræ autem generatio. aliqua generatio, generatio autem non simpliciter. corruptio autem simpliciter, puta ignis, sicut Parmenides dicit, duo ipsum ens, & non ens inquiens, ignem & terram. Hæc autem, aut alia talia supponere nihil differt. modum enim quærimus, sed non subiectum. In non ens igitur simpliciter est corruptio simplex, in simpliciter autem ens generatio simplex. quibus igitur determinata sunt, siue igni, & terra, siue alijs quibusdam, horum erit hoc quidem ens, hoc autem non ens. Vno igitur, modo differet in hoc simpliciter, scilicet generari, & corrumpi à non simpliciter. Alio autem modo, materia qualiscunque vtique sit. Cuius enim magis differentiæ hoc aliquid significant. magis substantia est, cuius autem priuationem, non ens. puta, si calidum prædicamentum aliquod, & forma, frigiditas autem priuatio: differunt autem ignis, & terra his differentijs.

Pro hoc vide Auerr. 4. Physic. 49. Parmenides

Tex. 19 *¶ Videtur autem multis magis, sensibili, & non sensibili differre. quando enim in sensibilem transmutata fuerit, materiam generari inquiunt. quando autem in non manifestam, corrumpi, ens enim, & non ens, eo quod sentiatur, & non sentiatur, determinant. quemadmodum scibile quidem ens, ignotum autem non ens, sensus enim scientiæ habet virtutem. Quemadmodum igitur illi ipso sentire, vel ipso posse, viuere, & esse existimant, ita & ipsa res, modo quodam prosequentes veritatem, idem autem dicentes nō verum. Contingit itaque secundum opinionem, & secundum veritatem aliter & generari simpliciter, & corrumpi. spiritus enim & aer secundum sensum quidē minus sunt: ideo & quæ corrumpuntur simpliciter in hac transmutatione corrumpi dicuntur, generari autem, quando in tangibile, & in terram transmutata fuerit, secundum veritatem autem magis hoc aliquod, & forma hæc sunt, quam terra.*

¶ Esse igitur simplicem generationem corruptionem existentem alicuius. corruptionem autem simplicem generationem existentem alicuius, dicta est causa. propter materiam enim differre, aut eo quòd substantia est, aut non, aut quod hæc quidem magis, illa vero non, aut eo, quod hæc quidem magis sensibilis est materia, ex qua, & in quam, illa vero minus est. quod autem dicantur hæc quidem simpliciter generari, illa autem aliquid solum, non ex mutua generatione, secundum quem diximus nunc, modum. nunc enim tantum determinatum sit, Tex. 20

quare

quare omni generatione existente corruptione alterius, & omni corruptione existente alicuius alterius generatione, non similiter attribuimus generari, & corrumpi ijs, quæ ad inuicem transmutantur, quod autem post dicitur, non quærit hoc, sed quare discens quidē non dicitur simpliciter generari, sed generari sciēs, quod autem pullulati generari, hæc autem distincta sunt prædicamentis. hæc enim hoc aliquid significant, hæc autem quale, hæc autem quantum. Quæcunque non significant substantiā, non dicuntur simpliciter generari. *Quæcunque igitur non substantiam significant, non dicuntur simpliciter generari, sed aliquid fieri. sed tamen simpliciter fieri in omnibus generatio quidem, secundum ea, quæ in alio ordine, dicitur: puta in substantia quidem, si ignis, sed non, si terra: in quali autem, si sciens, sed non, quando nesciens. De eo igitur, quod est hæc simpliciter generari, hæc autem secundum quid, & vniuersaliter, & in substantijs ipsis dictum est, & cur generatio continue sit causa, vt materia, subiectum est, quoniam transmutabile est in contraria, & est alterius generatio semper in substantijs alterius corruptio & alterius corruptio alterius generatio.*

Tex. 21 Quare corruptis quibusdam semper fiat generatio. ¶ *At verò neque dubitare oportet quare generatur aliquid, semper [illegible]erditis. Quemadmodū enim & corrūpi simpliciter inquiunt, quando ad insensibile venerit, & non ens, similiter & generari ex non ente inquiunt, quando ex insensibile. Siue igitur existente aliquo subiecto, siue non generatur ex non ente, quare similiter & generatur ex non ente, & corrumpitur in non ens. meritò igitur non deficit. generatio enim entis est, corruptio non entis: corruptio autem entis, generatio non entis.*

Tex. 22 Videcō tr. Zim. ¶ *Sed hoc non ens simpliciter, dubitauerit aliquis vtrum alterum cōtrariorum est: vt terra & graue nō ens, ignis autem, & leue ens. An nō, sed est terra ens. ille verò non ens, materia terræ, & ignis similiter. Et an altera vtriusq; materia. An non vtique fierent ex se inuicem, neque ex contrarijs (his enim existunt contraria igni, terræ, aquæ, aeri) An est quidem vt eadem, est autem vt altera, quod enim quandoque existens subijcitur, idem, esse autem nō idem. De his igitur in tantum dictum sit.*

PROPOSITIONES ex Capite tertio.

1. *Simplex generatio ex non ente simpliciter fit.* t. 11.
2. *Cui substantia non inest, neq; vllum aliorum prædicamentorum conueniet.*
3. *Generationi ens potentia, actu verò non ens præexistat, oportet.*
4. *De principio motus, quod mutationi obnoxium non est, Primæ philosophiæ est determinare, ac pertractare.* t. 14.
5. *Nihil actu infinitum est, sed potentia, scilicet ad diuisionem.* t. 16.
6. *Generatio vnius est corruptio alterius, & huius corruptio est illius generatio.* t. 17.
7. *In non ens simpliciter fit corruptio simplex, in simpliciter autem ens generatio simplex.* t. 18.
8. *Alio modo illud simpliciter dicitur generari, quod suo contrario est nobilius, vt calor frigore, calor enim*

enim quadam forma est, frigus verò priuatio.

t. 20. 9 *Quacumque nō substantiam significant, non dicuntur simpliciter generari, sed aliquid fieri.*

t. 21. 10 *Generatio entis est corruptio non entis, & corruptio non entis est generatio entis.*

NOTATIONES.

IN prima propositione. Explicat ipsemet Aristoteles hanc propositionem, & inquit, quod simpliciter generatur, fieri ex non ente simpliciter actu, ente tamen potentia, idest ex priuatione, quæ est non ens, sed habet adiunctam potentiam; quidam tamen putant, ipsum loqui de materia prima, quæ dicitur non ens actu, quia caret actu formali, sed prior expositio, & veritati conformior est, quia re vera materia est simpliciter ens; & etiam Aristoteli, quē loqui de termino à quo, exempla, quæ adducit, declarant; inquit enim ex non ente aliquid fieri, vt ex non albo, aut ex non bono fit bonum, & album; sed quia pro absurdo habebat, ex nihilo etiam tamquam ex termino à quō nihil fieri, idcircò subiunxit, non esse non ens simpliciter, sed actu tantùm, vt videlicet innueret, adiunctam habere potentiam; quare etiam primo Physicorum inquit, materiam esse non ens ratione priuationis, secundum se verò appellat prope, & quodammodo substantiam tex. 79. Confirmatur, quia materia non est potentia aer, aut ignis, sed habet in potentia sua formam ignis, & aeris.

In 2. propositione. Non est intelligenda hæc propositio quoad essentiam, quasi videlicet quod non est substantia, non possit esse aliud ens, sed quo ad existentiam, ita vt non possit repetiri aliquod accidens, nisi reperiatur simul cū substantia, quod naturaliter verissimum est.

In 3. propositione. Vide, quę diximus in expositione primæ propositionis.

In 4. proposit. Loquitur in hac propositione de primo motore: quē, cum sit immobilis, inquit, spectare ad Metaphysicum, an verò saltē quo ad an est, sit Physicę cōsiderationis, in 8. Physicorum pertractatur.

In 5. propositione. Non dari infinitum actu, probatur tertio Physicorum, hic tamen est notandū, nolle Aristotelem, qd video multis placere, partes actu infinitas in quantitate esse, quia tunc verè daretur infinitum actu, & non tantùm potentia.

In 6. propositione. De hac cum quęstionem integram instituerimus, nihil est vlteriùs hic expectandum.

In 7. propositione. Non approbatur hac propositione resolutio vsq; ad materiam primam, sed eo sensu dicitur corruptio tendere in nō ens; quo in prima propositione explicuimus, generationem fieri ex nō ente.

In 8. propositione. Hucusque loquutus est Aristoteles de generatione simplici, idest substantiali, siue elementari, nunc affert aliam rationem generationis simplicis, quam etiam nos supra attulimus, cum scilicet aliquid perfectius generatur. dicitur autem hic frigus priuatio, non quòd re vera sit; sed quia respectu caloris se habet, vt priuatio, sicuti minùs bonum respectu maioris induit quodammodo rationem mali.

In 9. propositione. Excludit productionem accidentis à simplici generatione, quoniam dum quis acquirit aliquod accidens, v.g. albedinem, non dicitur simpliciter fieri, aut gigni, sed fieri talis, scilicet albus.

In 10. propositione. Non ens propriè non potest corrumpi, Aristoteles

les tamē ludit quodammodo in hac propositione, vt videlicet doceat, eam proportionem inter se habere ens, & non ens in generatione, & corruptione, quam habent termini positiui in alijs motibus.

CAP. IIII.

Quo differant Generatio, atque Corruptio ab Alteratione.

Tex.23 *DE Generatione autem, & alteratione dicamus quid differūt dicimus enim has esse alteras transmutationes abinuicem. Quoniā igitur est aliquod subiectum, & aliud ipsa passio, quæ de subiecto nata est dici, & est transmutatio vtriusque horum. Alteratio quidem est, quando, manente subiecto, sensibili existente, transmutetur in eius passionibus, aut contrarijs, aut medijs existentibus, vt corpus sanum est, & rursus laborat, manens idem. & æs quandoque rotundum, quandoque autem angulare, idem existens. Quando autem totum transmutetur, non manente aliquo sensibili, vt subiecto eodem, sed vt ex * genitura tota sanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua, Generatio iam hoc tale, huius autem Corruptio:*

* τοῖτγο vñs.

Tex.24 ¶ *Maximè autem, si transmutatio fiat ex insensibili in sensibile, aut tactu, aut omnibus sensibus, vt quando aqua generatur, aut corrumpitur in aerem, aer enim mediocriter insensibilis est. In his autem, si aliqua maneat passio eadem contrarietatis in generato, & corrupto, vt quando ex aere aqua, si ambo transparētia, aut frigida, non oportet huius alteram passionem esse, in quam transmutatur. si autem non, erit alteratio vt musicus homo corruptus est, homo autem immusicus generatus est, homo autem manet idem. Si igitur huius passio non esset secundum se musica, et immusica, huius quidem esset generatio. huius autem corruptio. ideo hominis quidem hæ sunt passiones, hominis autem musici, & hominis immusici generatio, et corruptio, nūc autem passio hæc manentis: ideo alteratio, talia. Quando igitur secundum quantum sit transmutatio contrarietatis, Augmētatio est, & Diminutio: quando autem secundum locū, Latio: quando vero secundum passionem, et quale, Alteratio: quando autem nihil permaneat, cuius altera passio est, & accidens, omninò Generatio, huius autem Corruptio. Est autem & materia maximè quidem. & propriè subiectum generationis, & corruptionis susceptibile, modo autem aliquo, & quod alijs transmutationibus, quoniam omnia subiecta susceptiua sunt contrarietatum aliquarum. De generatione igitur, & corruptione, siue est, siue nō, & quomodo est, & de alteratione, determinatum sit hoc modo.*

PROPOSITIONES ex Capite quarto.

1 *Alteratio est quando permanente subiecto sensibili mutatur aliquid in suis passionibus; aut contrarijs, aut medijs.*

2 *Cum mutatur totum nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem, hoc quidem gignitur, illud autem corrumpitur.*

3 Cum

14. 3 *Cum ex re ferè insensibili fit alia sensibilis, vel ex sensibili insensibilis, tunc clariùs corruptio, & generatio apparent.*

4 *Si eadem qualitas communis sit genito, & corrupto, non oportet, eam in corruptione deperdi, et alteram in generatione acquiri.*

5 *Quando fit transmutatio inter cōtraria secundum quantitatem, augmentatio est, vel diminutio, quando autem secundum locum, latio, quando verò secundum passionem, & quale, alteratio, quando verò subiectum accidentium non remanet, corruptio, & generatio.*

6 *Materia maximè propriè dicta est subiectum generationis, & corruptionis, cæterarum autem mutationum subiectum est materia impropriè dicta.*

NOTATIONES.

IN primā propositionē. Hæc propositio examinabitur in tractatu de alteratione, hic notandum, ab Aristotele afferri pro exemplo terminorum alterationis sanum, & ægrum, & diuersas corporis figuras; cum tamen ipse alibi docuerit, ad tertiam dumtaxat speciem qualitatis dari per se alterationem, sanitas autem, & ægritudo ad primam; figura ad quartam spectare videntur. Verùm omissis, quæ affert S. Thomas, & alij ad hanc dubitationem, Respondeo, non attulisse Aristotelem hæc exempla tamquam veros terminos alterationis, sed tantum vt ostenderet, quomodo idem corpus permanens possit mutari quoad accidentia, quod in exemplis ab ipso allatis clarissimum erat.

In 2. propositionē. Ex his verbis collecta est generationis definitio vulgaris, quòd sit *mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem*, quæ in quæstionibus fusè explicatur.

In 3. propositionē. Non videtur hoc dictū Aristotelis vniuersaliter verum, quia mutatio inter contraria positiua, sicut est maior, ita est sensibilior, quàm inter opposita priuatiua, magis enim distat calidum à frigido, quàm non frigidum; quia calidum addit aliquid supra non frigidum, at fieri rem ex non sensibili sensibilem, vel è contra, se habet veluti mutatio inter opposita priuatiua, si verò fiat inter duo sensibilia, veluti inter contraria positiua, ergo in his magis apparet. Respondeo, argumentum concludere in alterationibus, magis enim apparet mutatio ex calido in frigidū, quàm in non calidum ob rationem adductam, non autem in generatione, & corruptione. Ratio est, quoniam in his solent remanere eadem accidentia sensibilia in genito, & in corrupto; ac proinde non tam clarè apparet mutatio formæ substantialis: nam homo mortuus non videtur differre à dormiente; at verò si fiat inter sensibile, & non sensibile, accidentia necessariò mutantur, & consequēter clariùs apparet generatio, & corruptio. Vel dicendum, loqui Aristotelem non de corruptione, & generatione simul sumptis, sed sigillatim, ita vt quando ex aere gignitur aqua, clariùs appareat generatio, quia quodammodo facta videtur ex non ente, quamuis non clarè appareat corruptio, hæc tamen eadem ratione, cum ex aqua fit aer, clariùs innotescit.

In 4. propositionē. Militat cōtra eos, qui affirmāt, dari resolutionem vsque ad materiam primam, qua de re in quæstionibus, quod enim qui-

dam respondent, intelligi posse Aristotelem de identitate specifica, non est ad mẽtem Aristotelis, nihil enim dixisset. nam supponit, tam aquam, quàm aerem, esse frigidam, inquit enim, accidentia, quæ sunt communia, remanere, clarum igitur erat, saltem esse eiusdem speciei, cum ergo subdit, qualitatem non esse alteram in genito, & corrupto, loquitur de numerali diuersitate.

Reliquæ propositiones in quæstionibus elucidantur.

DE GENERATIONE, & Corruptione.

DISPVTATIO II.

SVmitur aliquando latissimè generatio pro qualibet productione, & amplectitur creationem, & accidentis quoque productionem; Aliquando non tam latè, & sumitur pro qualibet productione entis ex subiecto, excluditurq; creatio. Tertiò strictissimè pro sola productione viuentium, de qua Aristoteles 2. de anima tex. 24. Quartò non tam strictè, neque admodum latè, & significat quamlibet productionem substantiæ ex subiecto, & in hoc sensu nos hic de ea loquemur, sicut etiã in his libris loquitur de ea Aristoteles. Notandum præterea, Aristotelem sæpe distinguere generationẽ simpliciter à generatione secũdum quid, quæ distinctio vt intelligatur, aduertendum est, triplicem fieri posse comparationem inter generationes superiùs allatas. Primò enim comparari possunt generatio substantię, & accidentis, & tunc substantialis dicitur simpliciter generatio, accidentalis verò secundùm quid, atque hæc est præcipua significatio horum nominum, de qua Aristoteles 1. Physic. tex. 62. & 1. de generatione tex. 1. & sequentibus.

Secundò possumus conferre generationem vnius substantiæ, cum generatione alterius etiam substantiæ, & sic quando id, quod generatur, est perfectius eo, quod corrumpitur (generatio enim vnius semper est simul cum corruptione alterius) vocatur simpliciter generatio, vt cũ ex embrione fit homo; quando vero corrumpitur perfectius, & imperfectius generatur, vt cum ex homine fit cadauer, dici solet corruptio simpliciter, & generatio secundum quid ex tex. 16.

Tertiò, comparatio fieri potest inter generationes accidentium, ex quibus illa dicitur simpliciter generatio, per quam producitur accidẽs perfectius corrupto, quomodo dicebamus etiam de generatione substantiæ, è contra verò generatio secundum quid, quando producitur accidẽs imperfectius, vt si producatur frigiditas, vel nigredo, corrũpatur verò calor, vel albedo ex tex. 2.

Aliter etiam fieri posset comparatio inter generationes eiusdẽ accidentis, vt quando quis ex frigido fit calidus, gigni calor secũdũ quid.

Nos igitur in hac quæstione loquemur de generatione simplici, siue simpliciter exposita in prima cõparatione, illa scilicet, cuius terminus est substantia, quam definit Aristoteles hic tex. 24.

An detur substantialis generatio.

QVÆSTIO VIII.

QVamuis modò philosophorũ nemo dubitet, & experimentis certò cõstet, generationem dari, superflua tamen non erit præsens inquisitio, vt cognoscamus, quibus tene-

tenebris veteres illi philosophi, qui eam negatunt, inuoluti fuerint, & videamus, an etiam rationibus confirmari possit, quod experimentis didicimus, non paruam enim voluptatem intellectus noster percipit, dũ videt, rationẽ suffragari sensib⁹.

Adde, quosdam aliquando reperiri adeo peruicaces, vt nõ sufficiat, testimonio sensuum eos arguere, nisi etiam demonstrationibus vincantur.

Prima sententia generationem è medio tollens.

NOn defuerunt ex veteribus philosophis, qui generationem negarent, quæ nobis enim generatio videtur, alterationem ipsi appellabant, vt colligitur ex Aristotele in hoc primo lib. de generatione tex. 1. & 1. Metaph. cap. 2. Deducebant autem hoc ipsorum dogma ex duobus principijs: alterum erat, ex nihilo nihil fieri, quod autem generatur, oportet, vt prius non existat, ergo fieret ex nihilo, qđ repugnat. Alterum verò, quia censebant, hoc vniuersum esse vnicum ens, cum igitur ipsum numquam corrumperetur, dicebant, numquam fieri generationem substantialem, sed tãtùm in suis partibus ipsum recipere diuersa accidentia.

Communis, & vera sententia.

DAri veram generationem, iam est in confesso apud omnes, sed quia hic non tam veritatem huius rei, quàm eius rationem inquitimus, examinandæ erunt non nullæ rationes à recentioribus allatæ. Probant igitur hanc sententiam Doctores Connimbr. cap. 4. huius primi libri quæst. 8. art. 1. Dantur in rebus sublunaribus formæ substantiales, at circa huiusmodi formas substantiales accidit mutatio ab vna ad aliã sub eadem communi materia, vt à forma aquæ ad formam ignis, ergo datur mutatio substantialis, quæ est generatio. Probant maiorem, quia passim experimur, aliquas peculiares operationes rata constantia quibusdam rebus conuenire, quæ alijs non competunt, vt igni calefacere, aquæ refrigerare: At huiusmodi operationes non sunt à materia, con sequẽs ergo est, vt sint à forma substantiali. Si dicas, esse à formis accidentalibus, rursus quærimus, cur hæ ipsæ formæ accidentariæ quibusdam rebus conueniant, alijs nõ? Sanè cum huius rei causa non sit materia, reliquum est, vt sit forma substantialis. Probant præterea eamdem maiorem, quia in mixtis datur aliquid, quod quatuor primas qualitates in sua proportione continet, & coercet; Hoc autem esse non potest aliud, quàm forma; non enim est materia, cùm hæc non nihilo magis hãc, quàm illam qualitatum intensionẽ exigat. Nec sunt ipsæ primæ qualitates, vt quæ sibi inuicem aduersantur. Neque verò est alia qualitas ex ipsarum permixtione exorta, nam potiùs ipsa à qualitatibus primis penderet, ergo est aliqua prior, & nobilior substantia, nempè forma, quam idcircò harmoniã Pythagorici appellarunt. Quòd autẽ inter huiusmodi formas detur mutatio, quòd erat assumptum, experimento constat, videmus enim, ex ligno fieri ignem.

Verùm hęc ratio nõ videtur adeò efficax, vt omnes aditus euadendi aduersarijs præcludat, dum enim ad probandam formam substantialem hoc medio vtuntur: non potest reddi ratio, cur hæ formæ accidentales

aliquibus rebus conueniant, & aliquibus non; nisi per formam substantialem. Occurrent aduersarij, vel datur ratio, cur hæc forma substantialis est in hac materia, vel non, si nullam affirmes dari ratione, cur ergo (dicent) cogis, nos reddere rationem, cur insint accidentia? Si affertur ratio, vel erit intrinseca, vel extrinseca; si intrinseca, ergo dabitur aliquid prius forma substantiali, & iterum de eo inquiram, num assignari possit ratio, cur sit potius in hac, quàm in illa materia, & ita dabitur processus in infinitum; si extrinseca erit, vel agens, vel aliquid aliud, sed hoc idem poterit assignari pro causa, cur illa accidentia sint in illa materia.

Secunda quoque ratio, quam afferunt ad probandam formam substantialem, est parum firma, dum. n. inquiunt, debere dari aliquid, quod contineat, & coerceat qualitates cõtrarias. Respondeti potest, seipsis coerceri, quia redactę sunt ad talem temperationem, vt vna non possit aliam corrumpere.

Vt igitur efficaciùs probemus, generationem dati. Notandum est, cũ qui de medio generationem tollere vellet, necessariò in alterum horum absurdorum debere incidere, vel scilicet dati creationem naturaliter, vel omnem mutationem esse accidentalem. Nam vel produceretur aliqua substantia, vel non produceretur, si non produceretur, ergo nulla productio terminaretur ad substantiam, ac omnis productio esset alteratio; si produceretur, vel ex aliquo subiecto, vel ex nullo, si primum, ergo daretur generatio, si secundum, ergo admitteretur creatio. Probemus igitur, nec creationem naturæ viribus concedendam esse, neque omnem mutationẽ esse alterationẽ, & cõstabit, generationẽ dari.

Creationem autem non esse naturaliter possibilem, facilè sibi quisq; persuadebit. Nam ex nihilo nihil fieri posse, pro rato, & firmo semper philosophi habuerunt. Præterea nulla erit difficultas in admittenda generatione, si creatio, quæ est longè difficilior, concedatur. 3. Experientia constat, & actiones agentium naturalium recipi in subiecto, & ea, quæ fiunt, ex alterius corruptione oriri, & dũ aliquid corrumpitur, remanere quidpiam in genito, quod erat in corrupto, quæ omnia conuincunt, non per creationem produci, neque per annihilationem corrumpi res naturales.

Non esse quoque omnem mutationẽ accidentalem, probatur. Tunc aliquid accidentaliter tantùm mutatur, quando retinet idem nomen, & eamdem essentiam sub vtroque termino, vt cum homo ex frigido fit calidus, atqui aliquando quod mutatur, non retinet neque idem nomen, neque eamdem essentiam, ergo tunc mutatur substantialiter, vt quando ex ligno fit ignis. Posset tamẽ quis dicere, ignem, & lignum non differre inter se essentialiter, sed tantùm per accidentia, & fieri mutatis tantùm accidentibus ex arca fit scamnum, ex massa panis, & ex musto vinum, ita etiam ignem, & lignum, & cætera omnia esse tantùm denominationes ex accidẽtibus desumptas. Verùm adhuc contra hunc proteruum probare poterimus, has denominationes esse substantiales, non autem accidentales, & in his rebus præter accidentia formam substantialem reperiri, à quibus essentiam, & nomen recipiant, & quæ per corruptionem desinant esse. Prima autem ratio sit. Accidit aliquando, vt destructo vno accidente, destruantur

tur multa alia, quæ nullam habent cum illo connexionem, ergo cum illa alia nō corrumpantur ab illorum contrario per se, nec etiam ad corruptionem alterius accidentis, reliquū est, vt corrumpātur ad corruptionē alicuius principij substātialis, à quo pendent, datur igitur corruptio substantialis, & consequenter etiam generatio; Antecedens probatur in animalibus, quæ possent ex infinitis causis corrumpi, sed siue nimio calore, siue nimio frigore, siue diuisione, siue alia ratione corrūpantur, semper videmus, virtutem motiuam, & sensitiuam, & calorē, & alia multa accidentia amittere, ergo hæc accidētia neq; per se, nec ad corruptionem alterius accidentis corrumpuntur, sed ad desitionē alicuius substantiæ. Secunda ratio desumi potest ex eo, quòd quædam accidētia habent esse permanens in aliquo subiecto, & nisi ab extrinseco contrario expellantur, ab eo numquā discedunt, eadem verò in alio subiecto diu persistere nequeūt, sed nemine etiam expellente intereunt, hoc autem prouenire nequit à materia, cum hæc sit indifferens ad omnia accidentia, ergo à forma substantiali prouenit; Consequentia est clara, Antecedens probatur experientia. Nam calor in igne, & in animali, si non corrumpatur ab extrinseco, numquam deficiet, in aqua verò, in aere, & in lapidibus, nisi adsit extrinsecum conseruans, statim deperditur. Tertia ratio. Accidens in aliquod subiectum introductum, cū ab eo recedit, relinquit ipsum in eodémet statu, in quo erat prius ante introductionem ipsius, aliquādo verò in longè diuerso, hoc autem nō potest prouenire ex eo, quòd per introductionē illius accidētis sit aliud accidens corruptum, tum quia hoc tantùm de contrario accidente dici posset, tum etiam, quia per ipsius recessum illud idem accidens reparari posset, ergo tota hæc diuersitas inde oritur, quòd aliquando mutatur subiectum tātùm accidentaliter, aliquando verò mutatur substantialiter. Antecedens patet experimento, nam calor intensissimus in ferro, cum ab eo recedit, relinquit ferrum in eadem dispositione, in qua erat prius, in ligno verò, vel in animali nequaquam, nam si pereat animal ob nimium calorem, quamuis deinde recedat calor, remanet animal mortuum, quod per nullam virtutem naturalem reparari potest, cuius contrarium videmus, quando aliquid accidentaliter tantùm mutatur. Consequentia patet, quia cum hoc discrimen non possit oriri ex frigoris tantùm corruptione, quod per se à calore in vtroque subiecto corrumpitur, oportet dicere, aliquid corrumpi à calore in animali, quod non corrumpitur in ferro, hoc autem aliud esse non potest, quàm forma substantialis. Alias quoq; rationes videre poteris apud Franciscum Suarez disp. 5. sect. 8. qui non minori copia, quàm iudicio, & subtilitate hanc quæstionem, sicut & cæteras solet, pertractat.

Probant alij recentiores eamdem conclusionem. In materia datur potentia passiua ad recipiendam formam ignis, ergo etiam debet dari aliqua potentia ad eam producendam, ergo dabitur generatio simpliciter. Verùm dicent aduersarij, vel formam ignis esse accidens, vel negabunt, dari hanc potentiam in materia ad illam formam, quapropter quia in cœli materia numquam videmus, introduci formam ignis, vel alicuius rei sublunaris, dicitur à S. Thom. & alijs multis, non habere potentiā ad has formas, & esse

Bannez in 1. de generatione, et corrupt.

& esse diuersę speciei à materia sublunarium. Committitur igitur in illo argumento petitio principij, vel clarius per obscurius probatur, sicut etiam per ea, quæ sequuntur apud eumdem authorem, quæ breuitatis causa omitto.

Aliam rationem affert ab extrinseco Connimb. Collegium, nempè omnia sublunaria appetitum habere se perpetuandi, cum igitur sese eadem numero conseruare nequeât consequens est, vt nitantur se conseruare in propria specie, quod per generationem assequuntur. Verùm hæc ratio supponit id, quod est probandum, nam pro fundamento sumit, sublunaria corrumpi, cum ęqua sit ratio de corruptione, & de generatione, & nemo negauerit generationem, qui corruptionē admiserit.

Essent nunc diluendæ rationes, quæ cōtra generationem, vel ab antiquis fiebant, vel ab alijs fieri possent. Verùm vt his satisfiat, opus est, generationis naturam declarare, commodiùs igitur in sequētibus sectionibus id præstabimus.

Hic ad rationem tantum dubitandi initio positam respondemus, falsissimum esse, hoc vniuersum vnicū esse ens, quod autem generatur, non fieri ex nihilo, sed ex materia, vt inquit hic Aristoteles, & nos infra explicabimus.

An rectè sit ab Aristotele definita generatio.

QVÆSTIO IX.

PLures ab Aristotele reperiuntur allatę generationis definitiones, vt rectè aduertunt Doctores Connimbr. quæst. 9. cap. 4. vel vt nobis clarius eius naturam explicaret; vel etiam, quia diuersimodè sumi solet generationis nomen, vt supra notauimus, quare non mirum si pro diuersis eius acceptionibus diuersas quoque definitiones attulerit. Harum prima reperitur tex. 14. 3. Phys. vbi inquit *generationem esse viam ad naturam*, id est ad formam substantialem, quæ vel sola, vel præcipua est natura. Secūda colligitur ex tex. 7. 8. 9. quinti Phys. videlicet, *Generatio est mutatio ex non subiecto in subiectum*, per subiectum autem intelligit compositum substātiale, quod vocatur subiectū denominationis. Tertiā habemus ex 8. Phys. tex. 62. *Generatio est mutatio ex non ente ad ens* intellige substantiale, nisi velimus accidentiū quoque productionem amplecti. Quarta est in hoc primo de generatione tex. 23 *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem*, Quāuis enim hæc non sint verba Aristotelis, est tamen eorum sensus, vt omnes interpretantur. Verba autem eius sunt. *Quando autem totum trāsmutatur non manente aliquo sensibili vt subiecto eodem, sed vt ex genitura tota sanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua, generatio iam hoc tale, huius autem corruptio*. Quinta ex hoc eodem libro tex. 25. *Generatio est mutatio ex potentia subiecti in actu subiectum*. Ex quibus omnibus, sicuti quartam videtur Aristoteles magis ex professo tradidisse, ita etiam est omnium celeberrima, & hāc nos suscipimus explicandam, ex cuius declaratione reliquæ quoque intelligentur. Examinabimus autem primùm singulas particulas. Deinde quid de ipsa tota sit dicendum, videbimus.

Quo-

Quomodo generatio sit mutatio.

SECTIO PRIMA.

POnitur in definitione generationis mutatio loco generis. Est autem mutatio ex 5. Phys. tex. 3. *transitus ex quodam in quoddam*, & illud dicitur mutari, quod ex vno termino transit ad alium, siue quod idem est, aliter, & aliter se habet, quare necesse est, vt idem subiectum maneat sub vtroque termino, vt notat S. Thom. 1. parte quaest. 45. art. 2. Ex quibus videtur colligi, generationē non esse mutationem; Nam quod generatur, non mutatur, ergo generatio non est mutatio. Probatur antecedens. Quod generatur, antequā generaretur, non erat, ergo non erat sub aliquo termino, nō ergo potuit transire à termino à quo ad terminū ad quem. Confirmatur ex Aristotele tex. 8. quinti Phys. vbi probat, generationem non esse motum, quia quod non est, moueri non potest, id autem, quod generatur, nō est, quāuis enim ibi loquatur Aristoteles de motu propriè dicto, eadem tamen ratio militat contra mutationem, quia sicut non potest moueri, ita neque mutari, quod non est.

Secundò. Generatio formaliter nihil aliud significat, quàm rei inceptionem, prout dependentem à generatione, immo neq; inceptionem, nam verbum diuinum generatur re uera, & tamen nō incipit esse, sufficit igitur dependētia, siue (quia hæc quoq; non conuenit verbo diuino) relatio, siue connotatio, qua significetur, illud esse ab alio recipi; atqui in hoc nulla inuoluitur mutatio, ergo. Neq; vim argumenti effugiunt, qui dicunt, Aristotelem loqui tantùm de generatione creata, & naturali, qualis non est verbi diuini, quoniam nō argumentamur nos, malam esse definitionem Aristotelis, eò quòd non comprehēdat verbi diuini generationem, sed ex eo, quòd mutatio non conuenit generationi verbi diuini, colligimus, non esse de essentia generationis, & dicimus, non debuisse tamquā quid essentiale collocari in ipsius definitione.

In hac difficultate duo sunt enucleanda: Alterum est, quid de re ipsa sit dicendum: Alterum, quomodo Aristoteles sit intelligendus.

Quoad primum dicendum, re uera argumenta cōcludere, si propriè loqui velimus, Generationem formaliter non esse mutationem, idque assero non tantùm de ea, quæ abstrahit à materia, & conuenit verbo diuino, quia hic non loquimur de ea generatione, sed de ea etiam, quæ fit in materia, quia quamuis hæc non fit sine mutatione, quia materia verè mutatur, cum transeat ab vna forma ad aliam, tamen generatio formaliter non est in recto hæc mutatio, quia sequeretur, materiam generari, quamuis enim Auerroistę vt notant Doctores Connimbr. quæst. 9. art. 2. ad 3. videantur concedere, ipsam materiam generari, hoc tamen est contra Aristotelem, & communē consensum Philosophorum, immo omnium, & contra veritatem, nisi velimus nominibus abuti, nā illud generari dicitur, quod acquirit esse, materia autem in omni generatione semper eadē permanet quoad propriam essentiam. Neque sufficit effugium ipsorū Doctorū Connimbr, non oportere omne accidens absolutè appellare subiectum, cui inhæret; quia si non appellet, ergo vt tale accidens non dicit ordinem essentialem ad illud subiectū, sicuti actio dicitur esse in passo, quod tamen nō de-

denominat, quia vt actio, non dicit ordinem essentialem ad passum, tanquam ad subiectum. Præterea hac etiam responsione Doctorum Conimbr. admissa probo, generationē non esse mutationem; nam mutatio denominat subiectū, generatio non denominat, ergo generatio non est mutatio. Si dicas, denominare, vt mutationē, quia in generatione dicitur materia mutari. Contra. Repugnat, aliquam formam tribuere alicui subiecto suum genus, & non etiam suam rationem specificam. Non potest enim anima rationalis alicui dare esse animatum, & non tribuere esse hominem, & ita etiam cæteræ formæ, ergo si mutatio esset genus generationis, non posset materiæ tribuere esse mutatam, & non esse genitam. Certum igitur videtur, generationē non esse formaliter, & in recto mutationem, sicut etiam negari non potest, generationem esse non posse sine mutatione, prout hic nos de ea loquimur. Reliquum est ergo, vt videamus, quomodo sit intelligendus Aristoteles, dum generationem mutationem appellat.

Aristoteles explicatur.

SECTIO SECVNDA.

PRima expositio est, Generationem esse mutationem concomitanter, quia scilicet semper est cum mutatione. Verùm non est digna tanto Philosopho: cùm enim ex professo de generatione agat, & eā exactè definire moliatur, nō est credendum, in eius definitione posuisse pro genere, quod tantum concomitanter se habet, quod est se habere omninò extrinsecè, & per accidens, nam potuisset eam etiam appellare alterationem, cùm hęc quoque generationem comitetur.

Secunda expositio est quorumdā recentiorum, qui dicunt, Aristotelē sumpsisse mutationem latè pro successione, qua vnum alteri succedit, quo modo dicimus, magistratus, & imperia mutari, hoc est vnum alteri succedere, cum ergo inquit Aristoteles, *Generatio est mutatio totius in totum*, erit sensus, Generatio est successio, qua vno recedente alterū aduenit. Quæ responsio subtilis est, & probabilis, vereor tamen, ne sit ad mentem Aristotelis, quia hęc successio contingere potest sine vlla corruptione, siue generatione substantiæ, si enim ab aliquo loco vnū corpus alterum expellat, dici poterit, vnum totum succedere alteri toti, neq; tamen vlla generatio interueniet.

Tertia expositio ex Fons. 5. Met. c. 13. quæst. 9. art. 1. Dicitur mutatio de generatione, non secundum eius realem essentiam, sed secundum nostrum modum concipiendi, quia illud, quod gignitur, concipitur prius extitisse non ens tamquam sub termino à quo, vel fuisse in potentia materiæ, qua ratione cōcipimus, etiam creationem esse mutationem. Sed neq; hęc expositio videt̄ esse ad mētē Aristotelis, quia loquitur de mutatione totius in totum, at secūdum hanc expositionem non mutatur aliquid totum in aliud, sed idem de potentia transit ad actum, vt omittā, nec videri Philosopho dignum explicare res, prout à nobis concipiuntur, & non prout sunt à parte rei, quando hoc commodè fieri pōt.

Quarta expositio. Prædicatur mutatio de generatione, quatenus confertur cū materia, ex qua res gignitur, illa enim cùm re uera transeat ab vno termino ad alium, rectè etiam dici-

dicitur mutari, & hanc videtur approbare Fonf. 5, Metaph. cap. 13. q. 9. sect. 1. Tolet. 5. Phys. quaest. 1. Ant. And. 7. Metaph. quaest. 1. & alij. Verùm nec verbis Aristotelis potest accommodari hæc explicatio, iuxta eam enim non deberet dici generatio mutatio totius entis, sed mutatio materiæ.

Quinta igitur, & vera explicatio est, quę duobus fundamẽtis nititur: Alterum est, definiuisse Aristotelem non generationem præcisè sumptã; sed vt cõplectitur etiam corruptionem, vt patet ex ipsius verbis: Alterum verò, mutationem non tantùm dici de subiecto; sed etiam denominare terminos, quando sunt positiui, nam dicimus, album mutari in nigrum, & ex ligno fieri ignem. Quoniam igitur mutatio, vt generationem, & corruptionem complectitur, est inter terminos positiuos, vt inter aerem, & aquam, non mirum si vtrumque quodammodo denominet, & dicatur perinde, aquam mutari in aerem, vel è conuerso, hac enim eadem ratione dicimus, in consecratione Sacratissimæ Eucharistiæ panem mutari, siue transubstantiari in corpus Christi, & hunc esse verum & germanum sensum Aristotelis, patet. Nam inquit, quando ex aliquo toto composito fit aliud totum, tunc intercedere generationem, & corruptionem.

Duo tamen hic objici possunt contra hanc explicationem. Alterum est, quia id, quod corrumpitur, verè desinit esse, ergo non potest dici, quòd mutetur, nam vt supra diximus, quod mutatur, debet remanere idem sub vtroque termino, & idem argumẽtum fieri potest de eo, quod gignitur.

Alterum, quia transubstantiatio panis in corpus Christi esset vera generatio, cum sit mutatio totius in totum, &c.

Ad primum respondetur, aliquid dupliciter amittere posse suum esse, primo modo, ita vt nihil ex eo fiat, & tunc dicitur, in nihilum redigi, & nullo pacto mutatur; altero, vt ex eo fiat aliquid aliud, & tunc nõ dicitur quidem mutari simpliciter, sed mutari in aliud, vt patet in nutrimento, quod re uera corrumpitur, & tamen dicitur mutari, & verti in substantiã aliti. Ad impugnationem ergo id videlicet, quod mutatur, debere idẽ permanere sub vtroque termino, respondeo, hoc dictum verum esse de subiecto mutationis, non verò de termino, & re uera omne, quod mutatur, quatenus mutatur, non manet idem, ergo dici non potest, quòd maneat idem sub vtroq; termino, oportet tamen, vt detur aliquid commune corrupto, & genito, ratione cuius illud dici possit in hoc mutari, vt latiùs exponunt theologi in tractatu de transubstantiatione, & hoc etiam in hac mutatione est materia. Ad illud, quod similiter objiciebatur de genito, quod dici non possit mutatum, non est contra nos, quia non hoc inquit Aristoteles, immo mutationem prædicat de eo, quod corrumpitur, inquit enim, esse mutationem totius, idest corrupti, in totum, idest genitum: diximus tamen, à mutatione denominari quodammodo, & ipsum genitum, quatenus est id, in quod aliud dicitur mutatum.

Ad secundum respondeo, Transubstantiationem excludi à generatione propriè dicta p illa verba nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem, quæ quamuis sint formaliter negatiua, includunt tamen etiam aliquam affirmationem, scilicet remanere aliquod subiectum

sub vtroque termino, licet non sensibile. In transubstantiatione autem nullum remanet subiectum, quia mutatur & materia, & forma. Quæ responsio supponit, veram esse illam expositionem, quæ per sensibile intelligit compositum; nullum enim in generatione remanet subiectum, quod sit compositum idem, remanet tamen materia. De hac verò expositione quid sit dicendum, paulò infra aperiemus, eam tertio loco recensentes.

Vel secundò respõderi posset, remanere in transubstantiatione aliquod sensibile, idest concretum accidentis, vt subiectum idem, idest vt idem ens, in generatione autem nullum remanet sensibile, vt subiectum idem, quia licet remaneant accidentia, tamen illa accidentia dicuntur esse diuersa ratione subiecti, quia scilicet prius erant aquæ, postea sunt aeris, at accidentia panis in Eucharistia remanent etiam accidentia panis. Vel denique fateatur, cui hę responsiones non satisfaciunt, ab Aristotele non fuisse cognitam huiusmodi transubstantiationem, quare nec mirum, ab eo non fuisse à generatione per suam definitionem seiunctam.

Quomodo totius in totum.

SECTIO III.

POnitur hæc secunda particula loco differentiæ, vt per eam distinguatur generatio ab alteratione, & à reliquis mutationibus, nomine autem totius intelligunt omnes compositum ipsum substantiale, cum enim ex aqua fit aer, corrumpitur aqua, quæ est quoddam totum, & generatur aer; qui est etiam aliud totum. Sensus igitur definitionis clarus videtur, sed adsunt quædam argumenta, quæ dissoluere oportet, ne ipsum obnubilent.

Primum est, Dum ex aqua fit aer, non corrumpitur tota aqua, neque gignitur totus aer, quia materia, quę erat in illa, in hoc quoque remanet, ergo nõ fit mutatio totius in totum. Respondeo, ad hoc vt totum dicatur mutari, siue corrumpi, aut gigni, non esse necesse, vt mutetur, aut corrumpatur, aut gignatur secundum omnes suas partes, sed sufficit, vt mutetur in eo aliqua pars, à qua totum ipsum dependet secundum rationẽ totius, sicut binarius corrumpitur vnica detracta vnitate. Sed hinc oritur.

Secundum argumentum. Nam etiam in alteratione idem videtur contingere, nam dum aliquod subiectum ex albo fit nigrum, mutatur totum album in totum nigrum. Præterea, quando lignum aliquod scinditur in duas partes, corrumpitur illud totum, quod erat prius, & gignũtur duo alia tota, ergo adesset generatio, quod est falsum. E contra in generatione substantiali non semper videtur mutari totum; Nam quando ex embrione fit homo, gignitur quidem totum de nouo, at non corrumpitur aliud totum, quia forma embrionis remanet in hoie.

Ad primum horum respondeo, album non esse totum, nisi secundũ quid, & ita etiam mutatio ipsius in nigrum dicitur generatio secundum quid, totum autẽ simpliciter est compositũ substantiale, quare dum quis ex albo fit niger, non dicitur esse mutatus totus, sed tãtùm secundum accidens. Ad secundum responderi posset, ex vno toto fieri duo, non per mutationem, sed per diuisionem, quare licet non excludatur à definitione generationis per hanc secun-

dam

dam particulam, excluditur tamen per primam: Vel quòd & si forte etiam in hac diuisione interueniat aliqua mutatio, ratione alicuius modi, tamen quia ille modus non est pars totius, neque aliquid substantiale, non dicitur ratione ipsius mutari totum ipsum, neque per ipsum formaliter fiunt duo, sed tantùm tamquam per conditionem. Vel denique, & melius, quod non est sermo in definitione de toto integrali, quod per diuisionem, vel vnionem resultat, sed de toto essentiali, quod ex materia, & forma componitur.

Ad tertium, Ob hoc argumẽtum Zimara in theoremate 20. dixit, in hac definitione generationem tantùm elemẽtorum comprehendi, nõ autem animalium, aut mixtorum, eum autem redarguit Zabarella lib. de generatione, & interitu cap. 4. ex eo quòd Aristoteles in præfatione horum librorum promittit, se acturum de generatione omnium, & ex adductis ab eo exemplis, tã elementorum, quàm mixtorum id præstitisse apparet, ipse verò respondet, totũ corrumpi, & aliud totum gigni, quia ex vnius partis interitu totum compositum interire dicimus & aliud totum generari, quia fit alia species corporis naturalis, & mutatur vltima forma. Adhuc tamen remanet difficultas in eorum sententia, qui dicunt, dari plures formas (inter quos est etiam Zabarella) & consequenter aliquando gigni formam de nouo absque eo quòd vlla corrumpatur, vt in allato exemplo de embrione, qui fit homo; & è contra corrumpi formam, & nullam de nouo gigni, vt cum moritur equus, & remanet forma cadaueris, iuxta quã sententiam (quæ an sit vera, inferius inquiremus) alterum horum est dicendum. Vel scilicet Aristotelem loquutum fuisse de illa mutatione, quę generationem, & corruptionem amplectitur, in hoc autem casu esse vnam absque altera: Vel totum dici corrumpi, vel generari, quamuis forma de nouo non corrumpatur, aut gignatur, quia mutatur nihilominus totum in ratione compositi substantialis, quia quod erat in vna specie, fit in altera, & forma, quæ prius se habebat vt materia, incipit se habere vt forma, vel è conuerso, quæ prius vt forma dominabatur, seruire veluti materia alteri formæ incipit, quam responsionem amplectitur deinde etiã Zabarella ad tertiũ. Neque eadem ratio de toto integrali diuiso in duas partes militat, quia ibi hoc accidit per diuisionem, hic vero per aliquam veram productionem, aut corruptionem.

Postrema pars definitionis. s. Nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem aperitur.

SECTIO IIII.

Indiget explicatione hęc pars definitionis, quia alioquin falsa videtur, nam in omni ferè generatione videtur remanere materia cum aliquo accidente sensibili, vt cum ex aqua fit aer, remanet in aere perspicuitas, & frigiditas, remanet igitur aliquod sensibile, & remanet vt subiectum idem, quia materia semper est idem subiectum respectu vtriusque formæ.

Prima ergo expositio est Zabarellæ cap. 4. lib. de generatione, & interitu, qui concedit quidem, remanere aliquod accidens sensibile in genito, quod fuerat in corrupto, sed inquit, non remanere vt subiectum, quia accidens non est subiectum, quamuis autem remaneat eadem ma

teria prima sub vtraque forma, hæc tamen non est sensibilis. Nullum ergo, inquit, remanet subiectum sensibile idem, nam quãuis quando moritur homo, remaneat forma cadaueris, quæ prius erat subiectum respectu animæ, tamen in cadauere nõ est amplius vt subiectum, sed vt forma. Verùm difficultas non videtur ablata, quamuis enim accidens non sit subiectum, neque materia prima sensibilis, tamen materia prima simul cum accidente erit subiectum sensibile, alioqui neque in alteratione remanebit aliquod subiectum sensibile, quia accidens non est subiectum, & substantia non est sensibilis.

Secunda expositio est Thomistarum, qui dicunt, nullum remanere subiectum sensibile, quia corrumpuntur omnia accidentia, & fit resolutio vsque ad materiam primam. Sed vt omittam, hãc explicationem magnam falsitatem continere, vt infra probabimus, est etiam aperte cõtra mentem Aristotelis, s.n. nullum voluisset Aristoteles remanere accidens, dixisset tantùm, *nullo sensibili remanente*, absque eo quod adderet, *vt subiecto eodem*; dum autẽ hoc addidit, ostẽdit, se quidẽ concedere, accidentia remanere, verũ non vt subiectũ idem. Prçterea in tex. 24. aperte fatetur, idẽ accidens in genito manere posse, qđ in corrupto fuerat.

Tertia expositio. Per sensibile intelligit cõpositum, quod sensibiliũ accidentium est subiectum denominationis. Nullum autem dicitur remanere cõpositum in generatione, vt subiectum, quia vel nullum remanet, vt quando elemẽta transmutantur inuicem, vel si remanet, vt quando moritur homo, iuxta sententiam, quæ admittit plures formas, non tamen remanet vt subiectum idem, quoniam licet prius esset subiectum postea tamẽ est totum, & non subiectũ, quæ explicatio probabilis quidem est, sed voluntaria videtur, non enim per sensibile solemus intelligere compositum.

Quarta expositio. Per sensibile concretum accidentis, siue ens accidente affectum intelligit, per subiectum verò compositum substantiale, & erit sensus, quod in generatione non remanet aliquod habens accidens, quod sit idem cõpositum, qđ erat prius, quamuis.n. remaneat idẽ accidens, tamen non remanet vt idẽ compositum afficiens, frigus enim, quod prius erat frigus aeris, fit postmodum frigus aquæ. Probatur hæc expositio, quoniam non abutitur vocib*, & euacuat omnes difficultates; Nam sensibile nõ potest magis propriè intelligi, quàm pro eo, quod ratione accidentium sibi inhærentium est sensibile. Per subiectũ etiam intelligi compositum substantiale, est Aristotelis consuetudo; Nam 5 Phy. tex. 7. 8. & 9. inquit, generationẽ fieri ex nõ subiecto in subiectũ, non potest aũt per subiectũ intelligere materiã, quia falsò diceret, generationem fieri ex non subiecto, intelligit igitur cõpositum substantiale. Euacuatur quoq; difficultas, quia quamuis in generatione remaneat materia aliquo accidente affecta, ipsa tñ nõ est cõpositum; & quãuis demus, in morte hoĩs remanere idem cõpositum, qđ erat prius. s. ex materia, & forma mixtionis conflatum, tamen non remanet vt idem, quia vt supra diximus, mutat speciem, & etiam nomen. Distinguitur etiam per hæc verba generatio ab alteratione, quia in hac idem compositum substantiale permanet, non autem in illa.

Quinta explicatio. Nomine subiecti intelligitur illud, qđ verè substat

ftat, quæ eft acceptio huius nominis magis communis, & erit fenfus, nullum dari fubiectum, quod recipiat vtrumque terminum in hac mutatione, quia non eft aliqua tertia fubftantia, quæ in mutatione aeris in aquã, modo fit aer, modo fit aqua, quamuis enim materia prima fit fubiectum formæ vtriufque, non tamen eft fubiectum totius aeris, & aquę. Ariftoteles autem fumit pro terminis huius mutationis ipfa tota, vt patet ex his, quæ fupradiximus, & inquit, nihil effe, quod fit ipforum fubiectum, quia *ex tota genitura fit fanguis*, cum è contra quando fanum fit ægrotum, idem corpus maneat, & vtramque denominationem recipiat. Dices. Erit igitur fuperflua illa particula (eodem) Refpondeo, apponi ob maiorem declarationem, & diftinctionem generationis ab alteratione. Secũdò, vt fignificet, adeffe quodammodo duplex fubiectũ, nam totum, quod corrumpitur, eft quodammodo fubiectũ corruptionis, & illud, quod generatur, generationis, non eft tamen idẽ fubiectũ vtriufque. Quare vtraque expofitio, hæc fcilicet, & prior eft probabilis, prior tamen videtur magis ad mentem Ariftotelis, qui dũ inquit, aliud effe fubiectum, & aliud effe paffionẽ ipfius, in eodem textu videtur per fubiectum non aliud intelligere, quàm fubftantiam compofitam.

Sit ne fupradicta definitio effentialis, & perfecta.

SECTIO V.

Explicatis fingulis definitionis particulis, fequitur, vt videam, an explicet re uera effentiã generationis perfectè, ita vt & quidquid ad effentiam generationis fpectat, in ea cõprehendatur, & nihil in ea fit fuperfluum. Eft igitur Zabarellæ fententia c. 1. de generatione, & interitu, & aliorum recentiorum, hanc definitionẽ effe nominalem (ita eã appellat Zabarella) neq; exactè explicare generationis effentiam, non tamen explicat Zabarella, quid in hac definitione defideràdum fit, vel cur appellanda potiùs nominalis, quàm effentialis. Alij verò dixerunt, non effe exactam definitionem, eò quòd tradita non fit per omnes caufas, nõ afferunt autem, quænam caufæ prçteritæ fint; Quòd fi loquantur de efficiente, & fine, clarum eft, has nõ effe definitioni neceffarias, cum vt plurimùm non fint de rei effentia.

Alij eiufdem conclufionis hanc rationem affignant, quia tradita eft definitio generationis per mutationem, cum re uera, generatio non fit mutatio, nifi largo quodammodo, vt nos etiam fupra explicauimus. Doctores Connimbr. quæft. 9. cap. 6. videntur in hac definitione defiderare tum terminum à quo, qui eft priuatio, tum ad quem formaliter, qui eft forma fubftantialis.

Mihi fi quid defiderandum videtur in hac definitione, eft mentio fubiecti, ex quo fiat compofitum genitum, non vero aliud. Probatur prima pars, quia re uera fubiectum eft de effentia generationis, per hoc.n. potiffimum differt à creatione. (Nõ enim hic loquimur de generatione viuentium; quæ à fubiecto abftrahit) Huius autem non effe factam mentionem, fed potius fuiffe exclufum, patet; Nam dum dicitur, *mutatio totius in totum* videtur innui, nullum effe commune fubiectum. Similiter dum fubiungitur, *Nullo fenfibili remanente vt fubiecto*, idem excludi videtur, quamuis enim verum fit, quod nos fupradiximus,

per

per hanc particulam excludi tãtùm subiectum compositum, non verò materiam primam, hoc tamen parũ est, nam congruum videbatur aperte ipsum includi, cum sit maximè de essentia. Existimo tamen, veniam Aristoteli dandam, quia notum ei non erat, posse aliter totum in totũ mutari, quàm materia prima sub vtroque existente, quod tamen nobis, fide docente in transubstantiatione panis in corpus Christi, innotuit.

Probatur secunda pars, non aliud esse in ea desiderandum. Non enim est, cur requiramus cum Doctoribus Connimbricensibus priuationem, vel formam, quæ sunt termini formales, siue vt quo, explicatis terminis totalibus, siue quod, etiã illi sufficienter intelliguntur. Neque est damnandus Aristoteles, quòd definierit generationem per mutationem, quia vt supradiximus, intercedit vera mutatio inter corruptum, & genitum. Neque alia causa præter supradictas fuit explicanda, nam materialis est ipsum subiectum generationis, formalis est ipsa ratio constituens generationem, quæ per definitionem explicatur, cum enim non sit compositum, non habet veriorem causam formalem. Efficiens est agens naturale, quod explicandum non fuit, tum quia est causa extrinseca, & non essentialis, tum etiam quia satis per se nota. Causa autem finalis est ipsum totum compositum, quòd gignitur, & in definitione aperte est positum.

Sed quoniam diximus, huius definitionis subiectum non esse generationem tantùm, sed etiam corruptionem, quæret aliquis fortasse, quomodo generatio præcisè sumpta, siue etiam corruptio sit definienda. Ad quod respondeo, ex alijs definitionibus supra ex Aristotele allatis posse colligi responsionem.

Præterea definitur generatio à Doctoribus Connimbriensibus artic. 1. quæst. 9. *Mutatio à priuatione formæ substantialis ad formam substantialẽ in materia*. Verùm non apparet in hac definitione, cuius sit mutatio ipsa generatio, nõ enim materiæ, quia dicitur mutatio *in materia*, non verò materiæ, neque formæ substantialis, quia hæc est terminus ad quẽ, neque priuationis, quia hęc ponitur terminus à quo, ergo nullius erit mutatio.

Melius igitur ex verbis Aristotelis poterimus eam definire dicentes. *Esse productionem totius ex præexistente subiecto*. Dicitur *productio* loco generis, & quia re uera si sola consideretur sine corruptione, non est formaliter mutatio (*totius*) potiusquam formæ substantialis, quia homo re uera gignitur, neq; tamen generatur eius anima. Excludimus etiam per hanc particulam alterationem, & augmentationem, quia non terminantur ad totum, sed ad accidens, vel ad partem. Concludimus *ex præexistente subiecto*, vt distinguamus eam à creatione, & transubstantiatione.

Corruptio verò definiri potest. *Desitio totius permanente subiecto*. Dicitur *permanente subiecto*, quia sicut generationi debet subiectum præexistere, ita corruptioni superesse, & per hanc particulam differt ab annihilatione, in qua nihil remanet eius, quod annihilatur. Cæteræ autem claræ sunt ex definitione generationis.

An

An in qualibet generatione, siue corruptione fiat resolutio vsque ad materiam primam in formis substantialibus.

QVÆSTIO X.

DEfinitionem generationis hucusque explicatam ad sua dogmata roboranda Aristotelis sectatores variè interpretati sunt, vt rectè aduertit Zabarella cap. 1. de generatione, & interitu, potissimùm verò in proposita quæstione de resolutione vsque ad materiam primam. Nos autem ingenuè fatemur, Aristotelē per eam neutri parti patrocinati, quare aliunde inuestiganda est nobis veritas in hac quæstione, quæ & celeberrima est, & grauissima, quam solent alij de pluralitate formarum inscribere, & maximè conducet ad intelligendum, quale nam sit subiectum generationis, & ad plures alias quæstiones, quæ & in philosophia, & in theologia agitantur. Non examinabimus tamē hic, an dentur plures animæ in homine, quia spectat hæc quæstio ad libros de anima, neque an elementorum formæ in mixto permaneant, hoc enim in tractatu de mixtione erit considerandum, sed tantùm an repugnet, plures formas substantiales esse in eodem composito, vel an sit hoc necessariò dicendum, quod potissimum videtur habere locum in homine, in quo controuertitur, an preter animam rationalem sit ponenda alia forma mixtionis, siue corporeitatis.

Prima sententia non admittens plures formas substantiales in eodem composito.

SECTIO PRIMA.

TVentur hanc sententiam complures, & graues authores, in primis S. Thom. 1. parte quæst. 76. art. 3. & 4. cont. gent. p. 2. cap. 58. Capr. in 2. d. 15. quæst. 1. Caiet. dicto primæ partis loco, & 2. de anima ca. 1. Ferr. loco citato cōt. gēt. Sonc. 8. Metaph. quęst. 8. Iauell. quæst. 4. Soto 1. phys. quæst. 7. Ægid. tract. de plur. formarum. Bannes hoc primo libro quæst. 8. Tolet. primo Phys. quæst. 15. Fons. 2. Metaph. c. 2. quæst. 1. sect. 8. Suarez disp. 13. in Metaph. sect. 3. num. 12. & alij apud ipsum.

Afferuntur pro hac sententia plures rationes, præcipuæ sunt sequentes. Primò, compositum substantiale est vnum, ergo vnicam habet substantialem formam. Probatur consequentia, quoniam vnicū esse prouenit ab vnica forma. Secundo, ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se 7. Metaph. tex. 49. sed quælibet forma substantialis est ens actu, ergo si duæ sint, non poterunt vnicum ens cōstituere. Tertiò, quod aduenit enti in actu, est accidens, at secunda forma aduenit enti in actu, ergo erit accidens.

Secundò principaliter, vel quælibet harum formarum tribuit esse specificum, vel altera genericum, altera specificum, vtrumq; autem est absurdum. Primum quidem, quia sequeretur, idem ens esse in duabus speciebus vltimis, & completis, secundum etiam dici non posse, probatur multipliciter. Primò, quia nulla forma tribuere potest esse genericū, quin etiam gradum specificum tribuat

buat, vt patet inductione in formis accidentalibus, quæ sunt imperfectiores substantialibus, nam albedo tribuit esse coloratum, & esse albū, & ita in reliquis; idem apparet in Angelis, qui nō per aliam entitatem sunt spiritus, & per aliam tales spiritus, ergo idem dicendum erit de formis substantialibus, quæ veluti mediæ participant naturam horum extremorum, neque enim vlla afferri poterit diuersitatis ratio. Secundò quia non potest intelligi forma re ipsa existens, quę essentialiter constituta non sit in aliqua vltima specie formæ substantialis, sed omnis forma communicat composito totum suum esse, & totam suam essentiam, ergo constituit illud in aliqua vltima specie substantiæ compositæ. Tertiò hæc forma constituit compositum indiuiduum, alioquin esset vniuersalis, quod dici non potest, cū vniuersalia non existant à parte rei, ergo etiam illud cōstituet in aliqua vltima specie, quia repugnat, dari indiuiduum, quod non sit in aliqua specie, vt patet inductione in omnibus, & adest etiam ratio, quia indiuidua entitas necessario differt essentialiter ab alijs, ergo necesse est, vt sit constituta in propria essentia alijs non communi. Quartò, si potest dari forma, quæ solum conferat gradū genericum, ergo quot sunt gradus generici, & specifici substantiarum materialium, tot erunt multiplicandę formæ realiter distinctæ, nulla.n. afferri potest ratio diuersitatis. Consequens autem est nō solùm falsum, sed etiam ridiculum, nam in Angelis, & in accidentibus constat, non esse necessariam distinctionem realē formarum ad abstrahendos gradus generis, & differentiæ, & speciei. Præterea sequeretur, innumeras formas realiter distinctas esse assetēdas in singulis compositis, quia differentiæ genericæ, & specificæ possunt varijs modis multiplicari iuxta varias differentias, & conuenientias, quæ possunt in rebus considerari, & secundum eas possunt varij conceptus communes, & particulares abstrahi. Est ergo magnus error in philosophia propter nostrum modum concipiendi confusum, vel distinctum, ex quo sæpe oritur generum, & differentiarum multiplicatio, reales, ac physicas formas distinguere. Confirmatur S. quia de ratione proprij generis, & propriæ differentiæ est, vt eamdem rei essentiam dicant diuersimodè conceptam, ergo sicut ab vna forma desumitur essētia rei, ita etiam genus, & differentia. Præterea impossibile est, formam dare alicui composito esse specificum, quin etiam det esse genericum, nam gradus specificus includit essentialiter gradum genericum. Et confirmatur, quia ad cōstituēdum corpus nihil aliud requiritur, quam forma substantialis vnita materiæ, nam statim ac concipimus substantiam cōpositam ex materia, & forma, statim etiam cōcipimus, ipsam esse corpoream, atqui quælibet forma substantialis sufficit ad constituendum compositum cum materia, ergo quęlibet tribuit esse corporeum, ac proinde superflua est omnis alia forma, siue mixtionis, siue corporeitatis dans esse corporeum composito.

Tertiò principaliter: Auferat De° ab homine omnem aliam formam substantialem, & relinquat tantùm animam rationalem cum omnibus accidentibus; cum enim istæ formæ realiter ab anima differant, & ab accidentibus, non est ratio, cur negemus, hoc posse fieri. Quæro igitur, an tunc illud compositum ex materia prima, & anima rationali esset homo,

homo, vel non, si primum, ergo etiã corpus, est igitur superflua omnis alia forma, quę vt det esse corporeũ, in eo ponitur, si secundum, ergo anima rationalis non tribueret suum effectum formalem cõposito, quod repugnat.

Quartò Anima rationalis non tribuit homini esse accidentale, ergo substantiale; hoc autem substantiale esse, vel est spirituale esse, vel corporeum, non primum, ergo secundũ, superflua est igitur omnis alia forma.

Quintò sequeretur, corpus non posse prædicari in recto de homine. Probatur consequentia, quia forma dans esse corporeum distingueretur realiter ab ea, quæ dat esse humanum, ergo gradus corporeus distingueretur ab homine tamquam pars à toto, non posset igitur de eo prędicari in recto, sicut nec album prædicatur per se de dulci.

Sextò forma mixtionis in homine vel dat esse completum, vel incompletum, si primũ, ergo non est in potentia ad recipiendam vlteriorẽ formam, si secundum, ergo forma substantialis suscipit magis, & minus, cũ modò sit completa recedẽte anima, & eadem præsente dicatur incompleta. Præterea accidens adueniens embrioni dicitur esse accidens, quia aduenit enti in actu completo, ergo si etiam ei aduenit anima, adueniet enti completo, & erit accidens.

Septimò Anima sensitiua in brutis põt illi tetribuere esse corporeũ, cũ sit corporea, & extensa, ergo idem quoque efficere poterit anima rationalis, quæ continet sensitiuam, vel formaliter, vel virtualiter.

Octauò, quod alia non sit forma substãtialis carnis, alia ossiũ, alia neruorũ, &c. probatur. formæ substantiales essentialiter diuersæ non possunt inuicẽ cõtinuari, quia sequeretur, idem indiuiduũ, quod ex illis cõponeretur, esse in diuersis speciebus contra Aristotelem. 5. Metaph. c. 6. atqui hæ partes diuersæ in homine continuantur, & efficiunt vnicũ compositum, ergo non habent formas essentialiter diuersas.

Nonò, Recedente anima partes corporis æquiuocè tantùm remanẽt illud, quod erant prius ex Aristotele 3. de anima tex 9. & 2. de historia animalium c. 5. vbi dicit, carnem hoĩs mortui esse æquiuocè carnem, non aliter quã caro lapidea, vel depicta, ergo non habent eamdem formam substantialem, quam prius habebãt, alioquin essent eædem ac priùs.

10. Vnica anima sufficit ad omnes has partes informandas, ergo superfluum est, peculiares illis formas tribuere. Antecedẽs probatur, quia maior est diuersitas inter potentias visiuam, & auditiuã, quã inter carnẽ, & neruos, sed eadem anima sufficit ad illas, ergo etiam ad istas.

11. Vel omnes huiusmodi formę diuersæ inferuntur pariter in materiam, vel vna ante aliam, si primum, sequeretur, generationẽ non habere vnicum formalẽ terminũ, atq; adeo non esse generationẽ vnã. si secundum, sequeretur, vltimam formam substantialem aduenientem non tribuere esse simpliciter, sed tale esse, siue secundum quid, ac proinde esse accidentalem.

12. Hoc interest inter subiectum generationis, & aliorũ motuũ, quod generationis est materia prima, aliarum verò mutationum ens actu ex 8. Phys. tex. 8. & 1. de generatione tex. 23. Atqui materia cum forma est ens actu, ergo non potest aliam formam recipere per generationem.

13. Vel vnica forma mixtionis pręfuit in materia ante introductionẽ aiæ, & simul cũ ipsa fuit toto vitę tẽ-

pore, & post discessum illius manet, vel fuerunt diuersę, neutrum dici potest, ergo non datur; Non potest dici, quod fuerit eadem semper, nam diuersæ omninò sunt mixtiones, & accidentia, neque embrio videtur dicendus idem numero, & essentialiter cum cadauere; Item anima esset accidens, cum adesset, & abesset præter illius mixti corruptionem. Multò minùs videtur esse diuersa, quia vel hæc diuersa forma genita fuisset in hominis vita, vel in morte; non primum, quia si mutata fuisset forma mixtionis, quæ supponitur ab anima rationali, etiam ipsa separata fuisset à materia; neque secundum, quia hoc est præcipuũ aduersariorum fundamentum, in hominis morte nullam gigni nouam formam substantialem.

14. Aristoteles 8. metaph. tex. 15. inquit si homo per aliam formam esset animal, & per aliam bipes, non esset vnus, sed duo, atqui si ponatur forma mixtionis, per aliam formam est animal, scilicet per animam, & per aliam est bipes, scilicet per formam particularem pedum, siue per formam mixtionis, ergo homo non erit vnus.

15. Tex. 90. primi de anima probat Aristoteles, non dari plures animas in homine, quia nihil esset, qđ has animas inter se vniret, at eadem est ratio de pluribus formis, atque de pluribus animabus, ergo si dantur plures formæ, non erit homo vnus.

16. Si mortuo animali, non generaretur noua forma, tunc corruptio per se intenderetur à natura, quod omnes Philosophi pro absurdo habent. Probatur consequentia, quia illa mutatio ad corruptionem terminatur, & licet resultet, vt dicunt aduersarij, nouum quoddam totum, non intenditur tamen id à natura, sed resultat per accidens, quare nec diù permanet, sed paulò post corrumpitur.

17. Formæ dicuntur esse, sicut numeri 8. Metaph. 10. in quibus superior continet semper inferiorem, ergo etiam anima, quæ est forma suprema, omnes alias inferiores contraebit. Et confirmatur ex 2. de anima tex. 31. vbi dicitur, formas se habere sicuti figuras, quarum vna semper alteram continet, verbi gratia quadratum continet triangulum; & similis est alia propositio, scilicet Differentiam superiorem contineri ab inferioribus ex 7. metaph. tex 43. & differentiam vltimam esse totam essentiam rei, cui affine est aliud dictum tex. 44. genus non esse quid distinctum à speciebus.

18. Producitur caro virtute animæ tum in generatione, tum in nutritione, vel ergo anima continet virtute formam carnis, vel non; si primum, ergo ipsa potest tribuere materiæ esse carnis absque alia forma. Si secundum, ergo non poterit formam carnis producere.

Plures formas in composito reperiri ex aliorum sententia.

SECTIO II.

Adeo multi hanc sententiam sequuntur, vt veritus non sit dicere Bannes. (*Quotquot Theologi, & Physici, & Metaphysici sunt, contra D. Thomam coniurasse videntur*) ex recentioribus tamen non pauci, vt retulimus, cum D. Thoma sentiunt. Illi verò, qui ei aduersantur, inter se quoque diuisi sunt.

Est ergo secunda sentẽtia Ianduni primo de anima quæst. 8. & Pauli Veneti 7. Metaph. quã etiam S. Thomas

mas tribuit Auicenbron. tex. 24. huius primi, & Sonc. 8. Metaph. 9. 12. Auerr. 13. Metaph. qui non extat, videtur tamen, inquit Bannes, eam innuere 1. Metaph. tex. 17. Tot esse formas realiter distinctas in vnoquoque composito, quot sunt prædicata essentialia. Probatur primò ex Aristotele 2. Metaph. cap. 2. dicente, in caufis formalibus nō dari processum in infinitum, quia neque datur in prædicatis quidditatiuis, ergo supponit, æqualem esse numerum formarum, ac prædicatorum.

Secundò ex eodem 7. Metaph. c. 10. Definitioni respondent partes rei, ergo quot sunt prædicata in definitione tot erunt rei partes.

Tertiò Si homo per eamdem formam esset homo, & animal, sequeretur, quod quatenus animal, esset etiam homo, quod esse falsum, clarissimum est, quia tunc omne animal esset homo. Probatur consequentia, quia illud conuenit homini, quatenus animal, quod conuenit ei, quatenus habet formam tribuentem animalitatem, quia valet argumentum ab abstracto ad concretum.

Quartò, Non potest idem per eādem formam esse similis, & dissimilis, sed Petrus quatenus homo, est dissimilis bruto, & quaten⁹ animal, est similis, ergo per diuersam formā est homo, & animal, quod autem dicitur de his duobus prædicatis, posset etiam dici de reliquis.

Quintò id conuenit alicui per se, quod conuenit per propriam formā 5. Metaph. tex. 13. at homini conuenit per se, esse rationale, ergo per propriam formam, sed per propriā formam etiam conuenit ei esse viuens: Ab ea forma igitur, quæ tribuit esse viuens, tribuetur etiam esse rationale per se, quare omne viuens erit rationale.

Sextò ex multitudine operationum, & munerum, formarum multitudo colligitur, cum formæ sint principium agendi, sed quot sunt prædicata essentialia, tot sunt in composito operationes, & munera, ergo etiā tot formæ. Probatur minor, quia Socrati cōuenit ratiocinari, sentire, viuere, habere partes, moueri deorsum, esse substantiam, ex quibus omnibus diuersa prædicata essentialia colliguntur.

Septimò prædicata essentialia differunt inter se formaliter, ergo per formas diuersas, nam quæ habent eamdem formam, sunt idem formaliter, sicut quæ habent eamdem entitatem realem, sunt idem realiter.

Octauò Aristoteles in tex. 28. primi Phys. argumentatur contra Parmenidem, & Melissum, qui omnia dicebant esse vnum ens, quod etsi sola esset substantia, multa tamen essent entia, quoniā in homine sunt animal, & bipes, genus, & differentia, quæ nisi sint res distinctæ, nihil confecit Aristoteles.

Tertia sententia est Scoti in 4. d. 11. q. 3. qui in mixtis inanimis vnicam quidem ponit formā, in viuentibus verò, præter vnicam in singulis animam, tot etiam formas recenset, quot sunt partes similares distinctæ, aliam videlicet carnis, aliam ossis, aliam nerui, &c. & præter has aliā quandam communē, quę & eas omnes contineat, & viuenti vnitatem tribuat. eandem sequuntur Maironus in 2. dist. 15. & 16. Niphus primo de generatione comm. 78. & alij recentiores.

Quarta est Henrici, qui quolib. 2. art. 2. & quolib. 4. art. 13. in homine tantùm duas formas ponit, animam rationalem, & formam mixtionis.

Quinta est Guglielmi Ochami, q̄ quolib. 2. quæst. 2. in homine quoq; duas

duas formas ponit, sed intelligentẽ animam, & sentientem, eò quod vna est alteri contraria.

Sexta est Auicennæ 1. suffic. cap. 2. præter formas specificas dari in singulis rebus formam quamdam corporeitatis genericam, materiæ coæuam, ortus, & interitus expertem.

Septima est, in brutis præter formam mixtionis adesse duas animas vegetantem, & sentientem, in homine autem præter has duas, etiam rationalem, patrocinantur huic sententiæ Philop. primo de anima in tex. 91. Nobil. 1. de generatione cap. 4. & Zabarel. lib. 1. de facult. animæ cap. 8.

Octaua sententia est, in animalibus, & viuentibus præter animam tot esse formas substantiales, quot sunt partes diuersæ, præter has autẽ non dari aliam totalem, & illis communem, tuentur hanc sententiam Antonius Trombetta. 8. Metaph. 9. 2. Hieronymus Dandinus digress. 8. parte 3. secundi de anima, & alij recentiores.

Quæstionis resolutio.

SECTIO III.

DIco primò, Non esse in composito tot formas substantiales, quot sunt eius quidditatiua prædicata. Est contra secundã sententiam ab omnibus iam meritò reiectam. Probatur facilè nostrũ dictum, quia simplex accidẽs, vt albedo, tribuere potest esse genericũ, & specificum, nempè coloratum, & album, ergo non erit hoc denegandum formæ substantiali. Præterea vel forma ignis tribuit esse substantiale, vel non, si primum, ergo prædicatum genericum, & specificũ possunt ab eadem forma prouenire, si secundum, ergo non erit forma substantialis. Militant etiam contra hanc sententiam argumenta allata pro prima sententia, quæ quamuis non totum concludant, quod eius auctores vellent, hanc tamen sententiam expugnant, præcipuè tertium.

Dico secundò, Non dari in materia formam corporeitatis illi coæuã. Hoc etiam dictum prolixa non indiget probatione, cum etiam Auicennæ sententia ab omnibus scholis sit explosa, ne tamen videamur eam indicta causa condemnare, probatur nostrum dictum. Omne corpus naturale est determinatum per suã formam ad aliquem motum, nam forma cum sit natura, debet esse principium motus, & quietis; at hæc forma nullum habet motum, ergo fictitia est. Probatur minor, quoniam in igne non adest alius motus, quàm qui est proprius ipsius formæ, nempè sursum; & idem dici potest de cæteris elementis, & tamen in his reperitur forma corporeitatis, ergo hæc nullum habet proprium motum.

Pręterea omnis forma aliquas dispositiones in materia prærequirit, atqui hæc nullas deposcit, cum possit esse simul cum omnibus absque interitu, ergo verè non est forma. Denique nulla adest ratio, nulla necessitas hanc formam introducendi, ergo non debet admitti.

Dico tertiò, In viuentibus pręter animam tot esse formas, quot sunt partes diuersę, ita vt alia sit forma carnis, alia neruorum &c. In hoc dicto cardo totius controuersię positus est, & idcircò erit fusiùs comprobandum. Probatur ergo primum: Anima virtute tantùm, & non formaliter continet formam substantialem carnis, ossium, &c. ergo pręter ipsam debet dari forma substantialis, à qua huiusmodi partes suum esse recipiant.

piant. Antecedēs vsurpatur frequenter ab aduersarijs, immo huic principio maximè innituntur, quòd forma nobilior, & superior continet virtute inferiores. Præterea etiam probatur ex diuersitate harum partium. Nam eadem entitas animæ non potest formaliter continere contraria, atqui partes animalis sunt inter se contrariæ, cum quædam tēperamentum frigidum requirāt, veluti cerebrum, aliæ calidum, vt cor, aliæ siccum, vt ossa, aliæ humidum, vt medulla, quapropter etiā inuicē agunt, & patiuntur. Consequentia patet, quoniā adhoc vt aliquid sit formaliter tale, non sufficit, vt contineat formam habentem virtualiter illud esse, non enim dicitur vinum, vel piper formaliter calidum, nisi per formam caloris, non verò per continentiam eiusdem virtualem; atqui in homine est formaliter caro, & os, & nerui, ergo habet formam substantialem dantem talia esse, & non tantùm animam virtute eas continentem.

Dicent fortè aduersarij, carnē, & ossa differre tantùm accidentaliter; at certè sine ratione dicent. Nā proprietates diuersas habēt, & diuersas dispositiones permanentes, quę non solent reperiri nisi in entibus specie differentibus; alioqui etiam dicemus, aurum, argētum, & lapides inter se accidentaliter differre, immo etiam elementa; Nam formæ substantiales in materia, & sub accidentibus latitant, non possunt ergo videri, vel cognosci per se, sed ex accidentibus, & proprietatibus cognoscuntur, præcipuè ex connaturalibus; Nam si accidentia non sint connaturalia, & consentanea alicui formæ, videmus, diutius non posse in eadē materia cum ipsa permanere, sed vel ipsam corrumpent, vel ab ipsius dispositionibus corrumpentur; at partes hominis habent accidentia diuersa sibi proportionata, à quibus non solùm non corrumpuntur, sed etiam conseruantur, ergo sunt illis connaturalia; quæ autem habent accidentia diuersa sibi connaturalia, debent etiam habere diuersam formam substantialem, ratione cuius dicuntur accidentia connaturalia. Dicent fortè, animam continere formaliter huiusmodi formas, & iuxta exigentiam cuiusque membri dare illi suum esse, sicut eadem anima in aure audit, & in oculo videt. Verùm hoc non nisi valdè improbabiliter dici posset. Primùm enim forma carnis habet esse extensum, ergo anima rationalis non potest eam formaliter continere. Si dicas, etiam anima sensitiua habet esse extensum, & tamen continetur formaliter ab eadem anima rationali. Respondeo, animam sensitiuam nō habere esse extensum, vt animam, sed vt formam materialem, continetur autem formaliter vt anima, non vt forma materialis, at verò forma carnis non potest concipi, nisi vt extensa, & materialis, quia non habet aliud esse, quàm materiale. Præterea anima determinatur ad videndum in oculo à dispositionibus ipsius oculi, at si etiam ipsæ dispositiones essent ab anima, non esset, à quo determinaretur; Si igitur dicamus, esse carnis, & ossium ab anima pendere, iam ipsa non habebit, à quo determinetur ad tribuendum hoc potius esse, quàm illud, & si dicamus, determinari ab accidētibus præexistentibus, rursus oportet inquirere, à quo sint determinata accidētia præexistētia, & cur hæc accidentia sint potius connaturalia huic parti, quàm alteri, cur ue hoc accidens vni parti officiat,

ciat, & alteri profit, cum anima fit indifferens ex fe ad hæc, vel illa accidentia? Tandem fatendum erit, membra non differre inter fe effentialiter, nec fubftantialiter, cum per vllam fubftantiam non differant: Adde, quòd quáuis hæ formæ fubftantiales partium non effent contrariæ, funt tamen eiufdem ordinis, at duæ formæ eiufdem ordinis non poffunt formaliter, & perfectè contineri in eadē entitate, alioquin nulla effet ratio, cur forma ignis, & aeris non poffent effe in eadem materia.

Secundò principaliter argumentor. Caro, & offa mouentur naturaliter deorfum, neque poffunt habere hunc motum ab anima, ergo habent ab alia forma fubftantiali. Non habere ab anima, probatur primò, quoniam motus animæ proprius eft progreffiuus, cui aduerfatur motus deorfum, non eft autem credibile, ab eadem forma duos motus contrarios prouenire, quia fibiipfi aduerfaretur, nec alter eorum dici poffet præter naturam, ficut videtur eum appellare Ariftoteles 5. Phyf. tex. 27. Secundò, quoniam eft communis fenfus omnium, huiufmodi motum deorfum prouenire ab elemēto prędominante, fcilicet terra, tefte etiam Ariftotele 8. Phyf. tex. 27. vel ergo forma fubftantialis terræ erit in homine, & iam plures formas fubftantiales habebimus, vel non erit ipfa, fed tantum virtus eius accidentalis, & tunc motus non effet à natura, fed ab aliquo accidente contra Ariftotelem, vel ab aliqua virtute eius fubftantiali, & hæc erit forma fubftantialis, vel formaliter, vt ego exiftimo, vel faltem virtute, vt eft opinio magis communis; ipfam continens.

Dices; ita poffe contineri virtute ab anima, ficut etiam à forma mixtionis; at non rectè, tum quia anima eft principium motus cōtrarij, nempè progreffiui, non poffunt autem motus contrarij ab eadem natura prouenire, quia natura eft determinata ad vnum, tum etiam quia eft entitas fimplex, non poteft igitur dare effe mixtum. Ex quo etiam obiter nouum argumentum pro noftra fententia deducitur; quia homo nō effet verè mixtus ex elementis, imò effet corpus fimplex, quia conftaret ex fimplici forma, & fimplici materia, accidentia enim non poffunt efficere, nifi mixtionem accidentalem; Prætetea videmus, grauitatem augeri ex multitudine materiæ; ergo fignum eft, non prouenire ab anima, quæ faltem in homine femper eft eadem, fed ab alia forma, quæ fimul cum materia accrefcit. Præterea fi animal cadens à turri in aere moriatur, continuo motu defcendit vfque ad terram, ergo caufa, quæ illum motum efficiebat, femper efficit, nō igitur ab anima, quæ difceffit, fed ab alia, quæ remanfit, proficifcebatur. Fateor tamen, hoc argumentum, qđ multis videtur efficaciffimum, apud me parum roboris obtinere; vt enim multa alia omittam, fi daretur in medio terræ fouea, quæ centrum terræ tranfcenderet, & lapis in eam caderet, moueretur continuè etiam vltra centrum, neque tamen à grauitate, fed ab impulfu, & impetu in ipfo motu acquifito, vt alibi latius explicabimus, ergo non repugnat, eundem motum continuari, quamuis eius primaria caufa deficiat.

Melius igitur confirmabitur, quia fi grauitas effet ab anima, cum hæc fit perfectior quàm forma materialis, vtique grauius effet corpus animatum, quàm mortuum, cuius tamē contrarium experimur. Denique eft omninò abfurdum, ab anima effe motum

motum, quo ipsa interimatur, at si animal è tutri decidat, in ipso motu aliquando moritur, ergo non est credibile, ab anima fuisse illũ motũ, datus est .n. à natura motus ob conseruationem rei, non ob destructioné.

Tertium argumentum desumitur ex ipso motu progressiuo, nam ex Aristotele tex.28. & 29. 8. Phys. sola animalia mouent se ipsa, quia diuiduntur in partem per se mouentem, & partem per se motam; at hoc non potest esse verum, nisi ponamus plures formas substantiales, igitur. Probatur minor, quoniam si in animali est tantum forma, & materia, forma erit per se mouens, & materia per se mota, at hoc est contra Aristotelē, primò quia quod mouetur, debet esse ens actu, non autem materia. Secundò quoniam eadem ratione dici possent elementa diuidi in partem mouentem, & partem motam, cum etiam constent materia, & forma. Probabilius dici posset, vnā partem constātem ex anima, & materia mouere aliam partem ex eadē anima & materia constantem, non videtur tamen totam euacuare difficultatem, primò quia anima mouet secundum se totam corpus, & nulla est pars corporis, quæ ab anima immediatè non moueatur, secundò idem dici posset de elementis, quod vna pars impellat aliam. Sed quia responderi posset, elementa non habere partes eterogeneas, quarũ vna se habeat vt mouens, altera vt mota, sicut animalia, hoc argumentum, qđ ab aliquibus magnifit, non est plusquam probabile.

Quartum, antequā corpus ab anima informetur, constat ex partibus diuersas formas substantiales habentibus, ergo etiam postquam est anima informatum. Antecedens probatur, quia si non haberet plures, ergo vnam tantùm, at hoc dici non potest, quia illa vnica forma esset anima, informaret enim corpus organicum potentia vitam habens. Præterea non datur forma materialis, quæ possit tam diuersas dispositiones in materia requirere, neque fungi munere tot formarũ, est ergo incredibile, vnam tantùm adesse formam, neque dici potest, statim ac perfectè sunt dispositæ, animam recipere, tum quia anima perfectiores requirit dispositiones, quàm forma inanima, ac proinde prius illæ partes erunt sufficienter dispositæ ad recipiendam formam substantialem mixtionis, quàm ad animam; tũ etiam quia non simul omnes partes perfectè disponuntur, constat enim ex cap.4.lib.3.de partib. & cap.4.lib. 2. de ortu animalium, cor primum omnium partium gigni, at anima nō introducitur, nisi corpus sit perfectè organizatum, ergo illæ partes, quæ prius fuerant dispositæ, aliam formam substantialem adeptæ sunt. Consequentia probatur, quia non adest ratio, cur illæ formæ aduenien te anima corrumpantur, si enim causam finalem respiciamus, debent remanere, quoniam sunt propter animam, & cum vnumquodque conseruetur ab ijsdem causis, à quibus producitur, si hæ formæ causæ fuerunt, vt anima introduceretur, ergo etiam erunt, vt ipsa permaneat. Adde quod vt testatur Aristoteles tex. 63. lib.8. absurdum est existimare, naturam producere quidquam, vt statim destruat; si verò causam efficientem, nullam reperiemus, quæ eos corrumpere possit, non enim anima, tum quia hæc non habet incompossibilitatem cum illis, immo est illis consentanea, cum ab ipsis disponatur materia in ordine ad illam, tũ etiam quia forma substantialis non agit

agit nisi medijs accidentibus, neque corrumpitur, nisi per dispositiones contrarias, at in carnem, & cæteras partes, nulla introducuntur acciden tia, siue dispositiones contrariæ ipsi formæ carnis, ergo non adest agens, quod illam corrumpere possit.

Quintò idem colligitur ex forma quę remanet post hominis mortem; nam caro, & ossa animalis anima carentis sunt vera caro, & vera ossa, ergo habent veram formam substantialem carnis & ossium, neque aliā, quàm eam, quam habebant in animali viuo. Antecedens omniū consensu approbatur, qui censent, ieiunium solui, si comedatur caro animalis mortui, quòd si illa vera caro non esset, non vtique per esum ipsius solueretur ieiunium; quòd etiā habeat veram carnis formam, sequitur manifestè ex eo, quòd sit vera ca ro, quod vero hæc sit eadem, probatur ex eodem communi omniū con sensu, qui arbitrantur se manducare, vel carnem vitulinam, vel hædinam, aut alterius animalis, denominatione sumpta ab ipso animali viuō. Præterea si non est eadem, à quo nam agente est de nouo hæc forma producta? ab eo, qui interimit animal? Atqui argumentatur Scotus. Potest animal interimi à plurib9 cau sis specie, & genere inter se distinctis, quomodo ergo credibile est, ab omnibus eamdem, vel numerò, vel saltem specie formam produci? Probabilius respondent Doctores Connimbr. produci ab eo, quod in materiam introduxit eas qualitates, quibus tunc ea affecta reperitur. At vrgebo illæ qualitates sunt illæ eædem, quæ erant in animali viuo, ergo si erant dispositiones sufficientes ad hanc formam, nō est negandum, tunc eam fuisse in ea materia, si dicas, prohibitam ab anima, pugnantia dices, videlicet materiam esse perfectè dispositam ad recipiēdam aliquam formam, & tamen impediri ab eius receptione, hoc enim non potest fieri nisi ab agente supernaturali. Præterea sequeretur, dari generationem sine præuia alteratione, potest enim mori homo absque eò quòd alteretur ipsius pes, aut manus; Item produci formam otiosam, vt quid enim atteritæ; si pulsus amplius futurus non est? quorsum venæ, si numquam sanguine replebuntur? quorsum cæteræ partes, si nullus earum futurus est vsus? certè nō tam imprudenter solet operari natura.

Sextò si in homine non esset alia forma substantialis pręter animam, ergo ex anima rationali, & materia tantum cōstaret homo essentialiter, quod esse inconueniens, ex eo probatur, quia tunc auris posset dici homo, & quælibet alia pars hominis saltem eterogenea, quia constaret ex anima rationali, & materia prima, sicuti quælibet pars aquæ est aqua; q a ex materia, & forma eius substāntiali constat. Præterea caro erit essentialiter neruus & os, & quælibet alia pars; nam constat anima, quæ est formaliter forma ossis & nerui, ergo licet careat accidentibus ossis, ramē habebit, quidquid est de essentia ipsius, quod est adeo durum, vt ne à dentibus quidem caninis corrodendum sit.

Septimò si anima est actus corporis organici ex 2. de anima tex. 7. ergo anima supponit corpus organicum, ergo non est tale per animam, sed per alias formas substantiales. Respondet Bannes, hanc definitionem esse per effectum formalem, sicuti si diceremus, lucem esse actum lucidi, atqui si hoc esset verum, deberet dici anima esse actus corporis viuentis, Ex D. Th. 1. p. q. 76. a. 4. ad 6.

viuentis, quia hic est formalis eius effectus, in definitione autem dicitur potentia vitam habētis. Quod verò aiunt per vitam intelligi operationes, etiamsi concedatur, non tollit, quin silentio prætermissus fuerit præcipuus effectus formalis ipsius & nugatoria sit hęc definitio, ac si diceretur, animam esse actum animati quis enim hoc ignorat?

Octauò, Argumentatur probabiliter Zabarella, forma nobilior nobiliorem, & elaboratiorem materiam postulat, anima igitur, quæ est forma nobilissima, non debet immediatè inhærere materiæ primæ, sicut forma elementi; sed in materia alia forma substantiali iam informata; & potest confirmari, quia in causis efficientibus, & finalibus datur subordinatio; ita vt vna causa det esse mediante altera; ergo idipsum est probabile euenire in materia, & forma; Erunt igitur respectu animæ duæ materiæ subordinatæ, nempè materia prima, vt concipitur sine forma, & materia secunda informata substantiali forma: Item in formis dabitur subordinatio, quia anima media alia forma informabit materiam, quæ forma media respectu materiæ erit forma, respectu verò animæ erit materia.

Nonò, Theologia quoque nobis apertè suffragatur. Nam, vt annotauit Scotus, asserunt plures Patres, illud idem corpus Christi, quod sepultum fuit, resurrexisse, & in cœlum ascendisse, vt S. Ambrosius, qui refertur *De consecratione distinctione secunda, cap. omnia quæcumq*; S. Athanasius *in Epistol. ad Epict. contra hæreticos*. S. Leo Papa *sermon. de Ascension.* S. Augustinus *libro contra Felic. capit.* 14. *& sermon. 3. de Ascens.* S. Gregorius *homilia 3. in Euangel. & alij*, atqui si habuisset diuersam formam substantialem, non fuisset idem, quia per formam res distinguuntur, non per materiam, ergo dicendum est, eamdem semper retinuisse formam. Confirmatur, quoniam si habuisset nouam formā, cum non sit probabile, hanc fuisse vnitam hypostaticè cum verbo diuino, caro illa, quæ erat in corpore Christi mortuo, non fuisset caro verbi diuini, consequenter neque vt talis adoranda. Malè etiam dixissent Patres, ex latere Christi sacramenta fluxisse, quia illud latus, si noua forma præditum fuit, iam non amplius erat latus Christi, neque verbi diuini; Corpus etiam Christi fuisset verè corruptum, quia formam substantialem, per quam erat corpus amisisset, contra illud Psalmistæ. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Et idem argumentum fieri potest de Sanctorum Reliquijs ab Ecclesia veneratis.

Respondent aduersarij, corpus Christi viuens, & mortuum fuisse idem ratione materiæ, & suppositi, & assumptam fuisse formam cadaueris, non quidem per vnionem nouam, sed ex vi antiquæ assumptionis, sicut etiam dum in mortali corpore Christus viuebat, partes, quæ per nutritionem acquirebantur hyppostaticè sibi copulabat.

Verùm quamuis hac ratione effugiant aliquo pacto absurda superius illata, tamen nō tam propriè loquuntur, neque incommoda omninò vitare possunt. nam si illa materia, quę in vita vniebatur animæ Christi, recepisset formam ignis, vel alterius rei, neque tamen amisisset vnionem

hypostaticam; quamuis ratione suppositi, & materiæ illud secundum compositum esset idem ac prius, nemo tamen simpliciter assereret, illud esse corpus Christi, ergo identitas materiæ, & suppositi non sufficit.

Cõfirmatur, quia fatentur aduersarij, Christum non fuisse hominem in illo triduo sepulturæ, nec verbũ diuinum vnitũ fuisse humanitati, quia ad hanc requiritur necessariò vnio animæ, & corporis, quę tunc nõ aderat, non fuit enim in sepulchro corpus viuum, sed corpus mortuum, ergo neque illud corpus, si aliam formã habuit, debuit dici corpus Christi. Probatur consequentia ab eadẽ forma recipiebat materia esse humanum, esse viuum, & esse corpus Christi, discedente ergo forma, vel deberent attributa omnia ab ipsa desumpta deperdi, vel nulla; si omnia deperderentur, ergo non est amplius corpus Christi, si nulla, ergo etiã est viuum, & humanum. Confirmatur, quia non potest deperdi prædicatũ genericum, nisi etiam deperdatur specificum, & numericum; est enim imperceptibile, quòd Petrus remaneat idem Petrus, & tamen non sit idem homo, neque idem animal; at esse corpus humanũ, & animatum, & viuum sunt prædicata generica, & esse corpus Christi, est prædicatum numericum sub illis genericis contentum, ergo repugnat, illis deperditis, hoc solum conseruari.

Quod etiam dicitur verbum diuinum assumpsisse formã illam de nouo genitam ex vi præcedentis vnionis, non caret difficultate, quia quod Deus semel assumpsit numquam dimisit ex D. Damasc. 3. de orthod. fide cap. 26. & communi theologorum sententia; Si autem concedamus, semel formam totalem fuisse ab eo dimissam, quia nõ per se assumpta fuit, dicere quoque poterimus, materiam primam, siue animam rationalẽ fuisse ab eo dimissas, quia non per se, sed vt partes totius hominis assumptæ fuere.

10. Alterum quoque argumentũ nobis theologia suppeditat ex venerabili Eucharistiæ sacramento. Dum enim consecratur panis, dicitur eius substantia conuerti in corpus Christi per verba formaliter, eius verò animam adesse concomitanter; at si vera esset sententia de vnitate formæ, anima ibi esset per se, quia includeretur per se in corpore, tamquam forma illius. Si dicas, adesse per se, quatenus est forma corporis, concomitanter verò, quatenus est anima. Contra, quia, vt anima, nõ distinguitur nisi ratione à se ipsa, vt forma corporis; ergo non per concomitantiam, sed per identitatem dici deberet ibi adesse animã, quia idem non dicitur concomitari se ipsum. Confirmatur, quia in illo triduo mortis Christi si quis confecisset hoc Sacramentum, verè etiam conuertisset panem in Corpus Christi, at iuxta sententiam, quam impugnamus, nullum tunc erat corpus Christi, ergo nõ potuisset in illud conuerti, vel productum fuisset corpus Christi viuum. Probatur minor, quia corpus illud, quod existimabatur Christi, habebat formam, quæ numquam fuerat in Christo, & per eam erat formaliter corpus, ergo non verè erat corpus Christi, nisi per quamdam denominationem moralem desumptam ex præterito tempore, & ex identitate materiæ. Cum igitur verba in sacramẽtis debeant propriè accipi, nõ fuisset panis conuersus in illud corpus anima carens, sed in corpus viuum Christi, quia hoc solum verè & pro-

propriè per illa verba significatur. Nec obstat, quòd tunc non adesset, quoniam theologhi, côtra quos disputamus, afferunt, & meritò, verba huius sacramenti habere vim productiuam; ita vt si in mundo non existeret Christi corpus, posset per illa verba produci, tunc igitur cum verè non existeret, productum fuisset per verba consecrationis corpus Christi viuum; quod tamen est contra omnium theologorum sententiam, qui affirmant, in illo triduo fuisse consecrandum corpus Christi mortuum cum S. Thoma 3. part. quæst. 81. art. 4. ad 3. immo Suarez inquit hoc repugnare Concilio Tridentino disp. 45. sect. 2.

11. Hanc esse Aristotelis sententiam, ex multis eius locis colligi potest, & iam nonnullos adduximus, sed adsunt alij prætereà, inter quos pulcherrimus est text. 58. primi de anima, vbi hæc habet verba. *Similiter autem inconueniens, & rationem mixtionis esse animam, non enim eamdem habet rationem mixtio elementorum, secundum quam caro, & secundũ quam os. Accidit igitur, & multas animas habere, et secundum totum corpus,* quibus verbis clarissimè non solùm asserit, sed etiam probat, animam nõ esse formam mixtionis, quia oporteret, in homine tot esse animas, quot sunt partes ipsius. Alia quoque loca videre poteris in Picolom. lib. de multitudine formarum capit. 2. vbi etiam ostendit, hanc fuisse sententiam veterum Peripateticorũ Alex. Simpl. & Auerrois, quibus addit Galenum, & Platonicos.

Dico 4. Prçter has formas partiũ, non esse ponendam aliam formam mixtionis, quæ sit vna in animali siue viuo, siue mortuuo. Hoc dictum est contra tertiam sententiam supra allatam, si tamen eius authores hanc vnicam formam admiserunt, nam probabile est, per formam mixtionis intellexisse aggregationem harum diuersarum formarũ, quam nos hactenus probauimus. Non dari igitur hanc formam totalem probatur primò, quia esset omnino superflua, & otiosa, quoniam partes ipsæ sunt sufficienter constitutæ per ipsarum formas, si verò requiratur, vt vniantur, neque est necesse, quia dum animal viuit, vniuntur, & continentur ab anima, antequã verò viuat, à virtute seminis, postquam verò est mortuum, accidentaliter tantùm à materia, & quantitate; sicuti aliquando etiam videmus, metalla diuersa esse eadem ratione vnita. Præterea hæc forma, vt supra etiam notauimus, esset anima, quia informaret corpus organicum. Denique contra hanc formam militant omnia argumenta aduersariorum, & ea præcipuè, quibus probant, nullam dari posse formam, quæ tribuat esse genericum, quin etiam det esse specificum, & è contra, quod est aduersariorũ Achilles, hæc enim forma non potest tribuere esse specificũ, quod vnaquęq; pars à sua propria forma recipit, sequitur ergo, vt ponatur propter esse genericum tantùm; contra nos tamen hoc principium non pugnat, quia præter animã alias formas admittimus, non ad tribuendum gradum genericum, vt videntur voluisse Scotus, & cæteri, sed vt tribuant esse specificum carnis, & ossis, &c. quod pro argumentorum solutione est maximè notandum, vt infra patebit.

Argumenta pro vnitate formæ diluuntur.

SECTIO IIII.

Ad primum negatur consequentia. Ad primam probationem respōdet Zabarella, in vno composito reperiri posse plura esse generalia, quamuis non esse specialia, quia potest habere, & esse corporeum, & esse viuens, &c. non mirum igitur, si cum habeat plura esse, habere etiam possit plures formas. Verùm hæc responsio videtur supponere, ab vna forma haberi prędicatum specificū, & ab alia genericū, quod nos nō admittimus. Scotus ergo melius respōdet. Vnius quidē entis vnicū dari esse, sed entis simplicis dari esse simplex, entis verò cōpositi esse cōpositū, quod sicut constat ex multis entitatibus partialibus, ita etiā potest habere multas partiales formas. Pręterea concedit totū cōpositū dici posse habere esse per vnicam formā .i. per vltimam, quia reliquæ formæ se tenēt ex parte materię respectu formæ superioris, à qua cōpletiuè, licet nō totaliter, est totū esse compositi. Ad secundā confirmationē respon. ex duob⁹ entibus in actu, vt in actu, nō posse constitui vnū per se, sed cū alterū se habet, vt potentia, posse; & ita diximus, formam inferiorem se habere, vt potentiam, & materiā respectu superioris, quod etiam ante nos dixerat Aristoteles 4. Metheorū cap. vlt. cuius hæc sunt verba. *Sicut enim & si extrema accipiantur materia quidem nihil aliud præter ipsam, substantia autem nihil aliud quam ratio, intermedia autē* (idest formæ mediæ) *proportionaliter, quò propè sit vnumquodque.*

Ad tertiam est communis responsio, quod aduenit enti in actu completo esse accidens, non quod enti incompleto. Quòd si vrgeant, carnem, & os esse entia in actu completo, dicendum est, esse cōpleta in esse corporis mixti, non autē in esse corporis animati, cōcedemus autē, animam accidere corpori mixto, & non ei conuenire per se; sed tamē per se constituere viuens, & esse eius formam substantialem; quapropter etiā Aristoteles dixit, animam esse actū corporis organici, nō quidem vt talis, sed vt potentia vitam habentis; sicuti etiam differentia dicitur accidere generi, & tamen simul cum ipso efficit vnam speciem per se.

Ad secundum Scotus in responsione ad quartā rationem S. Thomę respondet, formā corporeitatis non constituere neq; speciē, neq; indiuiduum, neq; genus, sed reductiuè tātùm spectans compositum ad genus corporis, sicuti neq; anima separata est directè in prædicamento substantiæ, sed tantùm reductiuè. Quæ responsio probabilitate nō caret, simpliciter tamen non videtur vera. Primò quidē secundū principia ipsius, quia homo est directè sub genere corporis, & non per animam, vt ipse existimat. ergo per hanc formā. Pręterea caro, & os sunt vera corpora, neq; ad esse corporeū aliquid videt eis deesse, cur igitur directè nō erūt in genere corporis? Resp. igitur, vnā quamq; harū formarū tribuere esse specificū, nā & forma carnis tribuit illi specificū esse carnis, & anima tribuit viuenti esse specificū viuentis. Ad impugnationē. quod. s. sequeretur, aliquid esse in duabus speciebus vltimis, & completis. Resp. si per species vltimas intelligant vltimas in aliquo genere. dicimus, nullum esse absurdum de speciebus subordinatis. Idem. n. potest esse, & sub genere corporis, & sub genere animalis, &

quam-

quamuis anima non sit subordinata logicè formæ carnis, nec è contra, quia non sunt in eadem linea prædicamentali, est tamen forma carnis subordinata physicè ipsi animæ, quia se habet vt materia respectu ipsius. si autē intelligant vltimas simpliciter, sic negamus minorē subintellectā scilicet constitui per has formas in duabus vltimis speciebus, quia quæ posterior aduenit, est vltima tantùm. Quare contra nos non militant reliqua omnia argumenta probantia, nō posse aliquam formā tribuere esse genericum, quin etiam tribuat esse specificum, nam cōcedimus, formam carnis tribuere, & genericū, & specificum, & indiuiduale, negamus, tamen hoc esse specificum vltimum. Cōfirmatur exemplo materiæ, quę licet sit vltimo constituta in suo genere, & det etiā composito esse materiale, & corporeum; attamen relinquit ipsum in potētia ad vlteriorem gradum recipiendum per formam. At, inquit Suarez, est dispar ratio, quia materia est tantùm quædam essentia inchoata, quę propterea est indifferens, vt compleatur per varios actus. At verò forma est complementum naturæ, & essentiæ substantialis, & ideo necesse est, vt compleat naturam substantialem in aliqua vltima specie, & non relinquat illam naturam indifferentem ad vlteriorem speciem. Respondetur; in genere formarnm aliquas esse perfectissimas, quæ ita cōplent materiam, vt non relinquant locum alijs formis, alias verò esse imperfectas, quæ respectu perfectiorum se habent vt materia, vt sæpius diximus, & consequenter ita completur constitutum per ipsas in genere suo, vt relinquant vlterius complendum per aliam formam, & idem ferè euenit in formis accidentalibus; nā primæ qualitates se habent veluti materia respectu secundarum, & secundæ, veluti albedo, & nigredo, vt materia respectu aliarū. verbi gratia lucis, & tamen vnaquæq; cōstituit cōpositū completū in genere suo, sed in potentia ad vlteriorem gradum, sicuti etiam in habitibus supernaturalibus fides dicitur dispositio ad gratiam, & hæc ad gloriam. Clarius etiam exemplum habemus in moralibus, nam Sacerdos habet plures ordines, neq; tamen vnus ponitur ad hoc, vt tribuat esse genericum, alter specificum, sed singuli tribuunt esse specificum, & determinatum; Nam alia species ordinis est Diaconatus, alia Sacerdotium, inferior tamen ordo est dispositio ad superiorem, ad quem tāquam in finem ordinatur: Et Sacerdos licet cōstituatur per ordinē Diaconatus in specie Diaconi, non tamen vltimatè, quia habet etiā Sacerdotium; Ita ergo, & caro habet esse specificū carnis per formā substantialem carnis, & esse specificum animati per animam. non igitur ratione gradus generici, vt supponūt aduersarij, ponimus nos plures formas, sed ratione gradus specifici, videmus autem, in animali esse duos tantùm gradus specificos, scilicet esse tale animal, & esse tale corpus, scilicet carnem, vel ossa, &c. hoc. n. non habet à genere, quia genus corporis abstrahit ab esse carnis, lapidū, &c. & hinc patet etiam ratio, cur præter animā ponamus tantū formas huiusmodi partiales, quia non datur aliud esse specificum in viuēti, vel in animali, & gradus genericos dicimus posse tribui ab ijsdem formis, à quibus specifici conferuntur.

Hinc etiā sine robore manet aliud sequens argumentum, quòd forma tribuēs esse specificum, debet etiam tribuere esse genericū, dicit. n. hoc

esse verissimum, & concedimus insuper, adhoc vt homo sit corpus, non opus esse alia forma, quàm anima rationali, & materia, quia radix corporeitatis est ipsa materia, & tantùm pro complemento quodam requiritur anima, sicut adhoc vt anima cõstituat hominem, requirit ipsam materiam, negamus tamen, hinc sequi, otiosas esse alias formas, quas nos admittimus, quia nõ introducuntur, vt dent esse corporeum, quamuis plurimi nostræ sententiæ sectatores id voluerint, & fortasse omnes, sed vt tribuant esse specificum carnis, ossium, &c. Dices ergo idẽ indiuiduũ collocari poterit sub duabus speciebus constitutis per differentias contradictorias. Probatur consequentia, quoniam corpus diuiditur per viuens, & non viuens, forma autem carnis non dat esse specificum viuẽs, ergo dat non viuens, anima verò dat viuens, ergo idem indiuiduum erit viuens, & non viuens. Respondetur, indiuiduũ aliquod collocari sub duabus speciebus constitutis per differẽtias cõtradictorias, intelligi posse dupliciter, vel vltimatè, vel non vltimatè; priori modo, esse inconueniens, non autem posteriori, quia quod est sub vna specie non vltimatè potest esse sub alia vltimatè, quod vt clarius intelligatur.

Notandum est, aliquid esse non viuens posse intelligi dupliciter, vel negatiuè. s., vel repugnãter, quod est non viuens tantùm negatiuè, potest etiam fieri viuẽs positiuè per aduentum alterius formæ, nõ autem, quod est non viuens repugnanter: Differentia autẽ diuidens corpus per non viuens, intelligitur negatiuè, non verò repugnanter, alioquin enim non esset contradictoria viuenti. Neque hinc sequitur, malè fuisse diuisum genus, cum eadem res possit constitui sub vtraque differentia, quia sufficit vt formaliter, & vltimatè non sit sub vtraque, quia quatenus est à forma dante esse non viuens, non est sub altera differentia, quæ est viuẽs, neque potest vna forma vtrumque esse tribuere, simpliciter tamen dicitur illa res sub viuente, quia quamuis habeat formam non viuentem, tamen ab ea non vltimatè constituitur, quamuis specificè. Et confirmatur, quia vt aliquid sit non viuens, non tantùm oportet, vt habeat formam non tribuentem esse viuẽs, sed etiam, vt nullam aliam habeat, à qua recipiat esse viuens; quia negatio tollit omnem formam, quam negat, sicut lac non dicitur esse non album, quamuis habeat dulcedinem, à qua non recipit esse album, quia si diceretur non album, oporteret omnino, non habere albedinem. Instabis saltem idem prædicatum genericum bis alicui conueniet: Resp. hoc nullũ esse incõueniẽs, quãdo nõ primò, & per se tribuitur, sed consecutiuè ad aliud prædicatum specificum.

Ad tertium. Respondetur, illud compositum non fore hominem, eò quòd de essentia hominis sit corpus non quodcunque, sed organicum, quod etiã inuoluit illas formas substantiales partiales, alioqui aucis esset homo, cum anima rationali, & materia constet: Dices, sine his formis homo esset corpus viuens, animal, & rationalis, ergo nihil ei deesset esset essentiale. Respondetur, nõ fore viuens, quia de essentia huius est organizatio, siue corpus eterogeneum, consequenter nec animal, nec homo. Vrgebis, repugnat, animam informare, & non tribuere effectum formalem, sed effectus formalis animæ est viuens, animal & cæt. ergo quod informatur anima, non potest non esse viuens, animal.

mal. Præterea posset per diuinam potentiam operari anima per illam materiam, tamquam si esset perfectè organizata, ergo & compositum esset homo. Respondetur, vel in hoc casu animam nõ informaturam secundum omnem gradum, quem habet, sed tantùm vt formam substantialẽ, vel etiãsi informaret vt anima, aliũ tamen esse effectum formalem, per quem communicat materiæ esse animatum, aliũ, per quem esse animal, alium, per quem esse viuentem adiectiuè, alium per quem esse viuens substãtiuè, nam auri dat esse animatum; non tamen esse animal, ita ergo tribueret illi materię esse animatam, non tamen esse animal, & esse viuentem adiectiuè, non tamen esse viuẽs substantiuè. Ad confirmationẽ respondetur, Non sufficere ad essentiã hominis operationem humanam miraculosam, verbi gratia, locutionẽ, vel intellectionem, quia etiam Angelus in corpore assumpto hæc præstat, sed debere naturaliter fieri. Si quis tamẽ etiam asserere vellet, illud compositum foré hominem, nõ posset quidem eorum sententiam rueri, qui formam mixtionis ponunt, adhoc vt homo sit corpus, nostræ tamẽ sententiæ non officeret, qui alia via procedimus, & admittimus, radicem corporeitatis esse materiã primam. Vtcumque tandem sit, non idcircò negare debemus id, quod phylosophia nobis euidenter demonstrat; quia suppositiones ex diuina omnipotentia admodum nobis incertas perfectè explicare nesciamus, alioquin negemus, animam rationalem existere, nedum immortalem esse, quia non possumus perfectè explicare statum ipsius nec extra corpus, nec in ipso corpore. Dicant præterea aduersarij, cur auris, quæ anima rationali, & materia prima constat, nõ sit homo, etiamsi conseruaretur præcisa à reliquo corpore; & nos eadem responsione in præsenti difficultate vtemur.

Ad quartum animam tribuere esse corporeum, potest intelligi dupliciter, priori modo, quasi esse, quod tribuit anima, sit in se corporeum, & hoc pacto negamus, animam præcipuè rationalem tribuere esse corporeum. Posteriori dici potest, tribuere esse corporeum, idest spectans ad genus corporis, ita vt simul cum materia cõstituere possit corpus, & hoc pacto concedimus, nihil verò hinc sequitur cõtra nos, qui dicimus, esse corporeum haberi à materia, nec ponimus alias formas, vt tribuant esse corporeum, sed tale esse specificum, scilicet carnis, & ossium, quod negamus, ab anima haberi posse.

Ad quintum respondetur, etiam supponere, quòd hæ formæ ponantur vt dent esse corporeum, quod est falsum, sed hoc etiam dato, negatur cõsequentia, quia ad hoc vt corpus prædicetur per se de homine, sufficit, quòd desumatur ab aliqua eius parte intrinseca; neque est verum animam rationalem dare totum esse humanum, quia de essentia hominis est etiam materia, est quidem anima vltimum constitutiuum hominis, nõ tamen totale.

Ad sextum respondetur, has formas mixtionis dare esse completum in genere mixti, cum quo stat, quòd sint in potentia ad vlteriorem gradum, sicuti Diaconatus ordo dat esse completum in ordine Diaconatus, & tamen disponit ad Sacerdotium. Neque sequitur, formam illam mixtionis suscipere magis & min⁹, quia non completur intrinsecè in essentia sua sicuti neque recipit magis, & minùs materia dum recipit complementum à forma, quia illud non recipit

cipit in genere materiæ, sed vt pars compositi; alioqui etiam anima, dum accidentaliter perficitur ab accidétibus, diceretur recipere magis & minùs. Ad illud, quod anima esset accidens, si per accidens intelligant illud, quod accidentaliter aduenit, non diffitemur, sicuti etiam supra diximus, nec aliud ex illo anteceden ti potest inferri.

Ad septimũ, Non est, cur respondeamus, nam supponit, nos ponere has formas partiales, vt dent esse corporeum, quod falsum est.

Ad octauum, formas diuersas specie non posse continuari per se, verũ est, possunt tamen esse in materia cõtinua, vt patet in virga, cuius media pars est viridis, & altera medietas sicca, & ita dicimus, continuari posse has formas diuersas substantialiter in viuentibus.

Ad nonum respondetur, carnem, & reliquas partes hominis mortui dici æquiuoce tales, quatenus considerantur, vt instrumẽta animæ; non autem, quatenus concipiuntur secundum ipsarum esse proprium; Aristotelem autem loqui in ordine ad operationem, patet clarissimè ex 4. meteorum cap. vltimo, vbi hãc rem his verbis tradit. *Omnia, quæ possunt facere suum opus, verè sunt, vt oculus si videt, si autem non potest, æquiuoce, vt mortuus, aut lapideus. Sic igitur & caro, sed opus ipsius minus manifestum est.* quapropter etiã in primo de generatione tex. 37. *Mortui* (inquit) *magis videntur adhuc caro, & os, quã manus, & brachium.*

Ad decimum respondetur, Hoc esse discrimen inter causam formalem, & efficientem, quòd hæc ad plurimos effectus diuersos concurrere põt, præcipuè si sit causa æquiuoca, illa verò nequaquam, quia est causa per suam propriam entitatem, nõ mirum igitur, si possit eadem anima videre, & audire, quia ad huiusmodi actus concurrit effectiuè; non posset autem dare esse carni, & ossibus, quia oporteret in hoc exercere causalitatem formalem.

Ad vndecimum respondetur, animam aduenire post alias formas. Ad impugnationem respondeo, si per esse simpliciter intelligant esse substãtiale, negamus consequentiã, quoniam adhoc sufficit, vt non adueniat enti completo, vt supra explicauimus; Si verò per ens simpliciter intelligant esse non supponens aliud esse, concedimus consequens; nullum est enim incõueniens, quòd vltima forma non tribuat esse simpliciter, quia supponit iam alias formas. Adde adhuc etiam tribuere esse simpliciter non supposito, quod inuenit; sed illi, quod ipsa cõstituit. Exẽpli causa, anima adueniens corpori non tribuit illi esse corporeum, neque esse simpliciter, tribuit tamen viuenti, quod per ipsam cõstituitur, & quod ante ipsius aduentum non existebat.

Ad duodecimũ respondetur, Subiectum generationis dici ens in potentia, & non in actu, primum, quoniam aliquando est materia prima tantùm; alterationis verò semper est compositum, secundum, quoniã subiectum generationis numquam est ens in actu cõpleto, & vltimato, sicut est subiectum alterationis, tertium, quia licet materia habeat formam, tota tamen simul cum forma se habet veluti simplex materia ad formam sequẽtem, subiectum verò alterationis semper se habet, vt compositum actu completum; & perfectum.

Ad 13. Respondetur, eamdem & vnicam esse formam ante animam, cum anima, & post animam in corpore;

pore, quia partes viuentis semper retinent eamdem mixtionem. Ad impugnationẽ negamus, variari ea accidentia, quę sunt necessariæ dispositionesad huiusmodi formam; nã quòd vna pars sit magis humida in pueritia, & magis sicca in senectute, non est sufficiens indicium, formam substantialem esse diuersam. Ad illud, quòd anima esset accidens, iam sępe diximus, verum esse in hoc sensu, quod aduenit accidentaliter.

Ad 14. Respondetur Aristotelem eo loco argumentari contra Platonem idęas ponentem, & rectè inferre, quod si alia esset idęa hominis, alia bipedis, homo non esset vnus, quia idea bipedis nõ esset pars idęæ hominis, sed quoddam totũ per se, at verò forma mixtionis, quam nos ponimus in pede, est forma partialis, & consequenter non repugnat vnitati hominis.

Ad 15. Respondetur, esse diuersam rationẽ de animabus, & de formis nostris, nam cum nullum detur genus formæ anima superius, nihil esset, quod animas contineret, & vniret, at verò formæ, quas ponimus nos, cum animæ sint subordinatæ, optimè possunt ab ea contineri, & vnitatem recipere.

Ad 16. Respondetur, à natura intendi introductionem illius formæ, ad quam disponunt illa accidentia, quæ animam expellunt, quãuis non semper immediatè post animam sequatur, quia cum anima sit perfectissima, faciliùs ipsa discedit, quàm alia noua forma introducatur. Et idem coguntur dicere etiam aduersarij, non enim concedent, cadaueris formam per se intendi, cum paulò post & ipsa corrumpatur.

Ad 17. Respondetur, Dictũ Aristotelis, quòd formę sint, sicut numeri, nobis fauere, quoniam sicut vltimus numerus fit addita tantùm postrema vnitate, & retentis illis, quæ præerant; ita etiam vna forma addita præcedentibus nouum conficit compositum, & hac ratione dicitur eas continere. Ad secundũ locũ dici posset, ibi Aristotelẽ loqui tantũ de animabus. Præterea dicimus, etiam contineri, vt supradiximus; quia supponuntur, sicut Diaconatus dicitur contineri in Sacerdotio, quia ab eo supponitur. Ad tertiũ de differẽtijs negat Scotus differentiã inferiorem includere superiorem, nobis, etiã si concedamus, nihil officit, quia non ponimus has formas substãtiales ob aliquod prædicatum, quod per differentias explicetur, vt sæpius etiam diximus, Placet tamen hic etiam vti distinctione data, qua & dici potest, continere, quatenus supponit, & nõ continere formaliter, quia reuera rationabilitas non continet formaliter corporeum, sed supponit. Ad vltimũ cõcedimus, genus nõ esse quid distinctum à speciebus, quia vtraq; sumuntur in concreto, negamus tamen, per eãdem rem haberi genus, & speciem, nam, vt aliàs etiam inquit Aristoteles, genus est à materia, differentia verò, qua cõstituitur species, est à forma, & ita in viuentibus corpus habetur pręcipuè à materia, vita verò ab anima quamuis ad complementum tum corporis, tum viuentis vtraque pars requiratur.

Ad 18. & vltimum concedimus, animam continere aliquo pacto virtute formã carnis, nam in nutritione ab animæ virtute generatur caro, addimus tamen requiri pręterea, vt adsit formaliter, & non tantùm virtute ipsa carnis forma, quoniam habet caro in homine esse formale, & non tantùm virtuale, vt in primo argumento pro nostra sententia explicauimus.

O Argu-

Argumentis secundæ sententiæ satisfit.

SECTIO V.

SIcuti minùs habet probabilitatis hæc sententia, quàm præcedens, ita etiam facilius eius argumenta soluuntur. Ad primum ergo desumptũ ex 2. Metaph. respondetur, cum Aristoteles argumentatur à formis ad prędicata, loqui de formis Metaphysicis, quæ scilicet sunt partes definitionis. Adde, Aristotelem non colligere multitudinem prædicatorum ex multitudine formarum, sed ex negatione, siue paucitate formarũ, paucitatem etiam prædicatorum desumere, ad quam argumentationem statuendam non est necesse, vt formæ multiplicentur iuxta numerum prædicatorum, sed satis est, vt non possint esse plures formæ, quàm prędicata, quod verissimum est, quia à singulis formis singula saltem prædicata deriuantur. Dices; at vos plures ponitis formas, quàm prædicata, quia iuxta numerum partium similarium formas multiplicatis; cum tamen tot non sint prædicata. Respondetur, multiplicari à nobis formas partiales, ex quibus vnica totalis cõficitur, sicuti etiam multis prædicatis partialibus partium, conficitur vnum prædicatum totale, quod est corpus organicum.

Ad secundum duplex est responsio, altera est communis, quam referunt Connimbr. ad 5. loqui Aristotelem de partibus definitionis physicæ, quę per partes rei in obliquo positas traditur, vt si dicamus, hominem constare corpore, & anima; in his enim partes definitionis partib° rei respondent. Altera est Hieronymi Dandini loco supracitato. Partibus definitionis respondere partes rei definitę, non tamen re ipsa distinctas, respõdent enim in definito diuersi gradus reales prædicatis, quæ in definitione ponuntur. Et hæc videtur verior expositio.

Ad tertium negamus consequentiam, & ad probationem dicimus. Non omne, quod conuenit homini per formam tribuentem animalitatem, cõuenire illi quatenus animali; quia in illa forma sunt diuersæ rationes, & diuersi gradus, & particula (quatenus) quando sumitur reduplicatiuè, vt hic, non significat entitatem realem, per quam aliquid alteri conueniat, sed rationem formalem.

Ad quartum negatur antecedens de forma, quæ licet sit simplex quoad entitatem, continet tamen plures rationes formales, & plura prædicata.

Ad quintum negatur vltima consequẽtia, quamuis enim homini per eamdem formam conueniat esse viuens, & esse hominem, conuenit tamen sub diuersa ratione.

Ad sextum negatur antecedens vniuersaliter, quia ab eodem principio actiuo possunt plures effectus prouenire. Si obijcias, nos supra eodem ferè argumento probasse in homine plures formas. Respondetur, nos formarum multitudinem collegisse non ex multitudine operationum præcisè, sed ex operationibus, & motibus inuicem pugnantibus, vel existẽtibus in diuersis subiectis, tunc enim quia separatæ existunt, optimè indicant formarum diuersitatem.

Ad septimũ respondetur, Distinctionem formalem desumi quidem ex formis, vt nomen ipsum indicat, sed ex formis metaphysicis, non verò physicis, illæ sunt prædicata essentialia,

tialia, & definitiones, hæ verò entitates realiter distinctæ, nos autem de secundis hic loquimur, non de primis.

Ad octauum respondetur. Satis fuisse Aristoteli, in eo argumẽto probare contra Melissum, & Parmenidem, multa esse entia realia, licet nõ re ipsa distincta, qualia sunt genus, & differentia, animal, & bipes.

Contra reliquas sententias, quæ videntur aliquo pacto à nostra dissentire, non est, cur pugnemus, neq; oportet earum fundamenta euertere, quia ex dictis quale iudicium sit de omnibus illis faciẽdũ, facilè perspici potest. Ex his autem patet, subiectum generationis non esse semper ipsam materiam primam omni forma denudatam, sed aliquando etiam eamdem cum aliqua forma, quæ tamen respectu alterius formæ introducendæ se habet, vt materia.

An ratione accidentium fiat resolutio vsque ad materiam primam.

QVÆSTIO XI.

NOn semper fieri, constat ex sectione præcedenti, nam quotiescumque remanet in materia aliqua forma substantialis, dubium nõ est, remanere quoq; accidentia, non tamen superflua est quæstio. Nam dubitari adhuc potest, an in illis corruptionibus, in quibus nulla remanet forma substantialis, aliqua tamẽ accidentia à materia non discedant, vel simul cum forma ea etiam omnia corrumpantur; & præterea inutile non erit, idipsum etiam quærere de omni corruptione, vt magis in superius tradita sententia de multitudine formarum confirmemur, videntes, quot absurda ex opinione contraria non pauci graues viri deducant.

Pars affirmans proponitur.

SECTIO PRIMA.

TRibuitur hæc sententia D.Thomæ 1.part.quæst.76.artic.6. & magistris eius Alensi p.q.57. memb. 4. & Alber.Magno 2.par. summę de homine, quos deinde secuti sunt cõplures, quos refert Connimbr. Colleg. in hoc 1.cap. 4. quæst. 18. à quo etiam tãquam verior amplectitur, & nouissimè eamdem tuetur Fonseca 8. metaph.cap.1.quæst. 2.

Non tamen hi omnes ijsdẽ principijs, & fundamentis innituntur; Nam discipuli S. Thomę existimãt, materiam primam habere existentiam suam à forma substãtiali, quoniam autem accidentia non possunt sustentari à materia nisi existente, hinc colligunt, non posse accidentia inhærere materiæ primæ, nisi informatæ, & consequenter inhærere toti composito, ex quo efficitur, vt destructo composito per corruptionẽ, cum accidentia neque possint de subiecto in subiectum transire, neque etiam existere sine subiecto, necessariò desinant esse. Doctores verò Connimbr. qui censent, subiectum accidẽtium esse materiam primam, alia via incedunt, & volũt, accidentia corrumpi, quia habent pro inconuenienti vniònem materię cũ quantitate esse firmiorem, quàm cum forma substantiali; si quidem forma, & materia ad idem genus substantiæ pertinent, & idcircò multò aptiores debent esse ad mutuum nexum, quã materia, & quantitas. Et confirmãt, quia cum hac constituit materia vnum per accidens, cum illa verò vnum per se. Fonseca denique quia

arbitratur accidentia, quamuis inhæreant materiæ primæ, non tamen ab ea sustentari posse; quippè quę neque ipsa per se subsistat; sed dependere etiam à formis substãtialibus, ac proinde his corruptis, etiam ipsa deficere.

4 In vniuersum verò probatur hæc sententia, & erit quartum argumentum. Priùs est materiam habere formam substantialem, quàm accidentalem; at nisi fieret in corruptione resolutio vsq; ad materiã primã, haberet priùs formã accidẽtalem, quã substantialẽ, igitur. Probatur maior Primò, quoniam priùs est esse simpliciter, quã secundũ quid, priùs est enim, hoiem esse, quã eumdem esse albũ, at à forma substantiali recipit materia esse simpliciter, ab accidentali verò esse secundum quid, ergo priùs illam habet, quàm hanc. Secundò idem est ordo in recipiendo, qui est in respiciendo, sed materia priùs respicit formam substantialẽ, ergo eamdem priùs etiam recipit. Tertiò, Actus secundus in operando supponit actũ primum, vt actus videndi potentiã visiuam; ergo etiã actus secundus in essendo supponit actum primum in essendo, sed actus primus in essendo est forma substantialis, actus verò secũdus forma accidentalis, ergo hæc non potest non esse posterior illa. Consequentia vero, videlicet si forma substantialis est prior, fit resolutio vsque ad materiam primam, probatur, quoniam alioqui illud accidens, quod remanet esset priùs in materia forma substantiali, quæ gignitur.

5. Petit in corruptione quãtitas, qua mediante recipiuntur in subiecto reliqua omnia accidentia, ergo & ipsa esse desinunt. Probatur antecedens, quia quantitas nõ potest esse proprietas materiæ, cum hæc nõ sit actiua, immo sit pura potentia, sed totius compositi, ergo hoc dissoluto, etiam eius proprietas destruetur.

6. Forma substãtialis est, quæ determinat materiam ad hæc potius, quàm ad illa accidẽtia, ergo ipsa discedente accidentia quoq; recedẽt.

7. Ex Aristotele in prædicamento substantię: Destructis primis substantijs nihil remanet; at primæ substantię sunt cõposita, ergo his destructis nõ possunt accidẽtia remanere.

8. Ex eodem in definitione Generationis. Nullum in corruptione remanet sensibile, ergo nullum accidens. Et confirmatur, nam tex. 24. immediatè sequenti, *quando autem*, inquit, *nihil permaneat, cuius altera passio est, & accidens, omninò generatio*. Vult igitur Aristoteles, in generatione nullum remanere accidens, aut passionem. 3. Confirmatur, quoniã vult, subiectum alterationis esse ens actu, idest compositum, generationis verò ens in potentia, nempè materiã primam, ergo & accidentia sunt in cõposito, & per consequens simul cũ eo corrũpunt, & in generatione adest prima, & nuda materia.

9. Ex 1. phys. tex. penult. *si quid corrumpitur, in hoc*, idest in materiam primam, *abibit vltimum*, ergo datur resolutio vsq; ad materiam primã.

Excipiũt tñ ex supracitatis auctoribus nõnulli relationes, dependentiam, & alia similia accidentia, quæ diuersã entitatẽ à materia nõ habẽt.

Contraria sententia præfertur.

SECTIO II.

Extra Scholam D. Thomæ receptissima est sententia, non fieri resolutionẽ in corruptione vsq; ad materiam primam. Sequuntur eam Auerroes 1. de generat. com. 24. & 2. de gen. com. 25. Auicen. 1. suffic. c. 6. Alb.

Alb. tract. 2. cap. 2. quamuis hi duo citentur etiam in contrariam sententiã. Greg. in 2. dist. 14. q. 2. art. 2. Gabr. dist. 16. q. 1. art. 1. Marsil. 1. de generatione, q. 6. & 7. Sax. q. 6. Venetus in c. 21. & in summa de generatione q. 24. Achil. de elem. lib. 2. dub. 3. Paris. q. 3. primi de generatione, Nobilius in c. 5. primi de generatione q. 3. Zabb. cap. 7. lib. de generat. & interitu. Niphus 8. metaph. disp. 4. Zimmara Theor. 46. Aureol. apud Capreol. in 2 dist. 18. q. 1. Tol. in 1. de generat. q. 7. Suarez disp. 14. sect. 3. qui duo, quãuis putent probabilẽ priorem sententiam simul cũ Saxonia, tñ hanc secundã putant probabiliorẽ. Connimb. etiam Collegium 1. de generat. cap. 4. q. 4. & 18. putat hanc sententiam probabilẽ, sed sequitur priorem. Græci etiam Aristotelis interpretes videntur esse in hac sententia, vt Philop. 1. de generat. com. 70. Alex. 1. metheor. in c. 1. Ex recẽtioribus tamen quidam, vt Toletus, concedunt, fieri resolutionem vsque ad materiam primã mediatè, idest post multas corruptiones, & aliquando etiam immediatè. s. in prima corruptione. Alij autẽ, vt Auerr. & longè plures, nũquam fieri hanc resolutionem putant, eo quòd existimant, quantitatem esse passionẽ materiæ primę, & numquam ab ea separari, quod nobis quoq; verũ videt̃, sed probãdum aliò remittimus; hic demõstrabimus tantùm, nõ in qualibet corruptione, etiamsi nulla remaneat forma substantialis in materia prima, fieri hãc resolutionem.

Primũ igitur militat pro hac sententia sensus, quem rationi præferendum esse in philosophia, pluribus in locis docet Aristoteles, & contrariũ facientes infirmũ inquit habere intellectũ in hoc primo tex. 59. militat inquã sensus, & omnes suas copias in aciem pro hac sententia educit. Oculus. n. eumdem esse colorem, & cicatricem in cadauere iudicat, & in viuente: Nares eumdem odorem in planta viridi, & sicca: gustus eumdẽ saporem; tactus eumdem calorem, vel frigus, auditus eumdem sonum, & ab omnibus auditur, eodem nomine, ac priùs appellari; Si ergo vmquam sensus iudicium est approbandũ, hic certè videtur maximi faciendum. Confirmatur, quoniã rem maximè arduam videtur nobis præcipisse Deus, dum iussit credere post panis consecrationem, non ampliùs adesse eius substantiã, sed tantũ accidentia; at nil minùs videntur à nobis exigere auctores primę sentẽtię, quia quãuis oẽs sensus iudicent, eadem remansisse accidẽtia, iubent tamen, nos credere, non esse illa eadẽ, sed priora recessisse, & alia denuò genita esse; immo quid maius à nobis postulare videntur, nam cũ sensui non subijciatur substantia, quid mirum, si circa ipsam decipiatur, credatq; adesse, cum non sit? at accidentia, quę sũt obiecta propria sensuũ, variari contra ipsorum iudiciũ, hoc multo magis vim illis infert.

Quid porrò ad hæc respondent aduersarij? dicunt, non esse fidendũ sensibus, qui sæpius hallucinantur, vt dum iudicãt, Solem paruum esse, cum tamẽ sit maximus, & baculum in acqua esse fractum, vel curuum, cum sit integer, & rectus. Addunt, variationem illam accidentium non esse sensu perceptibilem, sed intellectu tantùm, ad quem pertinet iudicare idẽ, aut diuersum in re aliqua; quia sunt passiones entis, & ita non mirum, si fallatur sensus, cum extra proprium obiectum feratur. Confirmant exemplo, quia si Deus destructa albedine in aliquo pariete, in eodem instanti aliam omninò

similem

similem in eodem pariete poneret, sensus iudicaret, esse eamdem, & tamen falleretur; idipsum igitur cogitandũ est, hic euenire. Sicuti etiam si quis successiuè duo gallinæ oua videat simillima, nõ poterit sensu eorum diuersitatem percipere. Verùm si hæc responsio admittatur, numquam de rerũ entitate certi erimus, nam licet videat mihi cernere eumdem hominem, eumdem lapidem, aut idem metallum, obijcere quis poterit, falli sensum circa rerũ identitatem, & esse quidem res simillimas, non autem easdem, nec ratione poterit hic conuinci, non enim ratione, sed sensu iudicamus indiuiduorum identitatem, vel diuersitatem. Præterea fallitur aliquando sensus, quando non est rectè dispositus, vel obiectum non est in debita distantia, vel ex parte medij adest aliquod impedimentũ; sed hic nullum horum interuenit, vt patet, ergo non est dicendum, sensum falli. Confirmatur, quia quãdo sensus fallitur, sensu etiã vel diuerso, vel eodẽ aliter se habente, eius errorem percipimus, nam baculum, qui in aqua curuus videbatur ab ea eductum videmus rectũ esse; & rem, quæ elonginquo videbatur parua, è propinquo cognoscimus magnam esse; & hinc etiã iudicamus, Solem esse maximum, quia in tanta distantia non minimus apparet. Si ergo etiam hic sensus falleretur diuersa accidentia pro ijsdem habens, non defuisset natura, sed aliquod indicium sensibus ipsis præbuisset, quo percipi posset eius error, cum igitur nullum adsit, signum est, re uera ipsos non falli. Præterea sensus non solum percipit obiectum, sed etiam mutationem subiecti; ita vt & si duo corpora sint simillima, & vno ablato, alterum in eodem loco ponatur, quamuis oculus non agnoscat aliquam in illis differentiam, prioris tamen ablationẽ, & alterius collocationem aduertet; ergo hic quoque si omnia accidentia mutarentur, nõ hoc fugeret aspectum, vel tactum alicuius, qui diligentissimè attenderet; Incredibile enim videtur, mutari quantitatem, quam ego tango, & in tactu meo nullũ percipi huius mutationis sensum, experimenta enim contrarium ostendunt, nam quamuis simillima sint corpora sibi inuicem succedentia, tactus tamen eorum mutationẽ agnoscit, non quia aliquam differentiam in ipsis percipiat, sed quia sentit vnũ accedere, & alterum recedere, quod non cõtingit ratione substantiæ, sed ratione ipsius quãtitatis, ergo si quis etiam manum morientis teneret in puncto mortis ipsius, & quantitas re uera mutaretur, non fugeret hæc mutatio ipsius sensum. Cõfirmatur, quia sunt quædã accidentia, quæ nõ nisi priuatione, vel cõtrario accidente sibi succedente recedere possunt, talis enim in primis est motus (quid quid enim sit de entitate motus, de qua posterius erit inquirendum, hic argumentamur ex aduersariorum principijs) motus, inquam, non potest desinere, neque variari, nisi intercedente quiete, & ratio est, quia ad hoc vt idem motus perseueret, sufficit, vt parti priori motus altera pars succedat, quòd verò hæc, vel illa indiuidua pars succedat, nihil refert; quod ex eo probatur, quia si quis moueatur per stadium velocissimè, deinde nulla interposita quiete incipiat tardissimè moueri, adhuc dicetur eumdem numero motũ continuare, adhoc igitur vt motus præcedens dicatur perseuerare idem numero, nihil refert, quòd hęc, vel illa pars motus ei adiungatur, sed satis est, vt cum ea, qualiscunque sit, continuetur,

tinuetur, quotiescunque igitur videmus, motum continuari, dicere oportet, esse eumdem numero, at in cane, e turri cadēte, qui in aere moriatur, videmus, motum continuari, ergo re uera est idem. Si dicant, non esse eumdem ratione subiecti, saltē ratione materiæ erit idem. Simile argumentum fieri potest de cicatrice, non enim apparet, quomodo tolli possit cicatrix, absq; eo quòd partes materię, quę distabant, vniantur, at in morte apparet, non vniri, ergo re uera non tollitur, sed eadem manet. Deinde sensum deseri, permitti posset, si ratio nos cogeret, at nulla omninò adest ratio, nedum cogens, sed ne suadens quidem, immo pro sensu plurimæ rationes pugnant, vt ex dicendis patebit, ergo ab ipso nullo modo est recedendum. Ad rationes igitur accedamus.

Nulla causa neque efficiens, neq; finalis afferri potest productionis accidentium, quæ in cadauere videntur, & fuerunt etiam eadem, vel numero, vel specie in viuente; ergo clarum est, non fuisse producta, sed eadem, quę erant priùs, permāsisse. Probat' de efficiēte, quia hæc vel esset forma cadaueris, vel agēs, quod viuens interemit, vel essent causæ vniuersales, nihil autem horum potest dici; non enim est forma cadaueris, quia illa accidentia non sunt illi connaturalia, immo etiam repugnant, quare etiam paulò post deficiunt, neque verò agens extrinsecū particulare, quomodo.n. aqua exempli causa, quę submergit hominem, producere potest calorem, qui remanet in ipsius cadauere? quomodo cicatricem? quomodo colorem? cum nec formaliter, nec virtute hæc accidentia ipsamet possideat? Sed neque ad causas vniuersales recurrere licet, tū quia nulla adest necessitas; tum etiam, quià causæ vniuersales sunt indeterminatæ, neque aliquid producere possunt, nisi per causas particulares determinentur, nulla autem hic adest, quæ determinare possit. Nullus etiā adest finis, quorsum enim cicatrix in cadauere producetur? quorsum calor, cum non adsit anima, cuius est instrumētum? accidentia sunt propter formā substantialem, at hæc accidentia formæ cadaueris repugnant, ergo non solū superfluè, sed violenter etiam permanent in eo composito.

Quid verò hic comminiscuntur aduersarij? dicunt produci consecutiuè ex necessitate materiæ, quæ per dispositiones pręcedentes ita remanet affecta, vt non alia accidentia ab ipsa educi possint. At quis non videat, eos pugnantia dicere? si enim omnia accidentia corrumpuntur, ergo remanet substantia materiæ nuda, quomodo ergo potest esse per præcedentes dispositiones affecta? quid enim est hæc affectio, siue dispositio? accidens ne, an substantia, an nihil? si accidens, ergo falsum est, nullum remanere, si substantia, ergo remanebit aliqua substantia, vel semper materia erit ita affecta; si nihil, ergo non poterit esse ratio, vt illa accidentia producantur. Præterea etiam si daremus, materiā remanere, vt volunt, affectam, adhuc requiretur aliquod agens, à quo illa accidentia producantur, cum ab ipsa materia præcisè resultare non possint, nullum autem fingi potest huiusmodi agens, vt ex dictis patet. Ad hæc si hęc affectio materiæ esset sufficiens ad determinandam actionem agentis, ergo etiam ignis, quando agit in aquam, determinaretur ad producendum in ea frigus, quia ad frigus disposita est materia, quod patet esse falsissimum.

Tertiò

Tertiò principaliter. Non minùs pẽdet materia à forma substantiali, quàm accidẽtia, hæc enim est ratio, cur materia non possit accidentia sustinere; quia non habet vim per se existendi, ergo vel & ipsa corrumpetur simul cum accidẽtibus, vel si ipsa conseruari potest, eadem ratione poterunt accidentia.

Quartò immediatè post corruptionem formæ substantialis, & omnium accidentium producitur alia forma substãtialis, à quonam igitur producetur? Dispositiones enĩ, per quas agens educere eam posset, sunt corruptæ, ipsum verò agens sæpe est absens, vt in generatione animalis, in qua tota virtus agentis est in semine, ergo si ponamus, accidentia corrumpi, nullũ poterimus assignare agens, à quo forma sequens substãtialis producatur, quod argumentum etiam ipsi Doctores Connimb. fatẽtur, maximam difficultatem authoribus contrariæ sentẽtiæ afferre.

Probari etiam solet hæc sentẽtia, ex eo quòd accidẽtia inhæreant materiæ primæ, non autem composito, verùm nos de hoc infra agemus, & omninò incertius est, quàm sit, accidentia ipsa remanere. Hæc autem argumenta nõ tantùm probant, aliquando non dari resolutionem vsq; ad materiam primam, sed etiã numquam dari, quoniam etiamsi cætera accidentia corrumperentur, quantitas cum sit dispositio ad omnem formam, & contrario careat, & communis omnibus rebus naturalibus, semper vtique remanebit.

Denique probatur Aristotelis auctoritate, qui apertissimè hanc sententiam tuetur. Nam in hoc primo tex. 24. qualitates cõmunes, inquit, remanere in genito, quę in corrupto erant, vt perspicuitas, & frigus in aere, si generetur ex aqua, & 2. de generatione tex. 27. inter elemẽta symbola faciliorem esse transitum; quia vna sola qualitas est permutanda, cum altera maneat. Nec valet effugium aduersariorum, loqui Aristotelem de identitate specifica, non numerali, tum quia 5. metaph. tex. 15. ipse distinguit inter qualitates similes, & easdem; tum etiam quia otiosè loquutus fuisset, non enim poterat esse dubium, specie saltem eamdem esse perspicuitatẽ in aere, & in aqua; cum igitur docet, esse eamdem, intelligit de identitate numerali. Quare firmissimis vndique munita est argumentis hæc sententia, cum opposita ingentibus prematur difficultatibus, & sola S. Tho. auctoritate, quæ meritò est maxima, fulciri videatur.

Verùm in animum ego meum inducere non possum, S. Thomam sapientissimum virum in hac sententia fuisse, vel si in ea aliquando fuit, ab eadem nõ tandem discessisse. Nã p. p. art. 6. quæst. 76. vbi præcipuè cõtendunt aduersarij, eam tradidisse, non ait ea accidentia, quæ fuerant in corrupto, non remanere in genito, sed ait tantùm, dispositiones accidentales non præexistere in materia ante formam substantialem, & animam immediatè ipsi materiæ vniri, quod cum possit exponi absque resolutione vsq; ad materiam primã; non est, cur tantùm Doctorem ab hac falsa sententia non vindicemus. Dupliciter igitur absque hac resolutione exponere possumus S. Thom. Primò, vt eius sensus sit, numquam materiam, habere accidentia sine forma substãtiali; hoc enim probat eius argumentum, quod prius debet esse simpliciter per formam substantialem, quàm secundum quid per accidentalem, ad quod non sequitur, dari hãc resolutionem, quia etsi hac

non

non posita, accidentia aliquam formam præcedant, non tamen præcedunt omnem. Hanc tamen explicationē labefactant illa verba S. Thomæ, *quòd dispositiones accidētales neque præexistunt ante animam*; addimus ergo alteram, quòd videlicet præexistere sumpserit per intimiùs existere; sicut enim potest vna res præcedere aliam tempore, vel loco, ita concipere possumus, accidentia præexistere in materia, vel tempore, vel quodammodo loco, quod est intimiùs existere, & hoc videtur esse magis ad mentem S. Thom. qui non aliud in eo articulo probare intendebat, quàm animam non vniri medio aliquo accidente ipsi materiæ, ad quod nil refert, quod accidēs vniatur priùs tempore, dummodò non vniatur intimiùs. Confirmatur hæc expositio, quia non tam loquitur S. Thomas de ordine existentiæ, quàm conceptionis nostræ; inquit enim *oportere, vt quod est primū in actibus, primò in materia intelligatur*; Et in responsione ad primum ait, *dispositiones ad animam prout rationalem præintelligi ad eamdem sub illa ratione consideratam, sed tamen posterius intelligi eadem, vt cōcipitur quatenus forma dans esse*; ergo non tam respicit S. Thomas ordinem temporis, & acquisitionis, quàm ordinem naturæ, & dignitatis, quem obseruant forma substantialis, & accidentia, postquam sunt in materia. Præterea confirmatur ex responsione eiusdem ad secundum, vbi hæc habet verba. *Dicendum quòd dimensiones quantitatiuæ sunt accidentia consequentia corporeitatem, quæ toti materiæ conuenit; Vnde materia iam intellecta sub corporeitate, & dimensionibus potest intelligi, vt distincta in diuersas partes, vt sic accipiat diuersas formas secundum vlteriores perfectionis gradus*. Vbi notanda sunt præcipuè, duo, alterum est, asserere S. Thomam, corporeitatem, quā cōsequuntur dimensiones, toti materiæ conuenire, quod non potest intelligi de vna aliqua forma, sed vel de ipsa materia, quatenus est radix corporeitatis de omnibus formis, quatenus dant esse corporeum; Dimensiones igitur non consequuntur hanc, vel illā formam determinatā, sed vel materiā, vel quamlibet formam, & proinde etiam cum qualibet forma possunt existere, nec est necesse, vt cum recedente recedant. Alterum est concedere S. Tho. dimensiones materiæ, vt possit recipere diuersas formas, ergo supponit, præexistere ante ipsas formas. Si dicas, præexistere tantùm illis secundū perfectiores gradus. Iterum redit argumentum de receptione ipsius formæ, quatenus dat esse corporeum. Oportet igitur, vt cōcedat S. Tho. semper esse in materia has dimensiones, quia semper adest aliqua forma dans esse corporeū, quia verò non semper adest alia forma secundum perfectiorem gradum, idcircò inquit, deseruire pro dispositione ad has tantùm.

Probatur etiam ex alijs S. Thom. locis. Nam vt fatetur Caiet. & alij quoque, contrariam sententiam docuit alibi apertè S. Thomas vt in 4. distin. 11. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 3. ad quartum, & distinct. 11. q. 1. art. 1. quæstiuncula 4. & distinct. 44. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula ad 3. & opusc. 40. cur igitur potius ipsum benignè nō exponemus, quàm sibi contradixisse affirmabimus?

Præterea docet etiam S. Thomas in quæstio. de anima quæst. 12. ad 7. subiectum esse nō posse sine propria passione, quæ est accidens, materia igitur cū sit ens, debet habere aliquam propriam passionem, &

consequenter ea numquam priuari. Si autem alicubi contrarium docuit S.Thomas, intelligendus est, vel denominatiuè, vt paulò infra dicemus, c. 5. ad primum, vel subiectiuè, quia cum accidentia composito inhæteant, vt q. 25. dicemus dum compositum mutatur, eorum quoque variatur subiectum.

Hæc igitur dicta sint de mente S. Thomæ, quem numquam aduersarium in vlla sententia vellem, & profectò crederem, eius discipulos faciliùs posse ipsius mentem iuxta nostram, & veram sententiam explicare, quàm argumenta, quæ contra illi ascriptam sententiā contorquentur, dissoluere.

Argumentis primis sententiæ occurritur.

SECTIO III.

AD primum, quod erat Thomistarum fundamentum, negandum est, materiam habere propriam existētiam à forma; repugnat enim, rem existere per alterius existētiam, cū non differat à parte rei existentia ab essentia; Sed etiam hoc concesso antecedenti neganda est cōsequentia; alioquin probaret etiā ad corruptionem formæ ipsam quoque materiam desinere, vt supra argumento 3. pro nostra sententia conclusimus. Ad alteram partem de inhæsione accidentium in composito negari solet, quod ipsi assumunt, nos consecutionem quoque negamus, cuius ratio non potest hic breuiter explicari, sed videatur infra q. 25. fateor tamen, quòd sicuti accidentia inhęrent composito denominatiuè, ita etiam dici possint interire simul cum eo denominatiuè; cum enim ex aqua fit aer, frigus, qđ erat in aqua, non amplius aquę frigus dicitur, sed aeris, quòd si hoc rātum vellent aduersarij, nulla esset inter nos, & ipsos concertatio.

Ad secundum, quod erat fundamentum Doctorum Connimb. ipsimet deinde rectè respondent, nullū esse inconueniens, quòd vnio inter materiam, & quātitatem sit firmior, quàm inter eamdem, & formā substantialem; cuius rei multiplex afferri potest ratio. Prima est imperfectio ipsa quantitatis, quæ nulla indiget præcedente dispositione, cum forma substātialis plurib⁹ indigeat, nam videmus etiam in formis substantialibus, imperfectiores, quales sunt lapidum, & metallorū, diutius in materia persistere, quàm perfectiores animalium, & hominum. 2. quod quantitas contrario caret. 3. quod sit dispositio quædam vniuersalis ad omnem formam. 4. quod materię sit magis similis. 5. quod sit eiusdem materiæ proprietas.

Ad tertium, quo nitebatur Fonseca, eò quòd materia per se non subsistat, omissa disputatione de hoc antecedente, quod non immeritò vocari posset in dubium, negamus consequentiam, sicuti enim hoc non obstante non corrumpitur ipsa materia discedente forma, ita etiam poterit accidentia in seipsa cōseruare.

Ad quartum, cum dicitur, materiā prius habere formam substātialem, quàm accidentalem, potest intelligi dupliciter, vel indefinitè, ita vt quolibet accidente sit prior aliqua forma substantialis, & concedi potest absque vllo nostræ sententiæ detrimento, quia ad hoc sufficit, formam corruptam fuisse priorem accidentibus, quæ etiam in genito remanēt: vel intelligi potest distributiuè, ita vt nullum accidens possit esse prius

aliqua

aliqua forma substantiali, & negandum est. Ad primam probationem dicimus probare tantùm primũ sensum iam concessum. Ad secundam negamus, eumdem ordinem seruari in recipiendo, qui est in respiciẽdo; immo ordo executionis opponi solet ordini intentionis, receptio autẽ spectat ad executionem; respectus autem ad intentionem. Ad tertiã cõcedimus, actum secundum in essendo supponere actum primum, hunc tamen actum primum dicimus non esse formam, sed actum entitatiuũ, quem vocant ipsius materiæ; quod si contendant esse formam, dicimus, probare tantùm nostrum primum sensum, quod s. aliqua forma substantialis sit prior accidente, non tamen quælibet forma quolibet accidente.

Ad quintum negamus, quantitatem non esse proprietatem materię, quamuis enim hæc non sit actiua quoad producendũ aliquod extrinsecum, potest tamen esse principium suæ propriæ passionis, cui autem hoc non placet, dicat, quantitatem creatam esse à Deo materię coęuam, & incorruptibilem, cum contratio careat.

Ad sextum respondetur, non omnia accidentia determinari à forma, nam quantitas est in materia per se, multa etiam sunt accidentia ab extrinseco producta, vt cicatrices, & ea ipsa accidentia, quæ ab vna forma determinantur, possunt ab alia determinari, vel illi saltem non repugnare, ac proinde non opus est, vt ea recedente intereant.

Ad septimum respõdetur, Destructis primis substãtijs omnibus nihil remansurum, non autem hac, vel illa, si enim destruerentur omnia composita, neq; materia remaneret, neque accidentia; at verò cum destructo hoc composito gignitur aliud, non est necesse, vt omnia accidẽtia, quæ erant in priori, intereant.

Ad octauum, quomodo sit intelligenda definitio generationis sine vllo veritatis huius præiudicio, iam quæst. 9. ostendimus. Ad secundam authoritatem respondeo, Aristotelẽ non asserere, nullum remanere accidens, sed nihil remanere subiecti, idest compositi, cui passiones, & accidentia denominatiuè tribuuntur, non quòd materia, quæ est pars compositi, non remaneat; sed quia non remanet, vt compositum; sicut etiã paulò ante dixerat, generationẽ esse mutationem totius. Ad tertiam dicimus, subiectũ alterationis esse ens actu, idest compositum, subiectum inquam denominationis, quia compositum dicitur alterari, subiectum verò generationis est materia, quia in ipsa recipitur forma genita; quãuis enim compositum generari dicatur, verumtamen hoc est de eo, vt termino, non vt subiecto.

Ad nonum respondetur, loqui ibi Aristotelem de resolutione quoad formas substãtiales, & de corruptione completa, inquit enim *In hoc abibit vltimũ*, quasi diceret, non in qualibet corruptione deuenitur ad materiam primam, sed tandẽ post multas corruptiones ad eam deueniendum erit, si ita compositum resoluatur, vt vlterius resolui non possit.

An generatio vnius sit corruptio alterius.

QVÆSTIO XII.

TRadit hanc propositionem Aristoteles in hoc primo tex. 17. & 20. & eam etiam antea docuerat 3. phys. tex. 73. antequam autem eã examinemus, varios eius sensus di-

stinguere, & ab incertis certa separare oportet. Potest igitur tripliciter intelligi hoc effatum. Primo modo formaliter; ita vt generatio vnius sit de essentia corruptionis alterius, sicut animal dicitur formaliter de homine, & est de illius essẽtia, & hic sensus ab oĩbus reijcitur tãquam falsus, & meritò, quia cũ vna tendat ad esse, altera ad non esse, non possunt esse formaliter idẽ. Secundo modo potest intelligi identicè, ita vt sint vna, & eadẽ res, siue vna, & eadẽ mutatio, & hoc etiam potest bifariã accipi, primò vt sint veluti duæ partes eiusdem rei, & simul cõstituant vnicam mutationẽ, secundò vt sint vna & eadem res indiuisibilis, hoc secundo modo patet non esse veram illam propositionem, cum habeant diuersos terminos, eam tamen in eo sensu videtur docere hic Aristoteles tex. 31. dum inquit generationem entis esse corruptionem non entis, & corruptionem entis esse non entis generationem. Verùm videtur ibi Aristoteles ludere velle in his nominibus, nam generatio propriè sumpta, non potest terminari ad non ens, neque corruptio ad ens. De primo autem sensu, est magna concertatio, vt infra videbimus. Tertiò, potest sumi hæc propositio consecutiuè, siue concomitãter; ita vt semper sint simul generatio, & corruptio, & hũc sensum nemo reijcit, quia nisi saltem in hoc sensu esset admittenda, in nullo admitti posset. Non desunt tamen difficultates contra eam, vt videbimus.

Præterea nomine vnius, & alterius intelligi possunt, vel formæ, vel composita; Item vel accidentia, vel substantiæ, & apud omnes pro comperto habetur, non intelligi accidentia, sed substantias, neque propriè formas, sed composita. Quare ex dictis duo examinanda reliquuntur: Alterum est, an generatio, & corruptio vnicam mutationẽ constituant, alterum, an semper sint simul.

De identitate generationis, & corruptionis opiniones variæ.

SECTIO I.

PRima sententia est, realiter distingui generationem à corruptione, neque cum ea aliquod vnũ constituere, tenent eam multi recentiores cum Toleto in hoc libro q. 3. & Doct. Connimb. q. 13. Probatur autẽ primò. Quæ identificantur cũ rebus oppositis, non possunt esse idem inter se; sed generatio, & corruptio sunt huiusmodi, est n. generatio idẽ cũ forma genita, corruptio verò cũ forma corrupta, quę inter se pugnãt, ergo non possunt esse idem inter se.

Secũdò, Generatio est productio formæ in subiecto: Corruptio est destructio formæ, atqui productio, & destructio non possunt esse idem, ergo neque generatio, & corruptio.

Tertiò, In principio mũdi fuit vera generatio, quando producta est terra, tunc enim eius forma educta est ab eius materia, & nulla tamen fuit corruptio, & idem per diuinam potentiam potest effici modò, ergo non sunt idem.

Secunda sententia est Zabatellæ lib. de generatione, & interitu ca. 5. qui vnicam esse mutationẽ generationem, & corruptionem putat. Probat, quoniam si ignis in aquã agens eam mutet in aerem, aderit interitus aquæ, & generatio aeris, & vna tantùm erit mutatio habens duos terminos, facta est enim ab vno, & eodem agẽte, & per vnam, & eãdem actionem, ab vno autẽ quatenus est vnũ, non prouenit nisi vnum.

Secun-

Secundò, In motu locali vnicus est numero motus, qui dicitur recessio ab altero loco, & accessio ad alterum, nec solum est vnus q. sed etiam simplex, qui in plures resolui nō potest, ergo idem dicendum est de alijs motibus; idem igitur erit in mutatione substantiali recessio vnius formæ, & accessus alterius.

Tertiò probatur, quia concomitantia sola nō potest efficere, vt vnū prædicetur de altero, præcipuè in abstracto, non enim dicimus, albedo est dulcedo, quamuis sint in eodem lactè, ergo dum Aristoteles inquit, generationem esse corruptionem, non voluit tantùm vnam comitari alteram, sed verè vnam esse alteram.

Tertia sententia est S. Tho. q. 28. de verit. art. 1. generationem, & corruptionem esse vnicum motum, sed tamen duas mutationes, dicūtur vnicus motus ratione subiecti, quod ab vna forma transit ad aliam; dicuntur verò duæ mutationes respectu formarum, quæ diuersæ sunt, quamuis S. Thomas videatur potius loqui de mutationibus accidentalibus, quàm de substantialibus, quia in his propriè non interuenit motus.

Quarta sentētia est Dominici Bannes in hoc primo, qui inquit, generationem, & corruptionem considerari posse, tum vt actiones, tum vt mutationes, siue passiones; primo modo sunt idē, quia per vnicā actionē agens generat vnam formā, & corrumpit aliam; at secundo modo distinguūtur realiter, quia identificant cum suis terminis realiter distinctis.

Quinta sententia est Marsilij hic q. 5. & Alberti de Sax. q. 4. hi tria dicunt, Primum, rerum successiuarum eamdem esse generationem, corruptionem, & existentiam, quia simul omnia sunt. Secundū in permanentibus si generatio, & corruptio sumantur pro materia esse idem. Tertium, si sumātur pro forma, esse quid diuersum. Vnica est enim materia, quæ est generationis subiectum, & corruptionis, at sunt duę formę; quarū altera gignitur, altera corrūpitur.

Sexta sententia est quorumdam recentiorum, qui dicunt etiam vnicum motum esse generationem, & corruptionem, non ea ratione, qua affirmabat Zabarella, quòd altera sit recessus à termino à quo, altera verò accessio ad terminum ad quem, sed quoniam existimant, nomine generationis intelligendam esse alterationem, quatenus terminatur ad productionem formę substantialis, corruptionis verò nomine alterationē, quatenus terminatur ad desitionem alterius formæ. Nam quando existit illa productio, nō est forma in fieri, neq; dici potest generari, sed iam genita est; quando etiam adest corruptio, iam illa forma est corrupta, ergo dicuntur generari, & corrumpi, dum præuia fit alteratio, at vnica est alteratio, quæ ordinatur ad productionē vnius formæ, & ad desitionē alterius, ergo etiā generatio, & corruptio sūt vnus motus, siue vna mutatio.

De relatis sententijs iudicium fertur.

SECTIO II.

De vocibus potius, quàm de re ipsa dissentire supracitati authores mihi videntur, diuersimodè enim mutationis nomen, siue generationis, & corruptionis vsurpantes diuersa quoque pronuntiāt, quod vt clariùs fiat, & simul etiam pateat, & quid sit sentiendū, & quomodo etiā in hac materia sit loquendū, aliquibus dictis nostrā explicabimus sententiam.

Dico

Dico primò generationem, & corruptionem si propriè, & iuxta nominum vim, sumantur, non esse idē, sed realiter distingui. Probatur hoc dictum argumētis primę sententię, & ex his, quæ supradiximus quæst. 9. cū enim generatio non dicat mutationem formaliter, sed productionem, nō potest identificari cum corruptione.

Dico 2. Si mutatio sumatur, prout significat conuersionem terminorū eo pacto, quo diximus, sumi in generationis definitione, tunc comprehendit tamquam partes generationem, & corruptionem, & sic dici possunt esse idem, Probatur argumentis pro secunda sententia adductis, quę supponunt formam genitam, & corruptam se habere tāquam duos terminos. Confirmatur exemplo transubstantiationis, non enim dum ex pane fit corpus Christi, dicuntur fieri duæ transubstantiationes, sed vnica tantum, quia videlicet vnica includit duos terminos, & qui conuertitur, & is, in quem fit conuersio.

Dico 3. Si mutatio accipiat̄, prout prædicatur de subiecto generationis, quod est materia, sic etiam vnica tantùm dicenda est intercedere mutatio in generatione, & corruptione. Probatur, quia quamuis si materia deperderet tātùm formam, absque eo quòd aliam acquireret, diceretur nihilominus mutata, ac proinde corruptio sola, siue sola generatio sufficiet ad denominandam materiam mutatam, quando tamen sunt simul, non dicitur, bis mutari materia, sed semel tantùm, quoniam corruptio ordinatur ad generationem, & vtraque forma tam genita, quàm corrupta se habent tamquam duo termini positiui eiusdem mutationis, & præterea materia numquā est sine altera illarum formarum, ac proinde non tam transità forma ad priuationē ipsius, quàm ab vna forma ad aliam. Dices non continuatur corruptio cum generatione, ergo non sunt vnus motus, siue vna mutatio, de cuius essentia est continuatio. Respondetur, non cōtinuari ratione formarum, continuari tamē ratione subiecti, quia ipsum subiectum sine aliqua interruptione transit ab vna forma ad aliam.

Dico 4. Si largo modo accipiatur mutatio, prout prædicari potest de re, quæ incipit, siue desinit, sic generatio, & corruptio dici debent duæ mutationes. Probatur hoc dictum quia verè sunt duæ formæ, quarum altera desinit, altera incipit, ergo sūt duo, quæ dici possunt mutari.

Dico 5. Generationem, & corruptionem non esse accipiendas pro alteratione præuia, vt sextà sententia pronunciabat. Probatur primò, quoniam Aristoteles in hoc primo nulla alia in re impensius laborat, quam in distinguenda generatione ab alteratione, ergo non est dicendum, pro eodem eas sumpsisse. Secundò, quia generatio secundū omnes fit in instanti, præuia autem alteratio fit successiuè. Tertiò, quia alteratio præuia non potest continuari cum formæ productione, cū enim terminus alterationis sit accidens, quod realiter est distinctum à forma substantiali, non potest productio vnius continuari cum productione alterius. Quartò, Si illorum ratio militaret, nec productio, nec creatio esset concedenda, neque alteratio instantanea, quia in his omnibus nō differt fieri, & factum esse, non magis, quàm in generatione. Quintò, Vel sumunt præuiam alterationem, vt includentem etiam productionē formæ substātialis, vel vt excludentem, si primum, ergo præmuntur eadem

dem difficultate, quam fugiũt, quia si productio formæ præcisè sumpta nihil est, neque addita alterationi poterit ipsam denominare generationem, vel est aliquid, & ipsa per se dici poterit generatio. Præterea cũ hæc alteratio includat duos terminos diuersos, adhuc inquirendum remanebit, an ratione horum terminorum sit vna, vel duplex mutatio: Si verò sumant alterationem, vt excludentem productionem formæ, sed tantùm, vt ad eam ordinatam, tamquam ad terminum extrinsecum, sic omnis alteratio corruptiua, omnis calefactio, omnis frigefactio erit generatio, quia omnis huiusmodi alteratio est ordinata ad generationẽ. Præterea remanebit inquirendum, quo nomine sit appellanda ipsa productio formæ substantialis.

Quartam sententiam non examinamus, quia pendet ex quæstione de actione alibi pertractanda, & ex alijs dicendis, sicuti neque quintam, quia vel nimis impropriè generationis nomẽ vsurpat, vel nõ aliud sibi vult, quàm id, quod nos etiam explicauimus, impugnat tamen eam Toletus, quem qui volet, consulere poterit. Argumenta in confirmationem cuiusque sententiæ adducta nõ indigent solutione, quia per distinctiones in nostris dictis allatas patet, contra nos non pugnare, immo potius nostram corroborare sententiam. Et hactenus de prima difficultate circa hanc propositionem propositã, transeundum est ad secundã.

An generatio possit esse sine corruptione, vel e conuerso.

SECTIO III.

Negat Aristoteles, & cum eo omnes interpretes, quamuis nonnulli difficultatibus victi dicant, intelligendum hoc esse tantùm de generatione, & corruptione elemẽtorum; Communis tamen opinio fert, in omnibus naturalibus generationibus, & corruptionibus verum esse. Et ratio desumitur ex tribus principijs in philosophia certissimis. Primum est, neque ex nihilo aliquid fieri, neque quidquam in nihilum abire posse; hinc enim fit, vt in qualibet generatione, & corruptione sit præsupponenda materia tamquam subiectum. Secundum est, materiã numquam esse posse sine forma: Tertium duas formas dãtes vltimatè esse specificum non posse esse simul, hinc enim efficitur, vt dum gignitur vna forma, necessariò expellatur altera per corruptionem, & dũ vna corrũpitur, ne materia sine forma remaneat, altera necessariò gignitur, vel secundum suam realitatem, vel saltem secundum aliquam suam formalitatem, vt infra explicabimus. Probatur etiam à posteriori, quia nisi generatio vnius esset corruptio alterius, non daretur perpetua vicissitudo in generatione, & corruptione rerum, quia si quæ corrumpuntur, abirent in nihilum; omnia tandem in nihilum resolui possent, si verò ex nihilo fierent, cum corruptio non sit per se à natura intẽta, nihil vmquam corrumperetur. Non desunt tamen contra hoc effatum nonnullæ obiectiones, quas, vt eius veritas magis pspicua fiat, proponemus, & dissoluemus.

Cum moritur animal, nulla noua forma in eius cadauer inducitur, sed remanent tantùm formæ substantiales partium, vt supradiximus, ergo datur corruptio sine generatione, & è conuerso, quando anima corpori organizato vnitur, fit generatio, & tamen nulla forma corrumpitur

tur, quia remanent formæ substantiales partium, quæ erant prius, ergo dat generatio sine corruptione.

Respondetur quamuis non generetur in primo casu aliqua forma secundum suam entitatem realem, gignitur tamen secundum aliquã formalitatem, quia quæ prius se habebat vt materia, postea se habet vt forma, quæ priùs alteri famulabatur, postea est domina, quæ priùs ab altera terminabatur, modo terminat, quare resultat etiam nouum totum, quod enim priùs erat in specie viuentium, postea est in specie non viuentium; & sicut ablata vnitate à quaternario, dicitur mutari numerus, & fieri ternarius, quamuis priùs etiam in quaternario adesset; Ita recedente anima dicitur fieri nouum totum, non quia illud idem secundum totam suam entitatem non esset etiã priùs, sed quia priùs se habebat vt pars, modò autem se habet, vt totum. Dices, hæc formalitas, quæ dicitur amitti, aut acquiri, vel est ens, vel non ens, si ens, ergo adest, vel deest aliqua entitas, quæ priùs non aderat, vel deerat, si est non ens, ergo facta est mutatio tantum secundum conceptionem nostram, non verò secundum rem à parte rei. Respondetur, illam formalitatem esse ens, sed ens formale, quod verè non distinguitur ab ente reali, sed est ipsum ens reale sub illa formalitate. Dices, hoc ens formale deperditur absque eo quòd deperdatur entitas realis, ergo distinguũtur à parte rei, quia nõ nisi inter ea, quę distinguuntur, datur separatio vnius ab altero. Respondetur, ad hoc vt duo distinguantur realiter, nõ satis esse, vt vnũ existere possit sine altero; sed vt ambo existere possint separata vnũ ab altero. Ad distinctionem autem ex natura rei, quæ modalis dicitur, requiritur vt vnum existere possit sine altero, dummodo ex eo, quòd sine altero existit, realem aliquam mutationem subeat. Ad rem autem nostram accedentes, dicimus, illam formalitatem, quã cum morte animalis corpus organicum acquirit, esse non posse sine eo, & consequenter non distingui ab eo realiter, posse tamẽ sine ipsa existere corpus organicũ, sed ita vt nullam realem mutationẽ ob hoc præcisè patiatur, & idcircò nec distingui ab ea ex natura rei, neque tamen sequitur, fieri mutationẽ tantùm secundum conceptionẽ nostram, quia mutatum est aliquod extrinsecum connotatum ab illa formalitate, quæ quamuis non sit denominatio extrinseca, non est tamen sine extrinseca connotatione. Sed hæc hactenus, quæ si vrgere pergas, cauillos, & sophismata sectari videberis, præcipuè cum huius materiæ peculiaria non sint, sed locum habeant in multis alijs rebus, vt in relatione, quæ non distinguitur realiter a fundamento, & tamen eo incolumi deperdi potest, in causa, quæ ex non causa absque additione vllius entitatis causæ nomen, & non tantũ per intellectum adepta est, & similibus, quorum ratio est, quia hæc nomina, siue formalitates inuoluũt aliquid extrinsecum, ex cuius mutatione etiam ipsa mutantur, quamuis subiecta, quibus attribuuntur, realiter non mutentur, sed tantùm per hanc formalitatem, siue denominationem formalem, id autem, quod diximus de generatione in morte animalis, dicẽdum est de corruptione in generatione eiusdem.

Secunda obiectio. Quando tabula in duas partes diuiditur, gignuntur duo supposita, & tamen nihil corrumpitur, & quando etiã vniuntur, fit nouum suppositum nullo alio

cor-

corrupto. Respondetur, per diuisionem fieri quidem duo supposita, & per vnionem vnum, tamen non per generationem, sed per diuisionem, & coniunctionem, vt supra notauimus. Quòd si quis obstinatè contendat, esse generationem, ne de verbis litigemus, dicam, corruptũ esse vnũ, & genita duo, vel duo esse corrupta, & vnum genitum, quodcũ dicitur Generatio vnius est corruptio alterius, non coarctatur ad numerum singularem, quasi ex vnius corruptione non possint plura generari, vt accidit, cũ vermes ex cadauere oriuntur; vel in vnius generatione plura corrumpuntur, vt cum ex elementis fit mixtum, si vera est opinio, quòd elementa in mixto nõ maneant.

Tertia obiectio, Habent res naturales determinatam quantitatẽ, sub cuius minori conseruari nõ possunt, detur igitur hæc minima quantitas aquæ, tunc verò ab aliquo agente diuidatur in duas partes, tũc illa aqua corrumpetur, quia non potest conseruari sub tam parua quãtitate, sed neque poterit alia forma gigni, tum quia si forma aquæ non potest in tã parua materia existere; neque poterit alia forma, tum quia non adest agens, quod possit eam introducere; quia diuisio nõ est dispositio ad aliquam formam substantialem, ergo fiet corruptio absque generatione; Respondetur, esto verum sit, dari determinatam illam minimam aquę quantitatem, vel hanc fore tam paruam, vt à nullo naturali agente possit diuidi, vel si poterit, corrumpetur forma aquæ, & generabitur forma ambiẽtis ipsam aquam, nam & tam minimam materiam statim disponere poterit; & cum reliquis suis partibus vnietur, & sic vtrumq; incommodum euitabitur.

Quarta, Si generatio vnius esset corruptio alterius, semper in mũdo esset idẽ numerus indiuiduorum, qđ incredibile videtur. Respondetur, negandam consequentiam, quia aliquando ex vnius corruptione multa gigni possunt, & è contra, vt supra diximus.

Quinta. Cum in aere tenebroso gignitur lux, nulli⁹ rei fit corruptio, ergo dat̃ generatio sine corruptione, & è cõtra cũ corrumpitur, corruptio sine generatione. Si dicas, hanc regulam non esse necessariò veram in formis, sed in compositis. Cõtra quia dũ gignitur lux, gignitur etiã compositum lucidum. Si dicas, non esse veram in compositis accidentalibus, quæri potest, cur nõ etiã possit esse falsa in substantialibus, cum tam substantiales formæ possint carere contrario, quã accidentales. Et confirmatur, quia si nullum compositũ dicitur corrumpi, quando producitur lux, quia nulla forma per eã expellitur, sed tãtum perficitur subiectum, eadẽ ratione dici debet, in hominis generatione nullum compositum corrumpi, quia nulla forma per animam expellitur. Respondetur, hanc regulam nõ esse veram in qualitatibus perfectiuis. Ad confir. Respon. disparem esse rationem de lumine, & anima, nã anima supponit formam sibi subordinatam, quæ recedente anima, fit forma vltima, & specificans, ipsa verò præsente, se habet loco materiæ; at verò lumen non habet in materia formam sibi subordinatam, neque ex eius, vel præsentia, vel absentia aliqua alia forma diuersimodè se habet, & consequenter aduenit lumen sine alterius corruptione, & recedit sine alterius generatione, non ita autem anima. Ratio autem, cur hoc accidere non possit in formis substantialibus, est quoniam hæ, si solæ sunt in

materia, dant esse simpliciter, & ipsis recedentibus oportet alias advenire; si verò alias supponant, hæ, illis recedentibus, fiunt formæ vltimatæ, & consequenter noua compositа resultat, vt supra explicauimus.

Sexta, In nutritione corrumpitur alimentum, & tamen nulla fit generatio, ergo datur corruptio sine generatione. Respondetur, fieri generationem partialem, fit enim de nouo aliqua pars substantiæ aliti.

Septima obiectio gigni potest ignis in ligno, vel ferro, absque eo quòd corrumpatur lignum, vel ferri substantia, ergo datur generatio sine corruptione. Respondetur, hanc obiectionem magnas inuoluere difficultates, de quibus infra agendum erit. Interim supposita veriori sententia, quòd ignis non sit tantùm in poris, sed etiam in ipsa substantia ligni, vel ferri, quod suo loco probabimus, dico, generationem esse quidẽ sine corruptione in facto esse, non tamen sine eadem in fieri, quia paulatim subiecti substantiam depascitur ignis, quod ex natura peculiari ipsius ignis est necessariò fatendum.

De termino generationis adæquato.

QVÆSTIO XIII.

EXplicato subiecto generationis, progredimur ad terminum, tria sunt autem, quæ per generationem fieri videntur, forma, quæ antea nõ erat, vnio ipsius formę cũ materia, & compositum, quod ex forma, & materia vnitis resultat. Cum autem generatio vnica sit mutatio, & non possit plures terminos vnica mutatio habere saltem totales, & per se, meritò inquiritur, quid sit illud, quod per se generetur, & quomodo se habeant ad generationem hi termini.

Notandum præterea, aliquid esse posse terminum vt quò, & vt quòd; terminus vt quò dicitur etiam terminus formalis, & est id, ratione cuius aliquid generari dicitur, terminus vt quòd dicitur etiã terminus totalis, & est, qui propriè generari affirmatur, sicuti etiam in homine manus est, qua operatur, ipse verò homo est operans, hic igitur non quærimus de termino formali, & quò, sed de termino vt quòd, acturi de termino quò quæstione sequenti.

Compositum per se, & adæquatè generari.

SECTIO I.

EST communis philosophorum sentẽtia ab Aristotele accepta; nam hic ait ***generationem esse mutationem totius in totum***, per totum autem intelligitur compositum, & alibi sępe idipsum repetit, primo enim phys. tex. 64. ait manifestum esse, quod compositum est illud, quod fit, & 7. metaph. à tex. 32. vsque ad 36. idipsum probat, quia omne, qđ generatur, debet fieri ex aliquo prę-existente, ergo non generatur materia, quia daretur materia materiæ, neque forma, quia huius nulla pars preexistit, relinquitur igitur, vt compositũ sit illud, quod gignitur. Probatur etiam, quia ille est terminus per se, & principalis generationis; qui à generante per se, & principaliter intenditur, sed à generante intenditur compositum, cũ vnumquodq; intendat producere sibi simile; igitur. Præterea, quod per se habet esse, etiam per se fit, sed compositum est illud, quod per se habet esse, & forma propter compositũ, ergo compositum est, quod per se fit. Deniq; in com-

in communi modo loquendi composita sunt illa, quae gigni dicuntur & fieri, dicitur enim esse genitus homo, vel equus, ergo compositum est verè terminus generationis, siue ut alij dicunt, est terminus denominationis, quia denominatur genitum. Confirmatur, quia in homine non gignitur anima, & tamen homo dicitur genitus, ergo composito conuenit per se generari.

Obijci tamen possunt multae authoritates Aristotelis, in quibus ait, ipsam formam gigni. Nam 1. phys. tex. 64. ait esse aliquid, quod fit, & aliquid, quod fit hoc, per illud autē, quod fit, interpretes exponunt formam, & tex. vltimò ait, formas physicas esse corruptibiles, at corrumpi non potest, quod non generatur, & 2. physicorum tex. 14. ait, generationem dici naturā, quia est via ad formam, quae est natura. Respondetur, haec duo non pugnare, quòd forma generetur, & quòd etiā compositū; quia forma gignitur vt quò, compositum vt quòd.

Secundò obijcitur, Ille est terminus generationis, quo acquisito cessat generatio, at producta forma cessat generatio, ergo ipsa est terminus. Neque dici potest, esse tantùm terminum quò, & compositū quòd, nam prius gignitur forma, quā compositum, sed post genitam formam cessat omnis actio, ergo compositū nullo pacto gignitur. Respondetur, formam, & compositum simul tempore gigni, & proinde tam posse dici, quòd generatio cessat acquisita forma, quàm acquisito composito, nec post genitam formam opus est alia actione, qua gignatur compositum, quia per eamdem actionem gignitur.

Tertiò obijcitur, Compositum à forma constituitur, & recipit esse, ergo si compositum gignitur, diceretur gigni à forma, quod est absurdum. Respondetur, generationem esse à causa efficienti, non autem à causa formali, forma autem constituit cōpositum tamquam causa formalis, non tamquam efficiens.

Quartò, vel compositum dicit aliquid reale positiuum distinctum à materia, & forma, vel nihil illis superaddit, si primum, ergo dabuntur duae generationes, altera, quae terminatur ad formam, altera, quae ad cōpositum; Si secundum, ergo cum in composito nihil sit aliud, quàm materia & forma, & materia non generetur, sequitur, vt verè forma sit totalis, & adequatus terminus generationis. Respondetur, compositum nihil superaddere, vt modò ostēdemus, negamus tamen, quod inde deducitur, solam formam gigni; quoniam non gignitur forma abstractè, sed forma in materia; & ipsa materia, quamuis fuisset ante generationē, tamen non eodē modo se habebat, ac post generationem, & sicuti supra dicebamus, gigni totum, quāuis noua forma non generaret, quia accipiebat nouam quādam formalitatem; ita ad hoc, vt dicatur verè gigni compositum, sufficit, vt praeter materiam, & formam nouā quādam formalitatem addat. Sed operepretium erit exactius perpendere. An compositum, siue totum nouam aliquam entitatem super partes vnitas addat, vt intelligatur, qualis sit terminus vt quòd per generationem habitus.

Compositum à partibus simul sumptis, et vnitis distinctum, quibus rationibus non pauci aßeruerint.

SECTIO II.

NOn vulgarium philosophorum sententia fuit, totum à suis partibus realiter distingui, nomine autẽ totius potest intelligi, & totum integrale, quod ex partibus integrantibus componitur, vt corpus ex membris, & totum metaphysicum, quod ex genere, & differentia coalescit, & totum vniuersale, cui tamquam partes subijciũt inferiora, de quibus prædicatur, vt genus respectu specierum, & totum potentiale, quod est principium plurium potẽtiarum, vt anima, quæ tum sensitiuas, tũ intellectiuas potentias habet, & tandẽ totum physicum, quod ex materia, & forma componitur, de quo tantũ nos loqui statuimus, tum quia solũ ad præsentem considerationem pertinet, tum etiam quia ex ijs, quæ de ipso dicemus, facilè etiam, quid de alijs statuendum sit, patebit.

Realiter igitur hoc totum à suis partibus distingui, tenet Scotus 8. metaph. quæst. 4. & in 3. sent. distin. 2. quæst. 2. Heruæus quol. 2. quæst. 4. & alij apud Colleg. Connimbr. 1. phys. cap. 2. quæst. 1. quod eamdem sententiam probabiliorem existimat, & tandem Fonseca 7. metaph. cap. 17. q. vltima.

Probat Scotus hãc sententiam sequentibus argumentis. Primò, quia aliàs nulla esset differentia inter totum per se vnum, & totum per aggregationem, quia hoc totũ est suæ partes 8. metaph. tex. 15. Consequẽs videtur inconueniens, tum ex eodẽ 8. physic. tum quia totum ipsum per accidens est magis vnũ, quã totum per aggregationẽ, & est minus vnũ, quã vnũ per se, & tñ vnum per accidens nõ est suę partes, quia secundũ philosophũ 7. metaph. tex. 12. Homo albus est vnũ, quia albedo inest homini, ergo præter partes albedinẽ, & hoĩem requiritũ etiã informatio.

Secundò, Totum est per se terminus generationis, ergo habet entitatem propriam, quia generatio est ad esse proprij termini. Et cõfirmatur, quia si vtraque pars præexisteret, & vniretur, vt accidit in resurrectione nulla pars produceretur, & tamẽ generaretur cõpositũ, ergo est aliqđ tertium à partibus ipsis distinctum.

Preterea idem realiter non potest manere, & non manere, sed in morte hominis non manet totum, & tamen manent partes, ergo. Confirmatur ex 7. metaph. tex. 60. vbi ait, syllabam, Ba, non esse B, & A.

Quartò, Partes sunt causa compositi, at non causæ respectu sui, quia neq; materia ab ipsis causatur, neq; forma, neque etiam ambæ, ergo vel nihil causant, vel cõpositum est aliquid aliud ab ipsis partibus.

Quintò, Operationes, & passiones sunt compositorum, non autem materiæ, vel formæ, ergo vel sunt nullius, vel cõpositũ est aliqđ diuersum à materia, & forma. Hæc ex Scoto.

Sextò etiã probatur, vnũ & plura nõ possũt dici de eadẽ re, sed partes quocũq; modo accipiãtũ siue coniunctę, siue disiũctę, semp sũt plures, cõpositũ verò est vnũ, ergo distinguũtũ.

7. In morte Christi retenta vnione hypostatica ad corpus & aĩam, dissoluta est vnio cũ humanitate, ergo humanitas fuit per se vnita, cõsequẽter est aliqđ à partibus diuersũ.

8. accedunt multa Aristotelis testimonia, nam 2. de ani. tex. 3 & 7. metaph. tex. 7. & 11. tex. 14. Archytam Tarentinũ secutus, diuidit subiectũ in

in materiam, formā, & compositū, asseritq; esse tres substantias. Item 5. metaph.tex.14.tex.19. ait sex nō esse bis tria, sed semel sex & lib.7.tex. vlt. carnem non esse solum ignem & terram, sed aliud quidpiā, & 8. tex. 15. totum nō esse acetuo simile, sed aliquid præter partes.

9. Si totum essentiale nil aliud est quàm suę partes simul sumptæ, ergo idem erit etiam dicendū de toto integrali respectu suatū partium integralium, ergo partes integrales, & essentiales erunt idem realiter inter se, sicuti idem cōpositum est totum integrale, & totum essentiale.

10. Si totū nō esset aliquid aliud à partibus, frustra operaretur natura, quæ ad totum producendum partes vnit, quia nihil efficeret noui, consequens nullo pacto est admittēdum, ergo nec antecedens.

11. Partes vnitæ non distinguunt à se ipsis, vt separatis, realiter, sed totum distinguitur realiter à partibus separatis, ergo etiā à partib⁹ vnitis.

Ratione tantum distingui, communior, & vera sententia.

SECTIO III.

TOtum distingui realiter à suis singulis partibus inadæquatè, scilicet ratione alterius partis, nemo est, qui neget, à partibus autē simul sumptis, & vnitis ratione tantùm separari, & distingui, est valde à recentioribus receptum, & meritò, tribuitur etiā D.Thomę, & alijs antiquioribus à Suarez disp. 36. sect. 3. hæc sententia, contradicente tamen Fonseca, sed cum S.Thomę mens non sit omnino aperta, æqui⁹ est, ipsum pro veriori sensu explicare.

Probatur igitur hæc sententia, quia vel totum distinguitur à partibus, ex eo quòd aliquid eis superaddat, vel quia ambas includat nihil addens, neutrum dici potest, igitur. Probatur minor quoad priorem partem à Suarez diffusè, & optimè, nos hac vnica ratione contenti erimus. Vel illud additum efficit vnum cū partibus, vel non, si primū, ergo nouum compositum ex illa entitate, & partibus orietur, quod iterum debebit à cōponētibus distingui, & de eo rursus quæram, an componatur, &c. & sic dabitur processus in infinitum, verùm non est necesse, hanc partem argumentis amplius vrgere, quamuis enim dicat Suarez, in hac videri esse punctū difficultatis, re uera tamen aduersarij non in hoc sensu dicunt, totum esse distinctum à partibus. Nam Scotus loco supracitato hæc inquit. *Dico, quod vltra formam, quæ perficit materiam vltimatè, & dicitur forma partis, non est necesse ponere aliquam formam; quasi perficientem tam materiam, quàm formam*, & rationem attulerat, quia vel faceret vnum cum materia, & forma partis p se, vel per aliud, si ex se, ita, inquit, concedi potest de forma partis, si per aliud, dabitur processus in infinitum, & paulò infra subdit. *Si tamen intelligatur forma totius non aliquid constituens totum, sed ipsa natura tota, vt quidditas hoc modo concedi bene potest, quam forma totius sit alia à forma partis.* Et clarius Fonseca sect. 4. ad secundum. (nam videtur, vt opinor, argumenta Suarez) *totum physicum*, inquit, *non distingui à materia, & forma simul sumptis per aliquam realitatem adiunctam materiæ, & formæ, ex qua ipsum etiam componatur, sed se ipso, suaque totalitate substantiali, tamquam ens per se vnum substantiale, atque completum à pluribus entibus substantialibus, & incompletis*.

Opor-

Oportet igitur impugnare alteram partem, quod etiam facilè fiet, dummodo vera ratio distinctionis realis teneatur. Aliqua enim duo inter se realiter distingui, est vnum non esse aliud, non tantùm per nostram conceptionem, sed etiam à parte rei, ita vt entitas vnius non sit alia, seu distincta sit ab entitate alterius, & idcircò optimum signum huius distinctionis habetur, quòd possint, vel naturaliter, vel per diuinam potētiam illa duo existere separata, quòd non ita est intelligendum, quòd vnum possit existere in rerum natura altero non existente, quamuis & hoc signum probè intellectum verum sit, sed vt ambo existant non vnita, correlatiua enim non possunt vnum sine altero existere, possunt tamen existere separata, & in distinctis locis, & ideo realiter distinguuntur, quòd autem existere alterum ipsorum sine altero non possit, non prouenit ex indistinctione, sed ex eo, quòd essentialiter se respiciunt, & ea ratione valet etiam in ipsis primum signum, quòd vnum possit sine altero existere, quia verè potest quoad realitatem, quamuis non possit quoad formalitatem, mortuo enim filio, quamuis pater desinat habere relationem paternitatis, retinet tamen eamdem realitatem, & eamdem entitatem omninò, quam prius habebat.

Hoc supposito, quod ex ipsis terminis distinctionis realis patet, euidens mihi videtur, compositum nō distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis; oporteret. n. vt esset aliqua entitas ab ipsis. Licebit igitur considerare ex vna parte entitatem partium simul sumptarū, & ex altera entitatem compositi, at si ex composito tu auferras entitatē partium, quamnam entitatem in ipso considerabis? non est igitur entitas composita distincta ab entitate partium. Confirmatur, quia omne, quod distinguitur, per aliquid distinguitur; homo enim distinguitur ab equo per rationabilitatem, à lapide per sensibilitatem &c. si ergo compositum distinguitur a partibus, per quam entitatē distinguitur? an per entitatem formæ? sed per hanc non potest distingui ab ipsa forma. Per entitatem materiæ? sed neque per hanc ab ipsa materia. Per entitatem ambarum? ergo non distinguetur ab ambabus. Per vnionem, siue compositionem? at hæc non est quid diuersum realiter à partibus, & ipsa quoque includitur in partibus vnitis. An per formam distinguetur à materia, & per materiam à forma? atqui si hac ratione dicitur distingui, simili argumēto dicam ego, nō distingui, & esse idem cū illis, quia per materiam est idem cum materia, per formam idem cum forma, & præterea hoc non erit distingui ab ambabus simul sūptis, sed singillatim, & ratione alterius partis, quod libenter auctores, quos sequimur, concedent. An verò distinguitur se toto? sed quę se totis distinguuntur, in nulla re conueniunt, compositum verò conuenit cum partibus, quatenus illas includit. Dicent, distingui in ratione totius, quia videlicet compositum est totum, & ea, ex quibus cōponitur, sunt partes, at ostēdā, hanc rationem totius, nisi adsit alia diuersitas, non sufficere ad distinctionem realem, nam alioqui sequeretur, vt idem à se ipso differret realiter, nulla entitate addita, siue amissa. Nam si aqua diuidatur in duas partes, quę prius erat pars, fit quoddam totum, ergo si ratio totius potest inferre distinctionem realem à ratione, partis illa pars aquæ hoc ipso quòd facta

cta est totum, erit realiter mutata, quod est ridiculum asserere, & idem argumētum fieri potest in corpore, qđ discedēte anima remanet quoddam totum iuxta sententiam, quam supra probauimus, absque alicuius entitatis additione.

Omitto alia argumenta, quę apud Suarez, & alios videri poterunt, tum quia hoc mihi videtur sufficiens, tum ne acta agens lectorem, qui illa fortasse iam legit, superfluo labore onerem. Notabo tantùm, illam quoque sentētiam ex dictis euersam remanere, quæ asserebat, distingui totum ex natura rei à suis partibus; Nam cum hæc distinctio oriatur ex modo addito entitati rei, à qua dicitur distingui, & ostensum iam sit, totum nihil dicere super ipsas partes vnitas, consequenter efficitur, vt neq; distinguatur ex natura rei, nec opus est, pluribus hanc impugnare sententiam, cuius nemo adhuc nominatim assertor profertur, quamuis re uera longè sit probabilior, quàm ea, quę asserit, totum distingui realiter à suis partibus; quidquid contra afferant Doctores Connimbricēses.

Prioris sententiæ fundamenta deijciuntur.

SECTIO IIII.

AD primum respondetur, quòd quamuis totum per aggregationem non magis, quàm totum per accidens, & totum per se, nil aliud sit, quam suæ partes, hæc tria tamen inter se differunt quòd partes primi nullam habent inter se vnionē, partes secundi habent, sed accidentalē, tertij verò substantialem.

Ad secundū hoc argumento probatur potius, totum non distingui realiter à partibus, quia alioqui non generaretur per eādem actionem, per quam gignitur forma, quod est manifestè falsum. Est igitur totum terminus generationis, sed vt quòd, nec ad hoc requiritur, vt sit quid distinctum realiter à forma, & materia vnitis, sed sufficit, vt distinguatur ab eis separatim sumptis, & ipsatū entitatibus addat vnionem substantialem. Nam etiam nulla entitate de nouo addita dicitur gigni cadauer, dum homo moritur, & hoc à Scotistis, cum quibus præcipuè disputamus.

Ad tertium respondetur, idem secundum eādem rationem non posse manere, & nō manere, posse tamē secundum diuersam rationem, sicuti si quis ex rege priuatus fiat, manet vt homo, non manet vt rex, neq; tamen hæ duæ rationes in ipso distinguuntur realiter. Ad confirmationem respondetur, probare tantùm, totū distingui à partibus separatim sumptis, vel coniunctis, non tamen vnitis.

Ad quartū respōdent Doct. Connimb. partes componere totum, nō collectiuè sumptas, sed sigillatim, & diuisiuè, quamuis enim partes non nisi vnitæ componant totum, diuisiuè tamē sumptæ ipsum constituūt, atque hęc responsio, inquiunt, valet ad infringēda alia complura jacula, quæ in eumdem scopum cōtorquentur, vt quòd partes antecedant origine ipsum totum, ad totum ordinentur, & ab illo perficiantur. Hæc enī (dicunt) omnia vera sunt, si de partibus vnitis diuisiuè, non collectiuè sumptis intelligantur, & idem etiam videtur ratum habere Suarez. Nam inquit, *Partes dicuntur componere totum diuisim, seu sigillatim, & ita ab eis distinguitur totum; Nec refert, quòd non componant, nisi quādo sunt vnitæ, quia etiam tunc singulæ componunt, &*

non

non aggregatum, seu collectio earum, & vnionis, à quibus nō dissentit Ruuius, immo apertè negat, partes vnitas copulatim causare totum. Verū non video, cur non sit concedēdum, partes vnitas, & simul sumptas constituere, & componere compositum. Nam reuera compositum constituitur ex partibus vnitis, & simul sumptis, & nisi hoc pacto concipiantur partes, numquam ipsum componūt. Dices, ergo idem cōponet se ipsum, quia partes vnitæ, & simul sumptæ sunt ipsum compositum. Respondetur, partes etiam vnitas, & simul sumptas adhuc ratione differre ab ipso composito, hæc autē distinctio sufficit, vt idem non dicatur componi à seipso, quia quatenus partes cōponunt, non sunt totum, sed partes, & plura entia; quatenus verò sunt compositum, sunt vnum ens. Si vrgeas, saltem idem realiter componit se ipsum. Respondetur, neque hoc dici posse, quia dum dico idem, semper inuoluo rationem formalem totius, secundum quam non componit, dicere tamen possum, aliquid est idem realiter cum componentibus seipsum; Responsio autem Collegij non euacuat alioqui difficultatē, quia si partes vnitæ licet diuisiuè sumptæ compositum constituunt, adhuc poterit quis vrgere, quòd illæ partes vnitæ licet diuisiuè sumantur, à parte rei sunt idem cum cōposito, & sic redit eadem difficultas. In forma autem ad argumentum. Respondetur, materiam, & formam causare aliquid distinctum ab ipsis ratione, non verò realiter, hoc enim est discrimen inter causas intrinsecas, & extrinsecas, quòd hæ causant aliquid realiter distinctum, illæ autē ratione tantùm. Si obijcias, ergo nō sunt causæ reales, neganda est consequentia, quamuis enim non causent aliquid realiter distinctum, cau sant tamen aliquid reale. Vrgebis vel hoc reale erat ante causalitatem harum causarum, vel nō erat, si erat, ergo nihil produxerunt, vel effecerunt, si non erat, ergo causarunt à se distinctum, quia ipsæ supponuntur esse. Respondetur, præfuisse secundum partes, non autem secundum rationem totius, secundum quam gignitur, quod sufficit, vt simpliciter dicatur nouum ens esse productum; quia ex duobus entibus partialibus factū est vnū ens totale, quod prius non erat; Nam & Scotus, & Fonseca dicunt, totum nō addere nouam entitatem supra partes, quamuis velint, ab ipsis realiter distingui. Et confirmatur exemplo entis per aggregationem, nam verè dicitur ædificata domus, quamuis hæc etiā per aduersarios non sit aliquid distinctum à lapidibus, & cęmento, multò magis igitur dicetur genitum compositum, quod præter partes significat etiam vnionem substantialem inter ipsas.

Ad quintum respondetur, Operationes, & passiones esse compositorum denominatiuè, siue vt quòd, & simul etiam alicuius partis, vel ambarum partiū, vt quò, nam anima est, qua homo intelligit, corpus, quo occupat locum, &c.

Ad sextum respondetur, vnum, & plura non posse dici de eadem re secundum eamdem rationem, posse tamen secundum diuersas, nam multi milites sunt vnus exercitus, & ita plures partes vnum compositum.

Ad septimum respondetur, sicut humanitas non est aliquod ens à partibus distinctum, ita neque in Christo habuit distinctam vnionē à partibus, & sicut desijt esse humanitas per solam separationem partium, ita etiā desijt esse vnita uerbo absq;

co,

eò quòd aliquid vnionis hypostaticæ desineret, sed ad separationem partialium vnionum, quibus partes vniebantur.

Ad octauum respondetur, in illis locis non aliud sibi velle Aristotelē, quàm totum esse quid ratione distinctum à partibus vnitis, & præter partes disiunctas addere vnionem, quæ non reperitur in partibus aceruí.

Ad nonum respondetur, sicut totum integrale est idem realiter cū toto essentiali, ita etiam partes integrantes simul sumptas esse idem realiter cum partibus essentialibus, non sequitur tamen, vt hęc pars integralis sit idem cum alia parte essentiali, quia comparātur singulæ partes inter se, & non vt sunt idem cum toto.

Ad decimum respondetur, non frustra operari naturam, quia assequitur id, quod intendit, non intendit autem producere aliquid realiter distinctum à partibus, sed ex partibus componere aliquid, quod in ratione totius sit aliquid nouum, & idipsum efficit.

Ad vndecimum negandum est, totum distingui realiter à partibus separatis, sed tātùm modaliter, quia addit illis modum vnionis, quare Suarez totum distingui dixit re ipsa à partibus separatis, realiter tamen numquam asseruit, quam cautionē non adhibuit Ruuius, & idcirco dixit, certum esse, totum ab omnibus simul partibus realiter distingui, & id probari euidenter, quia fieri potest, vt partes omnes simul sint, & tamen quia non sunt vnitæ, nōdum sint totum, quo tamen argumento probatur quidem distinctio saltem ex natura rei, non verò distinctio realis, quia ad hanc requireretur, vt totum etiam posset existere separatum à partibus, quod est impossibile.

De termino formali Generationis.

QVÆSTIO XIV.

Conueniunt Philosophi, præter terminum totalem, & adæquatum generationis, debere quoque assignari terminum formalem, & ratio est, quia compositum, quod est terminus totalis, non fit totum, & secundum omnem sui partem per generationem, ergo in eo est aliquid assignandum, quod se habeat, vt ratio formalis generationis, & illud dicetur terminus formalis, sicuti enim simplicia differunt à compositis, ꝙ in simplicibus non assignamus aliquam partem, quę sit eorum forma, quia se totis constituuntur, in compositis vero, veluti in homine assignamus animam, quæ est ratio formalis ipsius hominis, ita in creatione, quæ est quædam productio simplex, & entis totius, pręter ipsius terminum totalem, nō opus est assignare alium terminum formalem, in generatione verò, quæ non terminatur ad totūm secundum omnes sui partes, præter terminum totalem, oportet etiam assignare terminum formalem. Quod autem difficultatem parit in hoc quęsito, est, quia non semper forma generatur, vt in generatione hominis, in qua anima creatᷣ; ergo non videtur ipsa esse terminus formalis generationis, & aliunde nō apparet, vnde iste terminus peti possit.

Aliorum sententia.

SECTIO I.

Est nihilominus prima sententia multorum philosophorum, & Theologorum, in qualibet generatione

tione terminum formalem esse ipsã formam, quam præcipuè defendit Vasquez 1. par. disp. 162. cap. 3. & 3. par. disp. 19. cap. 2. Probatur hæc sententia. Primò, terminus totalis generationis hominis est homo sub ratione hominis, ergo terminus formalis est ille, quo fit, & generatione constituitur homo, hic autem alius non est, quàm ipsius forma. Præterea generans intendit sibi assimilare genitum, ergo terminus formalis generationis est, per quem formaliter genitum est simili generanti, hic autem alius non est, quàm forma. Confirmatur, quia sicut omne agens agit per formam suam, sic etiam per formam rei productæ communicat, & tribuit illi esse. Adde, esse communem sententiam Theologorum, terminum formalem in generatione verbi diuini esse ipsam essentiam, quia alioquin non esset generatio vniuoca, ergo etiam in generatione humana debet esse forma, quæ est ipsa rei essentia. Quintò in generatione rei corruptibilis terminus formalis est forma, non potest enim negari, quin ipsa fiat per generationem, ergo etiam in generatione hominis, quoniam vniuocè hæ duæ generationes conueniunt. Denique probati potest multis locis Aristotelis, quibus indicat, formam generari, quæ quæstione præcedenti retulimus, non possunt autem hæc intelligi de termino generationis totali, ergo intelliguntur de formali.

Patitur tamen hæc sententia difficultatem meo iudicio indissolubilē, quia forma aliquando præcedit generationem, vel tempore, vt accidet in resurrectione vniuersali, quę tamen erit generatio, nam & in Euangelio regeneratio dicitur, vel natura, vt quotidie in hominis procreatione; at quod præexistit, non posse esse terminum formalem generationis, videtur per se, & ex terminis euidens. Generatio enim est transitus à non esse ad esse, quod autē est, non potest transire à non esse ad esse. Neque dicas, hoc debere intelligi de termino totali, non verò de formali, quoniam terminus formalis est ratio formalis, cur aliquid termino totali conueniat, ergo si termino formali non conuenit hic transitus, neque conueniet ipsi termino totali, nam in reliquis omnibus motibus terminus totalis respondet termino formali, & sicut terminus formalis alterationis est qualitas, ita totalis est quale, quòd si qualitas intēditur tantùm, & non fit de nouo, ita etiam terminus totalis intendi dicitur, & idem patet in augmentatione, & in reliquis.

Præterea si terminus formalis generationis pōt ipsi generationi præexistere, non erit ratio, cur & materia non dicatur terminus formalis generationis, nam de essentia compositi non minùs est materia, quàm forma; cur igitur dicetur, compositum generari ratione formæ, nō autem ratione materiæ, nisi quia materia præexistit? Confirmatur, quia in creatione terminus formalis non magis dicitur forma, quàm materia, quia neutra præexistit. Quòd si dicant, terminum formalem esse proprium formæ, saltem dicere poterimus, materiam esse terminum materialem generationis, quod est inauditum, quia de ratione termini ad quem, quomodocunque sumatur, est, vt acquiratur per ipsum motum, non verò, vt esse supponatur.

Præterea generatio hominis Deo potius esset tribuenda, quàm homini, nam illi tribuenda est generatio, cui tribuitur productio termini formalis generationis, atqui productio ani-

animæ, quæ est terminus formalis generationis, est tribuenda Deo, ergo etiam ipsi tribuenda simpliciter generatio. Tandem repugnat, poni terminum formalem, & non etiā terminum totalem, quia hic non fit per aliam actionem, sed ex illius positione resultat; at potest anima creari, absque eo quòd generetur homo, ergo anima non est terminus formalis generationis.

Secunda sententia.

AD euitandas supradictas difficultates dicunt alij, terminum generationis humanę, quoniam anima præexistit saltem natura, esse quidem animam, non tamen secundum se, sed vt vnitam materiæ, ita Suarez libr. 6. de Trinit. cap. 6. vel, vt alij dicunt, esse formam vt vnibilem. Verùm neque hæc sententia mihi satisfacit. Nam forma vnita, siue vnibilis includit duo, & formam scilicet, & vnionem, non potest autem esse terminus ratione ambarū, quia tunc generatio haberet duplicem terminum formalem. Sunt præterea duo termini, qui diuersas productiones requirunt, anima enim fit per creationem, vnio verò per generationē. Altera ergo earum tantum est, quę vere habet rationem termini formalis. Confirmatur, quia quod conuenit alicui, vt albo, conuenit ei ratione albedinis, & valet inde colligere, albedinem esse rationem formalem illius prædicati, ergo, si esse terminum formalem conuenit animæ vt vnibili, conuenit ei ratione vnionis, ac proinde ipsa vnio erit vera ratio, & terminus formalis.

Præterea neque videtur maior ratio, cur potius dicatur forma, vt vnibilis, esse terminus formalis generationis, quàm materia, cum vtraque sit necessaria ad constituendum compositum.

Tertia, & vera Sententia.

SECTIO II.

EST igitur, vt opinor, vera sententia, illum esse terminum formalem generationis, *qui primò, & per se fit per ipsam generationem*. Dixi *primò*, vt excluderem compositum, quod licet primò fiat ordine intentionis, tamen ordine executionis fit postremò. Dixi *fit per ipsam generationem* ad excludenda ea, quæ ante generationem præexistunt. Itā autem generaliter explicui hunc terminum, vt sub eo comprehendi possit & forma substantialis, quādo ante generationem non existit, sed per eam à materia educitur, & vnio, qñ etiam forma præexistit, & per generationem materiæ tantùm vnitur. Continet ergo hæc nostra sententia tres partes. Prima est, terminum generationis in vniuersum illud esse, quod primò per eam fit. Secunda; in generatione corruptibilium esse formam vnitam. Tertia verò, in hominis procreatione esse vnionē, qua anima cum materia vnitur. Prima pars ex ipsa vocū explicatione ostenditur, nam omnes concipiunt, terminum generationis esse illum, ad quē terminatur generatio, & generationem in hoc differre à motu locali, & cæteris mutationibus, quòd illarum termini possunt esse præxistentes, nō ita autem generationis, nam, vt sæpe docet Aristoteles, & nos etiam supra notauimus, generatio est transitus à non esse ad esse. Et confirmatur ex eius contrario, scilicet corruptione, nam omnes censent, corruptionem terminari ad non esse, ergo sicut quod est terminus corruptionis,

debet post eam non existere, ita quod est terminus generationis, debet ante eam nõ præextitisse. Nec, vt supra diximus contra Vasquez, valet effugiũ, quod hęc intelligantur de terminis tantùm totalibus, quia si terminus formalis posset prçexistere, idem dicendum esset de termino totali; Nam terminus totalis non fit diuersa actione à termino formali, sed per eãdem posito termino formali, etiam ipse resultat, ergo quod sufficit ad terminum formalem, debet etiam sufficere ad terminum totalem.

Secunda pars ex prima consequitur, si enim ille est terminus formalis generationis, qui per eam fit, cũ in generatione rerum corruptibiliũ fiat forma, & materiæ vniatur, ergo ipsa forma vnita est terminus formalis. Vbi aduerte, non dicere nos, formam vt vnitam esse terminum, vt dicebat secũda sentẽtia, quia in illa incõmoda incideremus, quę impugnauimus, sed formam vnitam, quia & formã, & vnio sunt termin⁹, neq; tamen sunt duo termini, quia simul, & per eãdem actionem fiunt, huiusmodi enim formæ educuntur à materia, quod est simul fieri, & ab ea simul dependere.

Tertia pars ex dictis cõtra primã, & secundam opinionem patet. Nam si in homine terminus generationis non est forma, neque forma vt vnita, ergo erit vnio. Confirmatur, quia & hæc fit per generationem, & hac posita statim habetur termin⁹ totalis ipsi⁹ generationis, & nisi hæc adsit, impossibile est, haberi, ergo hæc reuera est terminus. Præterea ille est terminus formalis ad quem in generatione, qui contraponitur termino à quo forma 1, sed hic nõn alt alius, quàm priuatio formæ in materia, ergo terminus ad quẽ erit præsentia, siue vnio formæ cum materia. Tertiò terminus formalis mortis est separatio animæ à corpore, & nemo vmquam dixit, terminum formalem corruptionis hominis esse animam, nisi qui dixerunt, ipsam esse mortalem, ergo etiam terminus generationis erit vnio, & hanc sententiam sequuntur etiam Connimbr. in hoc 1. cap. 4. q. 13. cum alijs Doctoribus, quos ipsi citant.

Argumenta primæ sententiæ explicantur.

SECTIO III.

AD primum posset in primis negari maior, nam terminus generationis non est homo vt homo, alioquin non differret terminus generationis à termino creationis, sed est homo, vt ex præexistenti materia procreatus. Pręterea dum in consequenti dicitur, formam esse, qua generatione constituitur homo, duplicitur intelligi potest, generationẽ constituere hominẽ per formã, primò tamquam per terminum formalem, & negamus, vel tamquã p quid applicatum per terminum formalẽ, & concedimus. Sed hinc non sequitur, ipsam formam esse terminũ formalem generationis, sed applicationem, siue vnionem. Sicut cum quis admouet ignem stuppæ, comburit stuppam per ignem applicatum, terminus autem formalis illius actionis nõ fuit ignis, sed applicatio, alioqui in omni motu locali etiam terminus illius formalis non esset vbi, vel locus, sed corpus, quod fit præsens loco, quod. n. ex indistantia vnius rei ab alia sequatur aliquis effectus, nõ pp hoc variatur terminus illius mutationis, per q̃ res facta est indistãs, sicut ergo in effectu causæ efficiẽtis,

quando

q̄n quis applicat actiuū passiuo, non dicitur habere pro termino formali suæ actionis substantiā actiui, verbi gratia ignis, q̄uis effectus, qui sequitur, ab ipso igne p se depēdeat, & ratione applicationis tribuatᶜ applicāti, sed ipsā applicationē, siue indistātiā, alioquin illa applicatio actiua esset actio substantialis, quoniam pro termino haberet substantiā; ita quādo per aliquam actionem vnitur forma subiecto, licet inde sequatur cōpositum, tamquam effectus formalis, non idcirco dicendum est, terminum illius actionis fuisse formā vnitam, sed ipsam vnionē. Similiter quādo quis ædificat domum, quamuis domus constituatur per ligna, & lapides, non dicitur ædificator habere pro termino formali ipsos lapides, sed vnionem lapidum, non aliquam formam accidentalem resultantē ex illa vnione, ita ēt quando quis formam præexistentem vnit per generationem materiæ, immeritò dr̄ habere pro termino formali suæ actionis ipsā formā, & nō vnionē ipsius.

Ad secundum concedo, generātē intendere assimilare sibi genitum, ergo tamen, hinc sequi, formam esse terminum generationis, nam generans est simile genito etiam in materia, neque tamen materia est terminus generationis, & applicans ignē stuppæ, intendit producere ignē, neque tamen terminus illius applicationis est forma ignis. Ad hoc igitur, ne frustretur agentis intentio, sufficit, vt terminus eius actionis sit ille, ad quem sequitur effectus intentus. Confirmatur, quia intentio agentis est, supplere ea, quæ deficiunt in similitudine, et quando præexistunt materia, & forma, adhoc vt fiat compositum alteri simile, deest tantùm vnio, ergo hanc tamquam terminū formalem intendit producere agēs.

Ad tertium negamus consequentiam, alioquin si valeret illatio, agit per formā, ergo terminus formalis est forma, sequeretur, in omni actione terminum formalem esse formā, quia agens semper agit per formam suam, quod tñ constat, esse falsum in alterationib. & motibus localibus.

Ad quartū respondetur, dici ab aliquib. essentiā esse terminū formalem generationis diuinæ, quatenus concipitur in diuinis generatio ad modū cōicationis, essentia. n. diuina est ea, quæ formaliter cōmunicatur, quatenus verò ad modū productionis, negamus, terminū ipsius formalem esse essentiam, sed dicimus, esse relationem. Nam cum relatio nō sit terminus totalis productionis, quia hic est ipsa persona constituta ex relatione, & essentia, si neque esset terminus formalis, nullo pacto esset ab alio, cum tamen ei maximè propriè conueniat. Ad impugnationem, quòd generatio in diuinis non esset vniuoca, negamus consequentiam, quia vniuocatio non tantùm attenditur penes terminum formalem generationis, sed etiam penes rem applicatam per terminum formalem, & penes terminum totalem, ratione quorum est vniuoca generatio in diuinis.

Ad quintum respondetur, generationem hominis, & brutorum vniuocè quidem conuenire, non tamen tamquam sub eadem specie, sed sub eodem genere. Ratio autem generica, in qua vniuocè conueniunt, est, vt ex præexistenti materia per formę applicationem generent compositū. Differunt verò specificè, quia generatio brutorum habet pro termino formali animam, quā educunt à materia, hominum verò vnionem tantùm, per quam anima materiæ vnitᶜ.

Ad Aristotelis auctoritates indeᶜ, ip-

ipsum loqui de generatione, sicut vt plurimùm accidit fieri. Nā ipsum nō loqui de hominis generatione, patet, quia non potest dici anima ipsius generari, quod tamē ipse de formis in vniuersum asserit.

Præterea obijcies, q. apponit ignē stuppæ, non cōburit propriè, & physicè stuppam, sed tantùm moraliter, nam actio physica est ipsius ignis, ergo si etiam in generatione homo applicat tantùm formam, non dicetur ipse physicè generare hominem, sed tantùm moraliter. Respondetur, negandam consequentiam duplici ex capite. Alterum est, quia ad applicationem ignis cum stuppa non sequitur per se, & formaliter combustio, sed effectiuè est ab igne, quare poterit ignis esse applicatus, & tamen non comburere, at vero homo sequitur necessariò, & per se ad vnionem formæ, ita vt neque per diuinā potentiam impediri possit, ac proinde generatio ipsius efficienti vnionē tribuitur. Alterum caput est, quia ignis applicatus est suppositum, & per consequens actio sequens ei tribuitur, at verò forma applicata per generantem non est suppositū, quare non mirum, si generatio ei nō tribuatur, sed eam introducenti; actiones enim sunt suppositorum.

Quomodo distinguatur vnio, quæ fit per generationem, ab vnitis.

QVÆSTIO XV.

QVoniam diximus, terminū formalem generationis esse vnionem, consequens est, vt eius naturā declaremus, non enim paruas continet difficultates, quamuis parùm à philosophis examinatas, neque tantùm de vnione in vniuersum agemus, sed etiam de ea, quæ inter animam rationalem, & corpus intercedit, quæ peculiares continet difficultates, atque primùm, tamquam fundamentum omnium dicēdorū, statuendum est, quomodo vnio distinguatur ab vnitis, an scilicet ratione tantùm; vel etiam ex natura rei, nam realiter non distingui, certius est, q̄ vt disputatione indigeat.

Prima opinio, vnionem ratione tantùm distingui ab vnitis.

SECTIO I.

REcentiores nonnulli hanc tuentur sententiam, asserentes, nihil prorsus esse vnionem præter ipsas partes, quæ concipiuntur vnitæ. Quoniam tamen hæ partes aliquando vnitæ sunt, & aliquando separatæ, & hoc absque vllo ordine ad cōceptionem nostram, & oportet, eos reddere rationem, cur nunc dicātur vnitæ, & non antea, diuisi inter se sunt. Quidam dicunt, sufficere indistantiam, eo enim ipso, quo forma est indistans à materia, non potest, inquiunt, ei non esse vnita, imò non aliud est vnio, quàm hæc indistantia, supposito quòd illæ inter se veluti actus, & potentia se habeant: Alij verò dicunt, vnionem nil aliud esse, quàm formam indistantem, vt connotantem dispositiones necessarias in materia. Alij denique dicunt, connotari actionem agentis ordinatam ad hunc finē, vt materia, & forma substantialiter vnirentur.

Probatur autem hæc sententia ex Aristot. 8. metaph. tex. 15. & 2. de anima text. 7. vbi præter materiam, & formam, nullam vult esse causam vnius

vnius compositi, nisi efficientem, at si datur ista vnio, haec est maxima, & praecipua causa ipsius compositi substantialis, quia propter illam esset vnum.

Secúdò frustra fingitur haec vnio, cum omnia possint saluari sine ipsa.

Tertiò ab eo res habet esse vnum, à quo habet esse ens ex 2. de anim. text. 7. ex eo, quod vnitas est passio entis 4. metaph. 4. sed impossibile est, vt à modo aliquo proueniat esse essentiale rei, ergo non est fingédus iste modus ad constituendum compositum substantiale vnum.

Quartò, inter terminabile, & terminatiuum, & inter media, & finem non videtur ponendum aliquod medium, at huiusmodi sunt materia, & forma, ergo nullo medio op' est ad eas vniendas.

Quintò, aut vnio producitur eadem actione, qua forma, aut diuersa, non eadem, quia termini sunt diuersi, & prius natura est, formã existere, quàm vnitam esse, & potest ẽt forma existere absque vnione, non diuersa, quia tunc in qualibet generatione duae concurrerent actiones, quod est inauditum.

Sextò, sequeretur, formam, & materiam constituere vnum per accidens, scilicet per aliud, cum sint vnũ per vnionem, quae est aliud ab ipsis, non possent etiam immediatè vniri, cum media hac vnione connecteren tur.

Septimò, vel ipsa vnio est vnita cum forma, vel non est vnita, si vnita est, vel media alia vnione, vel se ipsa, si se ipsa, ergo etiam forma poterit se ipsa vniri materiae, si alia mediante vnione, iterum quaeram de hac secunda vnione, an sit vnita, & sic in infinitum, si non est vnita, ergo neque poterit eam alteri vnire.

Octauò, vnio nil aliud est, quàm relatio partium vnitarum; at relatio non differt, nisi ratione à fundamẽto, ergo neque vnio à rebus vnitis.

Afferunt etiam, esse hanc sententiam veterum peripateticorum, qui huius vnionis nusquã meminerunt, imò S. Th. apertè, & multos alios eã negare affirmant, S.Th. 1. par. q. 76. art. 6. & 7. & 2. contra gent. cap. 21. & ibidem Ferr. & Caiet. & Scot. in 2. distinct. 12. quaest. 1. & Soncinat. in 3. metaph. q. 28.

Denique multas secum affert difficultates haec vnio, vt à quo producatur, an sit vna, vel multiplex, diuisibilis, vel indiuisibilis, substantia, vel accidens, tutius igitur erit, eam negare, quàm tot inuolui quaestionũ discriminibus.

Distingui vnionem ex natura rei à forma, quam vnit, vera, & communis opinio fert.

SECTIO II.

Complures ex recẽtioribus apertè hãc amplectuntur sententiã, vt Suarez disp. 13. in metaph. sect. 9. & disp. 36. sect. 3. num. 8. & disp. 15. sect. 6. Ruuius 1. phys. tract. de forma q. 6. num. 51. Conimb. 1. phys. c. 9. q. 11. art. 4. & alij Antiquiores autem eam videntur potius tamquam certam supposuisse, quàm in mediũ attulisse, neque mirum, nam & disputationes, sicuti & reliqua omnia, mutationibus sunt obnoxiae, & quaedam iam pro compertis habentur, quae olim maxima in lite versabantur, & de quibusdam alijs nunc digladiantur autores, de quibus, vel sũma consensio fuit apud antiquos, vel nulla mentio. Sed quoniam aduersarij S. Thomam sibi patronũ asciscunt, en locus, in quo clarissimè vnio-

vnionem admittit, tanquam aliquid à forma distinctum, est hic in 1. parte q. 76. art. 1. ad 6. vbi hæc habet. *Dicendum quòd secundum se conuenit animæ, corpori vniri, sicut secundum se corpori leui conuenit, esse sursum, & sicut corpus leue manet quoad esse leue, cum à proprio loco fuerit separatum cũ aptitudine tamen, & inclinatione ad proprium locum; ita anima humana manet in suo esse, cum fuerit à corpore separata habens aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis vnionem*. Si enim vnio non esset aliquid ab anima diuersum, non ad ipsam diceretur habere inclinationem, neq; compararetur loco sursum, qui est aliquid reale. Sed quidquid sit de argumentis ab autoritate, maximis certè rationum ponderibus priori præualet hæc sententia.

Nam dum separatur anima rationalis à corpore, remanet eius substãtia, & deperditur vnio, ergo hæc est aliquid ab illa distinctum. Antecedens experientia, & fide constat; cõsequentia probatur, quia non potest deperdi aliqua denominatio realis, nisi per aliquam realem mutationẽ, vel in ipso denominato, vel in aliqua alia re, nam neque relatio amittitur, nisi per mutationem realem, vel fundamenti, vel termini, ergo dum anima ex coniuncta fit separata, oportet, intercedere aliquam mutationem, hæc autem non est in substantia, quia tam substantia materię, quàm formę permanet, neque in aliquo accidente, quia cõseruato quocunque accidente, potest saltem per diuinam potẽtiam anima separari à corpore, ergo est in aliquo modo ipsius animæ, vel materiæ, & hic est vnio, de qua nos loquimur. Confirmatur, quia si nulla facta esset mutatio, homo non esset mortuus; nam immutatis partibus, necesse est, & ipsum totum immutatum permanere, totum enim nil aliud est, quã suæ partes, vt supra probauimus, & si rectè se habeant corpus & anima, impossibile est, compositum non rectè se habere. si ergo in separatione animæ à corpore nulla interuenit realis mutatio in partibus, neque totum mutatum erit, sicut ergo ante separationem viuum erit, viuum quoq; erit postea.

Poterunt respondere aduersarij iuxta ipsorum principia, factam esse mutationem penes distantiam, anima. n. quæ erat præsens corpori, facta est absens, vel penes dispositiones, nam deperditæ hæ supponũtur, dum anima discedit. At neutra responsio satisfacit. Et primò quidem argumentari possumus ad hominẽ, nam aliqui ex his recentioribus, cõtra quos disputamus, negant vbi intrinsecũ, & consequenter dum quis ex præsenti fit absens, intrinsecè nullam mutationem subire volunt, sed hoc prætermisso, argumẽtor, simpliciter, quia prius est, animam separari à corpore, quàm ab eo fieri distantem, idcirco enim discedit, quia est separata, & non è contra, ergo separari animã à corpore, nõ est fieri ab eo distantem. Et confirmatur, quia à Deo creatur præsens corpori, & corpori perfectè dispositio, & tamẽ non vnitur, quia creatio terminatur ad animam per se subsistentem, non verò ad eam vnitam, vt infra latius confirmabimus. Præterea cur non poterit anima permanere quoad præsentiam in corpore etiam post mortem? si enim potest esse in igne, & Dæmon potest esse in corpore absque informatione, cur etiam non poterit esse anima in corpore? Præterea generatio, & corruptio essent tantùm motus locales, quia per eas nihil acquireretur, vel deperderetur

retur, quàm præsentia quædam localis; Neque iuuabit recurrere ad terminum totalem, quia quādo terminus formalis mutationis est loc^9, non potest terminus totalis esse aliquid substantiale, quia terminus totalis constituitur per terminum formalem, vt omittam, Aristotelem asserere, per motum localem nihil produci. Sequeretur etiam, compositū non magis esse vnum ens per se, quā sint locans, & locatum, quia nō magis, quàm hæc duo, vnirentur materia, & forma.

Neque posterior responsio de dispositionū deperditione est melior. Nam primò sequeretur maximum absurdū dispositiones scilicet, quæ sunt accidentia, esse de essentia hominis, Probatur consequentia; nam si homo formaliter moritur per dispositionum amissionem, nō possunt hæ non esse ei essentiales, accidentia enim possunt adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, & quamuis aliquando sint causa corruptionis, tamen in ipsis formaliter non potest consistere corruptio, quia sequeretur, quòd relictis omnib. alijs rebus, & ipsis tantùm deperditis, corruptio fieret, quod nō nisi de rebus essentialibus dici potest. Sequeretur etiam, tam generationem, quā corruptionem hominis esse successiuam, nam si hæ formaliter consistūt in deperditione, vel acquisitione dispositionum, cum constet, has acquiri, & deperdi successiuè, idem dicendum erit de illis. Quòd si dicant, mortem hominis nō consistere quidem in dispositionum deperditione formaliter, sed consecutiuè, redit primum argumentum, quia oportet, aliquid assignare, ob cuius deperditionem formaliter moriatur homo. Adde, quòd posset Deus animam a corpore separare, conseruatis etiam dispositionibus omnibus ipsius corporis, ergo separatio animæ neque formaliter, neque consecutiuè omnino, sed tantùm naturaliter a dispositionum deperditione dependet.

Præterea secundò, nullum esset discrimen inter formam assistētem, & informantem, nisi hunc modū vnionis concedamus. Nam forma assistēs est inditans, & operatur per corpus, cui assistit, & illi communicat motū, cur igitur non dicetur ipsum informare? Respondent, quia assistēs forma non est actus respectu illius corporis. Verùm hoc est, quod ego probo, esse s. actum, quia habet omnia, quæ requiruntur ad actum, si autem non habet, assignetur, quidnam sit istud, & aliud dici nō poterit, quàm vnio, siue informatio, quòd enim cōmunicet plures, vel pauciores operationes, aut effectus, non sufficit ad formam assistentem distinguendam ab informante, quia magis, & minus nō variant speciem, & aliquando ét anima informat membrum aliquod, cui tamen nō communicat aliquam operationem ob eius malam dispositionem. Si dicant; requiri, vt forma communicet proprium esse, rursus inquiro, an hoc esse communicet tantùm per præsentiam, vel per aliquem alium modum; si primum, ergo adhuc non differet ab assistente, vel ad summum differet tantùm penes subiectum capax, vel incapax, si per alium modum, hic est, quem nos vocamus vnionem. Confirmatur, quia anima nō informat sanguinem secundum veriorem sententiā, neque aliquas alias partes, quæ sunt intra corpus humanum, & tamen nō potest afferi ratio, cur eius substantia non possit esse in ipsis partibus, cum enim sit indiuisibilis, & in propinquis partibus, non apparet, cur

S etiam

etiam non possit esse in medio, vbi sunt illę partes non informatę, si ergo ad informationem nil aliud requireretur, quàm præsentia formę, non posset negari, quin etiam hæ partes ab anima informarentur.

Simile argumentum fieri potest de anima, quę per diuinam potentiā assumat corpus, neque tamen informet, vt angelos sæpe fecisse, dubium non est, si enim ad informationem nihil aliud requiritur, quàm actus præsentia, etiam illud corpus erit informatum ab anima. Si occurras, nō habere debitas dispositiones, vrgeo, quia si requiruntur dispositiones, ergo ad aliquid allud recipiendum, quàm præsentiam ipsius animæ, quæ iam adest, hoc ergo aliquid aliud erit vnionis modus. Confirmatur, quia per diuinam potentiā posset forma informare materiam etiā non dispositam, cū enim hę de essentia compositi non sint, non potest negari, posse à Deo tolli, & suppleri; tunc ergo inquiro, an illam animā informare materam, esset aliquid amplius, quàm esse illi præsentem, si nihil, ergo nullum discrimen inter informantem, & assistētem, si quidquam, hoc dicimus nos, esse modum vnionis. Si dicas, informationem significare præter præsentiam, quòd materia participet effectum formalem formæ, quæro, in quo consistat hæc participatio, vel vt materia recipiat aliquid distinctum à forma, & hoc non, quia effectus formalis non distinguitur à forma, vel vt ipsius substantiam, sed eam iam habet, relinquitur igitur, aliud non esse, participare effectum formalem, quàm illam formam censeri formam illius materię, ad quod non sufficit tantū præsentia, sed opus est informatione, & vnione, & nulla alia re, quare omnes verè concipiunt, animam informantem dicere quemdam nexū, & vnionem cum materia, quam non dicit assistens.

Tertiò principaliter argumentor. Quando accidens per diuinam potentiam est extra subiectum, vel se habet diuersimodè, ac si habebat, quando subiecto inhærebat, vel eodem prorsus modo, si diuersimodè, ergo inhærentia est modus, nil autē aliud est inhærentia, quàm vnio accidentis cum subiecto. Si eodē prorsus modo, ergo non existit supernaturaliter, & per se. Si dicas, mutationem esse factam ab extrinseco, quia videlicet priùs conseruabatur à subiecto, modò autem conseruatur à Deo. Contra, quoniam accidēs non conseruatur à subiecto per aliquam efficientiā, sed per sustentationem, ad hanc autem non sufficit præsentia tantùm, & in distantia, quia accidens vnius corporis potest esse indistans ab alio corpore, nec tamē ab eo sustentari; Quare etiam in conseruatione Eucharistiæ priùs est, accidentia separari ab ipsa materia, quàm ipsam materiam desinere, & consequenter non ampliùs accidentia sustentare.

Confirmatur, quia si inhærentia accidentis nil aliud esset, quàm indistantia, posset dici, albedinem lactis esse in dulcedine, & è contra, quia in eodem lacte sunt indistantes, neque in accidentibus potest recurri ad dispositiones, cum saltem quantitas nullas prærequirat in materia dispositiones. Si dicas, etiā accidens vniri se ipso cum subiecto, sequitur, non posse per diuinam potentiam separari absque ipsius corruptione, separari.n. non poterit nisi destructa vnione, at vnio est ipsummet accidens, ergo & accidens corrumperetur. Quare verè oportet, vel fateri, vnionem esse modum ex natura rei distinctū

ab

ab accidente, vel negare, ipsum accidens esse vnitum subiecto, quod est contra omnium sensum, & totam philosophiam, non potest enim subiectum accidentis denominationē accipere, nisi ab eo informetur.

At occurrunt nonnulli, dum separatur forma, siue accidens, perire quidem vnionem, sed quoad quamdam formalitatem tantùm, nō verò quoad aliquam realem entitatem, quæ tota remanet cum ipsa forma, vel accidente, si hæc remaneat. Et confirmant exemplo relationis, quæ perit quoad formalitatem, absque eo quòd corrumpatur vlla realis entitas in fundamento, vt patet, cum quis desinit esse pater, quia moritur filius. Verùm non eneruant argumenti robur. Primò enim cum valeat argumentum à concreto ad abstractum, & eo pacto destruatur relatiuum, quo destruitur relatio, & ita in reliquis omnibus, si vnio quoad formalitatem tantùm destruitur, & non quoad realitatem, neque vnitū quoad aliquam realitatem destruitur, cum igitur moritur homo, nihil reale est deperditum, non magis, quàm cum quis desinit esse pater; sicuti ergo absque dolore, & sensu, (vt si ipso inscio moriatur filius) potest quis desinere esse pater, & absque eo quòd in ipso aliqua percipiatur mutatio; ita absque vlla mutatione, dolore, & sensu poterit quis mori; quod si fateantur, occidi profectò merebuntur.

Præterea etiam, cum quis desinit esse pater, quamuis ipse non amittat aliquid reale, tamen hęc denominatio non tollitur, nisi per amissionem alicuius entitatis realis saltē extrinsecæ videlicet termini: At quādum perit vnio, nulla realitas perire concipitur per aduersarios, neque in forma, neque in materia, ergo tantùm per conceptionem nostram, non verò realiter perit, & consequenter permanebit etiam vnitum, vt prius, neque ad dispositiones, vel indistantiam recurrēdum est, quia hæc effugia iam præclusa sunt. Præterea licebit eodem pacto illudere omnes mutationes, & corruptiones, quando enim corrumpitur aliqua forma, siue substantialis, siue accidentalis, dicere potero, corruptā tantùm fuisse aliquam formalitatem, eius verò entitatem realem permansisse simul cum materia, quæ fortè fuit sententia quorumdam veterū philosophorum, qui dicebant, omnia esse vnum ens, quā sæpe Aristoteles impugnat.

Quartò principaliter. Moto corpore, necessariò mouetur anima, & moto subiecto, accidens, ergo datur vnio quędam realis, & ab ipsis ex natura rei distincta inter ipsa. Probatur consequentia, quoniam ex sola indistantia duarum rerum nō sequitur, vt mota vna, moueatur etiam altera, sed oportet, inuicem esse connexa. si autem vnio non est quidam realis modus, & nexus, animam informare nil aliud erit, quàm esse præsentem, & indistantem, ergo non necessariò moueretur cum corpore. Dicere quis poterit, contineri à corpore, sicut aqua in vase, ac proinde simul cum eo moueri. Sed animæ naturam prorsus ignorabit, qui hoc dicet, nō potest enim hoc pacto spiritualē cōtineri à corporeo, sed neque accidēs, cum hoc sæpe sit extrinsecum, & ambiat ipsum subiectum, quare potius accidēs deberet subiectum deferre, quā ab ipso deferri, sequitur ergo, vt verè pręter indistantiam sit etiam aliqua vnio, & nexus concedendus.

Quintò nō differret ens vnū p aggregationē ab ente per se. Vt quid enim dicitur aliquid vnum per aggregationem, nisi quia non datur

vnio inter partes ipsius, vt patet in aceruo lapidum? si igitur etiam eodē pacto sunt quidē simul materia, & forma, sed nulla adest vnio, ergo erunt simul per aggregationem, nā & si inuicem sint causæ, hoc nihil refert, quia etiam si partes aggregati mutuò inter se agant, vt si plurarum sit aceruus, quę se mutuò conseruent, non propter hoc euadent vnum per se.

Dicent, fieri vnum per se ex materia, & forma, quia se habent vt actus, & potentia, non verò partes aggregati, sed facilè hoc quoquè refutabitur, nam, vt supra etiam innuimus, vel potentia materiæ actuatur per præsentiam solam formæ, vel aliquid aliud requiritur, si per solam præsentiam, ergo omne illud dicitur esse in potentia ad formam, cui potest illa esse præsens, si requiritur aliquid aliud pręter pręsentiam, hoc est illud, quod nos appellamus vnionem.

Sextò, per actionem realem vnitur forma materiæ, at actionis realis debet dari aliquis realis terminus, ergo vnio est quid reale. Maior probata est supra, quia terminus formalis generationis, quando forma præexistit, alius non potest esse, quàm vnio, neque potest cōcipi, quòd partes separatæ euadant vnitæ, nisi per aliquam actionem, quare etiam non nulli ex his recentioribus, contra quos disputamus, dicebant, vnionē connotare actionem agentis, neque hæc actio habere potest tantùm pro termino indistantiam, quam iam sæpius impugnauimus quia potest esse forma indistans, & tamen non informare, quamuis enim hoc aliqui negent etiam omnipotentiæ diuinę, contra omne ius id audent, & contra omnes theologos, imò & hominum sententiam, cum enim anima sit per se subsistens, nulla ratio cogit, vt, eā per se subsistere, & non informare posse, negemus. Sequitur igitur, vt illa actio habeat pro termino aliquid reale nouum, quod vtique erit vnio: Neque sufficiet dicere, habere pro termino ipsum compositum, quia præter terminum totalem debemus assignare etiam formalē. Præterea actio hæc recipitur in partibus, ergo in ipsis debet aliquid efficere, & cum totum nil aliud sit, quā partes vnitæ, nisi in partibus aliquid noui concipiamus, re vera per actionem nihil productum erit.

Septimò, sequitur etiam, vel hominem non generare hominem, vel creare animam rationalem, vtrunq; autem est absurdum. Probatur maior, quia si vnio nil aliud est, quàm anima, ergo non poterit ab eius productione seiungi, vel ergo vtriusque productio homini erit tribuenda, & sic homo creabit animam, vel vtriusque deneganda, & non generabit hominem. Respōdent aduersarij, hominem gignere alium hominem, non quia producat animam, vel vnionem, sed quia ita disponit materiam, vt ei necessariò debeatur animæ productio. Verùm adhuc in suo robore est argumentum Nam hæ dispositiones, vel sunt sufficiens ratio, vt homo dicatur vnire animā corpori, vel non, si secundum, iam homo non generabit hominem, vt patet; si primum, ergo etiam erunt sufficiens ratio, vt homini tribuatur animæ creatio, tum quia animæ creatio, & ipsius vnitio non distinguuntur per aduersarios; tum etiam quia dispositionibus tam debetur creatio, quàm vnio. Præterea magna certè iniuria fieret Deo, hominum generationem alteri tribuendo, nam ipse produxit animam, ipse vniuit, in quo formaliter generatio consistit;

quid

quid igitur amplius requiri potest, vt ei generatio tribuatur? Nam ita videmus in omnibus alijs rebus, nõ tribui effectum disponenti materiã, sed introducenti formam. Non dicitur tormentum æneum explosisse, qui pulverem sulphureum ei iniecit, & materiam disposuit, sed qui ignem admouit: non dicitur Dauid ædificasse templum, qui materiam eius præparauit, sed Salomon, qui eã ad templi formam redegit: nõ Moyses introduxisse populum Israel in terram promissionis, qui eum ab Aegypto liberauit, & introductione q̃ proximè disposuit, sed Iosuè, qui verè introduxit: & Ioab, vt nomini Dauid victoria Rabbathitarum ascriberetur, petijt ab eo, vt vltimam tantũ manum bello imponeret, cum ipse iam ad victoriam omnia quàm proximè disposuisset. Effectus igitur nõ disponentibus, sed perficientib. tribuuntur; cum igitur Deus sit ille per aduersarios, qui creando animã, & ipsam corpori vniendo, verè perficiat hominem, contra omne ius alteri, quàm Deo, eius procreatio tribuetur.

Octauò, datur vnio inter partes integrãtes corporis, ergo multò magis dari debet inter partes essentiales corporis. Antecedens per se notum est; nam partes corporis non tãtùm sunt contiguæ, & indistãtes, sed etiam continuæ, alioquin non possent ab eadem anima informari, & dum nutrimentum vertitur in substantiam aliti, ex contiguo fit continuum cum ipsa substantia, non potest autem intelligi, in quo hæc continuatio consistat, & à contiguitate differat, nisi per vnionem, quamuis enim mathematici explicent continuitatem per terminum communẽ partium indiuisibilem, hoc dicunt doctrinæ gratia, non quòd re vera hic terminus detur, vt infra demonstrabimus, sed si etiam hoc concederemus, esset aliquid consequens cõtinuitatem, non verò eam efficiens, sicut prius est etiam, diuidi partes, quàm habere terminos distinctos. Adest igitur vnio inter partes integrantes continuas, quæ per actionẽ realem, exempli gratia scissionem, potest tolli, & per actionem vitalem animæ produci, & quę constituit vnum totũ integrale, reale, & per consequẽs est aliquid verè reale præter ipsas partes. Atqui non minùs efficiunt vnum inter se partes essentiales, quàm partes integrantes, ergo sine causa inter eas quoque non admittitur vnio.

Nonò, vnio hypostatica est quidã modus ex natura rei distinctus ab ipsa humanitate vnita, ergo etiam idẽ dicendũ de vnione animæ. Antecedens in Theologia est certissimum, vt probant Suarez, & Vasquez in tertia parte, quia cum sit terminus formalis incarnationis, & per eã fit mutata natura humana, non potest non esse modus; consequentia quoque non potest meritò negari, quoniam si semel concedimus, vnionem esse modum rei vnitę, non erit, cur id denegemus nostrę vnioni.

Confirmatur, quoniam vnio hypostatica est maximè substantialis, & verbum diuinũ cum humana natura est immediatè vnitum, & facit vnum maximè per se, non igitur ex eo quòd anima, & corpus, siue materia, & forma immediatè vniũtur, & faciunt vnum per se, debet vnio tolli.

Decimò, datur relatio realis inter materiã, & formam vnitas, ratio autem relationem fundandi nõ potest esse alia, quàm vnio, debet ergo dari vnio aliquo modo distincta à rebus vnitis: Respondent, rationem fundan-

dandi relationem inter materiam, & formam vnitas esse actionem, per quam materia, & forma vniuntur. Sed ex hac respõsione deduci in primis potest, vnionem esse quid reale, cum sit terminus actionis, vt supra diximus. Præterea actio est quidem ratio fundãdi relationẽ inter agens, & patiens, at quòd fundet relationem inter materiam, & formam, est omnino inauditum. Tertiò immutata ratione fundandi, & terminis, numquam perit relatio, at materia, & forma desinunt referri quatenus vnitæ, licet nec ipsæ mutentur, nec in actione agentis, quæ iam præterijt, detur aliqua variatio, ergo nõ potest dici, quòd actio sit fundamentum ipsius.

Vndecimò anima separata potest intelligere sine phantasmate, & immaterialia secundum suam ipsorum substantiam, in corpore verò indiget phantasmatibus, nec intelligit immaterialia, nisi ad modum materialium. Hæc autem differentia non potest oriri tantùm ex indistantia à corpore, quoniam & angelus indistans à corpore, & ipsa anima postquam est separata, si corpus aereum assumat, sine phantasmatum ope intelligent, non potest igitur alia ratio assignari, nisi quia corpori est vnita, & hæc vnio aliquid debet esse reale, cũ realis effectus sit causa.

Duodecimò ex Aristotele primo de generatione cap. vltimo. *Mistio est miscibilium alteratorum vnio.* at mistio est aliquid reale plusquam ratione differens ab ipsis miscibilibus, ergo etiam vnio. Minor probatur, quia mistum est aliud quid ab ipsis miscibilibus, & non nisi ratione mistionis, ergo etiã mistio, paritas etiam negari non potest, quia sicut se habet mistio ad efficiendum mistum ex elementis, ita etiam vnio ad constituendum compositum ex materia, & forma; quo argumento probatur etiam, non alienam esse ab Aristotele hanc de vnione sententiam.

Argumentis pro prima opinione satisfit.

SECTIO III.

AD primum respondetur, Aristotelem illis in locis nil aliud asserere, quàm ex materia, & forma fieri vnum per se, quia illa est potentia, & hæc actus, quod non est negare vnionem distinctam, sed afferre rationem, cur possint vniri.

Ad secundum quanta sit necessitas huius vnionis, patet ex nostris argumentis pro ea adductis.

Ad tertium respondetur, hoc argumentum supponere, quòd concretum vnionis sit vnum, quod tamen propriè est vnitum, non vnum, nam & Angelus est vnus sine aliqua vnione, potest tamen vnio dici conditio, vt compositum sit vnum, ex quo nullum inconueniens sequitur, nam eodem pacto si quæratur, cur partes integrantes constituant vnum compositum, respondebitur, quia sunt vnitæ, nam si sint diuisæ, non amplius erunt vnum ens, sed duo, sicut autẽ vnio est conditio, vt compositum sit vnum, ita etiã vt sit ens, quia ablata vnione compositũ non erit amplius in rerum natura, quare eodem pacto se habet vnio ad entitatem, & ad vnitatem.

Ad quartum respondetur, vnionẽ neq; esse aliud à materia, vel forma, cum ab ipsis non distinguatur realiter, neque tollere immediationem inter ipsas, sicuti quando quis sedet super scamnum, potest dici immediatè

diatè in eo sedere, quamuis med a sessione sedeat; diceretur autem vniri per medium, siue per aliud, si vnirentur per quid distinctum ab ipsa vnione, sicut aduersarij affirmant, cum enim dicant, formam vniri materiæ, quatenus connotat essentialiter dispositiones, vtiq; colligitur, dispositiones ex ipsorum sententia mediare inter materiã, & formam, ad hoc vt vniantur.

Ad quintum respondetur, distinguendum esse de vnione animæ rationalis, & aliarum formarum, illa enim non fit eadem actione, qua producitur anima, quia hæc creatur. Vnio verò aliarum formarum eadẽ actione fit, qua & ipsæ, quoniam illæ fiunt depẽdenter à materia, idest cum ea vnitæ. Ad confirmationem, quòd prius erit vnio, quàm vnire, hoc parum refert, dicimus tamen, dupliciter aliquid dici posse prius natura, primò illud, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, & hac ratione vnio non est prior, quia non potest esse, quin vniat. Secundo illud dicitur prius, quod est causã, siue ratio alterius, & hoc pacto vnio prius est, quàm vniat, idest vnire est effectus vnionis.

Ad sextũ patet ex responsione ad quartum.

Ad septimũ patet similiter ex supradictis, vnionem vniri per se ipsã, sicut actio per se ipsam fit.

Ad octauum quamuis Scotus in 3.d.2.q.2. dicat, vnionem esse relationẽ, tamen reuera non est relatio; & si includat aliquo pacto relationẽ trãscendẽtalẽ, nõ.n. forma vnita respicit materiã vt terminũ vnũ ꝙ requiritur in relatione prędicamentali, sed vt partem sibi etiã vnitam.

Ad vltimum. Si negandæ essent res, quę secum afferunt difficultates, esset quoque neganda materia prima, anima rationalis, & omnia ferè, quæ in mundo sunt. Adde, pręcipuas difficultates de vnione esse à nobis iam explicatas. Nam quę hic additur, an sit substãtia, uel accidẽs, non est, cur alicui negotium facessat, cum in promptu sit responsio, esse nimirum modum substantialem, sicuti etiam subsistentia. Autores autem, quos pro se citant, longè ab ipsorũ sententia absunt, nam de S. Thoma id supra ostẽdimus, & hic addimus, nusquam vnionem negare, sed tantùm affirmare, immediatè materiã, & formã vniri, disputabat enim contra eos, qui volebãt, vniri medio aliquo accidente, vt notat Ferr. loco su prà citato contra gentes. Etenim quomodo probabile est, S. Thomam nullam admittere distinctionẽ saltem ex natura rei inter vnionem, & formam, cum realem ponat inter fundamentum, & relationem, quam volunt hi ratione tantùm distingui, & hoc exemplo maximè innitũtur? Quomodo etiam credibile est, Thomistã aliquem hanc opinionem sectari, quæ vult, vnionem formę supponere dispositiones in materia, cũ ipsi mordicus afferant, nullam dispositionem posse præcedere formam? Scotus etiam in loco supracitato ne verbum quidem de vnione habet, sed tantùm asserit, compositum esse per se vnum ratione formæ, non quòd neget vnionem, sed quia ibi distinguit inter vnum per se, & vnũ per accidens, & inquit, hoc discrimen desumẽdum esse à forma, quæ si est substantialis, facit vnum per se cum materia, si verò accidentalis, vnum per accidens; ex quo nihil inferri potest contra nos.

Quo-

Quotuplex sit vnio in Compositio.

QVÆSTIO XVI.

Duplicem esse, vt probabilius asseritur.

SECTIO I.

AD perfectè cognoscendam huius naturam vnionis, nonnulla, de quibus est controuersia inter eius sectatores, & ex quorum ignorantia nonnulli ad eam negandam impelluntur, explicabimus: inter quæ non infimum locum præsens disquisitio tenet, in qua ei, qui non intimè vnionis essentiam perscrutatur, statim longè probabilius apparet, vnicam esse vnionem in composito, & hanc partē sequitur Suarez disp. 13. sect. 9. & Ruuius loco supra citato, neque pro ipsis argumenta non leuia desunt.

Primum est, vnio est nexus duorum, ergo pro duobus vnitis sufficit ponere vnicam vnionem.

Secundum, si ponantur singulæ vniones pro singulis extremis, neutra attinget alterum extremum, ergo non cum eo partem, in qua est, vniet. Confirmatur, quia istæ duæ vniones differunt inter se, ergo cum non sint vnum, multò minùs poterunt reddere vnum ipsum compositum.

Tertium, vnitas compositi est vna, ergo etiam vnio, per quam ipsum compositum vnitur.

Quartum, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed vnica vnio sufficit, vt patet ex mysterio Incarnationis, in quo vnica tantū fuit vnio, in natura humana, & tamen per eam est ei sufficienter vnitũ verbum, ergo frustra plures ponuntur.

His tamen non obstantibus contraria sententia mihi videtur probabilior (quamuis hanc quoque probabilem censeam) duas scilicet esse vniones diuersas in composito. Nota tamen, vocari duas respectu materiæ, & formæ, respectu tamen compositi vocari vnam, quia ex his duabus vnica quodammodo fit totalis, qua constituitur vnitum, sicuti ex materia & forma vnum fit compositum. Notandum etiam pro intelligentia huius quæstionis, vnionem non se habere vt nexum, & vinculũ funium, quod potest circundare duo ligna, & ea inter se vnire, sed esse modum quemdam, de cuius natura est, vt modificare nō possit, nisi eam rem, cuius est modus. Nam per sessionem meam, impossibile est etiam per diuinam potentiam, vt alter sedeat. Hinc ad probandam meam sententiam progredior.

Primò, sunt duo in composito formaliter vnita, ergo sūt duę vniones. Antecedens probatur, quia verum est dicere, forma est vnita materiæ, & materia est vnita formæ. Consequentia patet, quia si multiplicantur effectus formales, debent etiam multiplicari formæ. Sed afferunt aduersarij instantiam de Incarnatione, in qua verbum est vnitum, & tamen non habet propriam vnionem. Sed in multis hæc instantia deficit, quãuis sit aduersariorum Achilles. Primò, quia in Deo nullum potest esse accidens, neq; modus, sed eius substantia, eò quòd sit infinitè perfecta, & eminenter contineat omnia, per se omnia exercet, quę in creaturis ꝑ accidentia, & per modos fiunt. Quare etiam dum intelligit, & vult, non est eius volitio, aut intellectio aliqua actio, neq; accidens, sed ipsiusmet essentia. Sicuti ergo non valeret ar-

argumentari. Potest Deus intelligere absque vllo actu intellectus, ergo etiam id possumus nos, ita non valet, potest Deus vniri absque modo, ergo etiā id possumus nos, quia natura nostra non continet eminenter accidentia, & modos, sicuti diuina. Confirmatur, quia Theologi maximè laborant, vt explicent, quomodo potuerit Deus vniri natur æ humanæ absque vlla mutatione sui, idest absque acquisitione alicuius modi, si igitur fide magis, quàm ratione vlla tenemus, Verbū Diuinum vnitum fuisse absque nouo modo, cur hoc idem affirmabimus de materia, & forma, in quibus absque vllo inconueniēti possumus ponere modos?

Prçterea notandum, Verbum Diuinum non vniri naturæ humanæ tamquàm formam, sed tamquā terminum. Imò affirmant vno ore omnes Theologi, repugnare Deo, ꝙ tamquàm forma vniatur alteri. At quænam potest assignari ratio discriminis, cur possit vniri tamquàm terminus, & nō tamquàm forma? Hæc sanè sola, vel saltem præcipua, quia vt terminus vnitur terminatiuè per modum alterius, at verò si vniretur vt forma, oporteret vniri formaliter, consequenter non posset vniri, nisi recipiendo modum, per quem mutaretur, quod Deo repugnat.

Secundò, principaliter argumentor. Inter materiam, & formam datur secundum omnes mutua relatio realis vnionis, ergo & duplex vnio. Consequentia patet, quia si esset tātùm vnica vnio in altero extremo, in eo tantùm esset fundamentū proximum relationis, ergo in eo tātùm relatio realis, & in altero esset relatio rationis, sicuti in natura humana est relatio realis ad verbum, & in verbo rationis ad naturam humanā, & in vidente relatio realis ad parietem visum, & in hoc rationis ad videntem. At, inquit Ruuius, sufficit, quòd vnio, quæ est in materia, attingat per quandam adhæsionem ipsam formam, ad hoc vt dicatur fundamentum illius relationis, sicut vnum punctum solum attingit duas partes quantitatis, & eas vnit. Verùm videtur iste author imaginari ipsam vnionem, tamquàm gluten quoddam, quod sit in vno extremo, & attingat alterum, atqui non se habet hoc pacto vnio, quia materia, & forma non indigent aliquo glutine, sed seipsis vniuntur, & immediatè se tangunt, vt ita dicam. Est autem vnio modus quidam, qui eo ipso, quòd materia vnitur formæ, in ipsa vtraque resultat, sicuti quando vnus complectitur alium, complexus non sunt ipsa brachia, sed modus, quo brachia complicantur.

Propriè igitur modus vnionis nō adhæret alij, quàm parti, in qua est, quia hoc est de essentia modi, qui cum non sit propriè ens, sed modus entis, implicat, vt modificet, vel adhæreat alteri, quàm enti, cuius est modus. Confirmatur, quia quando ego sedeo, nō dicitur sessio mea tā gere scabellū, sed ego ipse, & quāuis hæc sessio dicat ordinem, & relationem ad scabellum, nō tamen sufficit, vt scabellum dicat relationem realem ad sedentem; Sicuti neque sufficit relatio realis in humana natura ad fundandam relationem realem in verbo.

Ad instantiam de puncto respondeo, si quidem hoc datur (quod nō credo) esse ens realiter distinctū ab vtraq; parte, & idcirco posse vtrāq; contingere, addo, nec id posse efficere sine vnione, qua partes inter se, vel cum ipso puncto vniantur, & hinc elicio pro mea sententia.

Tertium argumentum. Inter partes cōtinuas datur duplex vnio, ergo etiam inter materiam, & formam. Antecedens probatur, quia sunt vnitæ, ergo datur vnio, sed nō est maior ratio, cur sit in vna parte, quàm in altera, quia suppono, partes esse homogeneas, inter quas nullum potest reperiri discrimen, ergo si datur in vna, debet etiam dari in altera.

Quartum, tam de forma, quàm de materia verissimum est dicere, quòd diuersimodè se habent vnitæ, ac disiunctæ, vnitę enim sunt partes, exercent inter se mutuam causalitatem, & si forma sit materialis, inuicem dependent, ergo per diuersum modum, hic autē modus non est alius, quàm vnio.

Quintum, quando agens materiam, formamq́ue vnit per suā actionem, vtranque attingit, ergo terminus eius actionis in vtraque reperitur, hic autem non est alius necessarius quàm vnio ipsa, ergo hæc in vtraque repetitur.

Sextum, diuersa est causalitas materiæ, & formæ, ergo etiam diuersa vnio. Respondet Ruuius ad primū, eamdem esse posse causalitatem vtriusque, sicut actio est causalitas agentis, & finis. Verùm tunc esse potest eadem causalitas duarum causarum, quando est respectu eiusdem effectus, causalitas enim, sicuti etiā actio, identificari probabiliter dicitur cum passo, & ita euenit in causalitate agentis, & finis; at quando diuersi sunt patientes, & recipientes effectum causarum, diuersæ quoque debent esse causalitates, siue hæ realiter idem sint cum effectis, siue cum causis. Porro forma exercet suam causalitatem erga materiā, materia erga formam, ergo non potest esse eadem causalitas vtriusque, sed causalitas materiæ erit in forma, & formæ in materia, vel è contra causalitas materiæ erit in materia, & formæ in forma.

Argumentis aduersariorum occurritur.

SECTIO II.

Ad primum respondetur, vnionem quidem esse nexum duorum, sed diuersimodè, vnius enim est formaliter, alterius terminatiuè, vt igitur ambo extrema sint formaliter vnita, oportet, vt dentur duæ vniones. Adde, quòd vnio non est nexus extrinsecus colligās duas partes, sed nexus intrinsecus, quamuis ergo ille rectè cōcipi possit, vt vnus, hic tñ iuxta numerum subiectorum multiplicatur. licet .n. exempli causa gluten sit vnū duas partes vniens, tamen agglutinatio ipsa passiua, quę partibus conuenit, est duplex, & ita se habent vniones, quamuis respectu vnius agentis, quod eas producit, & vnius termini, qui est compositum, vnica dici possint.

Ad secundum negatur antecedēs. Vnio enim, quæ est in materia, non impedit, quin vnio formæ attingat ipsam materiam, ac si nulla in ipsa materia esset, immo potius adiuuat, sicuti quando duo inuicē se complectuntur, siue osculantur, complexus vnius non impedit complexum alterius, immo potius adiuuat. Ad confirmationem negatur consequentia, nam & forma, & materia duo entia sunt, & tamen vnum compositum constituunt, & fortiùs duo inter se colligantur, si duobus nexibus vinciantur, quàm si vnico. Adde, quòd etiam ex ipsis vnionibus partialibus fit vnica vnio totalis. Quæres, an veniantur inter se, nam vel hoc fieret media vnione, & sic daretur processus

fus in infinitum in vnionibus, vel se ipsis, & non esset ratio, cur etiam forma, & materia seipsis nō vnirētur: & idem argumentū fieri posset, si quæramus, an ipsa vnio sit cum forma, cuius est vnio vnita.

Respondetur, vniones non indigere alia vnione, qua vel inter se, vel cum suis subiectis vniantur. Sicuti neq; actio indiget alia actione, qua producatur, neque relatio alia relatione, qua referatur, & ratio est, tum quia est modus entis, qui non indiget peculiari vnione distincta ab ea, qua vnitur ipsum ens, tum etiā quia ipsamet est formaliter vnio. Non idem argumentum fieri potest de materia, & de forma, tum quia hæ sunt veræ entitates, tum quia non sunt formaliter vniones, cùm possint & separatæ, & vnitæ existere, at verò vnio non potest neque concipi separata siue à subiecto, siue à termino.

Ad tertium facilè patet ex dictis; Sunt enim duę vniones non respectu compositi propriè, sed respectu partium, quarum vnaquæque est vnita, & compositum propriè non esset dicendum vnitum, cui enim vnitur? quia tamen laboramus penuria vocum, dicitur vnitum, vt terminus vnionis, non ut subiectum; & sicuti nō valet argumentum, compositum est vnum, ergo partes componentes non sunt plures, ita neque compositum est vnum, ergo non per duas vniones. Neque refert, quòd vsu cōmuni dicatur compositum resultare ex vnione partium, & aliæ similes propositiones vsurpentur, quibus videtur significari, vnicam tantùm adesse vnionem in composito, nam & eodem pacto loquimur de relatione, dicimus enim, adesse relationem inter patrem, & filium, & similitudinem inter duos parietes albos, non autē similitudines, siue relationes, cum tamen omnes omnino Philosophi dicant, duas esse relationes, & duas similitudines. Similiter unicā pugnam, & vnam luctam, & vnicum amplexum appellamus, cum duo pugnant, luctantur, & inuicem se complectuntur; & tamen in vno quoque est sua propria pugna, lucta, & complexus, cum eadem actio, siue motus non possit esse in duobus subiectis. Hęc omnia igitur nomine vnius cōprehenduntur, quia moraliter vnum quid cēsentur, quamuis physicè sint duo, & quia sub nomine vnius cum duo termini connotentur, sufficienter etiam connotatur numerus rerū, de quibus est sermo.

Ad quartum patet ex dictis in primo nostro argumento. Instat tamen Suarez, quia nulla videtur fieri mutatio in materia, dum recipit formā, ipsa enim inuariata manens recipit modò formam, modò amittit, sicuti dum columna basi imponitur, tota mutatio est ex parte columnæ, non autem basis. Confirmat etiam, quia sequeretur, in calefactione duplicē fieri mutationem, alteram, quæ terminaretur ad calorem, alteram, qua subiectum ipsum mutaretur.

Respondetur, ob hæc quidem argumenta nō esse improbabilem sententiam Suarez, probabilius tamen mihi videri, materiam ipsam verè mutari. Ratio est, quia non tantùm forma pendet à materia, sed etiam ipsa materia à forma, quare idemmet Suarez in tertia parte tom. 3. disp. 50. sect. 6. fatetur, per separationem formæ substantialis, & accidentium ipsam materiam desinere. Secundò, quando duę partes auri, vel alterius rei vniuntur, nulla videtur fieri in ipsis mutatio, & tamen re vera nouum modum acquirunt, per quem vniuntur, ergo non mirum, si

id accidat in materia, quæ lōgè perfectiùs vnitur cū forma, quàm vna pars continua cum altera. Tertiò, quia aliter materia nō esset formaliter vnita, neque videretur tam perfectè efficere posse vnum cum forma. Ad exemplum de basi respondetur, nullam intercedere vnionem inter basim, & columnam, sed simplicem collocationem, ad quam sufficit mutatio præsentiæ, quæ fit in ipsa columna. Ad instantiam de accidente, & subiecto respōdetur, hoc non pendere ab accidente, & idcirco probabilius de eo dici, quàm de materia, quòd recipiendo formam non mutetur, verius tamen puto, etiam ipsum mutari, neque est inconueniens, duas intercedere mutationes, quia moraliter pro vnica se habent, sicut etiam dum partes integrātes vniuntur, vnica censetur mutatio, cum tamen duæ vniones generentur.

Ex cuius potentia educantur, & in quo subiecto sint istæ duæ vniones.

QVÆSTIO XVII.

Vera sententia explicatur.

SECTIO I.

De vnione materiæ nulla potest esse difficultas, constat enim, nec ab alio subiecto educi posse, quàm à materia, nec in alio, quàm in ipsa subiectari. Tota quæstio igitur versatur circa vnionem formæ, de qua loquens Ruuius quæstione 6. supra citata num. 61. inquit, esse in materia, & de materia educi, probat priorem partem. Quoniā vnio formæ nil aliud est, quàm ipsa inhærentia, siue inexistētia formæ, quę ēt informatio dici potest, at in eo subiecto, in quo forma inhæret, debet ēt inhærere eius inhærentia, igitur cū forma in materia sit, in eadem erit etiam eius inhærentia, & vnio. Confirmatur, quia si informatio non reciperetur in materia, non posset hæc dici informata. Probat posteriorē partem: Educi de potentia materiæ, est exire in actum dependenter à materia, sed modus vnionis formæ exit in actum dependēter à materia, ergo &c. Minor in formis materialibus est manifesta, quia inhærentia formæ simul cum forma educitur, neque minùs quàm ea à materia pēdet. In anima verò rationali probatur, tum quia eius informatio pendet à materia, tum etiam quia dicitur homo generare hominem, quia attingit vnionem animæ cum corpore, sed nihil potest homo per suam actionem attingere, quod à materia non educat, quia circa materiam agit, & dependenter ab ea, alioquin enim eius actio esset creatio, ergo ipsam vnionem animæ à materia educit. Acriter deinde inuehitur idem Ruuius in non audentes asserere, animam rationalem in materia inhærere, sed frustra, cum ab illis differat tantùm in modo loquendi, & alij multò meliùs loquātur dicentes, animam inexistere, nō autem propriè inhærere.

Dicendum tamen absque vlla hęsitatione existimo, vnionem formæ, quæ est eius inhærentia, siue inexistentia, esse in ipsa forma, & ab ipsa educi. Probatur prior pars clarissimè, quia inexistentia formæ est modus ipsius formæ, sicut inhærentia accidentis est modus ipsius accidentis, vt fatetur idem Ruuius, nam re uera forma diuersimodè se habet,

bet, dum est in materia, atque extra, at modus necessariò inhæret rei, cuius est modus, nam neque per diuinam potentiam effici potest, vt modus sit in alio subiecto, & ratio est, quia modus non est entitas, quia sic posset separari, sed modus entis, repugnat igitur, vt sit sine re, cuius est modus, cum igitur vnio sit modus formæ, euidens est, esse in ipsa forma.

Probatur præterea, quia modus denominat rem modificatam, si igitur inhærentia esset modus materiæ, & in ea reciperetur, diceretur materia ipsa inhærere, quo nihil dici potest absurdius.

Educi quoque ex ipsa forma, aperte ex dictis consequitur, quia nec potest ab alio subiecto educi, quàm ab eo, in quo est, nec in alio esse potest, quàm in forma, quamuis si loquamur de formæ materialis vnione, dubium non est, eam mediatè, & secūdariò esse in ipsa materia, & ab ipsa materia educi, cum forma, cuius est modus, & in materia sit, & ab ea educatur. Animæ verò rationalis vnio ab ipsa tantùm anima educitur, à quonam autem agente, dicemus in responsione ad vltimum argumentum pro contraria sententia.

Aduersariorum fundamenta euertuntur.

SECTIO II.

AD primum respondetur, eo tātùm probari id, quod nos fassi sumus, vnionem formæ esse mediatè in ipsa materia, non autem immediatè, quare immeritò à Ruuio vsurpatur, vt probet id, quod amplius intendit, ita .n. hanc vnionem ponit in materia, vt neget, esse in forma, dicit .n. esse in ea tantū per adhæsionem. Nec confirmatio aliquid amplius probat. Si autē instes, modus, vt dictum est, denominat tantùm rē, cuius est modus, informatio est modus, & denominat materiam informatā, ergo est eius modus. Respondetur, informationem quatenus modum, denominare formā, quæ per eā dicitur informans, materiā verò denominare tamquam terminū, & subiectum secundariū, sicuti sessio denominat sedentē eum, cuius est modus, & sedem locum illum, cui insidemus.

Ad secundum, quoad formas materiales spectat, diximus, vnionē exire in actum dependenter à materia mediatè, quia scilicet ab eadē pēdet forma, cuius est. Quoad verò spectat ad animam rationalem, respondeo, eius informationē pēdere a materia, tamquam à termino, non verò tamquam à subiecto, sicuti & sessio pendet à scabello, in quo sedeo, & tamen est modus meus.

In confirmatione de generatione hominis tangitur difficultas non leuis de producente vnionem animæ rationalis. In qua est prima opinio Henrici quodlib. ij. quæst. 14. & Aureoli apud Capreolum in 4. dist. 43. quæst. 2. vnionem hanc esse effectiuè ab ipsa anima. Nam cum anima rationalis sit propensa ad illam vnionem, & habeat propinquam materiam dispositam, non est, cur nō possit ipsa suo quasi naturali pondere se se corpori copulare, quam tamen sententiam non approbat Suarez disp. 15. in metaph. sect. 6. num. 9. & disp. 18. sect. 2. nume. 20. non quòd aliquam repugnantiam inuoluat, sed quoniam, inquit, sufficienter nō probatur, & incerta est. Nam & materia est apta vniri, & tñ nō est potens se vnire. Præterea in alijs formis vnio non est ab ipsis, sed ab agente,

agente, ergo idem dicendum de vnione animæ rationalis. Magis igitur ipse inclinat, vt fiat à generante virtute seminis, & dispositionũ, vel ab ipso Deo, a quo anima creat. Verũ vterque hic modus maiorẽ inuoluit difficultatem. A generante enim quomodo credibile est, fieri hanc vnionem, cum actio eius, quæ est omnino materialis, non sit apta recipi in anima, quæ est spiritualis, pręsertim antequam vniatur corpori, ratione cuius tantùm videtur aliquo pacto subdi posse agenti materiali? Adde, qđ inter animam, & corpus non potest esse contactus physicus, qui requiritur ad actionem physicã, & denique quòd per virtutem materialem non potest produci, nisi res materialis, qualis non est hæc vnio, vt videbimus. Respondet Vasquez 3. par. quæst. 19. c. 2. num. 23. quòd quamuis agens corporeum non habeat virtutem producendi spiritualem aliquam substantiam, bene tamen potest modificare illam. Verũ neque hoc dici posse, ostendo, quia oporteret, actionem agentis corporei recipi in substantia spirituali, qđ est impossibile. Neque etiam dici potest, quòd à Deo efficiatur. Primò quidem, quoniam Deus ipse generaret hominem, non verò alter homo, cum hic neque introduceret formam, neque eam uniret materiæ. Secundò, quoniam quæ à solo Deo fiunt, ab eo etiam solo dissolui possunt, vt patet in anima rationali, si igitur eius unio à solo Deo fieret, ab eo etiam solo dissolui posset, quod est falsum, vt patet. Longè probabilius igitur mihi videtur, quod dicebat Henricus, vnionem ab ipsa anima emanare effectiuè, sicuti etiã subsistentia, quæ est quidam modus substantiæ, effectiuè emanat à substãtia, vt docet ipsemet Suarez disp. 34. in metaph. sect. 2. & proprietas cuiusque formæ dicitur ab ea fluere. Informare enim est quędam proprietas animę rationalis.

Ad exemplum de materia, esto ab ea non fluat vnio: cum contrarium quoque non sit improbabile. Respondetur, non esse simile, quia materia est potentia receptiua, cui non congruit efficiẽtia, at verò formæ est agere, non igitur mirum, si ab ea procedat effectiuè eius vnio. Pręterea materia est indifferẽs ad omnes formas, debet igitur determinari a dispositionibus, & per ipsas vniri, at verò forma ex natura sua est determinata ad talem materiam, quare ea pręsente non indiget alio agente, à quo vniatur. Et confirmatur exemplo partium quantitatiuarum, nam si duæ guttæ aquę proximè ponantur, statim ex se vniuntur, & idem patet in reliquis vnibilibus.

Ad secundum de formis materialibus respondetur, has simul produci, & vniri, quia fiunt dependenter à materia, consequenter cùm antea, quàm sint vnitæ, non existant, neque unio potest esse ab ipsis, sed est ab agente, si tamen Deus crearet huiusmodi formam in materia, & illam suæ naturæ relinqueret, crederem, absque vllo agente extrinseco seipsam vnituram materiæ.

Ad argumẽtum igitur Ruuii, quo probabat, hanc vnionem animæ rationalis debere effici ab homine, vt possit dici pater alterius hominis, consequenter debere effici in materia, quia alioqui fieret ex nihilo. Dico primò, etiam si produceret agens vnionem in anima, non tamen crearet, quia educeret ex potentia ipsius animæ.

Dico secundò, probabilius esse, vnionem emanare ab anima, non verò effici ab homine, neque hinc sequitur

quitur, hominem non generare hominem. Primò, quia satis est, vnionẽ materiæ esse ab homine. Secundò, quia cum illa vnio resultet posita materia disposita, & forma propinqua, meritò vtique tribuitur illi agenti, quod materiam disposuit, alioquin, cui nam tribuet? Deo ne? at ipse non produxit vnionem, ex qua posita tandem resultat homo, an ipsi animæ, a qua est vnio? atque anima non potest gignere hominem, cuius ipsa est pars, illi igitur agenti debet tribui, quod quamuis non fuerit immediata causa vnionis, fuit tamen magis proxima, quàm omnis alia extrinseca, quia videlicet disposuit materiam; & quamuis dici posset, æquè Deum esse causam, quia produxit animam, sicuti ex duobus, quorum alter admoueret stuppam, alter verò ignem, non magis vnus, quàm alter diceretur causa combustionis. Attamen respondeo, meritò potius homini tribui. Primò, quia non solùm homo præbet materiam, sed etiam disponit, at verò Deus animam quidem creat, non tamen disponit, quia non indiget. Secundò, quia dispositio ipsa materiæ est ratio, vt & anima à Deo creetur. Tertiò, quia Deus concurrit tamquam agẽs vniuersale, & idcirco ei tribuitur sufficienter generatio hominis, tamquam agenti vniuersali. Quartò, quia probabile est, hominẽ producere vnionem materiæ, cui necessariò respondet vnio formæ. Confirmatur, quia qui interimit hominem, nõ occidit animam, neque verò per se destruit vnionem, sed tantùm dispositiones tollit, ad quarum interitũ, q̃a dissoluĩ vnio, meritò dicitur hominem interficere: ergo eodem pacto ad hoc, vt vnus homo alterum generare dicatur, satis erit, si dispositiones ꝓducat, ad quas ex natura rei consequitur vnio, & consequenter hominis productio.

Dices. Vnio procedit ab anima; ergo ipsa est generans, quia vnio est terminus formalis generationis. Respondetur, vnionem esse formalem terminum generationis, quatenus est ab efficiente, non verò, quatenus est à forma vnita, quamuis enim sit etiam à forma vnita efficienter, tamen quia ab ea est per quamdam resultantiam, & per quamdam emanationem, non tribuitur illi tamquam agenti; Sicuti si Deus me ponat in aliquo loco, vbi intrinsecum, per qđ formaliter ero in illo loco, erit quidem efficienter à me, tamen non dicar ego me constituisse in illo loco, sed Deus, ita quamuis hic modus vnionis sit efficiẽter ab anima, tamen ipsa non dicetur se vnire, neque generare hominem, sed ille, qui fuit proxima causa istius vnionis, hæc autem est homo disponens materiã, nam est causa, & vt anima creetur, & etiam vt creata vniatur.

An vnio animæ rationalis materialis sit, vel spiritualis.

QVÆSTIO XVIII.

DE hac tantùm quærimus, quia vniones cæterarum formarum certo certius est, materiales esse, cum & ipsæ formæ materiales sint. Hæc autem cum habeat subiectum immateriale, & terminum materialem, meritò dubitatur, cuiusnam naturam æmuletur, & sequatur.

Esse materialem, sicut & eius terminus, affirmat Ruuius loco supra citato, sed nititur fundamento falso, scilicet hanc vnionem educi ex materia, & in materia inesse, quod quæstione præcedenti reiecimus; sed ad veri-

veritatem eruendam afferamus nos aliqua argumenta pro hac opinione Ruuij ꝓbabilioribus innixa fundamentis, quorũ primum sit. Vnio animæ est causalitas materiæ, ergo non potest non esse materialis, antecedens supra a nobis tamquam probabile admissum est, quoniam cum materiæ causalitas versetur circa formam, non videtur alibi esse, quàm in ipsa forma, nec in ea aliud esse potest, quàm ipsa vnio, in quo videtur etiam conuenire Suarez disp. 13. in metaph. sect. 9. num. 10. Probatur consequentia, quia causalitas non potest esse nobilior sua causa, sed si hęc vnio esset materialis, esset vtique nobilior, igitur non est immaterialis.

Probatur secundò, quoniam hæc vnio pendet a materia, & materiæ commensuratur, ergo erit materialis, quia spirituale non potest à materia pendere, hac enim ratione dicitur anima rationalis à materia non pendere, quia spiritualis est.

Tertiò, medium debet participare naturam extremorum, atqui vnio est quoddam medium inter animã merè spiritualem, & materiam totaliter materialem, erit igitur vnio, nõ tam quidem materialis, vt materia, sed neque tam spiritualis, vt anima, sed naturalis medio quodam modo.

His tamen non obstantibus dicendum censeo, vnionem animæ nostræ esse spiritualem. Probatur primò, quoniam est modus rei spiritualis, ergo non potest non esse spiritualis, quia modus non habet aliam entitatem ab entitate rei, cuius est modus, esse autem materiale, vel immateriale, ad rei entitatem attinet.

Secundò, quòd non educitur a materia, non potest esse materiale, hac enim ratione anima rationalis immaterialis est. Vnio non educitur à materia, vt probauimus, ergo non est materialis.

Ad primum pro contraria parte distinguo minorem, scilicet causalitas non potest esse nobilior sua causa, vel quatenus causalitas ipsius causæ, & eam concedo: vel quatenus effectus alterius causæ, & eam nego. Vnio igitur animæ non est nobilior materia, quatenus causalitas ipsius, sed quatenus effectus formæ.

Dices, at quomodo potest esse causalitas materiæ, si est effectus formę? causalitas enim debet esse a causa, cuius est causalitas. Respondetur, esse ab ea causa, sed in genere illius causæ. Vnio igitur animæ est causalitas materię, & est à materia in genere causæ materialis, quia videlicet per eam anima ipsa in materia recipitur, & ipsa quoque est in materia.

Obijcies, at nos negauimus, vnionem hanc recipi in materia, nisi tantùm media forma, quomodo ergo hic dicimus, formam recipi media vnione? hæc enim duo non videntur consentanea. Respondetur, hæc duo optimè cohærere; nam vnio est ratio, cur forma recipiatur quoad causalitatem, forma verò est causa, cur vnio recipiatur quoad entitatẽ. Dicitur vnio ratio quoad causalitatem, quia re vera est causa, cur forma sit in materia, tolle enim vnionem, & forma amplius in materia non erit: forma verò est ratio quoad entitatem, quià cum vnio non aliã entitatem habeat, quàm ipsam formæ, non est per se receptibilis, nisi ratione entitatis formæ. Explicatur hoc exemplo sessionis, nam sessio est ratio, & causa formalis, vt ego sedeã, sed & ego sum causa, vt sessio per entitatem meam quodammodo in sede recipiatur. Et hinc patet, cur inuicem forma, & vnio pendeant, cum nec vnio esse possit in materia sine forma, nec forma sine vnione, nam

nam si altera simpliciter esset prior, non penderet à posteriori, & posset esse sine altera in materia.

Ad secundum respondetur, quod pendet subiectiuè à materia, nō posse non esse materiale, at verò quod pendet terminatiuè, quo modo hæc vnio, posse non esse.

Ad tertium respondetur, vnionē, quamuis quodammodo sit medium, tamen multò magis se tenere ex parte formæ, cuius est modus, & idcirco magis eius naturam participare, & esse spiritualem, participat tamen etiam naturam materiæ, quatenus ratione ipsius diuisibilis est, vt modò videbimus.

An eadem vnio sit diuisibilis, vel indiuisibilis.

QVÆSTIO XVIIII.

NOn est idem, vt fortè multis videbitur, aliquid esse materiale, & esse diuisibile, multa enim possunt esse diuisibilia, quæ non sunt materialia, sicuti actiones, & motus Angelorum diuisibiles sunt, cū sint successiui, & mensurentur tempore, non tamen materiales. E contra tamen nō potest aliquid esse materiale, q̄n naturaliter sit etiam diuisibile, posset tamen supernaturaliter esse indiuisibile, sicut Corpus Christi sacramentaliter in Eucharistia existens. Vnio igitur animę si esset materialis, esset quoque diuisibilis, at cum sit spiritualis, non continuò sequitur, vt sit etiam indiuisibilis.

Esse tamen indiuisibilem, non leuibus argumentis probari potest. Primò, quoniam modus sequitur naturam rei, cuius est modus, cum non habeat aliam entitatem, atqui anima est indiuisibilis, ergo etiā vnio, quæ est modus ipsius.

Secundò, si esset diuisibilis, pars illius esset in vna parte animæ, & altera pars in altera, at hoc dici non potest, quia anima non habet partes, ergo non est diuisibilis.

Tertiò, non potest modus indiuisibilis esse in subiecto diuisibili, ergo nec è conuerso modus diuisibilis in re indiuisibili.

Quartò, non potest alia ratio assignari, cur hic modus sit diuisibilis, nisi quia vnit formam cū materia, quæ est diuisibilis, at si hæc ratio valeret, sequeretur etiam, q̄ vnio materiæ esset indiuisibilis, quia vnit eam cum anima rationali, q̄ est indiuisibilis.

Quintò, si non repugnat aliquid diuisibile in subiecto indiuisibili, ergo neque repugnabit aliquid materiale esse in subiecto immateriali, nō erit igitur ratio, cur negemus, vnionem animæ ad corpus esse materialem.

Verùm esse diuisibilē hanc vnionem, euidenter conuincitur. Quoniam potest anima amittere partem huius vnionis, & partē retinere, ergo est diuisibilis. Consequentia est euidens: antecedens experimentis clarissimè patet, si enim præcidatur alicui brachium, vel per aliquē morbum aridum fiat, & ineptum informari, tunc anima non est amplius vnita cum ea parte materiæ, & tamen remanet vnita cùm reliquo corpore, ergo partem vnionis retinet, & partem amittit, alioqui enim alterū horum dicendum esset, vel totā vnionem amitti, vel totam retineri, vtrūque autem est maximè absurdum. Prius quidem, quoniam sequeretur, p quamlibet minimæ partis abscissionē hominē mori, tunc. n. moritur homo, quando vnio animę cū corpore dissoluitur, at per illā abscisionē tota vnio dissolueretur, ergo totus

V homo

homo moreretur. Posterius verò, quoniam dicit ordinem essentialem vnio ad materiam, cui est vnita; ergo repugnat, conseruari totã vnionem, si toti materiæ anima non est vnita, alioqui etiam quando anima tota separatur, dici posset, quòd vnio conseruaretur. Confirmatur exemplo præsentiæ Angelorum in loco, quæ dicitur vbi, & quam alibi simili ratione demonstrauimus esse diuisibilem, quia .s. si Angelus sit in spatio 10. cubitorum. potest relinquere medietatem illius spatii priorem, & remanere in posteriori, ergo cum pars huius præsentiæ amittatur, & pars retineatur, euidens est, ipsam esse diuisibilem, quia sicuti deperditur formaliter pars præsentię, ita etiam formalis debet esse diuisibilitas, quę est eius fundamentum. Quòd .n. quidam aiunt, sufficere diuisibilitatem virtualem, nõ sufficit, alioquin pars etiam substantię Angeli deperdi posset, altera parte retenta. Quòd alij respondent, nihil præsentiæ ab Angelo amitti, sed tantùm coarctari, non admitto, quia sequeretur, non mutari localiter, & posset eadem ratione nunc se restringendo, nunc dilatando absque mutatione pręsentiæ totum peragrare mundũ. Quòd denique afferri potest, amitti totum vbi prius, & totum posterius acquiri, ferri nõ potest, quia sequeretur, eumdẽ locum in eodem instanti ab Angelo deseri, & acquiri, deseri, dũ amittit vbi prius, acquiri, dum posterius lucratur, quod nõ minus est impossibile, quàm subiectum in eodẽ instanti exuere, & induere idem accidens.

Ad primum negatur maior, nam modus substantiæ potest esse accidens, & rei permanentis potest esse modus successiuus. Ad probationẽ, quòd non habet aliam entitatem, si de entitate propria, quæ sufficiat ad constituendum vnum ens à cæteris distinctum, intelligatur, cõcedimus antecedens, sed negamus consequentiam; si de entitate modali, negamus antecedens, habet enim modus suam propriam entitatem modalem modaliter distinctam ab entitate rei, cuius est modus, & ratione cuius potest esse diuisibilis, quãuis res ipsa sit indiuisibilis, vt patet in motu Angelorum, quem omnes cõcedunt esse successiuum, & diuisibilem, cum tamen Angeli substantia indiuisibilis sit.

Ad secundũ negatur consequentia, sicuti enim materia, quamuis diuisibilis, non tamen per partes informatur à partibus animæ, sed tota à tota, & singulæ eius partes etiam à tota, ita iste modus est totus in tota anima, & singulæ etiam partes eius, quamuis inter se distinctę in ipsa anima sint, quare dici potest quòd indiuisibiliter se habeat respectu subiecti, quamuis diuisibiliter respectu termini.

Ad tertium, si loquamur de potentia Dei, falsum est antecedens, vt patet ex Sacramento Eucharestiæ, in quo quãtitas Christi diuisibilis existit modo indiuisibili; Si naturaliter, adhuc est distinguendum, vel enim est sermo de qualibet inexistentia, & etiam est falsum, quia anima indiuisibilis informat materiam diuisibilem, si de inhærentia cum dependentia, videtur verum, negatur tamen consequentia, & ratio duplex est, prior, quoniam cum indiuisibile sit nobilius, potest continere eminenter diuisibilitatem, vt continet anima, & idcirco non mirum, si est indiuisibilis formaliter, diuisibilis tamen, & extensa virtualiter. Diuisibile autem, cum sit imperfectius, nõ potest continere virtualiter indiuisibile,

bile, ac proinde neque esse eius subiectum. Posterior est, quoniam quod pendet à subiecto, non potest esse sine illo; at si indiuisibile est in subiecto diuisibili, ita est in vna parte ipsius, vt sit etiā in altera, potest igitur esse sine qualibet ipsarum, ergo non pendet a subiecto, in quo est, quia potest esse sine illo, quare videmus etiam in Sacramento Eucharistiæ, modum indiuisibilem, quo Christus in ea existit, afficere quantitatem Corporis Christi, non tamquam subiectum diuisibile, sed tamquam indiuisibile, quia illa quantitas ita est in toto loco, vt sit etiam tota in qualibet parte ipsius. Si verò diuisibile sit in re indiuisibili, optimè ab eo dependet.

Ad quartum respondetur, diuersam esse rationem de vnione animæ, & materiæ, nam anima licet sit formaliter indiuisibilis, est tamen diuisibilis, hoc est extensa, virtualiter, quia per totā materiā dilatatur, & idcirco non opus est, vt materiæ vnio sit indiuisibilis, at verò materia ita est diuisibilis, vt nullo pacto sit virtualiter indiuisibilis, & propterea, vt ei aptetur vnio formæ, oportet, vt sit diuisibilis formaliter.

Ad quintum, dispar quoque est ratio de modo materiali, & indiuisibili. Nam materiale non potest aliquid dici nisi ratione entitatis proprie dictæ, materia enim est verum ens, non modus entis, non potest igitur materiale cum immateriali conuenire. At verò diuisibilitas nullā entitatem addit, sed solum modum dicit entitatis, quam reperit, quare materialitas non potest conuenire alicui modo, quin etiam totam entitatem afficiat, at verò diuisibilitas potest soli modo conuenire, absq; eo quòd in ipsam rei entitatem redundet.

De causa generationis efficiente.

QVÆSTIO XX.

Explicauimus hucusque causas generationis intrinsecas, egimus enim de eius subiecto, definitione, & termino, primum autem ad causam materialem pertinet, secundum, & tertium ad causam formalem, consequens est, vt agamus de causis extrinsecis, quæ sunt finis, & efficiens. sed de fine nihil est amplius dicendum, nam ex dictis patet, finem intrinsecum esse formam, & principalem compositum: extrinsecum verò, vt rerum species nō deficiant per corruptionem. Circa efficiens autem dubium nō est de efficienti vt quod, omnes enim concedunt, esse substantiam compositam, at de efficiente, vt quo, est maxima controuersia, an scilicet sit forma substantialis, vel accidens, quæ etiā sub eo titulo solet agitari, an accidens possit producere substantiam, siue quomodo accidens concurrere possit ad productionem substantiæ.

Prima Sententia.

Accidens sua vi sola substantiam producere.

SECTIO I.

Qvamuis Suarez disp. 17. in metaph. sect. 2. affirmet, neminē se vidisse, qui asserat, accidens esse posse principium principale producendi substantiā, contrariumq; cōstare, & in eo omnes ferè Philosophos conuenire. Perr. tamen lib. 5. cap. 13. id constanter asserit, & quibusdam alijs etiam tribuitur à Soncinate 7. metaph. quæst. 7. neque

verò desunt illis argumenta non leuia, quibus sententiam suam tueri possint, nam cum inter Scotum, & S. Thomam controuersia sit, & velit ille, accidentia, nullo pacto concurrere ad substantiæ productionem, hic verò concurrere quidem, sed in virtute substantiæ: huius sententiæ autores argumentis vtriusque partis, vtuntur, & cum S. Thoma probant, accidentia cocurrere ad productionem substantiæ, cum Scoto verò nõ posse concurrere in virtute substantiæ, quia hæc relatio, vt virtus substantiæ, nullam potest ei vim conferre, quare concludunt, accidens virtute propria substantiam producere posse. Præterea eis videntur suffragari experimenta; nam sæpe generantur substantiæ, quarum nulla potest afferri substantialis causa, sed tãtùm accidentalis: vt cum ranæ ex pluuiæ guttis æstiuo tempore puluere permistis generantur, stuppa à calore in ferro candẽti residente inflammatur; ignis ex radiorum solis reflexione, quæ in speculo concauo fit, producitur, in quibus omnibus generationibus accidentia tantùm concurrunt. Confirmatur, quia si Deus creet calorem ab omni subiecto separatum, poterit hic calor, si intensus sit, producere ignem, non minùs quàm si in aliquo subiecto esset, ergo illi soli tribuenda est tota hæc virtus, & non substantiæ.

Deinde cum calor producit alium calorem, agit virtute propria, nam effectus nõ excedit virtutem ipsius, & cum quælibet causa effectum sibi similem producat, non potest calor productus alteri causæ magis acceptus referri, quàm calori sibi simillimo; atqui calor cum sit agens naturale, semper eodem modo agit, ergo etiã quando producit substantiam, aget propria virtute. Confirmatur, quia non alia ratione producit substantiam, quàm calefaciendo, sed calefacit, vt probatum est, per propriã virtutem, ergo per eamdem etiam substantiam producit.

Tertiò probatur ex imbecillitate, & defectu substantiæ. Nam forma substantialis non habet tantam vim, vt producere possit se sola accidentia, videmus enim, ignem producere externum calorem per suum calorẽ internum, non autem per suam formam substantialem; quare etiã Aristoteles inquit, ignem agere quà calidum, non quà ignem lib. de sensu, & sensili cap. 4. ergo multò minùs poterit producere substantiã, quod confirmatur communi Philosophorum effatu, substantiam non esse per se actiuam, sed accidẽtibus, vt agat, egere.

Quartò, non solùm accidentia producunt substantiam, quando sunt in subiecto sibi connaturali, & dici possent adiuuari à forma substantiali; sed etiam quando sunt in subiecto repugnanti, vt calor, quando est in lapide, vel ferro, quorum formæ substantiales calori repugnant, ergo tũc a forma substantiali opem non recipiunt, & tamen æquè producere possunt substantiam, ac si essent in proprio, & connaturali subiecto, ergo propriæ eorum virtuti hoc est tribuendum.

Quintò, possunt accidentia corrũpere formam substantialem, ergo etiam producere antecedens probatur tum ratione, quia cum substantiæ non sint inter se contrariæ, non se possunt inuicem corrũpere, sed hoc munus accidentibus relinquunt; tũ etiam experimentis, quia videmus, formas ex materiæ sinu expelli à cõtrarijs dispositionibus, quæ nil aliud sunt, quàm accidentia.

Sextò, quatuor primæ qualitates acti-

actiuę immediatè inhærent in materia prima, & ordine generationis præcedunt formam substantialem, ergo non agunt in eius virtute.

Accidens nullo pacto substātiæ productionem attingere.

Secunda Sententia.

SECTIO II.

Secunda opinio est Scoti in 1. dist. 37. quæst. 1. & in 4. dist. 12. q. 3. Ocham. in 2. q. 23. Duran. in 2. dist. 1. q. 13. & aliorum, qui accidentia nullo pacto neque tamquam agentia principalia, neque tamquam instrumenta ad substantiæ productionem admittunt, sed tantùm dicunt disponere materiam, in qua deinde substantialis forma tamquam causa principalis, & immediata producit substantiam.

Præcipuum huius sententiæ fundamentum est, quia nullum agens potest producere effectum se nobiliorem, sed substantia est nobilior accidente: ergo non potest ab eo produci. Addunt, quòd substantia ipsa potest producere aliam substantiā, frustra igitur recurrimus ad accidentia. Probatur antecedens, quia si hoc denegaretur substantiæ, vel esset ob eius perfectionem, vel ob imperfectionem, primum dici non potest, quia Deus est perfectissima substantia, & tamen immediatè creauit vniuersum, neque secundum, quia accidens est imperfectius substantia, ergo multò minùs hoc poterit ei tribui. Confirmant, quia substantia est causa propriæ passionis, ergo non ei repugnat, immediatè aliquid producere.

Tertiò, vel actio, qua producitur forma substātialis, prouenit ab vno accidente tantùm, verbi gratia calore, vel ab omnibus, quæ requiruntur tamquam dispositiones ad illam, nō primùm, quia nullum accidens solum est sufficiens dispositio ad aliquam formam substantialem, & cōsequenter nec potest se solo eā producere; neque verò ab omnibus accidentibus materiam disponentibus, primò, quoniam simplex actio ab vna simplici causa, nō verò a multis proficisci debet. Deinde si quodlibet accidens non potest vi sua producere substantiam, neque poterunt plura accidentia simul, quia ex consortio multorum accidentium non potest euehi ipsorum virtus supra eorum ordinem.

Quartò, Aristoteles 2. phys. cap. 7. triplicem causalitatem formę substantiali tribuit, formalem, finalem, & efficientē, sicut ergo propriè forma substantialis est forma, & finis, ita debet esse efficiens. Confirmatur, quia si accidens potest producere aliud accidens, cur aliā substantiam non poterit substantia producere.

Quintò, vel productio formæ substantialis tribuitur accidentibus, quæ sunt in eadem materia cum forma, vel illis, quibus afficitur agens, non illud, quia ab his formaliter afficitur materia, ergo respectu eiusdē esse nō possunt causa efficiens, pręcipuè cum hæc actio, qua producuntur formæ substantiales, debeat esse transiens: neque hoc, quia accidentia agentis sunt distantia, ergo à neutris.

Mediæ quædam sententiæ afferuntur.

SECTIO III.

Tertia Sententia.

PRoximè,& per se attingere accidentia formam substantialem,vt substantiæ instrumēta, fatētur huius sententiæ sectatores, sed addunt, nō esse sufficientem causam, oportere enim adiungi aliquem alium influxum substantialem, qui vel erit ab ipsa forma substantiali,si præsens sit, vel si hæc sit absens,aut non existēs, ab aliqua causa superiori, verbi gratia sole, ita Suarez disp. 18. sect. 2.

Tribus autem partibus hæc sententia constat. Prima est, accidentia attingere productionem formæ substantialis, in qua conuenit cum communi infra quinto loco recitanda. Secunda est, formam substantialē nouo,& peculiari influxu,quando est præsens, ad eamdem concurrere. Tertia,quando hæc non adest, recurrēdum ad causam superiorem. Prima pars igitur probatur argumētis infra adducendis pro sententia S. Thomæ,& communi. Secunda nititur præcipuè argumentis Scoti, qa cum accidens non adiuuatur a superiori virtute actu, influit tantùm p id, quod in se actu habet, cum ergo hoc sit quid imperfectius substantia, nō videtur posse producere substantiam,quòd autem dicatur virtus substantiæ, cum hoc entitati ipsius accidentis nihil addat, non videtur reddere ipsum posse potentius. Mouentur præterea, quia non videtur omnis efficientia formę substantiali deneganda, nam & Aristoteles 2. de generatione tex. 54. & 55. reprehendit eos, qui efficientiam formarum negabant. Præterea nulla potentia o-stendi repugnantia in hoc efficiendi modo,ergo non est, cur negetur, nō enim repugnat ex parte formæ educendæ, quia hæc est finita, & modo finito fit, scilicet per eductionē, neque ex parte formæ efficientis, quia hęc non est minùs perfecta,quàm sit producta, neque est improportionata,cum sit eiusdem ordinis, & natura sua propensa, & constituta ad generandum sibi simile.

Tertia pars sequitur ex secunda; Nam si accidens se solo non potest producere substantiam, ergo si non potest eius defectus suppleri à causa particulari, debet hoc fieri ab vniuersali. Et confirmatur, quia omnes Philosophi sentiūt, aliquos effectus substantiales tribuendos esse alicui causæ superiori,& mineralia,& animalia,quæ fiunt ex putrefactione; at si accidentia sufficerent sine concursu superioris causæ, nunquam oporteret recurrere ad has vniuersaliores.

Quarta Sententia.

OB difficultates, quæ in productione substantialis formæ reperiuntur, siue ea accidentibus tribuatur,siue substantię,dixerunt quidam, non produci per aliquam nouā actionem, sed resultare tāquam terminum alterationis, videtur autem hæc sentētia desumpta ex Caiet. prima part. quæst. 54. art. 3.& eam nōnulli recentiores, vt refert etiā Suarez num. 15. perlibenter amplexi sunt,cuius sententię etiam nos supra meminimus. Explicari etiam exemplis potest,nā relatio resultat ex fundamento,sine noua actione, & similiter indiuisibilia in quantitate, & etiam figura, nam triangulus ex situali positione trium virgarum absque vlla noua actione resultat, ergo non mi- quæst. 12 diff. 5.

mirum, formam quoque substantialem absque noua actione resultare, positis dispositionibus.

Quinta Sententia.

Accidens in virtute substantiæ producere substantiam.

HÆc est valde recepta sententia; nam sequitur eam S. Thom. prima par. quæst. 45. art. 5. & alibi, & Albert. Mag. in 2. d. 12. art. 12. Aegid. in Theorematib. prop. 43. & lib. 2. Hex. cap. ij. Palud in 4. d. 12. q. 4. Maior quæst. prima. Richard. in 3. principali q. 3. Argent. quæst. 1. Hispalens. q. 1. art. 3. Ferr. 4. contra gent. c. 66. Capr. in 4. d. 12. quæst. 2. Caiet. pri. par. quæst. 54. ar. 3. Zimara in theor. prop. 122. Tol. 2. de anima c. 3. ar. 1. Collegium Conimb. 2. phys. cap. 7. quæst. 18. Albertinus principio 2. philosoph. & alij.

Continet verò hæc sententia duas partes, altera est, substantiam nō per seipsam immediatè influere in substantiæ productionem: altera verò, accidentia, vt instrumenta substantię ipsā attingere. Probatur prior pars, quoniā idcirco tribuit natura accidētia substantiæ, vt per ipsa ageret; ergo ipsa immediatè non est actiua; Et confirmatur inductione, quia videmus ad omnes alias actiones vti substantiam accidentibus, ita vt etiam intelligat, & velit medijs potentijs, quæ accidentia sunt. Præterea forma substantialis est indeterminata ad plures actiones, determinatur autem ab accidētibus. ergo non potest esse proximum principium per seipsam, sed per accidentia. Denique idem est agens disponens materiam, & producens formam, vt Auerr. 7. metaph. c. 22. testatur, & ratio suadet, quia dispositio materiæ ordinatur ad receptionem formæ, ergo qui disponit, intendit introducere formam, sed accidentia sunt, quæ dispo nunt, ergo etiam, quę introducunt formam.

Posterior pars probatur, quia sicuti res se habet ad esse, ita & ad operari, at accidentia sunt entis, idest substantiæ entia, ergo etiam operantur, vt eius instrumenta; Quòd etiā attingant productionem substātiæ, probatur, quia sæpe substantia, cui tamquam principali causæ effectus tribuitur, vel non est, vel abest, tunc ergo, nisi velimus recurrere ad primam causam, quod in philosophia, quoad fieri potest, vitandum est, dicere oportet, ab accidentibus, vt substantiæ instrumentis, substantias produci. Confirmatur etiam, quia accidentia data sunt substantiæ, non solùm ad ornamentum, sed etiam ad exercēdas actiones suas, & probabile est etiam, vt, sicut substantia operatur per accidentia sibi connaturalia, ita etiam per accidentia producatur.

Propria sententia quinque conclusionibus explicatur.

SECTIO IIII.

Prima Conclusio.

NOua actione præter alterationem præcedentem opus est, vt fiat forma substantialis. Hęc conclusio est contra quartam sententiam, quā veluti cęteris improbabiliorē, vt à facilioribus incipiamus, impugnare aggredimur. Probatur facilè hæc conclusio; nam forma substantialis est realiter distincta ab accidēte, ergo non potest per eius productionem generari; Probatur consequen-

quentia, quia productio non differt, nisi vel ratione, vel ex natura rei ab ipsa re producta, ergo si res producta realiter differt ab alia, idem dicendum de eius productione, quia idem modus non potest afficere duas res realiter distinctas. Vel ergo dicendum erit, formam substantialem incipere esse absque productione, & actione, vel produci per diuersam actionem ab ea, qua producitur accidens primum, dici non potest, quia sequeretur, aliquid, & maximè perfectum esse in mundo, & nullum agnoscere principium effectiuum; ergo dicendum est secundum.

Ad exempla, quæ pro hac senten- tia afferebamus, respondetur, ad primum, relationem distingui tantùm ratione à fundamento, & per consequens non indigere noua productione. Ad aliud de indiuisibilibus respondet Suarez, indiuisibilia terminare intrinsecè, & in eodem genere quantitatem, siue motum, per generationem verò non fieri aliquem terminum qualitatis intrinsecum, sed formam altioris generis, & rationis. Addit etiam Albertinus princip. 2. q. 2. puncto 2. concl. 2. indiuisibilia esse imperfectiora suis terminatis, & per se primò non intendi, at verò terminus substantialis est perfectior actione accidentali, & per se primò intenditur à natura. Quæ responsiones, esto, verum contineant, & verè ostendant disparitatis rationem, non tamen tollunt, quin per illa exempla valde eneruetur ratio pro allata conclusione, quæ non est fundata in perfectione, sed in distinctione reali, quæ si æquè reperitur inter indiuisibilia, & ea, quorum sunt termini, æquè etiam de ipsis probant, quantumuis imperfecta sint. Dicendum est igitur, huiusmodi indiuisibilia, vt infra fusius probauimus, esse ta...

negationes quasdam, & idcirco non indigere noua productione. Ad tertium exemplum de figura respondetur, hanc non esse diuersam a partibus, quibus constat, & consequenter per vnionem partium statim resultare, quòd si mutentur etiam partes, vt cum ex triangulo fit figura circularis, tunc videmus, necessariò intercedere debere aliquem motum.

Secunda Conclusio.

PRoductio substantiæ non est accidenti tamquam agenti principali tribuenda, est contra primam sententiam, & ita videtur communi Philosophorum consensu munita, imo etiam reliquorum hominum, omnes e. n. censent, substantias agere, nam dicunt, equum gignere equum, ignem ab igne produci, &c. videtur igitur hoc tamquam principium naturale mentibus nostris insitum, cui tamen repugnant authores illius sententiæ, non enim ex ipsorum principijs esset generatio tribuenda substantiæ, sed accidentibus. Respondet Berta cap. 14. ad primam obiectionem, generationem tribui substantiæ triplici ratione. Primò denominatiuè, qua ratione actiones dicuntur esse suppositorum. Secundò, sustentatiuè, quia accidens à substantia sustentatur. Tertiò, determinatiuè, nam substantia ignis non producitur per calorem, vt calor est, alioquin per quemlibet gradum caloris produceretur, sed vt est tantus, verbi gratia vt octo; quam determinationem non habet calor ex se, sed ex substantia, in qua est. Verùm hæ rationes non sufficiunt, neque menti loquentium satisfaciunt, cum enim dicimus, substantiam aliam substantiam generare, verè, & propriè generare intelligimus, & non tantùm

secundum aliquos respectus, alioqui alteri vero agenti, & producenti quid tò magis tribueretur, quod non fit; Sustentare etiã, & determinato longè absunt ab efficere; quod verò dicitur, denominatiuè appellari substantiam agentem, debet hæc denominatio, ne sit falsa, vel stulta, habere aliquod sufficiens fundamentum, sicuti habet, quãdo actiones tribuuntur supposito, quia videlicet pars aliqua suppositi est verè principium illius actionis, at verò si accidens, quod est quid realiter distinctum, & separatum etiam à substantia, esset principale agens, nulla esset sufficiẽs ratio; vt eius effectus tribuererur substantiæ. Et confirmatur, quia hac ratione dicimus, causas secundas esse verè causas horum effectuũ, & non tribuimus illos primæ causæ, quia re vera causę secundæ sunt agentia principalia, ergo etiam si accidentia essent agentia principalia, illis tribuendi essent effectus, & non substantiæ.

Præterea oppugnat valde hanc sententiam principium illud, quòd causa principalis non debet esse imperfectior suo effectu, quod, vt notat Suarez, videtur esse principium primum, & lumine naturæ notum, alioqui enim tolleretur omnis via cognoscendi Deum ab effectis, contra omnes Patres, & scripturam, inquit enim S. Paulus, quòd *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, & Sap. cap. 13. reprehenduntur illi, qui ex pulchritudine creaturarum non colligunt pulchritudinem, & perfectionem creatoris; tolleretur etiam omnis nostra cognitio, & scientia, quæ quamuis aliquãdo procedat à causis ad effect⁹, frequentius tamen ab effectis tamquam nobis magis notis ad causas ascendit, & huiusmodus procedendi supponitur necessariò ab altero à causa ad effectum, quia non cognoscimus causas, nisi per effectus. Respondet Perrerius ad hanc rationem dupliciter. Prior responsio est, accidens esse quidem ignobilius substantia in ratione entis, nõ tamen in ratione productiui. Posterior, intrinsecum, & immediatum effectum non posse esse causam nobiliorem, posse tamen mediatum, & extrinsecum. Neutra tamen argumento satisfacit. Non prior, nam cum esse imperfectius in ratione productiui nil aliud sit, quàm posse producere, qui dicerent, causam esse nobiliorem effectu, nil aliud sibi vellent, quàm causam producere effectum, quod in terminis ipsis inuoluebatur: Ne dicamus igitur, illam propositionem esse otiosam, oportet dicere, veram esse etiam in ratione entis. Confirmatur, quia eo modo exposito illo principio, non liceret argumentari ab effectu ad causam cognoscendam, quia iuxta illam expositionem nullam conditionem entitatis causæ ab effectu colligere liceret, sed tantùm causam produxisse illum effectum, quod iam præsupponitur notum; at omnes censent, posse nos argumentari ab effectu ad entitatem causæ, quia operatio indicat potentiam, & potentia essentiam; ergo illa expositio non sufficit; multò minùs etiam posterior, quoniam causa potentior est in productione immediati effectus, quàm mediati, vt patet in omnibus agentibus, & ratio idipsum suadet, quia effectus primarius, & immediatus non excedit virtutem causę, ergo neque secundarius, qui ex ipso immediatè oritur.

Denique sequerentur multa alia absurda ex hac sententia, vt q̃ falsè

in naturalibus tolleretur omnis distinctio agentis principalis, & instrumentalis, nulla etiam generatio substantialis esset vniuoca contra Aristotelem 7. metaph. 28. & sensum communem; nulla etiam esset relatio paternitatis, & filiationis, & id genus alia.

Tertia Conclusio.

Concursus ille, & influxus substantialis superadditus actioni accidentis attingenti productionem substantię, non videtur admittendus. Hæc conclusio est contra tertiam sententiam, quæ cum à suo authore introducta fuerit, vt vitaretur incommoda, quæ contra sententiam Scoti, & S. Thomæ afferebantur, nō videtur tamen sufficienter ea effugere, & insuper alia propria patitur. Difficultas, quam patitur S. Thomæ sententia, est, quòd accidēs attingat productionem substantiæ, ad quam leuandam, additur, id posse accidens in virtute substantiæ, at eidem difficultati subiecta est hæc sententia Suarez, nam & ipse affirmat, accidēs attingere substantiam producendā, quod verò superaddat concursum etiam substantialem, nihil refert. Nā hic concursus non tollit, quin accidens verè attingat substantiæ productionē, vel ergo attingit virtute propria, & incidemus in opinionē Perretij, vel in virtute substantiæ, & redit eadem difficultas, quæ S. Thomę opponitur.

Scoti autem sententia illa difficultate premebatur, quòd substātia immediatè ageret, cū ad hoc videātur ei tributa accidentia à natura, vt per ipsa agat, & præterea quòd multæ generationes substātiales fierent, nulla existente substātia, quæ posset esse causa principalis; easdem autem angustias sentit etiam opinio Suarez, nam & supponit, substantiam immediatè agere, & tenetur fateri, multas fieri generationes substantiales, etiam præcipuo agente absente.

Proprijs etiam vrgetur incommodis. Primum, quia videtur superfluus hic duplex concursus; nam si substantia potest per suum concursū attingere productionem substantię, ergo concursus accidentalis est superfluus. Cur enim substantia non poterit totum id producere, quod posset simul cum accidente? Effectus certè non excedit causæ virtutem, & est illi simillimus, ergo ad illum producendum virtutem sufficientem habebit. Confirmatur, quia natura abstinet à superfluis, si ergo substantia poterat per se producere formam substantialem, non est, cur dicamus, tribuisse hanc virtutem etiam accidentibus, sed tantùm ea adhibere, vt materiam disponant. Respōdet Suarez, non esse superfluam accidentis virtutem, primò, quia aliquando forma substantialis est absens. Secundò, quoniam ad idem agens spectat, disponere materiam, & producere formam. Tertiò, quia fortasse forma substantialis ex se non est sufficiens, cum sit indeterminata. Sed nulla harum responsionum sufficit, non prima, quia neque tunc virtus accidentis sola potens est producere formam, ergo cum sit recurrendū ad primā causam, tam possumus recurrere pro effectu totali, quàm pro partiali. Neque secunda, quia licet spectet ad idem agens, disponere, & introducere formam, non tamen dicet quis, per idem principium, & falsum est, illas duas virtutes esse debere coniunctas, cum sint diuersi ordinis. Tertia quoque est insufficiens, quia ad determinandam formam

sub-

stantialē satis est ipsa dispositio materiæ. Præterea vel substantia, & accidens concurrunt tamquam causæ subordinatæ, vel tamquā causæ partiales, si primum, ergo non adest duplex influxus, sed vnus tantùm, est enim communis sententia, quam & ipse approbat, eamdem esse actionē primæ, & secūdæ causæ, si aūt est vnicus, & idem influxus substantiæ, & accidentis, iam hoc est, quod dicunt Thomistæ, agens agere in virtute substantiæ; si verò concurrunt tamquam causæ partiales, erit igitur aliqua pars effectus, quæ ab accidente producta fuit, & altera, quæ à substantia quod est inconueniens.

Præterea si substantia potest producere formam ignis cur etiam non poterit calorem? profectò qui potest perfectius, potest etiam imperfectius in eodem ordine, calor autē cum sit dispositio quędam ad formam ignis, non videtur esse diuersi ordinis, & longè facilius est, posse producere calorem, quàm substantiam ignis, non est igitur credibile, posse aliquid producere formam ignis, & non posse calorem, si igitur substantia potest producere calorē, ergo in productione cuiuslibet accidentis aderit duplex influxus, alter substantiæ, & alter accidentis, quod inauditū est in philosophia, & prorsus improbabile, cū nulla appareat necessitas huius duplicis cōcursus.

Præterea multæ sunt substantiæ, quæ nunquam sunt proximæ suis effectibus, vt animalia, hæc enim cū medio semine suos partus edant, nō possunt illis esse propinqua, de his autem fatetur Suarez, non influere in effectus, sed suppleri eorum efficientiam à superiori causa, habebūt igitur potentiam, quam nunquam reducere ad actum poterunt, at quonam pacto credibile est, tribuisse naturam illis potentiā, qua sciebat certè nunquam ipsa vsura, immo neq; vti posse? hoc certè est contra totam philosophiam, quæ nihil frustra à natura effici, proclamat.

Dicetur fortè, deseruire illam potentiam ad nutritionem, in qua & generatur noua pars animalis, & ipsa forma substantialis est præsens. Verùm cum hæc sit partialis quædam generatio, probabilius est, sequi naturam totius, si ergo totius animalis generatio semper est à causa prima, idem videtur etiam dicendū de hac generatione partiali.

Quarta Conclusio.

Quamuis sententia communis, quòd accidens in virtute substantię substantiam producat, multis, & grauibus vrgeatur difficultatibus quibus perfectè satisfieri nō potest magna tamen probabilitate nō caret, & cæteris supra relatis est præferenda. Probatur prior pars huius conclusionis argumentis quę contra eam fiunt, quorum præcipua sunt, quæ sequuntur. Primum, quia hoc agere in virtute substantiæ, nō videt subleuare posse accidens ad ꝑducendū aliquid supra propriā virtutem, sed in propria virtute non potest accidens producere substantiam, ergo neque in virtute substantię. Maior probatur, quia per hoc, quòd dicitur accidens agere in virtute substantiæ, nullam maiorem virtutē acquirit, ergo non est potentius quàm priùs. Confirmatur, quia sicut se habet res ad esse, ita & ad operari, sed quoad esse, ex eo quòd sit virtus substantię, nihil supra suam entitatem acquirit accidens, ergo neque quoad operationem. Et confirmatur secundò, quia sicut in operando

est virtus substantiæ, ita etiam in essendo, ergo, sicut quamuis in essendo sit virtus substantiæ, non habet nobiliorem essentiam, quàm haberet, si consideraretur, vt ens præcisum à substantia, ita neque debet habere nobiliorem operationem. Præterea quamuis accidens sit virtus substantiæ, tamen re vera totus influxus prouenit ab ipso accidente, ergo debet cum ipsa accidentis entitate cōmensurari, si verum est, quod supra diximus; effectum non debere excedere causam in perfectione. Adde, quòd substantia ipsa non potest se sola producere substantiam, quomodo ergo hanc virtutem poterit accidenti tribuere? In omnibus certè videmus, quòd quò magis effectus à causa principali elongatur, eò minùs est perfectus, ita sol magis illuminat partes aeris propinquas, quàm remotas: ignis magis calefacit, quos habet viciniores, & sic in cæteris; ergo substantia etiam magis debet esse potens in suo primario effectu, quàm in secundario, at primarius eius effectus non potest esse nisi accidens, ergo secundarius non potest esse substantia. Cōfirmatur; quia per aduentum accidentis illi superadditi non fit substantia potentior, quàm erat priùs, nam etiam priùs virtute continebat ipsum accidens, ergo si priùs non potuit substantiam producere, neq; poterit postea.

Secundum argumentum, quod huic sententiæ communi obijcitur, est ab experimentis, ex quibus patet, multoties produci substantiam ab accidentibus, quæ non sunt virtutes alicuius substantiæ, ergo tota hæc sententia ruit, consequentia est euidens, quia, si potest accidens producere substantiam, & non in virtute substantiæ, frustra ad hanc virtutem confugimus. Antecedens probatur illis experimentis, quæ supra retulimus, vt cum tempore æstiuo ex puluere, & pluuia ranæ oriuntur, & in aliis animalibus, quæ ex putri materia ortum habent. Quodnam enim erit agens principale horum animalium? an cœlum? atqui cœlum caret anima, non potest igitur aliquod animatum producere, quod simpliciter est se nobilius: An aliquod indiuiduum ranæ determinatum? atqui nullum huiusmodi assignari potest, supponimus enim, tunc aliam non adesse ranam præsentem. An illud indiuiduum, cuius si extitisset, debuissent illæ dispositiones esse accidētia? sed neque hoc dici potest, quia non magis determinant sibi hoc, quàm illud indiuiduum. Adde, quòd hic non agimus de subiecto horum accidentium ranam producentium, nam subiectum est illa materia, quæ deinde ranæ formam recipiet, sed de agēte, in cuius virtute illa operantur, quod debuisset esse producens illorum, at effectus non sibi determinat necessariò causam producentem, vt est communis sententia omnium Philosophorum, quamuis Doct. Conimb. 2. phys. c. 7. quæst. 18. art. 5. contrarium sentire videantur, ergo dici non potest, quòd hæc accidentia agant potius in virtute huius, quàm illius indiuidui. Quodnam igitur erit principale agens? Responsio communis est, esse ranam indeterminatè sumptam, seu in specie, neque esse inconueniens, agens principale esse indeterminatum, dum instrumentum est determinatum, & est solum, quod actu influit, & in moralibus possunt afferri huius rei non pauca exempla, nam mortuo Episcopo eligitur nouus Vicarius, qui tamen nec huius, nec illius

illius Episcopi est Vicarius, sed Episcopi indeterminatè sumpti, & non minorem authoritatē habet, quàm si esset Episcopi determinati; & idē in omnibus alijs vicem alterius gerentibus accidit. Verùm adhuc nō videtur tota difficultas sublata, quia quando huiusmodi agens est indeterminatum, non potest aliquam virtutem instrumento tribuere, & solùm per quamdam denominationem, & moralem habitudinem censetur instrumentum, siue agens secundarium agere in virtute illius, physicè tamen, & re vera agit secundum virtutem sibi inhærentem: quòd igitur accidens agat in virtute substantiæ indeterminatæ, non eleuat eius potentiam ad aliquid agendum, quod alioqui agere non posset. Præterea accidens agit in virtute illius substantiæ, à qua est productum, at nullum est accidens in hac materia, quod ab aliqua substantia productum non fuerit, ergo in illius virtute agit, non verò in virtute alicuius substantiæ indeterminatæ.

Tertium argumentum est, quia nullum accidens producere potest substantiam seorsum ab alijs accidentibus sumptum, ergo neque simul cum illis. Antecedens probatur, quia ad quamlibet formam introducendam requiruntur plures dispositiones, & consequenter vnum accidens non sufficit, quare & si calor sit summè actiuus, & sit etiam intensissimus, attamen si simul sit in materia densa, vt in lapide, vel in humida, vt in aqua, nō poterit producere formam ignis. Consequentia probatur. Quando vnum accidens simul cum alijs mutuis concurrit ad producendam substantiam, vel agit diuersimodè, atque agebat, quando erat separatum, vel eodem modo, si eodem modo, ergo sicut priùs non poterat producere substantiam, ita neque postea: si diuersimodè, contra, quia agens naturale præcipuè simplex, quale est accidens, semper eodem modo agit. Præterea vnde oritur hic diuersus modus agendi? an ex consortio aliorum accidentium? ergo in virtute aliorum accidentium producit substantiam, & non in virtute substantiæ; sed neque quomodo hoc cótingere possit, apparet. Vel enim virtus ipsius accidentis roboratur, vel actio transiens, non virtus, quia vnum accidens oporteret aliquid recipere ab altero, quod non est verisimile; neque actio, quia si hæc ex natura sua est substantialis, non indiget aliorum ope; si accidentalis, non poterit per aliorum subsidium substantialis fieri. Præterea vel huiusmodi accidentia concurrunt omnia, vel vnum tantùm, si omnia, ergo erunt agentia partialia, & substantia erit diuisibilis, cum partim ab vno agente dependeat, & partim ab alio, si vnum, ergo non erit illud magis potens, quàm si solum esset, neque facile semper erit, reddere rationem, cur hoc potius agat, quàm illud.

Præterea ex consortio aliorum accidentium aliquando euenit, vt producatur forma substantialis contraria agenti principali, quomodo ergo tunc dici poterit, accidens agere in virtute illius? atque hoc patet, dum ignis ex aqua, vel aliō composito generat aerem, aer enim non continetur in virtute ignis, immo est ipsi contrarius, quomodo ergo calor in virtute eius potest ipsum producere? idipsum etiam confirmari potest ex igne, qui gignitur per motū, & ex alijs similibus experimétis.

Hæ

Hæ igitur sunt præcipuæ difficultates, quas patitur hæc sententia communis, à quibus si non omnino euertitur, saltem tamen incerta valde, & non adeo facilis redditur. Quibus tamen non obstantibus, dicimus in posteriori parte cõclusionis, esse valde probabilem, & cæteris supra relatis præferendam. Ratio huius partis desumitur in primis ex authoritate tot illustrium Philosophorum, & doctissimorum virorum, qui eam sunt amplexi, quorũ authoritas non est facile contemnenda. Præterea ex eo quòd reliquæ supra relatæ sententiæ maioribus sint obnoxiæ difficultatibus.

Nam prima, quòd accidens virtute propria substãtiam producat, aduersatur illi principio naturali irrefragabili, quòd effectus nõ potest in perfectione excedere suam causam. Secunda, quæ est Scoti, admittit, etiam formam substantialem agere in distans, quod alteri principio æquè ferè naturaliter noto contradicit, scilicet agens, & patiens esse debere simul, vt alias difficultates omittam. Tertia est inintelligibilis, qđ producatur substantia sine actione. Quarta autem, vt supra notauimus, has easdem patitur difficultates, quibus & hæc communis est obnoxia, & alias insuper addit, quare vsque dum melior non occurrat, ab hac non videtur recedendum, & argumẽta cõtra eam allata, quoad fieri potest, diluenda erunt.

Ad primum ergo dicendum erit, accidens in virtute substantiæ producere substantiam, non quòd aliquid recipiat, sed quia ex eo quòd est virtus substantiæ, assurgere potest ad producendam substantiam. Et ad instantiam, quòd per hoc nihil eius entitati additur, fatendum erit, nihil addi, sed tamen inde effici, vt eorum effectus nõ cum eorum perfectione, sed cum perfectione substantiæ sit conferendus.

Ad secundum approbanda est responsio ibi data, & ad primam impugnationem dicẽdum, accidentia verè & physicè esse substantiæ instrumenta, & hoc sufficere, vt verè, & physicè dicãtur agere in virtute substantiæ. Ad secundam dicendum, quòd quando accidens producit aliquid perfectius substantia, à qua ipsũmet est ꝓductũ, nõ agit in virtute illius, sed eius, cuius natura sua potuit esse instrumentũ ad hũc effectũ.

Ad tertium respondetur, accidẽs aliquando se solo producere substãtiam, aliquando simul cum alijs, producit solum, quando reliquæ dispositiones non concurrunt actiuè, sicuti si ignis producẽdus sit, requiritur, vt subiectum non sit nimis densum, raritas autem, quæ prærequiritur, nõ concurrit actiuè, sed tantùm remouendo formaliter prohibens, aut disponendo materiam, quare in his euentibus tota actio erit tribuenda vnico accidẽti, quando verò sunt plura accidentia actiua, vel dicendum erit, agere aliqua ad expellenda cõtraria, & disponendam materiã, perfectius deinde accidens producere formam substantialem, vel simul conficere vnum agens totale, cui totus effectus simul respondeat, non verò pars eius vni, & pars alteri. Ad illud, quòd accidens producit effectum non contentum in virtute principalis agentis, dicendum erit, vel tunc recurrendum ad causam superiorem, vel eius virtutem modificari ab alijs accidentibus simul cum eo existentibus, & quamuis illa forma non sit in virtute vnius agentis, erit tamen in virtute plurium, quorum censentur instrumenta illa plura accidentia.

Quinta

Quinta Conclusio.

QVi soli primæ causæ virtutem producendi formam substantialem tribueret, nō improbabiliter, neque sine fundamento loqueretur. Hæc conclusio quamuis noua videatur, re vera tamen grauissimos patronos habet, eam enim docuit Plato, dum dixit, formas substantiales ab idæis fieri, idest vt interpretatur S. Augustinus, & alij, ab essentia diuina, quæ rerum omnium idæas continet. Idem sensit Auicenna tribuens intelligentiæ, quam colihodeam appellant, hanc vim producendi formas substantiales. Nec dissentiunt Philop. 1. physi. in fine, qui in vniuersalem naturam, & Themist. qui 1. de anima c. 24. & lib. 3. cap. 2. in animam mundi earum productionē referunt. Et ex recentioribus Scotistæ, & Suarez sæpius ad primam causam recurrere coguntur, quod cum aliquando faciendum sit, satius videtur id semper efficere, ita enim, & longius à miraculis recedimus, & constantiam naturæ in operādo conseruamus, & sicuti lōgè probabilius dicimus, animam rationalem semper à Deo creari, quàm si, aliquando ab homine, aliquando à Deo produci, diceremus, ita verisimiliùs multò videtur, generationem substantialiū formarum semper Deo acceptam referendam, quàm, vt plerique alij faciunt, nunc Deo, nunc naturali agenti ascribendam esse.

Præterea si quid huic opinioni obstare videretur, illud esset maximè, quòd verè vna substantia dicitur gignere, vel producere aliam, ergo nō debemus hanc actionem primæ tantùm causę tribuere, sed hoc nihil officere sententiæ huic, patet clarissimè, ex eo quòd non minùs censetur homo gignere hominem, quàm equus equum, & ignis ignem, sed homo non gignit animam, sed eam tantùm materiæ vnit, ergo idem sufficit affirmare etiam de alijs agentibus. Immo hinc deducitur pro hac sententia argumentum, quia cōmunis opinio hominum est, non minùs hominem concurrere ad gignendum filium, quàm reliqua animantia, ergo neque cætera formam substantialē producunt magis, quàm homo. Confirmatur, quia neque substantiæ nobilissimæ intellectuales possunt aliquam substantiam producere, quid mirum igitur, si id substantijs materialibus denegetur?

Si dicas, creationem non posse à causis secundis haberi, & idcirco neque animam creari ab homine, neq; intelligentias posse alias sibi similes producere. Occurri poterit, quòd quamuis videatur maximum discrimen adesse inter creationem, & productionem ex materia, re vera tamen si attentius rem consideremus, fortassis non tam magna differentia apparebit. Nam eatenus minor potentia requiritur ad generationem ex materia, quàm ad creationē, quatenus ipsa materia agentis actionem adiuuat, at quis nesciat, quàm minimum subsidium possit à materia præstari? nam neque actiua est, & vt mi nimæ, & infimæ entitatis, & quamuis dicatur habere in potentia etiā formas, non hinc efficitur, formas in materia latitare, aut aliquod ipsarū principium, sed tantùm posse in ipsa ab agente produci, quòd si formæ, vel accidentia possent existere sine materia, non appareret, quæ maior virtus requireretur ad producendū calorē, vel lumen in materia, quàm extra materiam; nam quamuis adsit materia, re vera tamen tota entitas caloris, vel luminis ab agente produ-

citur

citur; ad quid igitur vel deseruit materia, nisi vt effectum, qui per se subsistere nequit, recipiat? cum igitur tam minimum auxilium præstet materia, nō videtur sufficiens discrimen, ad hoc vt dicamus, animam rationalem fieri à Deo, & reliquas ab agentibus naturalibus, quòd illa fiat independenter à materia, hæ verò ab eadem educantur, neque verò potest hoc discrimen oriri ex diuersitate perfectionis ipsarum, quamuis enim hæc sit maxima, tamen eadem reperitur inter hominem, & bruta, quare si aliunde non obstaret, sicut imperfectius ab imperfectiori producitur, ita posset etiam à perfectiori perfectius.

Denique confirmatur ex incommodis aliarum sententiarum, quæ omnia per hanc euitantur, nam neque virtus principalis accidenti tribuitur, neque opus est, vt accidens attingat substantiæ productionem, neque quòd ipsa substantia agat indistans. Hæc igitur sint dicta, non vt hanc sententiam communi præferam, sed tantum vt lectori proponam electuro pro suo arbitratu, cui subscribendum sibi censeat. Nam quamuis hæc postrema minoribus videatur patere difficultatibus, non videtur tamen facilè concedendus in philosophia tā frequens ad Deū recursus, nec est paruifacienda multitudo illustrium Doctorum contrarium sensum sectantium.

Argumentis pro prima sententia satisfit; & an accidens virtute propria aliud accidens producat, definitur.

SECTIO V.

Argumenta, quæ pro prima sententia allata sunt, ni fere à nobis probant, quàm nostram quartā, vel quintam conclusionem, vel scilicet à substantia non produci aliam substātiam, vt in quinta probabiliter diximus, vel non produci nisi mediō accidente, eadem tamen percurremus breuiter, & soluemus, quatenus videntur militare contra nos, ne difficultatem aliquam, quæ in ipsis tangitur, præterijsse videamur.

Ad primum, iam diximus in conclusione 4. quomodo sit intelligendum, accidens agere in virtute substantiæ, quamuis fateamur, eam responsionem, quæ est communis, non omnino scrupulum eximere, attamen si quid probat illud argumentum, concludit potius, primæ causę tribuendam substantiæ productionem, quàm accidentibus. & idem dicimus ad experimenta allata.

Ad secundum, in hoc argumento tangitur illa controuersia, an accidēs virtute propria producat aliud accidens, vel etiam vt instrumentū substantiæ, quæ, vt rectè notat Suarez disp. 18. sect. 6. de modo loquendi est potius, quàm de re ipsa, & idcirco breuiter ob ea nos expediemus. Dico igitur, vtrumque dici posse, quatenus enim effectus productus non excedit virtutem ipsius accidentis secundùm propriam entitatem consideratī, & est illi simillimus, sic dici potest, accidens esse agens principale; quatenus verò entitas ipsa accidētis data est a natura, vt sit substantiæ instrumentum, sic in quacunque actione, dicere possumus, accidens se gerere vt instrumentum substantiæ, & hoc simpliciter videtur verius, nam est conformius modo loquendi hominum communi, dicimus enim, solem, & ignem calefacere, non verò eorum accidentia.

Ad tertium, quatenus est contra quartam nostram conclusionem, respon-

sponderur, argumentum probare tãtùm, substantiam non esse immediatum agens, agere videlicet medijs accidentibus, non verò non esse principale, quod illis probandum fuisset. Adde, quòd etiam est immediatum principium multorum accidentium, quę ab ipsa manant, vt patet in aqua, & in aere, dum se ad pristinum frigus reducunt.

Ad quartum respondetur, etiamsi accidentia sint in subiecto non sibi connaturali, esse tamen instrumenta non illius subiecti, in quo sunt, nisi per quamdam denominationem impropriè dictam, sed illius substantię, à qua producta fuerunt, atque vt talia producere posse substantiam.

Ad quintum respondetur, accidentia non corrumpere per se formam substantialem, sed per accidens, labefactando scilicet eius dispositiones, sine quibus ipsa conseruari nequit, & introducendo formam substantialem ei incompossibilem, & adhuc hæc omnia præstant, vt instrumenta substantiæ. Argumentum autem, quòd substantia contrario careat, probat tantùm, substantias non pugnare inter se immediatè, sed medijs accidentibus.

Ad sextum respondeo: Esto quatuor primæ qualitates inhæsiuè sint in materia prima, aliquod tamen efficiens habere debent, vel aliquam formam substantialem, cui cõnaturaliter conueniant, & harum dicentur instrumenta [illegible]

[illegible]

Argumenta pro secunda sententia enodantur, & extrinsecis ne, vel intrinsecis accidẽtibus sit forma productio tribuenda, aperitur.

SECTIO VI.

AD primum, probat hoc tãtùm, accidens non posse vt principale agens producere substantiam, quod libenter concedimus.

Ad secundum respõdetur, ob imperfectionem substantiam indigere accidentibus ad agendum. Ad impugnationem, quòd accidentia sunt imperfectiora, & tamen non indiget alijs instrumentis. Respõdetur, hoc etiam illis cõuenire ob impefectionem, quia videlicet non agunt vt agentia principalia. Hæc duo igitur sunt, quæ simul repugnant agenti creato, agere, vt agens principale, & immediatè, dum de productione substantiæ agitur, cum propriam passionem, quamuis aliqui id negent, immediatè ab ipsa produci arbitremur.

Ad tertium respondi iam in probatione quartæ conclusionis. Addo verò hic, non habere vnum accidens ex aliorum consortio, vt possit producere substantiam, sed à substantia, ab alijs verò accidentibus modificari eius actionem, ita vt potius hanc, quàm illam producat.

Ad quartum respondetur, formã substantialem esse verè causam efficientem, sed non immediatam, hæc autem duo non pugnant, quia quod agit medio instrumento, verè agit.

Ad quintum non conueniunt Philosophi, cui tribuenda sit productio substantiæ, accidenti ne, quod est in passo, an illi, quod est in agente,

 qui-

quidam enim dicunt, accidẽtia passi concurrere tantùm formaliter, & dispositiuè, agentis verò effectiuè, sicut quando introducitur calor in subiectum frigidum, frigus expellitur à calore, qui est in eodem subiecto, formaliter, ab eo verò, qui est in alio subiecto, effectiuè. Cõfirmatur, quia concurrit accidens, quod est in passo, dispositiuè, ergo in genere causæ materialis, sed non potest idem cõcurrere in genere causæ materialis, & efficientis, ergo. Præterea instrumentum debet habere actionẽ præuiam ad effectum vltimatum agentis principalis, sed agens, quod est in eodem subiecto, non habet vllam actionem præuiam, igitur non est instrumentum in illa productione.

Tertiò, aliquando agens est indistans à passo, & habet virtutem sufficientem producendi substantialem formam, ergo producet, si ergo ad eamdem productionem concurrant etiam accidentia, quæ sunt in passo, tunc idem effectus erit à duabus causis totalibus, ne igitur hoc dicatur, asserendum est, a primis tm̃ efficienter pduci, & à secũdis dispositiuè.

Quartò, agens debet distingui supposito à passo, sed accidentia, quæ sunt in passo, nõ distinguuntur supposito ab ipso, ergo non possunt in ipsum agere, & in eo producere formam substantialem.

Dicendum tamen cum Albertino loco supra citato, scilicet prin. 2. q. 2. punct. 2. & concl. 4. productionem substantialis formæ tribuendam esse accidentibus in passo existentibus, non tamen excluduntur accidentia agentis, sed his mediatè tribuitur, illis autem immediatè. Probatur: quia quotiescũq; reperitur materia perfectè disposita ad aliquam formam substantialem, etiam si nullum sit agens extrinsecum, producitur tamen eadem forma substantialis, ergo vel tunc dicendum erit, produci à Deo, vel ab accidentibus existentibus in eadem materia. Confirmatur, quia quamuis adsit extrinsecum agens, tamen non habebit virtutem producendi illam formam substantialem, vt cum ab igne producitur aer ex aqua, ergo tunc non producitur forma aeris à calore ignis, quia hic non est sufficiens, sed ab accidẽtibus existentibus in eadem materia, in qua generatur forma substantialis aeris. Denique accidentia, quæ sunt in passo, sunt magis immediata, & proxima, & habent æqualem virtutem, atque accidentia agentis, ergo illis potius tribui pductio debet.

Ad primum respondetur, nullum esse inconueniens, quod idem accidens in duplici genere causæ concurrat, & materialis, & efficientis. nã & subiectum, quando propriam passionem producit, est & efficiens, & recipiens & idem euenit in omnibus actionibus immanentibus.

Ad secundum respondetur, a multis negari, quòd instrumentum debeat habere actionem præuiã, quos refert, & sequitur Albertinus hoc eodem principio 2. punct. 5. Multis verò videtur illa propositio ita explicanda, vt instrumentum debeat habere actionem præuiam, nõ quòd semper hæc sit necessaria, sed quia debeat instrumentum aptum esse natura sua ad efficiendum aliquid præuium ad principalem effectum, & ratio est, quia alioqui, vel haberet virtutem ad producendum principalẽ effectum, & esset causa principalis, vel nullam haberet neque præuiam, & tunc esset instrumẽtum ineptum, & nõ posset actionem agentis adiuuare, non igitur semper requiritur, vt instrumentum aliquam actionem præuiã præmittat, sed vt sit talis naturæ,

turæ, vt possit præmittere, accidentia ergo. quæ sunt in passo, eam habent naturam, vt possint disponere effectiuè materiam ad formam substantialem, quamuis actu non disponant effectiuè, quia opus non est, quare hinc nō tollit, vt nō possint esse vera instrumēta, q. a ex eo, quod actionē præuiam habere possent, colligitur, esse apta instrumenta ad effectum principalem. Adde, quòd per actionē præuiam non intelligimus aliquam actionē, quæ necessariò debeat præcedere actionem principalis agētis, sed quæ saltem se habeat, vt aliquid imperfectum respectu eiusdem effectus, sicuti calamus, quo scribimus non habet actionem præuiam, sed habet aptitudinem ex se ad imprimendum attramentum papyro, quod est quid imperfectum respectu scriptionis, & hoc intelligendum est de instrumentis, quæ assumuntur ad subleuandam agentis impotentiam.

Ad tertium Albertinus post aliorum reiectas responsiones, inquit ipse, tunc à Deo determinatum iri, à quibusnam accidentibus sit producenda forma substantialis. Mihi verò non videtur necessarium, in hoc ad Deum recurrere, sed dicendum, produci formam substātialem ab accidentibus in passo existentibus, non autē ab extrinsecis. & ratio est, quia extrinseca non habent vim ad producendam substantiam immediatè, sed tantùm medijs accidentibus in passo receptis, quod patet, quia nisi hæc producantur, nunquā generabitur ipsa forma substantialis, & quāuis accidentia agentis sint propinqua, sunt tamen accidentia passi propinquiora.

Ad quartum de distinctione suppositorum agentis, & passi multa dicit Suarez disp. 18. sect. 7. quæ non sunt hic examinanda, breuiter igitur dicemus, hic adesse distinctionē suppositorum inter agens principale, & passum, quod sufficit, quando accidens, quod est instrumentum agentis, sit receptum in passo, & hac ratione non dicatur ab eo supposito distingui.

Ad exemplum de accidente allatum in primo argumento respondetur, negandam esse consequentiam, quoniam inter frigus, & calorem datur oppositio, & repugnantia formalis, & ideo non opus est alia actione distincta, neque, vt diximus, potest dari actio positiua, quæ per se terminetur ad non esse; at verò forma substantialis est alterius ordinis ab accidente, & dum producitur, transit de non esse ad esse, & ideo præter præsentiam accidentis, oportet etiam aliam actionem addere. Argumenta pro tertia sententia, ex dictis patet, nihil contra nos cōcludere, quare in eis soluendis non immorabimur.

De Corruptione.

EX his, quæ diximus hucusque de generatione, iudicium fieri poterit de multis ad corruptionem spectantibus, vt de eius definitione, subiecto, termino, & efficiente; remanent tamen nonnulla adhuc corruptioni propria, quæ in hac quæstione definienda erunt, quorum primum est.

An corruptio fiat per aliquā actionem, siue efficientiam.

QVÆSTIO XXI.

POtest autem hæc quæstio duplicem habere sensum. Alter est, an formaliter corruptio sit aliqua

actio positiua, sicuti est actio positiua generatio: Alter verò an saltem concomitanter, siue causaliter, ita vt nunquam fieri possit corruptio, nisi præcedat aliqua actio positiua.

Quòd igitur fiat per actionem positiuam in priori sensu, suaderi potest. Quoniam corruptio est vera mutatio, saltem respectu subiecti illius formæ, quæ corrumpitur, at repugnat, fieri mutationem sine aliqua actione, igitur formaliter includitur actio in corruptione. Confirmatur, quia quod corrumpitur, maximè dicitur pati, at vbi adest passio, adest etiam actio, ergo non sine actione est corruptio.

Præterea quod corrumpitur, vel ex se tendit ad non esse, vel ab alio ad illud impellitur; non ex se, quoniam vnumquodq; suam propriam conseruationem appetit, ergo ab alio, ergo media aliqua actione, si enim datur agens, debet dari etiam actio.

Tertiò, omne, quod corrumpitur, dicitur corrumpi à contrario, ergo per actionem, quia si nulla adesset actio, non posset assignari ratio, cur magis à contrario corrumperetur, quàm ab alio. Confirmatur, quia ex contrarijs illud corrumpitur, quod minùs potest agere, ergo signum est, ex alterius actione ipsum corrumpi, quare etiam sæpe non nisi post longam pugnam corrumpitur, quod ostendit, adesse actionem, neque dici potest, quòd per eam actionem aliquid fiat, tum quia hoc videtur per accidens, tum etiam quia iterum quæram de eo, quod fit, an sit contrarium formæ, quæ corrumpitur, si enim non est contrarium, ergo poterunt esse simul, si autem est, ergo etiam inter ipsa dabitur mutua actio.

Quartò, non potest aliquid desinere esse, nisi per subtractionem concursus, quo conseruabatur, vel per actionem contrarij; at forma non corrumpitur per subtractionem concursus, quia ex parte Dei hic non deficit, neque etiam ex parte causarum secundarum, nam materia numquam cessat, quantum est ex se, formam sustentare, aliud verò non apparet, à quo pédeat ipsa forma, ergo desinit per actionem contrarij.

Quintò, sicuti generatio identificatur cum forma genita; ita corruptio cum forma, quæ corrumpitur, at generatio ex eo, quòd est idem cum forma genita, quæ est positiua, dicitur actio positiua, ergo etiam corruptio ex eo, quòd identificatur cum forma, quæ corrumpitur, quæ est etiam positiua, actio positiua erit.

Sextò, agens extrinsecum non agit nisi media forma introducta, ergo si hæc efficienter aliam non expellit, neque id dicetur efficere agens extrinsecum, cum tamen omnes id dicant.

Denique corpus efficienter, & per actionem positiuam loco expellitur ab alio corpore, ergo etiam forma expellit per actionem positiuam aliam formam à materia.

Contraria tamen sentẽtia est communis, & vera, quam sequitur Suarez disput. 18. in metaph. sect. ij. & eam pro certa habet, ab eo autem probatur, quia positiua actio immediatè, & per se non tendit ad non esse, ergo non potest per ipsam effici corruptio, vel destructio alicuius rei nisi quatenus per ipsam aliquid producitur, cum quo necessariò coniungitur non esse alterius rei. Antecedens probatur, quia actio realis, siue positiua necessariò tendit ad terminum realem, termi-

minus autem realis aliquod reale esse accipit per actionem, ideo eius est terminus eius. Et confirmatur ex illo vulgari axiomate, quod nullum agens intendens ad malum operatur; ipsum enim non esse, vt sic, habet rationem mali; numquam ergo positiua actio per se tendit ad non esse. Probari præterea potest, quia actio est influxus quidam agentis, at neque concipi potest, quòd quis influat non esse, ergo hoc immediatè non sequitur ex actione positiua. Confirmatur, quia cum Deus in nihilum redigit, non efficiendo, sed tantùm concursum substrahendo, id præstat. Denique vel existeret actio positiua, antequã forma desineret esse, vel post, non ante, quia nondum est corruptio; ergo neque adest; a quo formaliter ipsa supponitur habere esse, non postea, quia cum iam non sit corruptio vel forma, neque identificari potest cum aliquo, quod existat, vel ab eo pendere. Dices, adesse simul. Verùm existere corruptionis est primum non esse formæ, quare idem argumentum redit, quòd actio positiua identificaretur cum re non existente.

Ad primum pro contraria sententia concedimus, per corruptionem subiectum mutari, negamus tamen ad id requiri actionem positiuam formaliter. Ad confirmationem negamus, id, quod corrumpitur, pati, si propriè loqui velimus, quia cum desinat esse, non est capax alicuius passionis, siue qualitatis.

Ad secundum respondetur, nihil ex se tendere positiuè ad sui corruptionem, tendere tamen multa negatiuè, id est non habere vim, qua possint se conseruare, & consequenter, nisi ab alio conseruentur, deficere; Aliqua etiam desinunt per formalem incompossibilitatem cum alio, quæ sine actione intercedit, quamuis à nobis non sine actione concipiatur. Obijcies, in quo consistit hæc formalis repugnantia? an quòd vna impediat sustentationem materiæ respectu alterius? atqui potest materia sustinere plures formas substantiales, vt animam, & formam carnis, vt vidimus, cur ergo non poterit plures accidentales eiusdem ordinis, vel plures substantiales minùs perfectas? Respondetur, hanc formalem incompossibilitatem difficilem esse explicatu, duo tamen exempla pro eius explicatione mihi videntur adduci posse. Alterum est de forma, & priuatione ei contraria, luce, exempli causa, & tenebris. Nam lux dicitur expellere tenebras non per aliquam actionem, sed per suam præsentiam formalem, atque ita calor videtur expellere frigus. Alterum exemplum esse potest de obiecto respectu potentiæ, nam quando obiectum est distans, immittit speciem, per quam vnitur potentiæ, quando verò est præsens, non est opus alia specie, sed seipso immediatè vnitur, & perficit potentiam, eodem igitur modo, quando cõtraria inter se distant, per actionẽ inuicem pugnant, at quando sunt simul in eadem materia, non est opus aliqua actione, sed potentius seipso destruit, & corrumpit alterum, & hac ratione dicuntur habere incõpossibilitatem formalem, & hoc potissimum intelligitur de accidentibus contrarijs, nam in formis substantialibus alia forsitan est ratio, potest enim earũ corruptio non tam formis contrarijs tribui, quã accidẽtibus contrarijs, quę dum corrumpũt ca-

earum dispositiones necessarias, efficiunt subinde, vt in materia conseruari non possint.

Ad tertium patet ex dictis ad secundum, quia nō est opus aliqua actione, cum ipsæ formæ sint præsentes in eodem subiecto. Si dicas, et ā agens, & patiēs sunt simul, & tamen inuicem agunt. Respondetur, agens esse simul cum patiente, idest ab eo non distare, non verò esse cum eo in eodem subiecto, sicuti se habent cōtraria, de quibus nos loquimur.

Ad quartum patet etiam ex dictis. Desinit enim esse aliqua forma, non tantùm per subtractionem influxus, & actionem contrarij, sed etiam per præsentiam contrarij, cum quo formalem habet repugnātiam.

Ad quintum respondetur, corruptionem identificari potius cum nō ente, quàm cū forma corrupta, quia non ens est eius terminus ad quem, connotat tamen etiam ipsam formā, sed hoc non sufficit, vt dicatur quid positiuum, sicut generatio connotat non ens, tamquam terminum à quo, neque tamen ipsa est non ens.

Ad sextum respondetur, ad hoc vt agens principale dicatur agere per formam introductam, non opus esse, vt ipsa etiam forma agat, sed sufficit, vt formaliter contrarium destruat.

Ad vltimum neganda est paritas, Corpus enim non solùm expellitur ab eo loco, sed etiam in alium impellitur, cum igitur adsit acquisitio alterius loci, non mirum, si intercedat actio. Adde, quòd corpus expulsum non est in eodem loco cum expellente, & idcirco non potest expelli formaliter, sed opus est impulsu. Tertiè, corpus expulsum non desinit esse, ac proinde potest esse capax actionis; at verò forma, quæ corrumpitur, & desinit esse, & nihil acquirit, à forma existente in eodem subiecto expellitur, quamuis ambæ numquam sint simul, quia recessus vnius est accessus alterius.

Quoad secundum sensum, an videlicet semper corruptio consequatur aliquam positiuam actionem. Dicendum est, si loquamur de vera corruptione, quæ est substantialis, numquam esse sine actione contrarij per quam dispositiones contrariæ in materiam introducuntur: Si verò loquamur de corruptione minùs propriè, quæ etiam accidentibus cōtrario carentibus conueniat, Dicendū est, sine actione contingere, sed per defectum actionis; ita enim lumen cessat in aere, quia non amplius sol illuminat. Verum est tamen, vt etiā notat Suarez, qđ hęc desitio actionis ex aliqua etiam actione, vel saltem motu præcedente sequitur, sol enim non desinit illuminare aliquā partem aeris, nisi locum mutet, vel per aliquod interiectum corpus impediatur.

An Corruptio per se intendatur, & sit naturalis.

QVÆSTIO XXII.

Facilis est responsio ex supradictis. Nam cum corruptio fieri non possit per actionem positiuam, sed solùm sequatur ex actione positiua qua producitur aliquid aliud, patet, non intendi per se à natura, cū enim actio non per se tendat ad corruptionem, neque eam dici potest intendere ipsum agens.

Obijci tamen potest, quia potest homo iugulare alium, intendens io vera eius corruptionem. Respondetur, posse quidem hoc effici ab agente volūtario, hoc tamen esse præter intentionem naturæ, de qua nos

hic

hic loquimur, nã & illa ipsius actio per se tendit ad aliquod ens, non verò ad corruptionem. Vrgebis, quia dum corrumpitur homo, nulla forma de nouo gignitur, ergo eius corruptio per se intenditur. Respondetur, quamuis immediatè non sequatur in ea materia noua forma, sequitur tamen postea. Adde, quòd saltem erit à natura intenta productio illius accidentis, ad cuius introductionem moritur homo. Instabis. Natura operatur omnia prudenter, ergo non potest hominem corrumpere, vt formam longè inferioris ordinis, & perfectionis producat, alioquin piscaretur hamo aureo, vt de eo dicebat Augustus, qui minimi lucelli spe, maximi boni iacturã patiebatur. Respondetur, posse nos in hoc considerare vel bonum vniuersi, vel bonum alicuius peculiaris naturæ, si bonum vniuersi consideremus, quamuis non sit melius illud accidens, vel illa forma, quæ ad hominis corruptionem cõsequitur, quàm ipse homo, tamen melius est, hanc rerum vicissitudinem dari, vt aliqua corrumpantur, & alia generentur, quamuis nõ semper generetur perfectius, quàm, vt nihil vel generetur, vel corrumpatur. Adde, quòd cum natura non possit hominem à corruptione præseruare, illud eligit, quod minùs malum est. Si verò spectemus bonum particulare, sic melius est illi rei, quæ producitur, & suę speciei, vt ipsa producatur, quàm vt homo conseruetur, quare nil mirum, si eius corruptionem, quantum est ex se, ad sui conseruationem ordinet.

Obijcies adhuc. Illud est prius in intentione, quod est posterius in executione, sed in executione posterior est corruptio generatione, cùm ingressum enim vnius formæ altera corrumpitur, nam idcirco dicitur vnum contrarium ab alio expelli, ergo corruptio prior est in intentione, & per se intenditur. Respondetur, maiorem intelligendam esse de ijs, quæ per se fiunt, non verò de ijs, quæ per quamdam necessariam connexionẽ resultant. Nam priùs natura producitur forma, quà n passiones ab ipsa resultantes, neque tamen hæ sunt priùs intentæ quia consequuntur. Minor autem, quamuis, si loquamur de corruptione accidentium oppositorum, vera sit, quia cum frigus expellatur formaliter à calore, oportet, priùs natura introduci calorem, quã expelli frigus, cum causa sit prior suo effectu; tamen si loquamur de formæ substãtialis corruptione priorem natura generatione ipsam existimo, quia forma substantialis non expellitur ob aduentum alterius formæ substantialis, sed ad corruptionẽ suorum accidentium corrumpitur, & est veluti præuia dispositio ad generationem, est ergo prior natura, quamuis tempore fiat simul. Dices, priùs natura introducuntur octo gradus caloris quàm expellatur primus frigoris, ergo etiam priùs natura producitur forma ignis, quæ consequitur octo gradus caloris quàm expellatur forma aquę, quod fit ad expulsionem frigoris. Respondetur, etiam concesso antecedenti, negari posse consequentiam, quoniam licet in prioritate temporis valeat hæc cõsequutio, post A. sequitur B. ergo B. est prius C. nõ itẽ valet in prioritate naturæ, quia hęc potest esse inter ea, quæ sunt simul tempore, & secundum diuersos respectus priora possunt dici, & posteriora. Quamuis ergo demus, ignem gigni ad introductionem octaui gradus, & aquam corrumpi ad expulsionem primi, & illum priùs produci, quàm hunc corrumpi, non hinc sequitur, priùs ignẽ quoque gigni, quàm aquæ formam

cor-

corrumpi, quia illius introductio non est causa huius corruptionis, & ex causalitate desumitur prioritas naturæ. Adde, sæpe expelli formam, quamuis nondum sit introducta perfecta dispositio formæ sequentis, illius saltem, quam intendebat producere agens, quare etiam oportet, illam resultare, ne materia sine forma remaneat. Denique, quod diximus de prioritate corruptionis, non ita infallibiliter est intelligendum, quasi aliquando etiam nō possit accidere contrarium, quia videlicet ad formam sequentem priùs est disposita materia, quàm reddita sit inepta ad formam præsentem; vt accidit in combustione ligni.

Quoad alteram quæstiunculam, an corruptio sit dicenda naturalis, respondendum est iuxta varias acceptiones huius vocis naturalis, dici posse corruptionem, & naturalem; & non naturalem. Est enim naturalis, vt contradistinguitur à supernaturali, & artificiali; est verò violenta, & non naturalis, quatenus est contra propensionem cuiusque formæ, quæ corrumpitur, vt luculenter explicant Doctores Connimbricenses in hoc primo, c. 4. quęst. 16. art. 3. & Flam. Nobilius 1. de generat. cap. 1. q. 2. qui videri poterunt.

An instans, in quo generatio, & corruptio fieri dicuntur, & alia huiuscemodi indiuisibilia, sint entia realia, & positiua.

QVÆSTIO XXIII.

VVlgatissimum est, mutationem substantialem fieri in instanti, quid autem sit huiusmodi instans, sicut & puncta, & cætera impartibilia, difficillimum est explicare, cū; sæpissime in his libris sint vsurpanda, nec sine ipsis intelligi possint modi incipiendi, & desinēdi rerum, qui dicuntur, vel per suum esse, vel per suum non esse, & ad huiusmodi libros propriè spectent, necessarium mihi visum est, diligēter, antequam, vlterius progrediamur, eorum inuestigare naturam, præcipuè cum nos à communi sententia, saltem recentiorum dissentiamus, à qua tamen, numquam, nisi rationum vi coacti, discedimus.

Indiuisibilia esse entia realia, quibus rationibus adducantur multi vt credant.

SECTIO I.

AB experimentis argumentantur in primis huius sententiæ sectatores, qui nec pauci, nec contemnendi sunt, vt enim S. Thomam opusc. 36. cap. 2. Scotū in 2. d. 1. q. 3. & alios antiquiores, qui pro ea citantur, omittam; qui fortassis explicari pro contraria possent, sequuntur eā ex recentioribus Capreol. in 2. d. 2. q. 1. 2. 3. Hisp. q. 21 art. 4. Soncinas 5. metaph. q. 20. Burl. 1. phys. ad text 65. Iul. Scaliger exercit. 65. Iand. 6. phys. q. 3. Zimara 3. de anima, t. 25. Suarez. disp. 40. sect. 5. Rubius 6. phys. tract. de compositione continui; qui etiam inquit, inter modernos esse communem, Fons. 5. metaph. cap. 16. q. 6. sect. 5. Sotus in præd. quant. & Connimb. lib. 6. cap. 2. q. 1.

Primum igitur argumentum ab experimentis est. Corpus perfectè sphæricum tangit planum in pūcto; ergo punctum est aliquid reale positiuum. Antecedens est Arist. 1. de anima. c. 1. & demonstratur ab Eucl. lib.

lib. 3. prop. 6. Ratio autem est clara, quoniam corpora, quę se tangũt, adæquantur in eo, in quo se tangunt si ergo globus secundum aliquam sui partem diuisibilem tangeret planum, oporteret habere totam illam partem planã; quod repugnat perfectè sphærico. In eo enim omnes lineæ directæ à centro ad circumferentiam sunt æquales, at si daretur aliqua pars plana circumferentiæ, extrema illius magis distarẽt à centro, quàm media. Consequentia probatur, quia tactus ille est positiuus, & est in puncto, ergo punctum est aliquid positiuum. Et idem argumentum etiam fieri potest de cylindro, qui eadem ratione nõ potest tangere planum, nisi in linea.

Secundò argumentantur ex contactu duorum corporum. Nam horum contactus est positiuus, vt patet, atqui non se tangunt ista duo corpora secundum profunditatẽ, ergo secundum superficiem tantùm, ergo datur superficies, & simile argumentum deduci potest ex lumine, quod in superficie tantùm corporis opaci recipitur, & ex visione, quæ ad superficiem tantùm terminatur.

Tertium argumentum. Non potest dari in continuo vltima pars, & tamen oportet, ipsum esse terminatum; ergo debet terminari ab indiuisibilibus. Probatur antecedens supposita sententia verissima, quòd quãtum est diuisibile in infinitum, vel illa vltima pars erit diuisibilis, vel indiuisibilis, si secundum, habemus intentum, quòd dantur indiuisibilia, si primum, ergo illa assignata non fuit vltima pars saltem secundum se totam, nam cum possit diuidi in duas partes, altera tantùm earum potest esse vltima. Sed iterum de ea quæram, an sit diuisibilis, vel indiuisibilis, & sic in infinitum, oportet igitur, ne detur progressus in infinitum, deuenire ad terminum continui indiuisibilem, & hoc ego existimo potissimum fuisse fundamentum huius sententiæ, nam adeo auersati sunt Philosophi vltimam, vel primam partem continui (eadem enim est ratio de prima, ac de vltima) vt dixerint, motum non incipere per aliquam suam partem, neque per primum sui esse, sed per vltimum sui non esse, neque desinere per vltimum sui esse, aut per vltimam partem; sed per primum sui non esse, idest non posse assignari primam, & vltimam partem, sed tantùm ab extrinseco id, quod vltimo præcedit motum, & quod primò consequitur; & idem dixerunt de tempore, magnitudine, & cæteris continuis.

Quartum argumentum desumitur ex vnione partium continui, vt enim omittam, quod Aristoteles asserit 5. phys. cap. 3. illud esse continuum, cuius partes copulantur termino communi, per quem terminum communem, dubium non est, intelligere punctum. Probatur etiam ratione necessitas huius puncti continuatiui, quia non possunt duæ res immediatè, & per se inter se vniri, nisi sint intimè præsentes, & quasi penetratæ in eodem spacio; at partes continui secundum omne, quod est diuisibile in ipsis, extra se manent, & in diuersis partibus spatij, ergo oportet, vt vniantur interuentu alicuius rei indiuisibilis, quæ propter suam inextensionem tota possit intimè coniungi vtrique parti, & ita illas vnire.

Quintum argumentũ desumitur ex actione vniformiter difformi. Agentia enim naturalia, cum eorum virtus per distantiam passi remittatur, non possunt in omnes partes

subiecti æquè agere, vt patet in Sole, vel alijs luminosis, quæ partes sibi propinquas magis illuminãt. Hoc posito sic argumentor: Lumen in gradu determinato, exempli causa quatuor graduum, est in aere, vel igitur in aliqua parte diuisibili, vel in indiuisibili, si in indiuisibili, habemus intentum, si in diuisibili, contra, vel erit in omnibus partibus eius, vel in vna tantùm, si in omnibus, ergo lumen non est vniformiter difforme, quia plures partes aeris sunt çquè illuminatæ, si in vna tantum, quæro, an illa habeat partes etiam, vt supra, & sic in infinitum. Si dicant, non posse assignari lumen determinatum in toto aere. Contra, q̃a si ponamus, aerẽ esse determinatum, saltem in vltima superficie erit lumen determinatũ, cũ etiã subiectũ sit determinatum, & distantia quoque, sed si de nouo adueniat alius aer, cum quo præcedens continuetur, non mutabitur lumen in eo aere, ergo erit determinatum, vt priùs.

Sextũ ex mutatione instantanea, quam omnes Philosophi admittunt, & probatur, quoniam substantialis forma est indiuisibilis, ergo indiuisibiliter acquirit, ergo datur instans, quod est mensura huius mutationis.

Septimum in tempore videtur necessariò concedendum esse instans præsens distinctum à præterito, & futuro, alioquin enim vel dicendum erit, tempus numquam esse præsens, vel per aliquid diuisibile, neutrum autem dici potest, non primum, quia est contra experientiam, non secundum, quia tempori non conuenit alia diuisibilitas, quàm in prçteritum, & futurum. Præterea quod est præsens, nondum præterijt, si igitur præsens habet plures partes, erunt plures partes simul, quod de ente successiuo dici non potest.

Octauũ, saltem per diuinam potentiam non videtur negandum, dari posse huiusmodi indiuisibilia, cũ ab ipsa creati sint Angeli, & animæ indiuisibiles, & redigi possit in punctum materia priùs extensa.

Nonum, contigua sunt, quorum extrema sunt simul, hoc est in eodẽ situ, at hoc non potest verificari de partibus quãtitatis diuisibilibus, ergo de indiuisibilibus debet hoc intelligi.

Decimum, afferunt plura Aristotelis loca, & Mathematicorum authoritates, de quibus inferius agemus.

Aliorum sententiæ, vel omnia, vel aliqua tantùm indiuisibilia negantium afferuntur.

SECTIO II.

Secunda Sententia ex diametro cum præcedenti pugnans fuit Ochami in tract. de Euchar. cap. 1. & 2. & quolib. 1. q. 9. Durandi in 2. d. 2. q. 4. & Greg. Arimin. in 2. d. 2. q. 2. art. 1. qui negant, huiusmodi indiuisibilia esse aliqua entia positiua, sed tantùm volunt, esse meras negationes vlterioris extensionis, quorum fundamenta sectione 3. afferemus.

Tertia opinio est aliorum inter præcedentes media, qui affirmant, dari indiuisibilia terminantia quantitatem, non verò continuantia partes ipsius, mouentur, quia priora sufficere videntur ad saluanda omnia, quæ de indiuisibilibus ab Aristot. & alijs afferuntur, & ad experimenta, quæ supra pro ijsdem sunt allata. Posteriora verò innumeras difficultates, & maximas inuoluunt, eas prçsertim, quæ infinitatem concernunt,

si enim dantur indiuisibilia in media quantitate, infinita eorum multitudo vitari non potest, cum partes continui, inter quas mediant indiuisibilia, sint infinitæ.

Quarta opinio est Fonsecæ 5. metaph. cap. 13 q. 6. quam etiam probabilem iudicant Connimbricenses, superficiem solam ex indiuisibilibus esse verum ens reale, & positiuũ, lineam verò, & puncta non dari nec actu, nec potestate physica, non quidem actu, quoniam in media quantitate non dari actu indiuisibilia existimāt, in terminis verò, cum quodlibet corpus superficie terminetur, nulla linea, vel puncto est opus, neque etiam potentia, quia illa indiuisibilia dicuntur esse in potentia, quę per diuisionem reducũtur ad actum, vt possint terminare quātitatem, atqui hi authores nō censent, dari indiuisibilia terminantia præter superficiem, ergo numquam cætera reduduci possunt ad actum. Fundamentum huius sentētiæ est, quoniam nō datur à parte rei vlla linea terminatiua, quia illa, quę est in angulis, quāuis terminatiua videatur, tamen re vera est continua, quia continuat superficiem vnius lateris cum superficie alterius, vt patet si aliquo artificio ambæ simul separentur. Quoniam tamen concedunt hi authores, posse per diuinam potentiam separari superficiem à quantitate, & lineam à superficie, in eo casu admittunt etiam, posse dari lineas, & puncta actu, quare erunt linea, & puncta in potentia logica, siue obedientiali in continuo, non verò in potentia naturali.

Quinta opinio refertur à Suarez nu. 21. admittens omnia indiuisibilia in superficie corporis, nulla autē in medijs corporibus. Differt hæc opinio à tertia, quia illa admittebat tantùm indiuisibilia terminantia, quare in media superficie nulla ponebat indiuisibilia, sed tantùm in terminis superficiei, hæc autem admittit etiam in media superficie, sed nō in medio corpore; fundamētũ huius sententiæ potest esse, quoniam argumentũ illud de pfecto sphærico planũ in pũcto tangēte, videtur conuincere, in illa superficie adesse puncta, quòd verò sint in profunditate, non videtur adeo efficaciter demōstrari.

Sexta opinio est Antonij Ruuij, qui admittit quidem puncta, & reliqua induiuisibilia realia, tamen inquit, non esse entitates realiter distinctas à quantitate, sed tantùm modos quosdam ipsius. Motus est ad hanc opinionem excogitandam, vt euitaret argumēta, quę fiunt ex eo, quòd posset Deus separare huiusmodi indiuisibilia à quantitate, si entitates reales essent, cum autem dicantur modi tantùm, non poterunt ita separari à quantitate, vt per se existant.

Suarez tamen multo magis consequenter loquitur, qui num. 36. inquit, supposita sententia, quam ipsi sequuntur, euidens esse, punctum realiter distingui à quantitate. Nam vt cætera omittam, punctum continuans partes non potest esse idem realiter cum ambabus, cum ipsæ inter se realiter differant, neque etiam potest esse idem realiter cum altera parte tantùm, cum non sit maior ratio de vna, quàm de altera.

Est etiā aliud discrimen inter admittentes huiusmodi indiuisibilia circa subiectum ipsorum, communis enim sententia, vt refert Suarez num. 50. existimat, punctum esse proximè in partibus lineæ, lineam in partibus superficiei, superficiem verò in partibus corporis. Ipse verò Suarez magis consentaneè ad sua principia admittit indiuisibilia sub-

ſtantialia, quibus hæc quantitatiua inhæreant, inextricabilibus tamen premitur & ipſe difficultatibus, vt videbimus.

Non dari indiuiſibilia terminantia, ſed continuum per ſuas partes, primam, & vltimam ſufficienter terminari.

SECTIO III.

QVamuis, vt verè dicit Suarez num. 28. inter prædictas ſententias mediæ, quę partim admittunt, & partim negant huiuſmodi indiuiſibilia, videantur minùs probabiles, quia non poſſunt, qui eas ſectantur, ſatis cõſtãter loqui, nos tamen prius terminãtia tantùm impugnabimus, non quia continuãtia admittimus, sed vt commoditati legentium conſulamus, (nimis enim prolixa futura eſſet hæc ſectio, ſi argumenta contra omnia indiuiſibilia in ea collocaremus.) Ex duplici autem fonte argumentationes hauriemus. Alter erit commune illud effatum; Non eſſe multiplicanda entia ſine neceſſitate: Alter; Non eſſe admittendum id, ex quo plurima, & maxima incõmoda ſequuntur.

Quoad primum prænotandũ eſt, Philoſophos hæc indiuiſibilia excogitaſſe, ne admitterent primam, & vltimam partem in continuo; quod maximum inconueniẽs illis videbatur, cum quantitas ſit diuiſibilis in infinitum, vt ſupra etiam notauimus, ſi igitur oſtẽderimus, per hæc indiuiſibilia non tolli primam, & vltimam partem quantitatis, actum erit de ipſis, quia patebit, nulla neceſſitate nos cogi ad ea admittenda, vt ergo hoc oſtendam, argumentor.

Primò ſuperficies (& quod de ipſa dicimus, de omnibus indiuiſibilibus proportionaliter eſt intelligẽdũ) eſt vnita corpori, quod terminat, & nõ pluribus partibus eius, quia penetraret ipſum, ergo vni tantùm, non autem mediæ, quia ſequeretur idem inconueniens, ergo vltimæ, ergo datur vltima pars in continuo. Reſpondet Suarez num. 67. Non poſſe in corpore aſſignari partem adæquatam, cui ſuperficies vniatur, quamuis vniat. entitati corporis. Verùm nõ loquor ego de parte adæquata, ſed de parte tantũ n. non poteſt autem negari, quod ſuperficies alicui parti vniatur, non .n. vnitur toti, neque verò pluribus partibus, ergo vni, ergo hæc erit vltima. Præterea hæc reſponſio tollit omnem neceſſitatem ponendi indiuiſibilia, quod .n. ipſi dicunt de corpore reſpectu ſuperficiei, dicam ego de eodẽ reſpectu alterius corporis, vel accidentis, itaque nulla erit neceſſitas ponendi ſuperficiem. Tertiò, probat ipſe, dari punctũ, quia ſphæricum tangit planum in puncto, & quoniam ſimili reſponſione vtebantur aduerſarij, eos, ipſe impugnat, quia Deus verè videt, in quo illa ſe tãgunt, & in quo non ſe tangunt, ergo ſe tangunt per aliquid determinatum, idem ergo argumentum retorquemus hic nos contra ipſum, quod fieri poſſe, cum non latuit, & idcirco poſt datam illam reſponſionẽ dixit, *fateor tamen, hoc argumentũ nõ parum eneruare rationem ſuperius factã de tactu globi in puncto, aut plani in ſuperficie.* Addit verò, quia ille contactus globi eſt inter res non vnitas, hic verò, quia intercedit intrinſeca vnio inter ſuperficiem, & corpus, melius in hoc intelligi poſſe, quòd ſuperficies vniatur entitati, & non parti determinatæ; re vera tamen hoc diſcrimen nullũ eſt, ex eo .n. quod ſuperficies eſt vnita corpori, nõ fit, vt poſſit pluribus partibus eſſe vnita. Neutra igi-

tur

tur responsio argumenta non dissoluit, quid autem sit dicendum de contactu sphærici, inferiùs patebit.

Secundò principaliter argumentor. Lumen, quod in superficie tantùm corporis recipi volunt, vel adhæret etiam, siue tangit aliquam partẽ corporis, vel nullam, si tãgit, cum nõ penetret corpus opacũ, oportet, vt tangat vltimam tantùm, datur ergo vltima pars corporis, si non tangit, ergo superficies mediat inter lumen, & vltimam partem corporis, quod si concedatur, tota ipsorũ sententia de natura indiuisibilium ruit. Nam quod mediat inter duo, debet secundum vnam partem vni extremo adhærere, & secundum alterã alteri extremo, contrariũ enim neque mente cõcipi potest, habebit igitur partem, & partem, si igitur superficies mediat, ergo habebit partes, ergo erit diuisibilis. Cõfirmatur, quia si superficies secundum se totam tangit vtrumque extremũ, ergo & extrema mutuò se tangunt. Probatur consequẽtia, quia quę sunt eadẽ vni tertio, sunt eadem etiam inter se, & quæ sunt in eodem loco cum aliquo tertio, sunt in eodẽ loco etiã quoad se, ergo quę tangunt superficiem secundũ idem omnino, & sunt simul cum ea, non poterunt inter se loco distare, nec non se tangere. Si autem lumen tangit vltimam partem corporis, ad nihil superficies deseruit. Præterea vel ita mediat superficies inter extrema, scilicet lumen, & corpus, vt faciat ea distare magis, quàm distarent, si ipsa non adesset, vel vt non magis, si primum, ergo superficies occupat locum intermedium, & si adessent quatuor superficies, maiorem locum occuparent, quæ omnia sunt contra ipsorũ principia, si secundũ, ergo ad nihil deseruit supficies.

Tertiò principaliter. Vel corpus cũ superficie vlteriùs protenditur, quã sine superficie, vel non, si primum, ergo corpus cũ superficie est maius, quàm sine superficie, si maius, ergo superficies, per quam est maius, est magnitudo, & quantitas, & falsum eorum principium, qđ quantitas nõ cõponatur ex indiuisibilibus, & qđ indiuisibile additum indiuisibili nõ facit ipsum maius, si enim indiuisibile nõ potest reddere maius aliud indiuisibile, cur poterit diuisibile? Si dicant, corpus non vlteriùs protendi cum superficie, quàm sine ipsa, ergo vbi est superficies, ibi etiam est corpus, non verò secundum plures partes, ergo secũdum vnam, & hanc vltimam. Præterea tollitur omnis necessitas superficiei, cum ibidem sit corpus, vbi est superficies.

Quartò, tẽpus propriè nõ incipit per instans, est .n. de ratione temporis, vt sit successiuũ, instans verò excludit omnem successionem, incipit ergo immediatè post, vel ergo incipiunt plures partes simul, vel vnica tantũ, non primũ, quia est contra rationem entis successiui, habere plures partes simul, ergo vnica tantùm, hæc ergo erit prima.

Quintò, auferat Deus superficiẽ à corpore, vel erit terminatũ, vel nõ, si primum, ergo per suã vltimã partẽ, si secundũ, ergo erit infinitũ. Ad hoc argumentũ quidã negãt, auferri posse superficiem à corpore, sed nõ cõsequẽter loquunt, cũ .n. sit ens reale realiter distinctũ, nihil potest phibere eius separationẽ, præcipuè cũ nõ loquamur hic de separatione, qua ipsa superficies conseruetur, sed quomodolibet, siue conseruetur, siue non.

Præterea etiam si non posset separari, fieri posset idẽ argumentũ de separatione p impossibile, vel p nostrã cõceptionẽ. Alij respõdent, posse quidẽ Deũ separare supficiẽ à corpore, sed

sed aliam statim emanaturam, neq; ipsum Deum impedire posse, quin resultet, verùm nec hi rectè philosophantur. Nam resultare nequit superficies, nisi Deus influxu suo ad eius ortum cõcurrat, si igitur suspẽdat influxum, non resultabit, quis autem audeat dicere, Deum nõ posse suspendere suum influxum? Dicent repugnare, quòd quantitatem conseruet, & impediat resultantiam superficiei, sed ipsi potius pugnantia dicunt, si enim Deus potest eam destruere, postquam semel extitit, cur non poterit etiam impedire eius resultantiam? Vel si non potest subtrahere influxum in eius productione, cur poterit in eius conseruatione? Par certè vtrobique est ratio. Præterea potest Deus cõseruare substantiam sine eius subsistentia, quæ ab ea ex natura tantùm rei distinguitur, cur ergo non poterit sine superficie quantitatem, à qua distinguitur realiter? Ad hæc, oporteret, quãtitatem pendere essentialiter à superficie, at si hoc verum esset, qualibet superficie mutata, essentialiter mutaretur etiam quantitas, quia mutatum esset aliquid de intrinseca ratione eius, immo non posset superficies destrui, quin & ipsa corrumperetur, sicuti non potest corrumpi forma, quin corrumpatur compositum, nec destrui terminus relationis, quin & ipsa relatio desinat esse. Amplius non potest explicari, in quo posita sit hæc dependentia essentialis, non .n. spectat ad genus causæ efficientis, quia posset suppleri à Deo, non finalis, quia finis abstrahit ab existentia, non materialis, quia potius quantitas est materia, & subiectum superficiei, & hæc etiam potest suppleri à Deo, quia potest conseruare formã sine materia, non formalis, tum quia superficies verè non est forma, tum etiam quia sicut potest conseruari materia sine forma, ita posset quantitas sine superficie. Nec denique eo modo, quo vnum relatiuum pendet ab altero relatiuo, quia entitas vnius relatiui potest conseruari sine correlatiuo, quãuis non relatio, quæ nihil entitatis supra fundamentum addit, at ipsi nolũt, quantitatem cõseruari posse sine superficie. Deinde superficies est effectus, vt ipsi volũt, quantitatis, ab ea enim resultat; at causam pendere essentialiter a suo effectu, est in philosophia inauditũ, cum causa sit illa, à qua pendet effectus. Denique vna pars quantitatis non pendet ab altera, quomodo ergo pendebit à superficie, quæ minorem cum ea habet cognationem? Dicent fortè, ea ratione pẽdere quãtitatem à superficie, vel sine ea existere non posse, qua etiam esse nequit sine figura. Verùm & hæc responsio retorqueri potest contra ipsos. Primùm, quia falsum est, per diuinam potentiam quantitatem esse non posse sine figura, sicuti enim efficere potest, vt existat sine extensione, & indiuisibiliter, vt patet ex mysterio Eucharistiæ, ita etiam sine figura, quæ extensionem sequitur, præcipuè cum per aduersarios redigi etiam possit in punctum. Deinde non est par ratio. Nam figura est quidam modus quantitatis ab ea nõ realiter distinctus, quare nõ mirum, si quantitas non posset sine aliqua figura existere, at superficies dicitur esse distincta realiter; est igitur quãtitas distincta res ab ea, ergo etiam sine ea remanebit res, & cum nullũ influxum ab ea recipiat, nulla est etiam ratio, cur sine ea existere non possit. Dicent, repugnare, quantitatem existere, & non esse terminatam. Et verum dicent, si loquantur de termino, qui sit idem realiter cum ea, at

de

de realiter distincto, nulla apparet ratio. Nam neque Angeli hoc termino indigent, neque vlla res afferri potest, quæ simili termino indigeat, nisi id, de quo est quæstio, in mediũ afferatur. Melius igitur respondet Suarez ad primum num. 41. posse quidem à Deo separari, in eo tamen casu quantitatem illam fore finitam per negationem vlterioris extensionis, non tamen per intrinsecam, & positiuam terminationem, quam secundum connaturalem modum essendi requirit, sicut se haberet natura creata sine propria subsistẽtia, corpus igitur illud sine superficie non esset aptum ad physicum contactũ, neque ad figuram, & alia similia accidentia. Sed hæc etiam responsio multis patet argumentationum ictibus. Primò enim non video, cur dici non possit quantitas sine superficie terminata positiuè, quia re vera datur positiuum aliquod, vltra quod vlterius non protenditur, ergo est terminata positiuè, illud enim positiuum est terminus, dari autẽ huiusmodi positiuum patet, illud scilicet quantitatis, vltra quod non reperitur vlterior quantitas. Confirmatur, quia huiusmodi corpus sine superficie occuparet locum, & esset impenetrabile, hoc est enim proprium quantitatis, ergo resisteret alteri corpori, quod in eumdem locum ingrederetur, posset igitur in illo loco assignari terminus, vsque ad quem posset admitti aliud corpus, & ille terminus esset positiuus, quia resisteret alteri corpori aduenienti, & eadem ratione probatur, posse dari contactũ physicum inter huiusmodi corpora sine superficiebus, quia non se possent penetrare, neque aliquid posset impedire, quin summè propinqua essent, alioquin vnum non resisteret alteri, ergo mutuò se tangerent. Quòd etiam haberet figuram, probatur, quia posset habere latera omnia æqualia, & æqualem longitudinem, latitudinem & profunditatem, nam hæ non pendent ab indiuisibilibus, sed sunt proprietates quantitatis, ergo erit corpus perfectè cubum, & idem dici potest de accidentibus, nam calor non est tantùm in superficie, sed etiam in profunditate, ergo ablata superficie, remaneret, cur ergo etiam non poterit agere, & repati?

Præterea omne, quod habet terminum extrinsecum, debet etiam habere terminum intrinsecum, quia vnaquæque res intrinsecè est finita, & ad hoc ponitur terminus extrinsecus, vt res fiat terminata intrinsecè, sicut vas est terminus extrinsecus aquæ, quæ tamen terminatur intrinsecè per illam entitatem suam, quæ tangit vas ipsum. Atqui superficies est tantùm terminus extrinsecus, quia non est pars quantitatis, ergo præter eam dari etiam debet terminus intrinsecus.

Instantia verò de subsistentia creata, quæ dicitur esse terminus substantiarum, non est similis. Nam subsistentia est modus tantùm distinctus ex natura rei, superficies autem est ens realiter distinctum. Præterea subsistentia non datur ad terminandum simpliciter, sed ad perficiendũ, & facit substantiam per se subsistentem, at superficies non tribuit aliquã perfectionem quãtitati, sed tantùm ad terminandum ei additur.

Sextò, vt ad secundũ caput transeamus. Implicat, alicui rei addi aliquid eiusdem generis, & non fieri maius in eo genere, sed positis indiuisibilibus hoc sequitur, igitur. Maior est euidens, probatur minor pri-

primò in quantitate. Nam superficies, siue punctus est in genere quãtitatis, non enim est quid spirituale, & tamen additum quantitati non efficit ipsam maiorem, vt aduersarij fatentur. Si dicant, non esse prorsus eiusdem generis, addatur punctum puncto, idem esset, ac si nõ esset additum, ergo aliquid est additum, & non est additum aliquid, quod est contradictio.

Clarius etiam vrget hoc argumẽtum ponentes indiuisibilia in materia, & in accidentibus, quia punctus materiæ erit verè materia, & punctus accidentalis verum accidens, de horum enim essentia non est extensio, quomodo igitur credibile est, qd materia addita materiæ, non efficiat illam maiorẽ? Si dicant, effici maiorem in ratione materiæ, non autem in ratione extensionis. Contra, quia poterit Deus ponere duo puncta materiæ, vnum extra aliud, & immediatè. Item posset componi magna materia ex solis punctis; quæ licet non sit extensa, erit tamen densior, quàm alia, quæ vnico puncto constat, quia habet plus entitatis materialis, nec occupat maiorem locum, poterit ergo etiam rarefieri, & ita conficietur materia ex solis punctis extensior, quàm alia ex vno puncto. Ad hæc punctum additum puncto etiã quantatiuo efficeret illud maius quoad entitatem; quæ omnia multa inuoluunt inconmoda.

Septimò, generatio, & corruptio horum indiuisibilium totam philosophiam euertit. Dicunt enim, qd si continuum diuidatur, duo indiuisibilia statim generantur, quibus terminentur partes diuisæ, illud verò indiuisibile, quod partes illas cõnectebat, corrumpitur. Si verò iterum partes vniantur, dicunt, corrumpi illa duo indiuisibilia terminantia, & vnum nouum continuans fieri. At quodnam, quæso, erit agens huiusmodi indiuisibilia producens, & corrumpens? an illud, quod diuidit, & vnit? sed poterit esse Angelus, qui cum quantitate careat, non potest habere virtutem producendi aliquid quantitatiuum. Erit ne quãtitas ipsa? atqui inauditum est, quãtitatem posse producere ens à se distinctum realiter. Si potest autem, cur etiam non producit, quando est coniuncta? & qua ratione productũ ens denuò destruere potest? an quia non possit conseruari inter duas quãtitates? tunc ergo non darentur indiuisibilia in media quantitate. Item educet ne à materia, vel creabit? si educet, vel à materia, in qua est, & hoc non, quia hæc est diuisibilis, vel ab ea, in qua non est, neque hoc, quoniam quantitas non habet effectum extra subiectum, in quo est.

Sed maior etiam est difficultas in punctis substantialibus, nam hæc non poterunt fieri ex subiecto, ergo ex nihilo, ergo creabuntur. Torquet valde Suarez hæc difficultas, & tandem respondet, hæc puncta emanare à materia, nec propriè creari, quia fiunt dependenter à materia. Sed contra, hæc dependentia non est tamquam à subiecto, ergo non tollit creationem, quia si Deus medio instrumento crearet aliquid, illud dependeret ab instrumento, & tamen crearetur. Concedit igitur materiæ, quæ est infimum ens, & minimè actiuum, id, quod Philosophi Deo ipsi concedere renuebant. Præterea respondet Suarez, fieri à Deo per quãdam concreationem, sed non est philosophicum, in rebus naturalibus iã facilè recurrere ad Deum, neque est probabile, quia quod Deus creat, numquam destruitur, hæc autem puncta facillimè destruuntur.

Octa-

Positis his indiuisibilibus sequeretur, entia successiua incipere per vltimum sui non esse, definere verò per primum sui non esse, cum permanentia è contra incipiant per primum sui esse, & definant per vltimum sui esse. Quis autem in illis modis incipiendi rerum successiuarum, non videat manifestam contradictionem? quomodo enim potest aliquid incipere esse per non esse? Si dicant, vltimum non esse non designare quidem principium rei intrinsecum, sed extrinsecum, idest, illud, per quod immediatè res verè incipit. Vrgeo, ergo re vera res non incipit per vltimum sui nō esse, sed per illud esse, quod immediatè sequitur illud vltimum non esse. Præterea neque sibi constant, quia indiuisibile non potest esse ratio, cur aliquid sit prius, & posterius, alioquin .n. cōueniret ratio mensuræ, ergo dici nō potest, qđ aliquid in hoc instāti non sit, & immediatè post existat.

Omitto plurimas difficultates, quę ex his modis incipiendi, & definendi in varijs rebus occurrunt, & sunt planè indissolubiles, sicuti in philosophia cum forma substantialis definit simul cum accidentibus, vel altera forma substantiali adueniente altera discedit, vel enim duo instantia oportet concedere immediata, vel duas cōtrarias formas esse simul in eadem materia, vel alteram illarum incipere, aut definere successiuè, quas difficultates attingens Pererius lib. 14. cap. vlt. & earum perplexitate victus inexplicatas relinquit *ne nimis*, inquit ipse, *diligenter, & subtiliter in huiusmodi res videar inquirere*. In Theologia verò adest similis difficultas circa tempus, in quo sacramenta producunt gratiā, nam vel producunt dum sunt, & fiet successiuè, loquimur .n. de illis, quæ in actione consistunt, vel postquam desierunt, & non possunt habere virtutē producēdi, quā proponēs Suarez tom. 3. in 3. p. d. 8. sect. 2. subobscurè fatetur, physicè enodabilē nō esse.

Nonò sequeretur, nō posse à Deo vnum Angelum creari immediatè post alterum. Probatur consequentia, quoniam Angelus creatur in instanti, at duo instantia non possunt esse immediata iuxta ipsorum principia, ergo neq; duę creationes Angelorum. Esse autem inconueniens, probatur, quia potest Deus ex ipsorum sententia immediatè post creationem Angeli creare accidens successiuum, quia creabitur in tempore, quis igit̃ nō videat, quā improbabiliter negetur, posse creari Angelū?

Indiuisibilia continuantia non solùm frustra, sed etiam incongruè in quantitate admitti.

SECTIO IIII.

Ratio præcipua huiusmodi indiuisibilia ponendi est, vt partes quantitatis vniant, atqui commodiùs ipsæ per se vniuntur, ergo. Probatur minor. Quælibet pars potest vniri cum puncto per se, cur ergo nō poterit vniri cum altera parte? Respondet Suarez nūm 42. quia non possunt per aliquā diuisibilem partem, siue determinatam, siue indeterminatam simul esse in eodem spacio, secus verò est de termino indiuisibili, nam illi possunt per se immediatè copulari, & mediāte illo ē inter se. Atqui subijciam ego, vel cōexistentia in eodē spacio requiritur ad vnionē, vel nō, si requiritur, ergo neq; poterit quantitas copulari cum pūcto, cū quo cū sit incommensurabilis, nō potest esse in eodem spacio,

 vel

vel si esset, cum quælibet pars esset in eodem loco cum puncto, etiam vnaquæque esset in loco alterius, & sic rediret idem absurdum. Præterea falsum est, requiri, vt partes sint simul, sufficit enim, vt se contingant, & sint indistantes, vt experimento constat.

Secundò, vt punctum vniatur lineæ, necesse est, intercedat aliqua vnio inter punctum, & lineam, vt fatetur etiam Suarez nu. 46. vel ergo duplici vnione erit punctum vnitũ cum ambabus partibus lineæ, vel vnica tantùm, si vnica, contra, quia vnica vnio non potest respicere duos terminos, & prterea sequeretur, nõ posse ab vna parte separari, quin etiam separaretur ab altera, in quo tamen nulla videtur repugnantia. Si per duas vniones, ergo partes non sunt proximè vnitæ inter se, sed pũcto. Præterea non potest concipi, quomodo duobus modis vnionis possit punctũ indiuisibile affici; immo mille modis, omnes enim lineæ, quæ ad centrum à circumferẽtia ducuntur, in ipso centro vniuntur. Videmus autem, non posse corpus secundum eamdem partem duo corpora contingere, quomodo punctus, si non sit diuisibilis, poterit infinitas lineas ex diuersis partibus prouenientes sibi copulare? Sicuti ergo S. Augustinus lib. 2. de lib. arb. cap. 8. probat, omne corpus esse diuisibile, quia inquit, *quantulumcunque illud corpusculum sit, habet certè aliam partem dexteram, aliam sinistram, aliam superiorem, aliam inferiorem, &c.* ita nos etiam argumentari possumus de puncto, secundum dexteram partẽ vnitur huic lineæ, secundum sinistram huic alteri, ergo est diuisibile, lineæ enim venienti ex parte sinistra non potest obijci punctus, nisi vt respicit eam partem, & venienti ex parte dextera, vt illam alteram respicit. Confirmatur, quia non potest eadẽ res diuersimode se eodem tempore habere, quomodo ergo punctus poterit tot diuersis modis simul existere? Adde, quòd si habet plures vniones, quatenus est vnitus cum vna parte, non est vnitus cum altera, quatenus verò est vnitus, debet differre à se ipso, quatenus non vnitus, quomodo autem potest hæc diuersitas concipi in simplicissimo puncto, quod omni parte, & omni accidente caret?

Tertiò sequeretur, dari infinitum in actu, maxima autem pars horum Doctorum, cõtra quos disputamus, huiusmodi infinitum non admittit. Probatur consequentia, quoniam quantitas potest diuidi in infinitum, ergo habet infinitas partes saltem in potentia, vt aliàs explicabimus, at quælibet pars vnitur per puncta, cũ alijs, ergo puncta sunt infinita. Ob hoc argumentum quidam dicunt, etiam puncta esse tantùm in potentia in continuo. Verùm ista responsione tollitur penitus omne fundamentum sententiæ, quam impugnamus, quia idem est dicere, esse in potentia, ac non esse, si autem non dantur continuantia puncta, neque dari debent terminantia, vt rectè probat Suarez, & argumenta pro illorũ sententia demonstrant. Nam sphæricum tangit planum in puncto, quod est in medio continui, &c.

Suarez igitur num. 43. concedit, esse in continuo, & in qualibet parte eius infinitam punctorum multitudinem, subdit tamen, hoc non esse inconueniens, quia tota illa infinitas est tantùm secundum quid, cum finitam lineam componat cum partibus lineæ. Quare non inde sequitur, posse dari infinitam multitudinem entium actu distinctorum, quia illa

esset

esset infinitas in actu, & simpliciter, neque vllis terminis clauderetur.

Verùm adhuc in suo robore argumentum manet. Nam infinitas rerum non repugnat ratione perfectionis, sed ratione numeri, atqui tam est numerus infinitus, si sit punctorum, quàm si sit Angelorum, ergo. Præterea nõ ne cognoscit Deus illa omnia puncta actu existentia? negari non potest, cum eius cognitio sit infinita, ponat ergo in quolibet pũcto vnicum Angelum, erunt Angeli infiniti. Cur enim hoc non poterit Deus? certè non minùs est ei facile, producere Angelum, quàm punctũ, neque infinitas Angelorum ex eo, quòd Angeli habeant aliquam incompossibilitatẽ inter se, repugnat, sed omnino ratione numeri, qui æquè reperitur in pũctis, atque in Angelis. Quòd ergo finitam lineam componant puncta, & claudãtur inter terminos finitos, obstat quidem infinito secundum magnitudinem, at verò ad multitudinem nihil refert. Non consequenter etiam loquitur, dum ait, illam non fore infinitatem in actu, & simpliciter, nam si puncta sunt verè in actu, & simpliciter entia, ergo etiam component infinitatem in actu, & simpliciter. Adde, etiã dici posse distincta, quia cum nullum punctum sit immediatè post aliud, sequitur, vt quodlibet sit à quolibet alio loco distinctum, & separatum.

Confirmatur etiam, quia posset Deus separare omnia puncta à linea, & separata conseruare, tunc autem non habebit locum aliqua ex supradictis responsionibus, quia erunt re vera infinita entia actu distincta, & inuicem separata. Adde & illud inconueniens, scilicet quantitatem, ex qua fuerunt ablata puncta, fore veram quantitatem sine vllis punctis.

Respondet Suarez, non posse fieri hanc separationem, & sanè subtilem excogitauit rationem num. 47. Inquit enim, *Non possunt separari puncta, nisi destruantur partes lineæ, & neque partes lineæ possunt destrui, nisi simul corrumpantur puncta, quibus illa intrinsecè constat*. At re vera hæc responsio non congruit suis principijs. Nam si punctum est ens reale à linea distinctum realiter, cur non poterit destrui linea absque eo, quòd destruantur puncta? Deus vtique cognoscit partes lineæ distinctas à punctis, ergo poterit his conseruatis nõ conseruare illas. Item si entitas lineæ est realiter diuersa à punctis, cur non poterit conseruari sine illis?

Simile quoque argumentum fieri potest ad probandum infinitum secundum longitudinem. Potest .n. dari linea in cõtinuo, quæ circumeat totum cõtinuum per omnia puncta, ad quod etiam simili modo respondet Suarez, habituram quidẽ illam lineam partes æquales infinitas, tamen non fore infinitam simpliciter, quia clauditur intra definitos terminos, sed eodem etiam modo, ac superior refutari potest. Præterea vel repugnat lineæ infinitæ claudi inter terminos infinitos, vel nõ repugnat, si primum, ergo falsum est illud antecedens, ex quo sequitur hoc absurdum, & repugnans, si non repugnat, frustra dicitur ad tollendam infinitatem, hoc infinitum claudi intra terminos finitos.

Quartò sequeretur, eiusdem effectus dari plures causas totales, quoniam dum duæ quantitates disiunctæ vniuntur, producitur nouus terminus eas vniens, neque potest produci ab altera tantùm, quia non est maior ratio de vna, quàm de altera, neque etiam dici potest, eas concurrere partialiter, quia cum ille ter-

minus sit indiuisibilis, non potest non nisi totaliter produci. Præterea quælibet earum habet virtutem sufficientem ad producendum terminum, & agit tota sua virtute, immo quælibet minima virtus est sufficiēs ad producendum huiusmodi terminum, quia etiam materię primæ, quę dicit̃ nullius esse actiuitatis, cōcedit̃ huiusmodi terminos ꝓducere posse.

Quintò sequeretur etiā, eādē causam habere simul plures adæquatos effectus, quod nō est minùs inconueniens, quàm præcedens, quia effectus adæquatus exhaurit totam virtutem causæ, ergo vnicus tantùm esse potest; Illud autem sequi, probatur, quia adæquatus effectus puncti, est terminare lineam, at si sit in medio, terminabit duas partes, immo si centrum sit, lineas omnes à circumferentia ductas terminabit, quæ poterunt esse infinitæ, habebit igitur infinitos adæquatos effectus. Dicent, terminare vnicam lineam, non esse effectum adęquatum puncti, sed ego esse adæquatum ostendo. Non minùs est terminabilis linea, quàm terminatiuus punctus, sed linea ita terminatur à puncto, vt non sit amplius terminabilis, ergo etiam punctus ita terminare debet, vt non sit amplius terminatiuus. Maior probatur, quia quoad extensionem æqualiter se habent, & quia punctus resultat à linea, vt ipsam terminet, ergo linea adæquatum sibi terminum gignet. Adde, qđ punctus est indiuisibilis, ergo terminat secundum se totum, eius autem virtus non est maior, quàm entitas, ergo etiā terminat secundū totā suā virtutē. Est igit̃ hęc terminatio eius adæquatus effectus.

Sextò sequeretur, tot esse puncta in circulo pedali, quot sunt in supremo Cœlo, quod est absurdum. Probatur consequentia; Si ponatur circulus pedalis esse circa centrū mundi, tunc .n. cum ex quolibet puncto Cœli deduci possint lineę ad centrū, & quælibet linea debeat transire per punctū circuli pedalis diuersū, planè efficit̃, vt nullū possit assignari pūctū in Cœlo, cui etiā respondēs assignari nō possit in circulo pedali, hoc autē esse incōueniens, & satis p se cōstat, & ꝓbatur ēt, quia si circulus pedalis in lineā paululum tm̄ curuā deducatur, & Cœlo cōmensuretur, videbimus, eius puncta correspondere pūctis minimæ partis Cœli, non autem omnibus, eadem igitur quātitas modò tot, quot Cœlum, modò longè pauciora puncta habebit.

Septimò qualitates, & formę substantiales contrariæ essent simul in eodem subiecto, quod est contra totam philosophiam, si indiuisibilia concederentur. Probatur cōsequentia. Illa dicuntur contigua, quorum extrema sunt simul, at possunt siue qualitates contrariæ, siue formæ substantiales esse contiguæ, sicut si detur lignum, quod ex media parte sit aridum, & ex altera viride, siue partim intensè calidum, partim intensè frigidum, ergo istæ formę habebunt extrema simul, & quoniam lignum est continuum, quamuis formæ ipsę continuæ non sint, & partes continuę copulentur vnico termino communi, sequitur, quòd etiam in hoc termino communi adsint extrema vtriusque formæ simul. Ad hanc difficultatem multa cōgerit Suarez nu. 59. & deinceps, sed omissis, quæ cōtra alios ipse affert, respōdet, quoad formas substantiales non esse simul, alteram enim illarum tantùm habituram terminum intrinsecum, alteram verò carituram termino intrinseco, quia impeditur à forma cōtraria, ne resultare possit, in illa autem forma resultat terminus, cuius agēs ipsum

ipsum producens potentius fuit, & idem etiam affirmat deinde de qualitatibus. Verùm quis non videat, hanc responsionem omnẽ necessitatem ponendi indiuisibilia funditus tollere? Si enim potest forma esse terminata absque indiuisibili, cur ergo hæc indiuisibilia ponuntur? Nam quodnam inconueniens resultat ex eo, quòd illa forma non habeat pro termino huiusmodi indiuisibile? nullum prorsus; ergo nullum etiam sequetur, si omnino negentur. Præterea quod dicitur de formis, dici etiam poterit de quantitate, sicut .n. formis substantialibus repugnat, esse simul in eadem materia, ita etiã pluribus corporibus in eodem loco, ergo ea ratione, qua non resultat indiuisibile in qualitate, quia obstat cõtraria qualitas, ita dici poterit, neque resultare in quantitate, quia obstat propinquum corpus. Ad hæc si duo corpora diuisa, quorum alterum sit summè nigrum, & alterum summè album, fiant contigua, tunc vel habebunt extrema simul, & tunc erunt simul albedo, & nigredo, vel albedo non erit terminata termino intrinseco, & sic superficies corporis albi nõ erit alba, vel corrumpetur altera superficies cum sua qualitate in altera illorum corporum, & dabitur quantitas non terminata, vt omittam, non esse maiorem rationem de vno corpore, quàm de altero.

Præterea in hac, & in multis alijs responsionibus supponunt aduersarij id, quod est contra omnem rationem, & naturam indiuisibilium, nẽpe indiuisibile posse antecedere ipsũ quantum. Nam dicunt, indiuisibilia quidem ipsa esse simul, non autem quanta, & ne sint simul duæ formæ contrariæ, alteram earum priuant termino indiuisibili, supponunt igitur, continuum cum indiuisibili vlteriùs pertingere, quàm sine indiuisibili, alioqui enim vbi esset indiuisibile, ibi etiam esset quantum. Hoc autem esse contra naturam indiuisibilium, patet, quia si vlteriùs pertingit linea cum indiuisibili, quàm sine ipso, ergo indiuisibile habet longitudinem, quod est contra rationem ipsius.

Vlteriùs vel illa forma, quæ caret termino intrinseco, est contigua cũ altera forma, vel distans, neutrũ autem dici potest, sed neque inter hæc datur medium, ergo pugnantia dicunt. Respondet Suarez num. 66. non esse contiguas, sed immediatè cohærentes, sed iudicet, quæso, lector, quomodo possit hoc concipi, & quodnam discrimen sit inter contigua, & immediatè cohætẽtia; Quòd si etiam hoc detur, ad quid nobis contiguitas, & indiuisibilia, dum sine ipsis habemus immediatam cohærentiam?

Præterea illa qualitas, quæ caret termino intrinseco, posset agere non minùs, ac altera, & erit etiam figurata, ergo illa incommoda, quæ supra dicebat Suarez in quantitate non terminata futura, apparent falsa esse, quia nullum sequitur in hac qualitate non terminata.

Ex quibus poterit facile iudicare lector non solùm, quàm improbabiliter hæc indiuisibilia ponantur, & defendantur; sed etiam, quàm verè dixerit S. Augustinus cap. 27. lib. 5. de Ciuit. Dei *facile est cuiquam videri respondisse, qui tacere noluerit*. Nullum .n. est tam firmũ, & efficax argumentũ, cui non liceat qualẽcunque responsionem afferre. Non igitur tã respiciendũ est, an quis respondeat, sed an rectè respõdeat, & verè argumento satisfaciat, vel tantùm verbis ludat, & plura absurda, vt vnum tueatur, admittat.

Con-

Continui diuisibilitatem in infinitũ defendi non posse, si huiusmodi indiuisibilia admittantur.

SECTIO V.

AD tuendam hanc diuisibilitatem infinitam excogitata videntur hæc indiuisibilia, si ergo ostenderimus, illi nedũ esse adiumento, sed etiam contra eam aperto marte pugnare, proculdubio tamquam inutilia, & perniciosa alleganda, & omnino delenda erunt.

Prodeat ergo primo loco sphæricum illud, quod aduersarij dicunt, tangere planum in puncto, & moueatur, designabit enim, & conficiet lineam, ergo ex pluribus contactibus ipsius fiet linea, contactus autem omnes sunt indiuisibiles, igitur. Respõdent aduersarij, sphæram quidem quiescentem tangere planum in puncto, dum tamen mouetur, tangere in linea. Verùm non constanter loquuntur. Nam sphæra dum mouetur, vel tangit simul lineam, vel successiuè, si simul, ergo etiam dũ quiescit, quia non est maior ratio ibi, quã hic, si successiuè tantùm, obtineo etiam causam, nam hic tactus successiuus componitur ex tactibus actualibus, sed actu numquam sphæra tãgit, nisi in puncto, ergo componitur ex punctis. Confirmatur, nam quiescente sphæra, quæro, an immediatè post illud punctum, quod tangit in plano, in quo fit conctatura planum, si moueatur, non possunt dicere in linea, quia hoc repugnat sphæræ, ergo in puncto, ergo duo puncta immediata. Profectò monstri simile est, quod authores hi comminiscuntur, sphæram, dum mouetur, tangere diuisibiliter planum, si autem in qualibet parte motus sistatur, non amplius nisi diuisibiliter contingere. Meliùs responderi posset, duo in illo sphærico considerari, motum, & contactum, & cõtactum quidem esse indiuisibilem, motum tamen diuisibilem, & lineam confici ex motu, non verò ex conctatibus. Sed neq; retunditur argumenti vis, quoniam si globus ille sit coloratus, & suo cõtactu tingat planum, efficiet lineam coloratam, quæ tota constabit ex cõctatibus coloratis indiuisibilibus; motus autem se habebit tantùm tãquam applicans, ergo verè linea conficietur ex indiuisibilibus. qua re nõ mirum, si Aristoteles 6 phys. simpliciter negauit, indiuisibile posse moueri, quamuis nec ideo tollatur difficultas, quia eadem est ratio de indiuisibili separato, & de coniuncto, nõ solùm in perfectè sphærico, sed etiã in quolibet corpore, in omni enim signari potest punctum, quod respõdebit puncto loci, & simul cum corpore mouebitur, & lineam cõficiet, quam rationis paritaté cernens Scotus in primo d. 2. q. 9. ad 3. non est veritus asserere, indiuisibile posse per se moueri, inani tamen quadam responsione Aristotelem deludens, & ipsum, Aristotele relicto, Tol. q. 1. in 6. phys. & Valles. contr. 58. ad tyrones, sequuti sunt. Collegium verò q. 1. in cap. 10. 6. phys. & Ruuius in fine eiusdem 6. asserunt, indiuisibile non posse quidem separatum, & per se moueri, si tñ sit in corpore sphærico posse, quasi verò quia supra se magnum globum ferr, moueri faciliùs possit, quàm si nullo onere grauaretur, & in globo existens possit adæquari lineæ, non autem per se separatum existens. Addit Collegium ad primum, globum continuè moueri respectu aeris ambientis, discretè verò comparatione plani, quasi verò opus sit, per quosdam saltus moueri

super planum, & non possit cōtinuo motu planum tangens ferri, quod imitatus Ruuius in quæst. de compositione continui inquit, globum non moueri per planum, tamquam per spatium, sed per aerem, maius etiam miraculum ostentans, globum scilicet lapideum, vel plumbeum per aerem volitantem. Atqui & moueri globum continuè super planum, tamquam per spatium, ex eo patet, quòd numquam à plano recedit, dũ mouetur, vel igitur relinquendus est Aristoteles, vt Vallesius & Tolet. fecerunt, vel huiusmodi indiuisibilia, vt nos, vel contraria, & repugnantia oportet admittere, vt Collegium, & Ruuius.

Secundò, simili argumento probari poterit, tempus conflari totum ex instantibus. Asserunt enim, temporis nihil vnquam esse præsens, nisi instans, ex quo necessariò infertur, ex instantibus componi tempus. Nã quæro. An post præsens instans, tempus sit futurum præsens, vel nõ, si non, ergo nullo pacto daretur, si præsens futurũ est, ergo per instans, aderunt igitur duo instantia immediata, & consequenter tempus componentia. Respondent, aduersarij, post quodlibet instãs sequi tempus, sed ipsi non consequenter loquuntur. Primò quidem, quoniam instãs non potest esse ratio, vt aliquid sit priùs, ergo neque ipsum poterit esse prius. Secundò, post instans non desinit tempus esse præsens, sed nihil temporis potest esse præsens, nisi instans, ergo post instans sequitur instans.


Tertiò, per actionem vniformiter difformem probant aduersarij dari puncta, quia si lumen verbi gratia quatuor graduum esset in parte diuisibili, non esset vniformiter difforme, darentur enim duæ partes quantitatis, quæ haberent æquale lumen. Atqui subsumo ego, nullus datur gradus luminis, qui sit vniformiter in pluribus partibus subiecti, quia esset contra suppositum, ergo nullus datur gradus, siue nulla pars luminis, quæ non sit in pũcto, alioquin enim si esset in quantitate, hæc esset diuisibilis, & consequenter in pluribus eius partibus esset æquale lumen. Si autem quælibet pars luminis est in puncto, cum nihilominus lumen sit continuum, & pateat, esse in subiecto continuo, consequens quoque erit, continuum conflari ex punctis.

Quartò, vel linea cum puncto est aliquid amplius, quàm linea tantũ, vel non est, si nõ est, ergo frustra dantur puncta, neq; dici possunt entia, quia repugnat, addi aliquod ens, & tamen illud, cui additur, non acquirere maiorem entitatẽ. Si verò est, ergo & aliquid amplius erit, si alia duo, vel tria puncta addantur, non enim est maior ratio de vno, quàm de altero. Hoc autem augmentum, quod hæc plura puncta afferunt, est diuisibile, cũ iuxta numerum punctorum possit esse maius, & minus, ergo ex punctis aliquid diuisibile componi potest.

Quintò, inter punctum, quod est initium lineæ, & cætera omnia eiusdem lineæ, nihil cadit medium, igitur puncta proximè sibi cohærent, atque adeo linea ex punctis conficitur. Probatur antecedens, nam si est aliquid interiectum, vel est punctũ, vel linea, non punctum, quia extra collectionem omnium punctorum nullum est punctum, nec etiam linea, quia necessariò in ea dantur puncta. Respondet Collegium, verum esse antecedens, attamen non inde rectè colligi, aliquod punctum esse alteri immediatum in eadem linea, quia tota illa collectio punctorum nullã ha-

& planum intercedere, nisi punctum.

Quòd verò sequatur, punctum esse diuisibile, non minùs euidenter probabitur, supposita quadam propositione, quam concedunt omnes Methematici, & demonstrat Clauius in propositionem 16. Euclidis. quòd scilicet duo circuli inæquales, quorum vnus sit intra alterum, non possunt se tangere, nisi in puncto, & omissa Clauij demonstratione, potest rudi minerua; sed ad palatum Philosophorum fortè magis accommodatè in hunc modum probari, quia circulus perfectus habere debet circumferentiam in omnibus suis partibus æquè curuam, at si circulus minor tangeret maiorē in linea, contrariū sequeretur, quia pars illa circumferentiæ, quæ tangeret circulum maiorem, non esset magis curua, quàm circumferentia maioris, reliquæ autem partes, essent magis curuæ, quia deficerent à circumferentia maioris circuli, non haberet igitur circulus minor circumferentiam ex omni parte æquè curuam. Hoc supposito, ponamus, esse duos circulos inæquales, vnum intra alterum super idem planum, vt patet in figura sequenti:



tunc circulus minor per partē, quæ immediatè sequitur punctum, in quo tangitur planum, distat à plano, & non nisi per punctum, vt supra probauimus, pars autem circuli maioris immediatè sequens idem punctum minùs distat à plano, quàm illa pars circuli minoris, ergo minùs distat, quàm per punctum, est igitur punctum diuisibile.

Quid hic aduersarij dicent? confugient, vt existimo, ad consueta diuerticula, & respondebunt. Primò quidem, assignari non posse partem lineæ immediatam puncto. Secundò, etiam si assignetur, hanc non distare per punctum, quod non potest esse mensura distantiæ, sed per illud spatium, quod vacuum imaginamur inter ipsam lineam, & planum. Sed vtraque responsio à veritate distat, nec ipsorum principijs est consona. Quod enim primo loco dicunt, partem illam immediatè sequentem punctum, non posse assignari, quid ad me? numquid idcirco non erit, quia assignari non potest; punctum ergo esset separatum à linea, si autem est re vera à parte rei, hinc procedit argumentum. Confirmatur, quia ab ipsis sæpissime huiusmodi locutiones vsurpantur, post punctum non sequi aliud punctum, sed lineam, sicuti post instans dicunt sequi tempus, cùmque velint, puncta realiter à linea differre, frustra deinde negant, non posse distingui. Contra verò id, quod secundo loco afferunt, illam lineam non distare per punctum, sed per spatiū, quod est inter ipsam, & planum. Probo, hoc spatium non posse mensurari nisi puncto.

Non magis distat à plano linea sequens punctum à latere, quàm illa, quæ recta fertur ad centrum, sed hæc non distat, nisi per punctum, ergo nec illa. Maior est clara, quia quo magis lineæ laterales accedunt ad illam, quæ perpendiculariter tendit in centrum, magis etiam distant,

ducũt, quãuis deductio ipsa sit vera, & habeatur per demonstrationẽ.

Instabis, corpora Cœlestia esse perfectè sphærica, nã & sunt immediatè à Deo, cuius opera sunt omnino perfecta, & nisi essent talia, vacuũ daretur in natura, vt probat Aristoteles 2. de Cœlo tex. 22. Nam si Cœlum nõ est perfectè sphæricũ, ergo vna pars magis distabit à centro, quàm alia, quare dum hæc per motũ illi succedit, nõ occupabit totũ spatiũ, quod illa, ergo remanebit illud spatiũ vacuũ. Possem respondere, satis esse ad euitandũ vacuũ, q̃ sint sphærica perfecta physicè, sicut proculdubio hac ratione satisfit priori obiectioni ex immediata ꝑductione Dei deductæ. Addo tamen id, quod verius existimo, Cœlũ esse immobile, fluxum tñ, & vagum instar aeris (si modò aer nõ est) & per ipsũ moueri sydera, sicuti aues in aere. fuit hæc opinio multorũ veterũ, & doctissimorũ Patrũ, Chrysostomi hom. 6. & 13. in Gen. Origenis lib. 5. aduersus Celsum, & lib. 1. Periarcon cap. 7. Eusebij, Emisseni, & Diodori Tarsensis in 1. caput Genesis. & aliorũ, S. et Augustinus in 26. 6. de Gen. ad litt. c. ij. existimat eã probabilẽ, nullũque patere incõmodũ circa motus syderũ, à Mathematicis suorũ temporũ certissimis demõstrationib⁹ fuisse ostẽsum, testatur. Sed qđ magis in hanc sententiã me pertrahit, est nouarum stellarũ supra lunã, & solẽ multiplex apparitio, vt de stella illa, quæ anno Domi. 1572. in signo Cassiopeæ visa est, omnes fatentur, & de multis alijs refert Christoph. Clau. in c. 1. Sphęrę Ioan. de sacro bosco

Denique peritissimi huius sæcul. Astrologi post Tichonẽ Brahæ idipsũ sentiũt, multisq; experimentis ꝓbant. Præcipua sũt noua Phęnomena in Cœlo supra solem, & lunã visa, Martis sydus, cuius motus nõdũ plenè fuerat exploratus, modò supra solem, modò infra deprehensũ, & stellulę quædã circa Iouẽ aberrantes noui illius cõspicilij tribulo inclusi ope recẽter animaduersæ, quæ omnia cũ Cœli soliditate nullo modo consistere possunt.

Reliqua argumenta pro indiuisibilibus profligantur.

SECTIO VIII.

AD secundũ de cõtactu respõdetur, duo corpora se tangere secundũ vltimas eorum partes, quatenus sũt indiuisibiles à parte exteriori. At obijcit Suarez n. 37. Hæc duo corpora in aliqua re se tangunt, & in vna habent ęqualitatem, & in alijs non habent, ergo res illę, in quibus se tangunt, distinguuntur realiter ab alijs, in q̃bus nõ se tãgũt. Igit̃ pars illa exterior, quatenus indiuisibilis, qua se tãgũt, differet realiter ab omni alia parte diuisibili, & cõsequẽter dabit̃ indiuisibile realiter distinctũ à quãtitate. Respõdet̃, eadẽ difficultate premi etiã eos, qui ponũt indiuisibilia, nã & superficies est vnita cũ aliqua parte quãtitatis, & nõ cũ diuisibili, q̃ igit̃ ipsi dicent de hac parte vnita, dicemus nos de tangente.

Sed ꝓterea respõdeo, in eo cõtactu posse nos cõsiderare & id, q̃ tãgit, & id, quo tangit, q̃ tangit, fatemur, esse diuersũ ab eo, qđ nõ tangit, quo verò tãgit, negam⁹, distingui ab eo, quo nõ tãgit. Ratio discriminis est, quia se habere vt qđ, cõuenit enti cõpleto, at se habere, vt quo, est ꝓpriũ eius, qđ nõ se habet, vt ens cõpletũ, & põt esse vt pars, vt modus, & vt ratio formalis alicuius rei. Ita non valet, sessione sedeo

& figura non sedeo, ergo sessio differt realiter à figura, vel anima vt sensitiua sentio, nō vt sensitiua, sed vt rationali intelligo, ergo differũt, in me realiter anima rationalis, & anima sensitiua. Si quæramus autem in casu nostro quid sit illud, quod tangit vt quod, & quid, quo fit contactus. Respondetur, vt qđ primò, & per se esse ipsum corpus, potest tamen dici etiam pars, quatenus concipitur, vel designatur distincta à cæteris partibus, vt quo verò esse eamdem partem, non quidē secundum se totam, sed quatenus non est in latus illud amplius diuisibilis.

Dices, quamuis anima vt sensitiua non intelligat, tamen eadem verè entitate reali intelligit, & sentit, ergo exemplum non est ad rem. Respondetur, etiam in casu nostro corpus eadem entitate tangere, & non tangere, quamuis non sub eadem ratione, sicut anima eadem entitate est in brachio, & extra brachium, & sicuti eadem anima, quamuis eadem entitate sentiat, & intelligat, non tamen tota sua virtute adæquata sentit, siue intelligit, nec tamen hæc eius virtus est à seipsa realiter distincta, qua ratione dicebat etiam Suarez, superficiem non esse vnitã cum aliqua parte adæquata, quod rectè quidem dicebatur, sed hoc nō sufficit ad euitandum, quod superficies cũ aliqua parte vniatur, quod ipse euitare intendebat, sufficit tamen ad effugiendum, quod pars, quæ tangit, quatenus tangit, differat à se, quatenus non tangit, quia licet tangatur pars, non tamen tangitur adæquata, non est autem necesse, vt differat plusquam formaliter idem inadæquatè sumptum à se ipso adæquatè intellecto.

Objicies corpus tangit aliud vt indiuisibile; sed indiuisibile est quid negatiuum, ergo tangit contactu negatiuo. Respondetur, ly vt indiuisibile intelligi posse dupliciter, & vt significat conditionem, & vt significat rationem formalem. Cum ergo dicimus, corpus tangere aliud corpus, vt habet partem indiuisibilem à parte exteriori, accipimus vt, prout significat conditionem, non verò, prout significat rationem formalem, hęc enim est entitas ipsa partis, & ita non sequitur, contactum esse quid negatiuum, & idem prorsus dicendum est ad instantiam de lumine, est enim & hoc in vltima parte corporis, quatenus est indiuisibilis ab extrinseco, sicut ad eamdem terminatur etiã visio.

Ad tertiũ iam diximus, dari primam, & vltimam partem in continuo assignabilem quidem ab extrinseco, quæ ex parte non est diuisibilis, non autem ab intrinseco, vnde diuisibilis est in infinitum, quapropter cessat omnis difficultas huius argumenti.

Ad quartum quatenus authoritati Aristotelis innititur, iam ei satisfecimus, quatenus rationi respondemus; partes continui seipsis (media tamen vnione) vniri, quod etiam si ponantur puncta, necessariò dicẽdum est de partibus, & puncto ipso, neque verò oportet, vt se penetrent, sed tantùm, vt immediatè se habeant, sicut dicebat Suarez de qualitatibus, quarum alterã termino carere, asserebat, vt supra sect. 5. retulimus.

Ad quintum de actione vniformiter difformi respondetur in primis, hanc melius à nobis, quam ab aduersarijs explicari, hæc enim definiri potest actio, cuius nulla pars est æquè intensa, & qualibet pars ab intẽsione præcedẽtis æqua-

liter deficit, quod ex eo oritur, qd nullae partes spatij sunt aequè propinquae agenti, cuius virtus ex spatij distantia minuitur. Sicuti igitur absque indiuisibilibus optimè intelligitur, spatij partes aequè inaequaliter ab agente distare, ita etiam actionem esse ad spatij proportionem vniformiter difformem. Ad haec iste gradus determinatus, qui ponitur in pūcto indiuisibili, vel est imperfectior eo, qui reperit in parte antecedēti diuisibili, vel aequè pfectus, si aequè pfectus, vel frustra ponit, si imperfectior, ergo magis distat à principio, pūctus igitur erit ratio maioris distantiae, quod est absurdum. Praeterea magis ad formam argumenti, dum dicunt, debere assignari terminum aliquorum graduum, siue locum, aut subiectum, in quo verum sit dicere, hic est quintus, vel sextus gradus luminis; Respōdetur, posse assignari ab extrinseco, non ab intrinseco, sicut enim in quantitate continua palmari possum ab extrinseco assignare terminum, & dicere, hucusque peruenit quantitas palmaris, siue sit coniuncta cum alia quantitate, siue separata; non possumus tamen hunc terminū assignare ab intrinseco, quia tunc assignaretur pars diuisibilis, cuius si altera pars terminaret palmum, altera vel infra, vel supra palmum esset. Ita etiam de qualitatis gradibus asserimus, possumus enim ab extrinseco definire quintum, vel sextum gradum, quia extrinsecus non sunt diuisibiles, non possumus tamen ab intrinseco, ad hoc autem, vt assignentur ab extrinseco, non opus est indiuisibilibus, vt ex ijs, quae de vltima parte quantitatis diximus, patet.

Non igitur in eas difficultates incidimus, quas deuorare cogitur Fonseca concedens primam, & vltimam perfectionem luminis in prima, & vltima parte corporis reperiri; mediam autem nullibi, nisi esset hoc vitrum, & in medio frangeretur, tunc enim, inquit, in nouis superficiebus emergentibus esset illa media luminis intensio, quae antea nō erat; re vera enim est inintelligibile, quòd fiat transitus à primo ad quartum gradum luminis absque intermedijs gradibus.

Ad sextum de mutatione instantanea respondetur, dici Angelum, vel aliquid aliud fieri in instanti, quia fit totum simul, non verò per partes, ad quod non est necesse, vt concedatur instans indiuisibile. Exemplum simillimum est de anima, quae tota simul existit in qualibet parte corporis, ita enim & Angeli substantia existit tota simul in qualibet parte durationis, sicuti igitur ab extrinseco possumus assignare vltimam partem corporis, & dicere, hic incipit, vel desinit corpus secundum vltimam sui partem, siue primam, & simul etiam incipit animę existentia, quę tamen est tota simul, ita possumus exempli causâ, assignare primā partem horae ab extrinseco, & dicere, nunc incipit totus Angelus, & quia illa pars horae, quatenus assignatur ab extrinseco, est indiuisibilis, idcirco appellatur instans, & dicitur Angelus creari in instanti, idest totus simul incipere esse in illa prima parte, sicuti autem prima pars illa non potest assignari, nisi ab extrinseco, ita neque inceptio Angeli non nisi ab extrinseco determinari potest. Creatur igitur, siue Angelus, siue forma substantialis in aliqua parte temporis diuisibili ab interiori, sed indiuisibili ab exteriori parte, & hoc est fieri in instāti.

Dices.

Dices illud primum esse Angeli est per creationē, reliqua verò eius duratio per conseruationem, vel ergo primum illud esse, quatenus est terminus creationis tantùm, mensuratur tempore diuisibili, vel indiuisibili, si primum, ergo non creatur Angelus indiuisibiliter, si secundum, ergo datur indiuisibile ab vtraque parte, & non tantùm ab exteriori. Respondetur, hoc argumentum corroborari magis nostram sententiam. Nam creatio à conseruatione ex communi consensu ratione tantùm differt, at si creatio mensuraretur instanti, quod realiter distingueretur à tēpore sequenti, conseruatio verò tempore, quod ab instanti distinguitur, vtique etiā ipsæ inter se realiter distinguerentur, & separari possent, sicuti distinguuntur instans, & tempus, quia ad vnitatem motus, siue productionis requiritur etiam vnitas temporis, siue durationis.

At inquit Suarez disp. 21. in metaph. sect. 2. instans cum tempore sequenti vnumquid efficit. Respondeo, falsò hoc dici secundum eorū principia, quia distinguuntur realiter instans, & tempus, consequenter non possunt vnum efficere, eo modo, quo dicuntur esse creatio, & conseruatio, quæ ratione tantùm distinguuntur.

Hoc autem etiam dato, saltem sicut separari potest punctus à continuo, ita etiam separari poterit instans à tempore, & consequenter creatio à conseruatione, si autem separari possunt, clarum est, realiter distingui.

At iuxta nostram sententiam separari non poterunt, quia eademmet pars & est indiuisibilis ab extrinseco, & diuisibilis etiam ab intrinseco.

Hinc etiam patet, quid dicendū sit ad illud dubium, an duo Angeli possint immediatè creari vnus post alterum. Dicendum enim, nō posse, & ratio est, quia prior Angelus antecederet secūdum per minimum, siue temporis, siue durationis, sed implicat, dari minimum in tempore, siue duratione, sicuti etiā in qualibet alia quantitate, ergo nequit prior Angelus immediatè tantùm antecedere secundū. Malè tamen aduersarij idipsum negabant, quia cum admittant, priorem Angelum produci in aliquo instanti indiuisibili, quod realiter distinguitur à sequenti duratione, nulla est ratio, cur post illud instans non possit statim creari alter Angelus, præsertim cum ipsi concedant, post istud instans fieri posse motum; nos autē dicimus, & creationem nō posse distingui à conseruatione, & immediatè post creationem neque alium Angelum, neque motum fieri posse, quia non potest assignari à parte interiori, vbi desinat creatio immediatè, sicuti neque in corpore vbi desinat à parte interiori prima eius pars, & idcirco implicat, quòd per suam primam partem tantùm vnū corpus accedat alterum.

Secundò, hinc etiā patet, quomodo sit inteligendū, duo instantia, siue puncta esse non posse immediata, quia videlicet vltima pars, quæ quatenus vlteriùs nō protenditur, est indiuisibilis, & hac ratione appellatur instans, siue punctus, necessariò debet esse diuisibilis à parte interiori, si autem sequeretur post aliud instans, iam esset indiuisibile ab vtraque parte, & esset verum indiuisibile, quale ponebant aduersarij, quod dari repugnat.

Dices, nō ne sunt duæ superficies immediatæ, quando post vltimā

par-

partē vnius corporis sequit immediatè prima pars alterius? Respondetur, nō dici immediatas, quia illa prima pars,& hæc vltima quatenus ab exteriori sunt indiuisibiles, censentur esse simul, ideſt simul terminari, cum enim inter ipsas nihil detur mediū, signū est, nō ante esse vltimā partem vnius, quàm primā alterius, quia vbi desinit vna, ibi incipit altera, & hac ratione dicuntur earū superficies esse simul; Si tamē accipiātur hæ duæ partes quatenus aliquid positiuum significāt, & diuisibiles sunt à parte interiori; sic dici potest, immediatè vnam post alteram sequi.

Ad 7. vt respondeam, priùs noto, diuersam esse rationem rerum successiuarum, ac permanentium, in his datur fieri, & factum esse, in illis fieri tantùm, & numquam de re successiua dici potest, nunc desijt fieri, & est, quia iam esset permanens, & idem esset, ac si quis in motu signaret aliquam partem quiescentem. In tempore igitur, cum sit quid successiuum, numquam potest aliquid perfectè, & adæquatè assignari, quod sit verè præsens, & non simul præteritum, vel futurum, sed esse præsens temporis est ipsum præterire, & si præteritum diuidas à futuro, nihil prętereà neque instans, nec aliquid temporis remanebit, sicut si diuidatur aliqua tabula in duas partes, nihil præter ipsas remanere dici poterit; quoniam tamen præteritum continuatur cum futuro, hanc continuationem explicant per instans, & illud tempus dicitur præsens, cuius vna pars præterijt, & altera futura est, vel cuius vltima, vel prima pars ab extrinseco assignabilis est, nec amplius diuisibilis, dicimus enim, diem hunc esse præsentem, quia pars eius præterijt, & pars futura est, & hāc esse horam tertiam, quia nunc finitur, vel incipit hora tertia. Sicuti etiam illud corpus dicitur præsens loco, cui⁹ vltima pars hoc pacto indiuisibilis à loco tangitur, nam si post horam tertiā paululū temporis fluxit, iam nō potest vltima pars eius amplius assignari.

Vrgebis vt tempus ex futuro fiat præteritum, non ne oportet, vt fiat pręsens? istud igitur fieri præsens quid erit? vtrique aliquid diuersum à præterito, & futuro. Respōdetur, in tempore idem esse fieri præsens, & fieri præteritum, quia si daretur inter hæc duo aliqua distinctio, sequeretur, tempus præsens non pręterire, quod est contra rationem successiui entis, consequenter & ipsum præsens non potest differre à præterito, & futuro, nisi quatenus per præsens significatur vltima pars præteriti, vel prima futuri, vt assignabilis ab extrinseco, & indiuisibilis. Per præteritum verò, & futurum omnes partes prout diuisibiles sunt; atque omnino eodem prorsus modo philosophādum est de instantibus respectu successionis temporis, atque de indiuisibilibus permanentibus respectu extensionis continui.

Ad 8. iam patet ex paulò ante dictis, quomodo intelligendū sit, contigua habere extrema simul, & simul terminari, ita vt terminus intrinsecus vnius sit terminus extrinsecus alterius, nō verò ꝙ secundum aliquam entitatem positiuam sint simul.

Ad 9. respòndetur, quòd sicuti dari non potest minima quantitas, qua non possit fieri minor, neque per diuinam potentiam, & ex multorum sententia non potest ab eo fieri infinitū, ita non mirum neque

possit

posse fieri aliquod indiuisibile, quod minima quantitate esset minus. Ad instantiam de Angelis, & animabus dico, hæc esse indiuisibilia alterius generis, quæ nos non negamus, inficiamur enim ea tantùm, quæ spectant ad quantitatem, non verò spiritualia, præcipuè cum hæc semper sint virtualiter diuisibilia. An verò possit Deus redigere materiam in punctum, vel Angelus seipsum in indiuisibili constituere, probabiliorem existimo partem negantē, nā si in loco cōcedamus semel assignari posse punctum, non apparebit ratio, cur etiam in quantitate describi non possit punctum illi correspondens. Qui tamen illud vellet concedere, dicere posset, respondere illi in quantitate vltimam partē, quatenus indiuisibilem ab extrinseco, sicut dicendum est respectu accidentium, quæ in sola superficie existunt. Et hactenus de hac difficillima quæstione, cuius prolixitas plurimas alias quæstiones breuissimas reddet.

DE ALTERATIONE
Disputatio tertia.

QVamuis origine prior generatione soleat esse alteratio, vt quæ sit dispositio ad eam, ordine tamen intentionis, & dignitatis est posterior, quare meritò de ea post generationem agimus. Aristoteles tamen de ea simul cum generatione disseruit, quia explicauit tantùm, quomodo inuicem distinguerētur, quod solum tunc fortè in controuersia positum erat, cuius occasione etiam definitionē eius tradidit tex. 23. qua tū cognitione nō contēti sequentes Philosophi, plures, & magnas de alteratione quæstiones excitarūt, quas nos etiā hic explicare conabimur, cum sit earū locus maximè proprius.

De nomine, & quidditate alterationis.

QVÆSTIO XXIIII.

Quotuplex sit alteratio.

SECTIO I.

NOn quærimus, an detur alteratio, sensibus enim iniuria fieret, qui eam existere clarissimè testantur: neque in dubium vocamus, an si generatio non esset possibilis, daretur alteratio, quod multi desumpta occasione ex verbis Aristotelis cap. 1. tex. 1. vbi disputans contra Empedoclem ait, ex eius principijs sequi, non dari alterationem, si generatio negetur, hic mouent, nō vocamus hoc, inquam, in dubium, tū quia extra mentem Aristotelis est, tum etiam magis, quia facilis est responsio, & ex alterationis distinctione quid de ea sit dicendum, patebit. Ad alterationis igitur distinctiones accedentes.

Noto, multipliciter sumi hoc nomen alterarationis, quod græcè est Alliosis. Primò latissimè pro qualibet mutatione ad formam etiam substantialem, quo pacto recipit eā Aristoteles 2. physic. tex. 1. iuxta Auerroem, dicens naturā esse principium alterationis, & 4. phys. tex. 86. ex Simplicio, vbi eam à latione contra distinguit. Secundò accipitur minùs latè pro mutatione tantùm accidentali, ita Aristoteles in hoc primo cap. 1. vbi ait, quosdam antiquorum ignorasse generationem, & agnouisse tantùm alterationem, & tex. 10. omnem mutationem, quæ est in passionibus, & accidentibus, alterationem vo-

Quid Aristoteles, & antiqui Philosophi, nec non Mathematici de indiuisibilibus senserint: quoue in sensu indiuisibilium nomina vsurpari possint.

SECTIO VI.

ANtequam argumenta cõtra nostram sententiam diluamus, ne videamur contra omnem antiquitatem, & philosophię parentes velle pugnare, opere precium erit inquirere, quid verè Aristoteles, & cæteri Philosophi antiqui, qui hæc indiuisibilia introduxerunt, sibi voluerunt. Triplex igitur potest esse de Aristotelis mente sententia.

Prima est, admisisse Aristotelem indiuisibilia terminantia, non verò continuantia. Secunda, admisisse omnia. Tertia, omnia negasse eo sensu, quo infra dicemus.

Prima sententia quoad vtramque partem pluribus nititur Aristotelis testimonijs. Prima pars de terminãtibus, potissimũm sequentibus. Primò, cap. de quantitate inquit Aristoteles, *contigua esse, quorum extrema sunt simul*, non possunt autem esse simul partes diuisibiles quantitatis, ergo de indiuisibilibus loquitur. Secundò, dicitur superficies esse immediatum subiectum accidentiũ 4. phys. t. 25. & tex. 41. locus superficies esse definit', ergo supponit, esse aliquid reale. Tertiò, 1. de an. tex. 60. ait, puncta habere positionem in cõtinuo, sicuti, & alibi sæpe, 6. etiã phys. tex 73. apertè inquit, nec in tempore, nec in alio continuo dari primam partem, ergo supponit, terminari p indiuisibilia, & 7. metaph. 8. enumerat longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vt tres species quantitatis, & docet, esse accidentia, quæ sunt in substantia. Secunda pars probatur, nam tex. 71. 1. de anima, Puncta, inquit, in omnibus videntur esse, & infinita Dixit autem videntur esse, non sunt, vt notat ibi Dandinus, quoniã reuera non sunt actu. Similiter 1. metaph. tex. 42. & 43. & lib. 3. tex. 17. ait, esse tantùm in potentia in media quantitate.

Secunda sententia conuenit cum prima, quoad priorem eius partem, dari verò etiam continuantia, quæ ipsa negabat, probat primò, quoniã definit Aristoteles continuum, *cuius partes communi termino copulantur* cap. de quantitate, hic autem communis terminus alius esse nequit, quàm indiuisibile. Dicit etiam, huiusmodi indiuisibilia habere positionem in continuo, quod immeritò ad terminantia tantùm coarctatur. In primo posteriorum tex. 9. non dubitauit affirmare, punctum dici per se primo modo de linea. Idem patet ex 5. metaph. 18. & 1. Cœli tex. 2. in 8. phys. ij. dat in tempore Nunc continuatiuum, sicut etiam 4. phys. tex. 105. inquit, puncta continuare longitudinem.

Tertia sententia, & vera est, Aristotelem nomine indiuisibilium priuationes tantùm intellexisse. Probatur ex multis eius locis 3. de anima tex. 25. ait, punctum, & cætera huiusmodi cognosci, sicut cognoscitur malum per bonum, & cæteræ priuationes, addit & sicut nigrum per album, idest, vt exponũt Simpl. & Philop. & approbat etiam Dandinus, sicut tenebræ per lucem; atqui si essent entia positiua, cognoscerentur verè per se. Item cap. 2. de animal. incessu *Indiuisibilium*, ait, *nullam esse substantiam*, idest realem entitatem, nam substantiam propriè dictam nõ esse, clarissimum erat. Tertiò 2. phys.

tex 18. inquit, *mathematicos speculari terminos quantitatis, non quatenus terminos physici corporis, neque enim, quatenus talibus existentibus accidūt*. Sentit igitur, huiusmodi terminos quantitatis indiuisibiles non reperiri à parte rei; & in 6. phys. probat, indiuisibile moueri non posse, at si in corpore actu esset, verè moueretur. In hoc etiam primo tex. 7. docet contra Platonem. Si res componerentur ex indiuisibilibus, nullas habituras passiones. Supponit igitur, huiusmodi indiuisibilia esse tantùm entia mathematica, non autem physica, nam si physica essent, nō carerent accidentibus, præcipuè superficies, de quibus ibi loquebatur.

Et hæc etiam eadem fuit sententia veterum Peripateticorum, nam, vt testatur Hieronymus Dandinus 3. de an. digress. 23. Simpl. atque Themistius, indiuisibilia omnia nil aliud, quàm priuationem illius quantitatis, cuius termini sunt, significare, prodiderunt, & idem de Philopono testatur com. 112. & Auerroes quoque in com. 32. lib. 1. de Cœlo, & com. 8. lib. 3. metaph. qđ de sphærico dicitur planum in puncto tangente, geometricè, non naturaliter, verum esse, ait. Euclides etiam per negationem punctum definit, inquit enim illud esse, *cuius nulla est pars, longitudinis, latitudinis, & profunditatis expers*, innuens, nihil aliud esse, quàm negationem. Immo eadem est sententia S. Augustini, qui cap. 10. de quantitate materiæ inquit, *Sola longitudo non nisi animo intelligi potest, in corpore inueniri non potest*.

Non igitur Mathematici hæc vera entia esse credunt, sed figunt talia, vt faciliùs suas demonstrationes cōficiant, & quoniam quædam passiones conueniunt quantitati, quatenus longa est, aliæ, quatenus lata est, & aliæ, quatenus profunda, vt harū distinctā cognitionē traderēt, finxerūt lineā sine latitudine, & superficiem sine profunditate; sicut etiam imaginantur, fluxu puncti confici lineā, & fluxu lineæ superficiem, & fluxu superficiei corpus. Et sicuti Astrologi epicicles, & eccentrices in Cœlo comminiscuntur, non quòd verè in eo esse existiment, sed vt his propositionibus vtamur ad veras conclusiones declarandas. Immo sicuti & Cicero optimum finxit oratorem, & Plato rempublicam, non quòd crederent à parte reperiri posse, sed vt ad eorum exemplum, quæ apud nos sunt, confirmarentur. Ita etiam Mathematici suas lineas, & sua corpora sphærica introduxerūt doctrinæ gratia, nō verò vt existere crederentur. Veluti etiam Philosophi vniuersalibus viuntur, quæ nusquam sunt, nec esse possunt, vt naturam singularium cognoscamus. Quod intelligens Aristoteles 1. de Cœlo tex. 104. inquit, aliquos Platonicos excusare Platonem, dicentes, ipsum posuisse mundum genitum, non quòd re uera genitum crediderit, sed *doctrinæ gratia, sicuti qui designationes describunt*, per hos autem intelligit Mathematicos, qui multa in demonstrationibus doctrinæ gratia fingunt, quę nequaquam reperiri possunt, cuiusmodi sunt perfectum sphæricum, fluxus puncti, indiuisibilia, & cætera huiusmodi, & hoc eodem pacto Aristoteles, & reliqui Philosophi antiqui loquuti sunt, qua responsione omnes Aristotelis authoritates, quæ contra adducuntur, nobis non officere demonstratur.

Verùm inquirere prætetea oportet, quonā in sensu intelligi debeāt, quæ Philosophi, & Mathematici de his indiuisibilibus afferunt. Non. n. omnino fictè credendum est, ea pro-

tulisse, quia decepissent nos, & quædam sunt, quæ necessariò ea suppo-nere videntur, vt generatio, quæ di-citur fieri in instanti? Pro cuius rei intelligentia

Notandum est, quantitatem vlti-timam partem habere, intelligi pos-se tripliciter. Primo modo, vt in di-uisione quātitatis deueniatur ad par tem, quæ quoniam vlteriùs diuidi non potest, vltima vocetur, & hoc e-go non assero, censeo enim, quanti-tatem esse diuisibilem in infinitum. Secundo modo, dari vltimam partē, vltra quam non detur alia, quia quā titas vlteriùs non protenditur, sed as signabilē à parte quoque interiori, & neque hoc pacto, quia etiā seque-retur, illam partem non esse diuisibi-lem in alias partes. Tertio modo in-telligi potest, dari vltimam partem assignabilem tamen ex parte exterio ri tantùm, ita vt quando ego tango tabulam, sit verum dicere, ego tango vltimam partem tabulæ, non tamen possim dicere, hic incipit vltima pars, eam à parte interiori designan-do, vel diuidendo, & hoc pacto cen-seo, verissimum esse, dari primam, & vltimam partem in quantitate, vt ar gumenta superiùs facta demonstrāt, quare superficies nil aliud significa-bit, quàm primam, vel vltimam par-tem corporis, vt est assignabilis à par te exteriori, quia ex ea parte non est amplius diuisibilis, & vlteriùs non protenditur. Est autem diuisibilis à parte interiori, & ita simpliciter erit diuisibilis, sed quatenus conci-pitur vt terminus, significatur vt in-diuisibilis, & nomine superficiei, li-nea verò erit vltima pars supficiei, quatenus ab extrinseco demonstra-tur, punctus vltima pars lineæ. In-stans quoque erit prima pars, vel vl-tima temporis, quatenus hæc à par-te exteriori est assignabilis, & est in-diuisibilis. Quando ergo Aristote-les negat primam partem continui, intelligendus est de prima parte adæ quata, & assignabili ab intrinseco.

Hanc autem distinctionem veram esse, patet sensibus, quia quantum-uis diuisibilis sit aliqua quantitas, cum tamen sit finita, oportet, vt ter-minetur in aliqua parte, quæ vlte-riùs non protendatur, & consequen ter sit ex ea parte indiuisibilis. In hoc igitur sensu vsurpanda sunt in-diuisibilia, in quo & nos hucusque admisimus, & admittemus, & om-nia, propter quę indiuisibilia ponun-tur, saluabimus, & à communi vsu loquēdi Philosophorum nō recede-mus. Scite enim vulgò dicitur, *lo-quendum est, vt multi, sapiendum, vt pauci*, & his suppositis ad ea, quę cō-tra nostram sententiam objiciuntur, nō difficillimè respōdebimus, simul etiam has indiuisibilium acceptio-nes ad multas particulares quæstio-nes applicantes.

Primum argumentum aduersario-rum de perfectè sphærico im-perfectum ostenditur.

SECTIO VII.

VArias referunt ad hoc argumē-tum responsiones omnino im-probabiles Suarez, & Collegiū Cō-nimb. vt quòd sphæricū tangat pla-num in aliqua parte indeterminata, vel contactu negatiuo, & improba-bilius est etiam, quod alij non veren tur asserere, huiusmodi globum nul lo modo posse tāgere planum. Duas ergo afferā ego probabiliores iuxta nostra principia responsiones.

Altera est, tangere sphæricum in puncto iuxta expositionem supra da tam, idest in vltima parte omnium

li-

vocans, clariùs etiam Porphir. c. de differentia, vbi asserit, accidens facere alterum, differentiam verò aliud. Tertiò, magis pressè pro ea mutatione tantùm, quæ est ad qualitatẽ, siue hæc sit perfectiua, siue corruptiua, siue corporea, siue spiritualis, quomodo sumitũ ab Arist. 8. phy. tex. 26. vbi opinionẽ vocat motũ alterationis, & 2. de an. tex. 73. vbi sentire dicit, esse quoddã genus alterationis; 4 pro mutatione ad certas tũm qualitates, nempe sensibiles, sic videtur sumi 7. phys. tex. 14. 15. & 20. Quintò, pro mutatione, quę est inter qualitates contrarias, vt 8. phys. tex. 55. & 88. & 1. de gener. 23. Sextò, pro ea, quæ est inter qualitates tangibiles, vt secundum multos 1. de generat. tex. 24. Septimò pro ea, quæ est ad qualitates productiuas, illas videlicet, quę disponunt ad generationem, & corruptionem, sic videtur sumi 1. Cœli tex. 20. & 21. & 2. Cœli, tex 5. Octauò, pro ea, quæ est tantùm ad simplices, & primas quatuor qualitates, scilicet calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, quomodo multi putant sumi 5. phys. tex 18. & 4. met. cap. 2. sed inter has omnes acceptiones frequentior est tertia, & apud omnes nomine alterationis, nullo alio verbo addito, mutatio intelligitur ad qualitates. Septima quoque & frequens est apud Philosophos, & dicitur ab aliquibus physica, & est ea, quam definiuit hic Aristoteles. Hæc de vocis distinctione, quoad ipsam autem secundum se, variè etiam potest distingui.

Nam alia est alteratio, quæ dicitur perfectiua, alia, quæ corruptiua, illa est ad qualitatem non habentem contrarium, vt illuminatio, & receptio specierum, vel ad qualitates, quæ licet habeant contrarium; non tamen inter se agunt, cuius modi sũt colores, quamuis enim albedo, & nigredo sint colores contrarij, non tamen efficienter se expellunt ab eodem subiecto, sed tantùm formaliter: hæc verò est ad qualitates, quæ à contrario patiuntur, & in contrarium agunt, qualis est calefactio, & frigefactio.

Præterea quædam est alteratio, quæ fit in instanti, vt illuminatio, quædam quæ successiuè, vt calefactio, quamuis hæc quoque fiat in instanti, si maximus sit excessus virtutis agentis supra passum.

Tertia, quædam est alteratio, quę cum mutatione substantiali, scilicet generatione, & corruptione est connexa, quædam verò separata. Item quædam habet terminum a quo positiuum, vt cum quis ex frigido fit calidus, quædam priuatiuum, vt cũ ex tenebroso fit aer lucidus. Itẽ quædam, quę sine motu locali esse nequit, vt rarefactio, vel condensatio, quædam verò, quæ sine ipso esse potest, vt illuminatio, & calefactio. Præterea quædam dici possunt secundæ alterationes, quia sicut secundæ qualitates supponunt primas, ita hæ alterationes alias priores, & illæ ipsæ sunt, quæ ad secundas qualitates fiunt, colores nimirum, sapores, & id genus alias qualitates, quæ non solent per se acquiri, sed ex aliarum alteratione sequi, quod tamen an semper sit verum, vel quomodo intelligendum, infra videbimus, aliæ verò dici possunt alterationes primæ vt quæ fiunt inter primas qualitates, calorem, frigus, &c. Item alia est alteratio physica, quæ fit ad qualitates sensibiles, alia non physica, quæ pro termino habet qualitatem non sensibilem, vt acquisitio scientiæ. Alia quoque est ad qualitatem extremam, vt à fri-

gore ad calorem, alia ad mediam, vt à frigore ad teporem; alia denique est alteratio, quæ pro termino à quo habet priuationem qualitatis, alia est, quæ habet modum, siue terminum qualitatis, illa retinet nomen alterationis, hæc vocatur intensio, si à minori gradu qualitatis tendit ad maiorem, & remissio, si à maiori ad minorem.

Ex his patet, quænam alterationes tollerentur, si generatio nō esset, tolleretur enim corruptiua, & quæ ex corruptiua sequitur, non autem perfectiua primæ speciei, quæ fit inter qualitates contrario carentes, quamuis enim non omnis alteratio corruptiua sit causa corruptionis, ad eam tamen ordinatur, & subiectum illud, quod huiusmodi alterationis est capax, necessariò est corruptioni obnoxium, & de hoc alterationis genere loquebatur Aristoteles 1. de Coelo tex. 20. vbi docet, Coelum alterationis expers esse, neque posse aliquod corpus alterationem admittere, quin etiam corruptioni pateat.

De Alterationis Definitione.

SECTIO II.

SIcuti sunt plures alterationis acceptiones, ita etiam non vnam tantùm definitionem habemus de ea apud Aristotelem; Nam 5. phys. 9. definit alterationem, esse motum ad qualitatem. 7. autem phys. 10. & 1. de gen. 10. ait, alterationem esse mutationem in passionibus. Sed omnium censetur optima, quam affert hic tex. 23. videlicet. *Alteratio est mutatio manente subiecto eodem sensibili in eius passionibus, aut contrarijs, aut medijs.* Ponitur (mutatio) loco generis. Notandum tamen, non eodē modo in hac definitione sumi nomen mutationis, ac sumptum est in definitione generationis, nam ibi sumptum est pro conuersione, hic autem sumitur propriè, & ratio est, quia alteratio denominat subiectū, dicimus enim, hominē, vel lignum alterari, generatio verò non denominat subiectum, sed terminum, non.n. materia, sed homo generatur, cū ergo subiectum sit illud, quod verè mutatur, non autem terminus, iure alteratio, quæ respicit subiectum, & ipsum denominat, dicitur propriè mutatio, non autem generatio, quæ respicit terminum: Dicitur (manente eodem subiecto sensibili) idest eodem composito substantiali, quia dū homo ex frigido fit calidus, manet idem sub vtroque termino. Sequitur (in eius passionibus) nomine autem passionum intelliguntur omnes qualitates, eò quòd afficiant subiectum accidentaliter, sicuti & passiones, & quia omnes qualitates sensibiles sunt passiones corporis, quamuis non semper eius corporis, in quo sunt, sed hic ab Aristotele dicuntur passiones eius non effectiuè, sed subiectiuè, idest passiones, quæ ei inhęrent. Nota etiam, non dicere Aristotelem, passiones mutari, sed fieri mutationem in passionibus, quia vt supra dicebamus, subiectum est illud, quod dicitur alterari, non autē accidentia. Concluditur (aut contrarijs, aut medijs) quia, vt supradiximus, aliquādo fit alteratio ad contrarias, & extremas qualitates, vt ad calorem, vel frigus, aliquādo ad medias, vt ad tepiditatem: per quæ verba etiam excluduntur ab hac definitione alterationes, quæ sunt ad qualitates contrario carentes, qualis est illuminatio, hæc enim nec est ad cōtrarias, nec ad medias.

Obijci tamen potest contra prędictam definitionem. Alteratio sæpe

ter-

terminatur ad corruptionem subiectorum, nam & hac ratione corrupitiua, ergo malè inquit Aristoteles, remanere idem subiectum sensibile. Respondetur, per alterationem formaliter numquam corrumpi subiectum, sed tantùm consecutiuè, hic autem definitur alteratio secundum ea, quæ formaliter illi congruunt.

Obijcies secundò, per alterationem mutantur qualitates sensibiles, ergo falsum est, manere idem sensibile. Respondetur, per subiectum sensibile secundum aliquos intelligi compositum substantiale, quod semper remanet. Prętérea possumus etiam, vt supradiximus in definitione generationis, per sensibile intelligere ipsum compositum, vt affectum accidentibus sensibilib⁹, quia licet amittat aliquam qualitatem sensibilem, retinet tamen alias, & simpliciter censetur idem subiectum sensibile, non potest enim amittere omnes, nisi corrumpatur.

Obijcies tertiò, si daretur qualitas extra subiectum, posset intendi, & remitti per veram alterationem, & tamen nullum esset subiectum, ergo malè est definita alteratio. Respondetur, Aristotelem definiuisse alterationem in ordine ad subiectū, quia aliam noscere non poterat, tùnc autem vt subiectum se haberet qualitas ipsa, termini verò essent gradus ipsius remissus, & intensus, & sic etiam tunc remaneret idem subiectum, alioquin non tam diceretur alterari, quàm intendi, & remitti.

Reliquæ dubitationes, quæ circa prædictam definitionem oriri possent, expediemus sequentibus quæstionib⁹.

An in alteratione intensio fiat per additionem graduum, vel alio modo.

QVÆSTIO XXV.

NOn vocamus in dubium, an intensio fiat, est. n. hoc certo certius, & experientia non solùm docemur, sed etiam fide, vt colligitur ex illo Lucæ 17. *Domine adauge nobis fidem*, & alijs similibus. Nec minùs certum est, dari remissionem, nā expetimur, in nobis modò augeri, modò diminui calorem, quod enim est in quantitate fieri maius, & minus, est in qualitate intendi, & remitti, siue suscipere magis, & minùs, neque tantùm hoc conuenit qualitatibus sensibilibus, sed etiam spiritualibus, nam & gratia intendi potest, & virtutes. Nos tamen hic agemus tantùm de qualitatibus sensibilibus, reliquæ enim non pertinent ad institutum nostrum, quamuis quid de ipsis iudicandum sit, non difficilè ex dicendis percipi possit; sed antequā varias sententias hac de re explicemus. Notandum est, qualitatē posse recipere augmentum penes diuersas subiecti partes, & etiam in eadē parte, primo modo, vt si calor, qui erat tantùm in manu, extendatur ad totum corpus, secundo modo, si in eadem manu fiat maior; illa dicitur extensio propriè, hæc autem intensio, & de hac nos loquimur, quæ quomodo fiat, diuersimode explicatur à Philosophis. Notandum est præterea, intēsionis nomen sumi posse & pro ipsa alteratione, quatenus ad augmentum qualitatis tendit, & etiam pro latitudine ipsa, & diuisibilitate qualitatis, ratione cuius intendi potest, & remitti, quæ

duo diuersa quidem videntur, vna tamen non potest intelligi sine altera, prior tamen, quæ in alteratione consistit, ea est, quæ ad nos attinet, & de qua præcipuè loquemur.

Primus modus explicandi intensionem, & remissionem qualitatum.

SECTIO I.

HÆc prima sententia ita explicat intensionem, & remissionem, vt potius eas tollat. Nam inquit, nō perfici eamdem formam per intensionem, sed vnam imperfectam mutari in perfectiorem, quæ sententia tribuitur Goffredo quodli. ij. q. 5. Durando in 1. d. 17. q. 7. num. 25. & pro eadem citantur Auicenna, Gilb. Porrett. apud Niphum 8. metaph. disp. ij. cap. 3. & Burleus tract. de entit. formarum. Probatur hæc sententia.

Quoniam in omni motu terminus à quo deperditur, & terminus ad quē acquiritur, sed terminus à quo est forma imperfectior, ad quem forma perfectior, ergo illa deperditur, & hæc acquiritur. Præterea variata essentia rei, variatur etiam res, at in alteratione mutatur qualitatis essentia, ergo etiam qualitas. Probatur minor, quoniam si non variaretur essentia, verbi gratia caloris, sed aliquod accidens eius, non esset calor, qui susciperet magis, & minus, sed illud eius accidens, atqui calor suscipit verè magis, & minus, ergo secundum suam essentiam variatur. Confirmatur, quia alioqui nullum esset discrimen inter substantiam, & qualitatem, nam si substantia recipit magis, & minus in accidentibus, ergo cum proprium dicatur esse qualitatum intendi, & remitti, hoc debet intelligi de earum essentia.

Et confirmatur secundò, quia in calore vnica est simplex entitas, quæ est eius essentia, hæc autem entitas variatur, ergo etiam essentia. Denique formæ dicuntur esse, sicut numeri, ergo per quamlibet minimam additionem variantur earum essentiæ, sicut qualibet vnitate addita, variatur numeri species.

Secundus modus intensionem, & remissionem explicandi.

SECTIO II.

PRædictæ sententię opponitur ex diametro hæc secunda; Illa enim volebat, in intensione totā qualitatem destrui, & aliam nouam effici, hæc autem nullam admittit in qualitate intensa mutationem, sed totam subiecto ascribit; Afferit enim, quamlibet qualitatem esse indiuisibilem in sua entitate, & eatenus tantùm dici, intendi, & remitti, quatenus magis, & minus afficit idē subiectum, siue magis in eo radicatur. Communis est hæc sententia apud Thomistas, vt fatetur Bannes quæst. 5. huius primi, & refert etiam Suarez disp. 46. in metaph. sect. 1. Videtur autem idem sensisse S. Thomas part. 1. 2. quæst. 52. art. 1. & 2. & 2. 2. quæstio. 24. art. 5.

Quoniam tamen difficile videtur, formam eamdem sine sui mutatione, nunc magis, nunc minùs affice-

re subiectum, diuersæ sunt apud Thomistas huius rei explicationes.

Prima est Ægidij quodlib. 2. q. 4. quam etiam Bannes tribuit Capreolo in 1. d. 17. q. 2. ad argumenta contra tertiam, & quartam conclusionem. Astudillo hic quæst. ij. Fland. 8. metaph. quæst. 4. Distinguunt hi auhotes essentiam ab existentia, & dicunt, quòd in intensione, immutata permanente essentia, variatur ipsius existentia, & ratione istius variationis dicitur qualitas intendi, vel remitti, quamuis etiam isti authores inter se differant, vt ait Bannes, quia Capreolus existimat, ex diuersitate existentiæ formam ipsam variari: Astudillo verò ait, formam semper remanere indiuisibilem, quare Suarez Capreolum eximit è numero sectatorum huius primæ explicationis.

Secunda expositio est Caietani prima 2. quæst. 52. art. 2. qualitatem magis radicari, nil aliud esse, quàm magis educi de potentia subiecti, siue magis actuare eius potentiam, & ipsum subiectum sibi magis subijcere, & illi firmiùs, & tenaciùs inhærere, quæ omnia pro eodem ponit Bannes, qui etiam hanc explicationem sequitur, & eamdem inquit esse sententiam Soncinatis.

Tertia expositio est, qualitatem intendi per minorem admistionem contrarij, & aliarum dispositionum repugnantium tali qualitati, ita vt calor exempli causa nullo pacto variatus modò intensus dicatur, quia parum frigoris admistum habeat, modò remissus, quia multum. Hanc sententiam insinuat Ægidius quodlib. 2. quæst. 14. & primo de generat. quæst. 18. & 23. & ab aliquibus tribuitur Simplicio in capit. de qualitate, & 5. phys. tex. 19. & alijs, vt notat Greg. in 1. d. 17. q. 3. art. 1.

Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia existimant hi authores, formam in abstracto esse indiuisibilem, & inalterabilem, ita vt vnica tantùm forma dari possit abstracta in vna specie, verbi gratia vnica tantùm albedo; si enim plures essent, vel differrent inter se, vel non, si non differrent, ergo non essent duæ, si differrent, ergo essent diuersæ speciei, quia quælibet differentia in formis est specifica. Ex quo principio multa deducuntur Thomistarum placita, vt quòd omnes Angeli inter se specie differant, quòd principium indiuiduationis sit materia, & hoc ipsum, de quo agimus, formam scilicet ratione sui, & per se esse inalterabilem; & tamen ratione subiecti intendi posse, & remitti: ita vt radix intensionis, & remissionis non sit latitudo formæ, sed eius indifferentia, per quam magis, vel minùs à subiecto participatur.

Probatur etiam hæc sententia de maiori radicatione primò ex Aristotele 4. phys. tex. 84. vbi asserit, *ex calido fieri magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non erat calidum, quando minùs erat calidum*; fit ergo intensio caloris nulla addita entitate caloris, sed tantùm per maiorem ipsius radicationem in subiecto.

Secundò, si fieret intensio per additionem, & non per maiorem radicationem, vel hæc additio fieret ex parte formæ, vel ex parte subiecti, sed neutrum dici potest, ergo. Probatur minor, quia si additio fit

fit ex parte subiecti, non intenderetur qualitas, sed extenderetur, si verò ex parte formæ, variaretur species ipsius, vt videmus in coloribus, quando ex pallido fit album.

Tertiò, ex pluribus formis actu distinctis non potest fieri vna, nisi se habeant, sicut actus, & potentia, at in vnica qualitate non potest hæc distinctio assignari, igitur

Quartò, forma quò est simplicior, eò est perfectior, ex D. Dionysio cap. 5. de diu. nom. in quo differt à subiecto, quod quò magis est compositum, eò est perfectius, at forma intensior est perfectior remissiore, ergo debet esse simplicior, & non composita ex pluribus gradibus.

Quintò, vel gradus, per quos dicitur fieri intensior, sunt diuersæ speciei, vel numero tantùm distinguuntur, si primum, ergo non poterunt componere vnam qualitatem numero, si secundum, ergo non possunt simul esse, non possunt enim accidētia numero tantùm diuersa in eodē subiecto recipi.

Sextò, si intensio fit per additionem graduum, intensio qualitatis erit prorsus eiusdem rationis cum extēsione; solùmque differet, quòd in extensione partes qualitatis sunt in diuersis partibus subiecti, in intensione verò in eadem, ex quo sequuntur multa absurda, & quòd sicut extensio est per accidens ad perfectionem qualitatis, ita etiam sit intensio, & quòd posset hæc in infinitū crescere, sicut & illa, & similia.

Septimò, quod intenditur, est idē in principio, & in fine; at in additione non est idem, cui additur, & id, cui fit additio, ergo intensio non fit per additionem. Confirmatur, quia si Deus ponat plures quantitates simul, non propterea dicetur quātitas intendi, ergo ad intensionem non sufficit additio partium, sed requiritur aliquid aliud, scilicet maior radicatio in subiecto.

Tertius modus intensionem, & remissionem explicandi communis.

SECTIO III.

TRaditur hic à Scoto in 1. d. 17. q. 3. sed ante eum fuit etiam S. Bonau. in 1. p. dist. ar. 1 q. 1. ad secundum, & Alb. art. 10. quos deinde multi alij secuti sunt, præcipuè recentiores, & Suarez disp. 46. in metaph. N. pbus 8. metaph. disp. 5. & Tol. 1. de gener. q. 4. & 4. phys. q. 12. & alij, nomenq; ipsum, & natura intensionis, & omnium hominum conceptio videtur eum ostendere, vt mirandum sit, ab eo aliquos discessisse, qualitatem, videlicet fieri intensiorem per additionem nouæ partis ipsius, quæ partes qualitatis solent à Philosophis gradus appellari, & cōsequenter radicem intensionis non esse indifferentiam qualitatis, sed latitudinem, & diuisibilitatem ipsius.

Probatur hæc sententia primò ex analogia ad quātitatem, quod enim est in quantitate, suscipere maius, & minus, est in qualitate suscipere magis, & minus, vt etiam aduersarij fatentur, sed quantitas suscipit maius, & minus, quia est diuisibilis, & potest ei addi, vel ab ea demi aliqua pars, ergo idem dicendum de qualitate, quoad intēsionem, nulla enim potest assignari ratio discriminis. Nam quòd partes sint in eodem loco, vel subiecto, nil refert; cum possit etiam Deus plures partes quantitatis ponere simul, & tunc re vera adesset maior quantitas, quamuis nō esset magis extensa; immo simile quiddam videtur in condēsatione, quāuis enim res densa, & rara æqua-

li in loco sint, est tamen in densa maior quantitas, ergo quotiescunque adest maior calor in aliqua parte, debemus etiam dicere, plures eius partes eidem adesse.

Secundò ponamus, Deum auferre duas qualitates inæqualiter intensas a duobus subiectis, & separatas conseruare, vel remanebunt extra subiectum inæquales, vel non, si primũ, ergo maior, vel minor intensio non oritur ex radicatione in subiecto, sed ex ipsa entitate formæ, si non remanebunt, oportebit, alteram earũ intendi, vel remitti, at vnde nam orietur hæc remissio, vel intensio? Respondetur, vnam fore perfectiorem altera per ordinem ad subiectum. Sed contra. In eodem subiecto potest eadem forma esse perfectior, & imperfectior, ergo ordo, quem dicit ad subiectum, abstrahit à perfectione, vel imperfectione. Si dicant, hũc ordinem particularem determinare perfectiorem, vrgebo, hic ordo particularis non est de essentia, separet ergo & illum Deus, & relinquat eum tantùm, qui est de essentia, & abstrahit à perfectione. Nam posse separari, patet, quia & illa forma cũ modò sit perfectior, modò imperfectior, non necessariò habet eumdem ordinem, & materia potest relinqui cum potentia tantùm vniuersali, ergo & accidens in ordine tantùm essentiali, tũc igitur vel erunt hæ duæ qualitates infinitè intensæ, vel non, si primum, ergo dabitur infinitum in actu, quod aduersarij non admittunt, si secundum, non potest reddi ratio, cur in hoc gradu potius sint, quàm in alio. Dicent, vel determinari à Deo, vel esse in summo gradu, non tamen infinito; sed neutra responsio satisfacit, non prior, quia si indigent Dei determinatione, ergo ex se sunt indifferentes ad hunc, & ad illum gradum, ergo non tantùm ratione subiecti intendi possunt, & remitti; non posterior, quia communis est sententia, posse qualitates intẽdi vsque in infinitum syncategorematicè, & saltem de aliquibus, vt de lumine non potest meritò negari, cum lux solis, quæ videtur maxima, possit esse maior teste Isaia Propheta cap. 30. num. 29. vbi ait, lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, & confirmatur ex Eucharistiæ Sacramento, in quo sũt accidentia sine subiecto, & tamen æquè intensa, ac priùs, neque enim propterea videtur nouum miraculũ confingendum, cum hæc non sint multiplicanda sine necessitate.

Tertiò, vel subiectum est causa, vt qualitas possit magis, & minus suscipere, vel ipsa qualitas habet hoc ex natura sua, si primũ, ergo non tantũ qualitas, sed etiam quantitas, & formæ substantiales poterunt intendi, & remitti, quænam enim potest assignari ratio, cur qualitas possit magis, & minus in subiecto radicari, nõ autem forma substantialis? vtique videmus, aliquas formas substantiales difficiliùs, & aliquas faciliùs separari, immo eamdem in diuersis tẽporibus firmiùs, & minùs firmè in subiecto inesse, ergo & ipsæ magis, & minùs radicantur, suscipiunt igitur magis, & minus. Si secundum, ergo etiam extra subiectum suscipiet magis, & minus.

Quartò, illa quoque radicatio cũ sit ens, habet essentiam suam, ergo ob eamdem rationem, ob quam negatur, qualitatem esse intensibilem secundum se, quia mutaret speciem, debet etiam negari, posse suscipere magis, & minus hanc radicationem, alioquin specie variabitur, & ipsa in alias variationem essentialem inducet.

Quin-

Quintò, qualitas intēditur ab agēte extrinseco, v. g. calor in aqua ab igne, agit igitur ignis in aquam, at ignis non potest agere, nisi immittendo in aquam calorem, alioqui .n. ageret, & nihil produceret, ergo calorem intendit per additionem eiusdem qualitatis.

Sextò, in eo subiecto magis est accidens radicatum, a quo difficiliùs potest separari, ita enim arbor dicitur magis radicata, quia difficiliùs euellitur, at à ferro calor remissior difficiliùs remouetur, quàm calor intensus ab aqua, ergo intensio maior potest esse cum minori radicatione, consequenter aliud est intēsio, aliud radicatio.

Præterea facilè possunt etiam impugnari singulæ explicationes huius sententiæ de radicatione supra allatæ, quòd cum diffusè factum fuerit à Suarez, nos breuissimè præstabimus. Prima ergo expositio impugnatur, quia impossibile est, produci existentiam alicuius rei absque productione entitatis, si enim non producitur entitas caloris, sed eius existentia, cur potius hæc existentia dicetur caloris, quàm frigoris? vtique calorem existere, est habere entitatē suam à parte rei extra suas causas, ergo si producitur noua eius existentia, noua entitas producta intelligetur.

Sed neque melior est secunda expositio. Nam neque magis educi de materia, neque eam magis actuari, vel subijci formæ, & si quæ sunt alia huiusmodi, intelligi possunt sine aduentu nouæ entitatis, quod .n. educitur, trahitur de potentia ad actum, sicut ergo repugnat, dari productionem sine termino producto, ita etiam eductionē sine entitate educta; Quòd etiam materia subijciatur magis formæ, vel illi magis vniatur, non potest intelligi sine mutatione alterutrius: at materia non mutatur, ergo variatio est in ipsa forma, Confirmatur, quia non potest augeri effectus formalis, nisi augeatur forma, quia effectus formalis non aliunde habet perfectionem, quàm à forma, nec ab ea realiter differt, ergo nō potest magis actuari, neque maiorem effectum formalem recipere, nisi & ipsa forma sit secundum se intensior, nam magis subijcere sibi subiectum, nihil est aliud, quàm magis informare subiectum.

Tertia quoque expositiò facilè ruit, dum enim dicunt, calorem dici magis intensum, quia minus frigoris admixtum habet, quæro, vnde dicatur frigus esse minus? Si respondeant, quia plus caloris est in eodē subiecto, puerilem circulum committent, si verò concedant, frigus secundum se diminui, ergo idem poterunt de calore concedere. Præterea sunt multæ qualitates, quæ contrario carent, vt lux, & tamen intenduntur, & remittuntur; quædam etiam, quę licet contrarium habeant, tamen nullam ipsius partem secum compatiuntur, vt fides, & charitas, ergo dum istæ augentur, non potest earum intensio in contrarij admixti diminutionem referri.

Liquet igitur, nullo modo posse defendi hanc sententiam de maiori radicatione qualitatis in eodem subiecto, prout à multis, qui se S. Thomæ sectatores profitentur, explicatur; & ab eo tamen, ni fallor, longè abscedunt. Nam S. Doctor ita ponit maiorem radicationem in subiecto; vt tamen concedat etiam additionem essentiæ, vt clarissimè patet in 2. 2. q. 24. ar. 4. ad tertium vbi ait, *propriam vocem ignorare, qui dicunt, qualitatem, cum intenditur, non augeri secundum suam essentiam, vel secundū*

radi-

radicationem inesse, & similia habentur apud ipsum quæst. 1. de virtutib. art. ij. & in 1. sentent. d. 17. quæstione 2. ar. 1. neque fortè à sententia communi dissentit Caietanus nisi in modo loquendi, quia quòd reliqui additionem appellant, ipse eductionem vocat, non quod existimet, aliquid entitatis non addi, sed quia non vult appellari additionem, cum illud, quod additur, antea non existeret, sed à materia sit denuo eductum.

Patet igitur, non intendi qualitatem per maiorem radicationem, vt existimabat secunda opinio. Quòd verò neque sit admittenda prima, quæ asserebat, corrumpi imperfectiorem, & perfectiorem aduenire, facilè conuincitur, nã neque in intensione potest assignari corrumpens priorem qualitatem, neque multò magis in remissione producens posteriorem, exempli causa, aqua est calida vt quatuor, & eius calor ab igne intenditur, vt sex, tunc, vt hæc opinio fert, corrumpitur calor vt quatuor, & producitur vt sex, sed à quonam corrumpitur? non à contrario, quia nullum adest, non à simili, quia simile non agit in simile, ergo nullo pacto corrumpitur. Præterea non potest ignis introducere simul in aquam sex gradus caloris, sed paulatim, vt videmus, at si postquam quatuor introduxit, isti quatuor corrumpũtur, vt possit introducere sextum gradum, ergo frustra introduxit illos quatuor gradus priores, & re vera simul calefacit, vt sex. Sed vrget etiam magis in diminutione argumentum. Nam dum aqua calida, vt sex, reducitur à propria forma ad calorem, vt quatuor, si totus præcedens calor corrumpitur, a quonam producetur calor, vt quatuor? non ab aqua, quia produceret accidens sibi contrariũ, neque ab aliquo extrinseco agente, quia nullum adest, ergo non est dicendum, produci de nouo, sed esse eumdem calorem, qui erat etiam priùs, quamuis non in eodem gradu.

Præterea impugnatur hæc sententia; quia sequeretur, alterationẽ non esse continuam. Nam si calor vt duo expellitur, vt introducatur calor vt tres, quæro, quantum temporis duret in subiecto calor vt duo, si enim per aliquantulum temporis durat, ergo toto illo tempore cessauit alteratio, non fuit igitur continua. Si dicas, durare tantùm per instans, ergo procedet vlteriùs intensio, & producetur calor vt tres, de quo iterum inquiro, an permaneat per aliquod tempus, si permanet, ergo tunc interrumpitur alteratio, si non permanet, ergo durabit tantùm per instans, at duo instantia non possunt esse immediata, ergo inter acquisitionem caloris vt duo, & caloris vt tres, aliquod tempus intercessit, non fuit igitur alteratio continua, sed interrupta. Dices, idem argumentum fieri posse contra motum localem, nam in hoc dum acquiritur nouus locus, siue nouum vbi, deperditur præcedens, quæro ergo, an mobile persistat in hoc secundo loco per aliquod tempus, si hoc asseratur, ergo motus fuit interruptus, si negetur, ergo fuit in eo tantùm per instans: sed rursus inquiro de tertio loco, an mobile fuerit in eo per aliquantulum temporis, si detur, idem infero, quod priùs, mobile quieuisse, si non fuit, sed tantùm

per instans, ergo vel duo instantia immediata, vel motus nō continuus. Dicendum tamen, discrimen esse inter motum localem, & alterationem ad mentem aduersariorum, quia in motu locali diuersa vbi acquiruntur successiuè, quia sunt diuisibilia, at verò in alteratione cum ponant aduersarij, singulos gradus esse indiuisibiles, ac proinde non posse singulos acquiri nisi in instāti, verè sequitur, alterationem fore discretam, & non continuam.

Cum igitur qui aliter, quàm per additionem graduum, explicarunt, à Scopo aberrarint, consequens est, vt ab ea non discedamus, nisi aberrare velimus.

Responsio ad argumenta.

SECTIO IIII.

AD primum pro prima sententia respondetur, in intensione terminum à quo deperdi, posse intelligi dupliciter, vel de termino priuatiuo, qui etiam dicitur terminus intrinsecus, vel de termino positiuo, qui est terminus extrinsecus, prior terminus est priuatio, siue non esse caloris, qui acquiritur, & hic procul dubio deperditur, sicuti recedit à materia priuatio adueniente forma; posterior verò terminus est calor remissus, & hic non est necesse, vt deperdatur realiter, sed satis est, vt deperdatur formaliter, quia non se habet amplius vt terminus vltimus illius qualitatis, sicuti addita vnitate ternario, fit quaternarius, neque tamen aliqua vnitas, siue entitas ternarij amittitur, sed simul cum alia entitate nouam denominationem acquirit.

Ad secundum respondetur, essentiam posse sumi dupliciter, vel. s. pro quidditate rei, quæ ex genere, & differentia constituitur, vel pro entitate reali rei, quæ ex partibus integrantibus componitur, priori modo dicimus, non variari essentiam, & cōsequenter non mutari speciem, posteriori verò fatemur, variari essentiam, scilicet entitatem, sed hinc negamus, sequi diuersitatem speciei, sicut puer, & vir sunt æquales in essentia priori modo spectata, vterque. n. est animal rationale, at non sunt æquales in entitate, quia vir plus habet substantiæ, quàm puer, substantia autem neque in essentia prout significat quidditatem, nec prout significat entitatem, suscipit magis, & minus. Dices, sicut qualitati additur pars noua qualitatis, & dicitur intendi, ita etiam substantiæ potest addi noua pars substantiæ, vt homini, cum nutritur, cur igitur etiam nō diceretur substantia intendi? Respondetur, per additionem nouæ partis fieri augmentum vel secundum intensionem, vel secundum extensionem, substantiæ, & quantitati secundum extensionem, qualitati verò, si fit in eadem parte, secundum intensionem. Cur autem additio in substantia faciat extensionem, & non intensionem, est primò quia naturaliter non potest ei addi in eadem parte, & loco, sed oportet, vt per additionem extendatur. Secundò, quia non recipit maiorem perfectionem substantia per additionem, eò quòd ex se sit completa, & perfecta, vel si talis non est, indigeat substantia alterius rationis ad sui complementū, qualitas verò potest perfici per gradum eiusdem generis, cuius rei ratio non est vlteriùs inquirenda, alioqui si semper rationis rationem inquirimus, in infinitū procedimus, ad quædam igitur est deueniēdum, quę per se conueniunt, & non per aliud principium, vt hominem esse rationalē, sub-

substantiam,per se subsistentem, & per hæc patet etiam ad reliquas cōfirmationes.

Ad primum pro secunda sententia respondet, falsū esse illud principiū, q forma separata nō possit esse intensior,& remissior, vt ex argumētis pro nostra sententia constat, possumus tamen interpretari S. Thomam,cum id asserit 1.par. q.54. art. 1. & 2. & sæpe aliàs, vt loquatur de forma, quæ natura sua est separata, quales sunt intelligentiæ. Nam reliquę etiamsi sint separatę actu,semper tamen dicunt ordinem,& aptitudinem ad corpus, quo pacto ipsum exponit Suarez disp. 46. citata sect. 1.num. 36.

Ad secundum respondetur, nolle Aristotelem,addi calidum, idest subiectum calidum, quia tunc fieret extensio,nō autem intensio, non tamen negat,addi calorem, vel si per calidum concedamus intelligi calorem,dicimus, non addi ab extrinseco, sed à materia educi.

Ad tertium iam diximus, fieri additionem ex parte formæ, neque inde sequi mutari speciem, vt patet ex responsione ad secūdum pro prima sententia. Dices, saltem erit magis calor vnus,quàm alter. Respondetur, in hoc tantùm esse posse quæstionem de nomine, meritò tamen non dicitur vnus calor esse magis calor, quàm alius, ne videamur significare, ipsam essentiā metaphysicā, idest constitutam per genus, & differentiam, suscipere magis, & minus, vt rectè etiam aduertit Suarez num. 37.

Ad quartum respondetur, partes, siue gradus vnius qualitatis se habere in potentia ad alios, vt quæstione sequenti magis explicabimus.

Ad quintum respondetur, formā simpliciorem,immaterialem,esse perfectiorem, non verò materialem; quia hæc sequitur naturam compositorum materialium, quæ quò minùs sunt simplicia, eò sunt perfectiora, & ita anima rationalis, quia est indiuisibilis,& simplex,est perfectior materialibus, at ex his illæ sunt perfectiores, quæ maiorem habent compositionem.

Ad sextum, hæc difficultas, quomodo gradus inter se differant, erit examinanda sequenti quæstione.

Ad septimum,hoc quoque eamdē tangit,quare illuc differatur.

Ad octauum dico, quod intenditur,semper idem esse,non tamen indiuisibiliter,quare licet acquirat,vel deperdat aliquam partem, adhuc tamen dicitur idem,licet non secundū omnes sui partes, quomodo autem differat extensio quantitatis ab intensione qualitatis, dictum est in responsione ad secundum pro prima sententia,& quæstione sequenti etiā explicabitur.

An intensio fiat per additionem graduum eiusdem, vel diuersæ rationis.

QVÆSTIO XXVI.

VErsatur hæc controuersia inter sectatores communis sententię,scilicet intensionem fieri per additionem graduum, qui enim existimant,fieri per maiorem radicationem in subiecto, nullos admittunt gradus in qualitate, sed vt vidimus, explicare non possunt sine illis, in quo posita sit differentia inter qualitatem intensam,& remissam. Suppositis igitur gradibus, quærimus, an sint omnes eiusdem rationis, & perfectionis, vel diuersæ, quod est idem, ac quærere, an sint homogenei,an eterogenei,sicuti enim ex to-

tis integralibus quædam sunt, quæ partibus homogeneis constant, vt non viuentia, quædam verò eterogeneis, vt viuentia, ita possumus cõcipere in qualitate, esse partes homogeneas, vel eterogeneas, homogeneæ erunt, si gradus secundus sit eiusdem perfectionis omnino, ac primus, ita vt non alia ratione dicatur secundus, nisi quia secundo loco est productus, vel si simul cum primo productus fuit, quia sic placet numeranti, cum ex se possit etiã numerari primo loco, & qui est primus, secundo. Eterogenei verò, si secundus gradus dicat maiorẽ perfectionem, quàm primus, & non possit esse nisi secundus, ita vt non sit tantùm ordo per accidens ad placitum numerantis inter primum, & secundum, sed etiam ordo naturalis, & perfectionis. Præterea notandum, quòd sicut quãtitas diuidi potest in partes in infinitũ, ita ẽt qualitas habet in intẽsione partes sincategorematicè infinitas, sed tamen tota latitudo eius intensionis, quam naturaliter habere potest, diuidi à Philosophis in octo partes nõ communicantes, quæ gradus appellantur, non quia non potuisset etiam diuidi in plures, vel pauciores, sed quia hæc diuisio commoda visa est ad multa, quæ de huiusmodi qualitatis latitudine dicuntur, explicanda.

Prima sententia in omni qualitate gradus diuersæ rationis admittens.

SECTIO I.

Amplexus est hanc sententiam Suarez disp. 46. in metaph. sect. 1. nu. 34. quamuis fateatur, esse contra communem, & ante eum Frã castorius in tract. de symp. & antip. cap. 6. licet hic de cõtrarijs tantùm qualitatibus apertè loquatur. Mouetur autem Suarez his rationibus. Prima, quia tũc si duo primi gradus caloris, qui sunt in diuersis partibus subiecti, in eadem ponerentur, illa pars fieret calida vt duo, ex quo multa absurda sequerentur.

Primum, quòd hoc augmentum intensiuum æquè accidentarium esset formæ, atque extensiuum, quia per accidens est, quòd plures gradus sint in eadem, vel in diuersis partibus, non ergo fit perfectior qualitas per intensionem, quàm per extẽsionem, quod est contra communẽ conceptionem omnium.

Secundum, quia sequeretur, huiusmodi augmentum posse procedere in infinitum æquè, atque augmentum extensiuum, consequens est prçter naturam rerum, quantum ex physicarum qualitatũ experientia colligi potest. Sequela patet, quia gradus qualitatis tam possunt vniri in eadem parte subiecti, quàm in diuersis, immo & faciliùs, quia multiplicatio subiecti non est necessaria. Et confirmatur, quia non magis repugnat, quartum gradum vniri quinto, quam tertium quarto, & idem est respectu vlterioris de quolibet alio gradu. Neque verò potest adesse repugnantia ex parte capacitatis subiecti, quia ipsum de se est indifferens, & capax singulorum, & multorum simul.

Tertium, calor vt vnum posset producere calorem vt centum. Probatur consequentia, quia potest hic calor producere centum gradus caloris in diuersis subiectis, ergo etiam poterit in eodẽ subiecto, & cõsequenter calorem vt centum; cur enim, si potest in diuersis subiectis,

non

non poterit in eodē? An quia postquam subiectum recepit calorem vt vnum, iam est simile agenti, & simile non agit in simile? Verùm hoc non sufficit, quià verè in calido vt vnum adest potentia producendi calorem vt vnum, alioquin in nullo subiecto producere posset, & passum quamuis calidum etiam vt vnum habet potentiam ad recipiendum gradum illum caloris, nam si accedat calidum vt duo, statim recipiet, cur ergo non poterit etiam à calido vt vno? Quòd enim simile non agat in simile; non prouenit ex parte agentis, sed ex parte passi, quod non potest recipere formam similem illi, quam iam tenet, quia omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti; at hoc passum potest recipere formam similem, vt patet, quia recipit ab alio calido, ergo nihil obstat similitudo agentis, nam quatenus alio simili gradu caret, est sufficienter dissimile, vt illam possit recipere; Atque ita fit, vt calor vt vnum efficere possit calorē vt octo: fit etiam consequenter, vt duo calida vt vnum possint se inuicem intendere vsque ad summum. Imo etiam sequitur, vt idem calor vt vnum possit ex vi solius caloris se intendere vsque ad quoscunque gradus possibiles. Nam quòd suppositum, aut calor eius agat in se, non erit impedimento, si aliunde supponitur (vt re vera illa sententia supponit) idem subiectum secundum idem posse simul esse in actu formali respectu vnius gradus, & in potentia etiam formali ad alium gradum omnino similem.

Quartum, in remissione qualitatis nullus gradus assignari posset, qui ex natura rei primò abijciatur ex vi introductionis primi gradus alterius qualitatis, quod est inconueniens. Sequela probatur, quia omnes illi gradus sunt inter se omnino similes, & æquè etiam vniti; Falsitas autem consequentis probatur, quia numquam remissio posset inchoari, quia nulla esset ratio, cur potius expelleretur vnus gradus, quàm alter, ergo vel nullus expelletur; vel omnes simul. Si dicas, determinari per primam causam, saltem habebitur, ex natura rei non posse reddi rationem, cur vnus potius expellatur, quàm alius, nec ad determinationem primæ causæ recurrendum est, nisi euidens necessitas nos coegerit, quæ hic non interuenit.

Adde, quòd si intensio solùm est collectio, & vnio graduum omnino similium, omnes, & singuli eorum habebunt eamdem oppositionem cum quolibet gradu alterius qualitatis contrariæ, & ideo si in subiectum, quod erat frigidum vt octo, introducatur vnus gradus caloris; vel expellentur omnes gradus frigoris, vel nullus, quia non habet maiorem repugnantiam cum vno, quàm cum alijs, vel ergo hæc repugnantia sufficiet ad expellendum, & expellet omnes, vel non sufficiet, & omnes secum compatietur; Non enim incompossibilitas graduum oritur ex multitudine, quia alioquin eque multi similes possent esse in eodem subiecto, sed oritur ex repugnantia, quæ, vt ostendimus, nō minùs est cum omnibus, & singulis, quàm cum vno tantùm.

Quintum, accidentia numero tantùm diuersa, & omnino similia non possunt esse simul in eodem subiecto, atqui ita se habent hi gradus homogenei, ergo non poterunt esse simul in eodem subiecto.

Sex-

Sextum, in quantitate sunt partes infinitæ, ergo si calor omnis per eas partes diffusus in vnum à Deo colligatur, resultabit calor infinitè intensus, quod est impossibile.

Secunda sententia gradus tantùm homogeneos agnoscens.

SECTIO II.

Quamuis Suarez nullam sibi occurrere rationem affirmet, quę vel apparenter ostendat, impossibilem esse illam latitudinem graduum diuersæ rationis, quam ipse amplectitur. Mihi tamen complures occurrunt, quæ huiusmodi gradus eterogeneos, si nõ funditus tollunt, saltem magna ex parte euertere videntur.

Prima autem ratio ab experimentis deducitur. Nam si eidem medio propinquæ sint duæ faces accensæ, quarum quælibet in eo producat tantùm lumen vt duo, videmus in medio lumen vt quatuor, ergo intensio luminis fit per gradus homogeneos. Consequentia patet, quia ab vnaquaque producuntur gradus luminis eiusdem rationis, cũ enim sint æquales inter se, nulla est ratio, cur vna producat lumen vnius rationis, & altera alterius, ergo ex gradibus eiusdem rationis consurgit qualitas magis intensa, & idem argumentum fieri potest de duobus ignibus, siue calidis, quæ simul maiorem calorem producunt, quàm separata.

Secundò, ponat Deus quartum gradum caloris in aliquo subiecto, sine tribus, qui naturaliter debuissent præcedere, vel reddet subiectum calidum, vt quatuor, vel vt vnum, si vt quatuor, ergo illud subiectum habebit quatuor gradus caloris, & non habebit, quæ est contradictio; præterea superflui sunt tres præcedentes, cum sine illis æquè sit subiectum calidum, atque cum illis, si verò sit calidum vt vnum tantùm, ergo ille gradus caloris non erit perfectior alio gradu, qui dicitur esse vt vnum.

Tertiò, vel isti gradus differunt inter se specie, vel numero tantùm, si specie, ergo qualitas per intensionẽ, & remissionẽ mutatur essentialiter, similiter erunt species infinitæ, cum quælibet qualitas possit diuidi in infinitum. Item ex multis speciebus componetur vnũ indiuiduum, quę omnia videntur absurda.

Si numero tantùm differunt, ergo non essentialiter, non igitur debent vocari eterogenei, neque vitabitur, quòd infinita entia numero sint in qualibet qualitate.

Quartò, in totis integrantibus, quãuis dentur partes eterogeneæ, videmus tamen, has omnes componi ex homogeneis, brachium enim componitur ex carne, ossibus, neruis &c. quæ omnia sunt homogenea, ergo etiam gradus eterogenei qualitatis debebunt componi ex partibus homogeneis, quod si concedatur, quæro, an illæ partes homogeneæ simul sumptæ magis intendant qualitatem, quàm vna earum tantùm, si magis, ergo idem poterunt efficere gradus reliqui, etiamsi sint homogenei, si non magis, ergo superflua est eorum multitudo, & vnica sufficiet. Si dicatur, nullas esse partes homogeneas. Primò, nõ videtur probabile, naturam cõcessisse qualitati, quod non solùm mistis inanimis, sed etiã viuentibus perfectis denegauit. Pręterea essent infinitæ diuersæ entitates in qualibet qualitate, quod videtur absurdum, nam oporteret, quemlibet qualitatis gradũ habere suam definitionem, & in quauis remissa

fide

fide essent infinitæ fides specie diuersæ, saltē sincategorematicè. Tolleretur etiam intensio, & remissio, quia quando variatur species, non dicitur res intēdi, sed essentialiter mutari.

Quintò, ex Aristotele, qui cum 8. phys. tex. 18. dixisset, alterationem esse motum ad qualitatem, tex. 19. hæc subdit, *qua autem est in eadem forma mutatio in magis, & minùs, alteratio est*. Ex quibus verbis colligitur, formam magis, & minùs intensam non differre essentialiter, at si haberet gradus eterogeneos, differret, igitur.

Sextò, videtur etiam fauere condensatio, nam si multiplicatio graduum nihil conferret ad intensionē, non appareret intensior calor in materia densa; quòd enim appareat, nō aliūde prouenit, nisi quia magis propinqui sūt multi gradus, si ergo quodammodo intenduntur propinqui gradus, multò magis intendentur, si sint simul.

Septimò, dum ignis calefacit aquam, introducit paulatim plures gradus caloris, ergo homogeneos. Probatur consequentia, quia agens naturale semp eodē modo agit, sed est idē agēs in principio calefactionis, & in fine, ergo semper eodem modo agit, semper igitur effectus eiusdem rationis producit, & per consequens homogeneos.

Tertia sententia authoris gradus eterogeneos partim negans, & partim admittens.

SECTIO III.

VT meam explicem sententiam in hac controuersia, propter rationes ferè vtrinque pares, valde ancipiti, noto priùs, aliquas esse qualitates, quæ contrario carent, cuiusmodi sunt lumen, & species intentionales, aliquas verò, quæ contrarium habent, vt primę qualitates, inter quas solet etiam aliud adesse discrimen, quòd illę pendēt in fieri, & in conseruari ab efficiente, vt patet in lumine, hæ verò habent esse permanens, neque pendent in conseruari ab efficiente. Noto præterea, inter hæc duo genera qualitatum esse aliud genus medium qualitatū, quæ neque propriè habent contrarium, neque eo omnino carent, & ita etiam neque omnino indigent conseruatione efficientis, neque tamen diu per se durare possunt, sed nisi adsit conseruans, per se paulatim deficiunt, talis est impulsus, siue virtus impressa, qua mouentur proiecta (supponatur enim modò, quod alibi erit probandum, hanc virtutem dari) non enim hæc virtus habet propriè contrarium, in quo formalem repugnantiam retineat, neque tamen omnino caret, quia grauitas ipsa lapidis videtur ei repugnare, quare quò maior est grauitas, eò maior etiam requiritur virtus ad lapidē impellendum, siue proijciendum. Similiter hæc virtus impressa non indiget actuali influxu agentis, nam etiam absente, & quiescente proijciente lapides proiecti mouentur, neque verò habet omnino esse permanens, nam paulatim ex se ipsa deficit. Qua in re admiranda est naturæ dispositio, vel, vt melius dicam, Dei prouidentia; nam illis qualitatibus, quę à contrario oppugnantur, tribuit esse permanēs, vt illi faciliùs resisterent, neque ad interitum velociſſimè properarent, illis autem, quæ contrario omnino carent, quoniam si haberent esse permanens, numquā deficerent, quod nimia fuisset perfectio, vt cōtinuo efficientis influxu

indi-

indigerent, effecit, per cuius subtractionem statim deficerent; illis autem, quæ medio modo se habent quoad contrarium; ita etiam medio modo se voluit habere circa permanentiam, & indigentiam conseruantis, loquor autem de qualitatibus sẽsibilibus, nõ autem de spiritualibus. His prænotatis duas statuo conclusiones.

Prior est, qualitates, quæ contrarium proprium nõ habent, vt lumẽ, & virtus impressa, per gradus homogeneos intenduntur.

Posterior est; qualitates, quæ contrarium patiũtur, quales sunt calor, & cæteræ primæ qualitates, per gradus eterogeneos tantùm augmẽtum recipiunt, quas conclusiones antequã sigillatum probem, libet earũ cum naturæ ordine congruentiam adnotare. Congruum enim fuit, vt qualitates, quæ habent esse permanens, non augerentur per gradus homogeneos, quoniam nimis facilè vsque ad summum gradum intendi potuissent, idem enim agens post primum gradũ productum potuisset addere secundum, & ita deinceps, quod in qualitatibus, quæ continuo concursu indigent, non accidit, quoniam non potest nouum lumen addi lumini iã producto à luminoso, sed idem lumen iam productum per actionem agentis conseruatur. Præterea qualitates, quæ contrarium habent, corruptiuæ sunt, quare non oportuit, vt tam facilè intendi possent; quæ verò contrario carent, perfectiuæ, quapropter meritò per gradus homogeneos facillimè intendi merentur, sed præter has, & alias congruentias, quæ adduci possent, adsunt etiam pro his conclusionibus firmissimę rationes ab experientia potissimùm deductæ.

Prior ergo conclusio probatur euidenter experimento, potissimùm verò in motu locali, & virtute impressa. Impellat enim quis rotam, mouebitur exempli causa vt duo, addat nouum impulsum eiusdem rationis cum priori, mouebitur vt quatuor, vel paulò minùs, addat tertiũ, mouebitur vt sex, patet igitur, intendi motum, & virtutem, siue impetũ, à quo immediatè ille procedit per gradus homogeneos, & eiusdem rationis, & idẽ colligitur ex eo, quòd si duo homines æqualis virtutis impellant idem mobile, citius, & velocius mouebunt, quàm si alter tantùm esset, atqui si ad intensionem huius effectus requireretur gradus eterogeneus, cum ab eiusdem rationis viribus non possint non nisi gradus homogenei prodire, planè sequeretur, tã velociter, & facilè mouendum mobile ab vno, quàm à duobus, vel tribus, si ęquales virtutes sint.

Idem etiam accidit in lumine, nam, vt supra dicebamus, a duabus candelis æqualibus multò magis illuminatur medium, quàm ab vna tantùm, quod tamquam certum, & exprobatum conspectui supponunt vt patet ex Francisco Aguilonio lib. 5. optic. hyp. 2. & prop. 17. & 21. Nõ apparet hoc tamen tam clarè in lumine, quàm in motu, quoniam lumen cum nõ habeat esse permanẽs, non tam facilè potest ab eodem agẽte recipere augmentum, sicut potest motus. Sed corroboratur etiam in lumine hoc argumentum, quoniam per reflexionem radiorum lumen intenditur, & etiam per vnionem, vt patet in phiala vitrea aquæ plena, siue in speculo concauo, si exponatur soli, vbi enim fit radiorum solis coaceruatio, siue vnio, mirum in modum intenditur lumen, quod est signum

gnum euidens, intensionem in lumine fieri posse per gradus homogeneos. Sunt tam clara hæc experimenta vt nulla alia ratione indigere videatur hæc conclusio.

Posterior verò conclusio probatur à contrarijs experimentis, nam calidum vt quatuor calefacit subiectum vt quatuor, non potest autem tribuere alium gradum caloris, neque intendere vt quinque, ergo signum est, quintum gradum caloris esse eterogeneum, & indigere altiori virtute, quod enim dicebatur, simile nō posse agere in simile, rectè à Suarez supra refutatum fuit, & potest confirmari exemplis supra allatis de motu, & de lumine, quibus nihil officit hæc similitudo, radius .n. rectus, & reflexus similes sunt, & tamen se intendunt, & similes sunt radij, qui in toto speculo recipiuntur, & tamen vniti augmentum recipiunt, ergo similitudo non impedit, & euidenter apparet, duas candelas æquales vnitas intensionem accipere, cum è contra, si duos calores vt quatuor vnias, extēdetur quidem calor, at non intendetur magis.

Amplius, agat ignis in passum, quod ratione distantiæ non possit calefacere, nisi vt sex, vt experimento facilè constabit, quæro, cur post sextum non possit producere septimumgradum? An quia passum est iam simile? nequaquam, quia ignis est calidus vt octo, cur ergo? Dicent, esse simile virtuti agentis, secundum quam potest agere hic, at hoc, est fateri gradus eterogenos, quia si ignis non habet virtutem producendi septimum gradum in distans, & tamen potest sex, signum est, hos gradus esse diuersæ rationis, si verò habet, nondum passum sibi perfectè assimilauit neque in virtute.

Præterea confirmatur alio experimento desumpto ex agente, quod continet virtute duos gradus caloris, & non amplius, exempli gratia vinum, quando .n. forma vini duos gradus caloris produxit, cur non potest alios duos? Non habet hic locum, quòd simile non agat in simile, quia per qualitatem virtualem non fit agens simile passo, postquā igitur produxit duos, poterit & alios duos, & sic intendetur calor vsque ad summum. Si dicas, attendi hic similitudinē virtualem, & maiorem virtutem esse in vno, quàm in alio: fatearis, oportet, maiorem virtutem requiri ad producendum sextum gradum, quàm ad quintum, quòd si hi gradus sint homogenei, est omnino à ratione alienum. Cōfirmatur, quia nulla ratio afferri posset, cur vnum agens diceretur virtualiter calidum vt duo, aliud verò vt tria, vel vt sex, nam quod est calidum vt sex, non potest producere, nisi sex gradus caloris homogeneos, at illud etiam, quod est calidum vt duo, producere potest sex caloris gradus eiusdem rationis. Si dicas, primum producere posse in eodem subiecto, secundū verò nequaquam, non poterit huius dicti reddi conueniens ratio. Nam discrimen nec oritur ex parte agentis, quia quodlibet eorum in diuersis subiectis producere potest sex gradus, nec verò ex parte subiecti, quia potens est recipere sex gradus, neque ex parte similitudinis, quia hæc non adest, neque est maior ratio, cur hoc passum dicatur potius simile secundo agenti, quàm primo, præcipuè si supponamus, etiam secundum successiuè producere sex gradus caloris.

Si dicas, non posse calidum, vt duo tantùm superare resistentiam passi. Contra, potentius erat passum ad resistēdum, antequam reciperet duos gradus caloris, quàm postea, quia frigus eius est diminutum, at calidum vt duo potuit ipsum tunc superare, ergo etiam poterit nunc, nisi dicamus, quod verè dicendum est, gradus frigoris, qui in passo remanserunt, esse diuersæ rationis ab expulsis, & consequenter ad sui expulsionem requirere etiam virtutē diuersæ rationis, alioqui sicut mouēs postquam cœpit impellere mobile, potest semper magis, & velociùs impellere; ita etiam postquam calidum cœpit expellere frigus ab aliquo subiecto, si omne frigus esset eiusdem rationis, totum faciliùs expelleret, quàm partem eius primam expulisset.

Ex qua doctrina non mihi videtur prætereundum, colligi veram responsionem ad illud problema, cur grauia velociùs moueantur in fine, in quo soluendo plurimorū ingenia frustra desudarunt, quòd. n. illa maior velocitas oriatur ex centri propinquitate, vel ex aere, figmenta sunt, vt alibi fusiùs ostendemus, sed ratio pendet ex his principijs, quòd ille impulsus, quo graue mouetur, illi à sua grauitate impressus augeri potest per gradus homogeneos, quare cum grauitas cōtinuè deorsum pellat lapidem, nouum etiam ei addit impulsum, quare multiplicatus, & intensior impulsus velocioris motus est causa; Sicuti etiam si quis manu impellat aliquod mobile, si per aliquod tempus eodem conatu perseueraret impellere, dubium non est, semper velociùs, & velociùs illud mobile motum iri, sicuti etiā videmus, valuas portarum, quæ à tergo, aliquo pondere impelluntur, vt claudantur, primùm quidem tardiusculè moueri, at vbi cœpit multiplicati impulsus, longè velociùs, ac impetu mirum in modum adaucto ferri, quod ipsum etiam nos à natura docemur, cur. n. extollimus brachium, cū vehementer aliquid percutere volumus, nisi vt per illam distantiam multiplicetur impulsus, & impetus, & ita longè grauiores feriamus, quàm si è propinquo, licet maiori conatu in idem incumberemus?

Quæ multiplicatio effectus non apparet in lumine, non quia lumen augeri non possit per gradus homogeneos, sed quia nō habet esse permanens, & idcirco agens non potest priori lumini à se producto addere posterius, è contra verò non cernitur in calore, & similibus qualitatibus, non quia non habeāt esse permanens, sed quia indigent gradibus eterogeneis, vt intendantur, qui ab eadem virtute non possunt produci.

Tertiò argumentor ex conseruatione. Nam calidum vt quatuor conseruabit aliud calidum vt quatuor, siue etiam ignis in proportionata distantia conseruabit calidum vt sex, & tamen non intendit, ergo intensio non fit per gradus homogeneos. Antecedens experimentis patet, nam sæpe adhibemus ignem, siue aliud calidum non ad augendum, sed ad conseruandum calorē. Probatur consequentia, quia conseruatio non fit sine actione, vt est commune Philosophorum effatū, neque probatione indiget. Actio autem non fit nisi medio influxu ab agente in passum, quæro ergo, quid influat calidum conseruans in calidum conseruatum, vel calorem, vel aliquid aliud, si quidpiā aliud, ergo erit impertinens ad conser-

uandum calorem, nec poteſt explicari, quid ſit hoc aliud; ſi calorem, ergo calidum conſeruatum accipit calorem nouum ab igne, ſed calor quilibet per aduerſarios additus calori ipſum intendit, non tantùm igitur conſeruabitur, ſed etiam intendetur calor. Reſpondebunt fortè, ignem non producere aliquid in paſſum conſeruatum, ſed tantùm defendere à contrario ambiente. Sed non ſe defendent, primùm .n. falſum eſt, defendere tantùm, quia etſi nullum adſit corrumpens exter num, adhuc calor in extraneo ſubie cto ex ſe deficiet, vel ab ipſo ſubiecto, quod ſe reducit ad priſtinum ſtatum, expelletur, ergo indiget cõſeruatione intrinſeca, & non tantũ, vt defendatur ab extrinſeco contrario. Præterea ſæpe ignis non calefacit ambiens, poterit .n. ambiens frigidum eſſe ſupra rem calidam, & ignis ſubter, tunc ergo conſeruabitur illa res, verbi gratia aqua calida, per actionem in ſe receptam, non verò in contrario extrinſeco. Secundò reſpondere poterunt, ignem conſeruantẽ agere quidem in aquam, tamen non augere eius calorem, quia iam eſt ſimilis perfectè, ſi non agenti remoto, ſaltem proximo, nempe aeri, vel corpori, quod mediat inter ignem, & aquam. Sed neque hæc reſponſio melior eſt, quàm præcedens. Nam ſimile nõ agere in ſimile, poteſt intelligi dupliciter, vel quia verè agens non agat, & hoc iam oſtendimus eſſe falſum, quia conſeruans verè agit, vel quia eius actio non afficiat diuerſimode paſſum, quia iã reperit ſimile, & hoc eſt pro nobis, quia iam, quòd ſimile non agat in ſimile, non eſt reſpectu agentis, ſed formæ per ipſum introducendæ, ergo etiamſi accedat aliud agens diſſimile, non poterit tamen ſimilem formam introducere, calidum igitur vt quatuor non poterit quintũ gradum recipere neque à ſimili, neque à diſſimili, vel ſi recipit à diſſimili, non eſt ratio, cur etiam à ſimili non recipiat. Præterea quamuis aer, vel aliud corpus ſit aquæ in calore ſimile, tamen ignis eſt diſſimilis, qđ eſt principale agens, ergo poterit aquæ calorem intendere. Confirmatur, quia ſi non poſſet aquam, ſaltem intenderet paſſum ſibi propinquum, & hoc aliud, atque tandem etiam ipſam aquam. Tertiò ſubtiliùs reſpondere poſſent, ignem re vera non conſeruare calorem aquę, ſed quotieſcunque ab eius forma paululum remittitur, ab eo reparari, atque ita ſemper remanere calorem in eodem gradu. Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit, quando .n. duo calida mutuò ſe conſeruant, & fouent, non poteſt in eis habere locum, quia ſi ab ipſorum ſubiectis expelleretur aliquis gradus caloris, non eſſet agens, quod poſſet denuo reparare, nõ igitur mutuò calorem reparant, ſed re vera conſeruant. Præterea ſequeretur, idem moueri contrarijs motibus, nam ponamus rem tepidam inter duo agentia plurimæ virtutis, quorum alterum ſit calidum, alterum verò frigidum, clarum eſt, quòd ſi alterum horum agentium remoueatur, verbi gratia frigidum, illud, quod erat in medio tepidum, ſtatim fiet calidum in ſummo, vel frigidiſſimum euadet, ſi remoueatur calidum, quando autem eſt in medio amborum, perſeuerat tepidum, ergo à frigido conſeruatur contra calidum, & à calido contra frigidum, ſi ergo per productionem tunc frigefiet ſimul, & calefiet, quod eſt contrarijs motibus moueri, ad hæc non poteſt dici,

quòd reparetur, quia non est maior ratio, cur à calido destruatur, & à frigido reparetur, vel è conuerso, & potest illud tepidum semper eumdem gradum retinere, ergo signum est, non reparari, sed verè conseruari per actionem positiuam, neque tamen intendi, vt supra dicebamus. Cuius ratio non potest colligi ex similitudine agētis, & passi, quia hæc non impedit actionem, alioquin enim non se conseruarent, sed ex similitudine, quam habet forma passi cum ea, quam potest producere agens, ad quam impertinens est, quòd agens sit simile, vel dissimile passo, non magis igitur calidum vt quatuor poterit intendi per gradum receptum à calido vt quinque, quàm per receptum à calido vt quatuor. Vrgetur etiā idem argumētum, quia dum ignis conseruat calorem vt quatuor in aqua, agit tota sua virtute, quæ est productiua quatuor graduum, at non tota impenditur in conseruatione, quia ablato igne non statim deficeret totus calor in aqua, sed vnus gradus tantùm, cur ergo non producit tres alios? non potest alia ratio reddi, nisi quia subiectum nō est capax, atqui si intensio fieret per gradus homogeneos, esset capax, & verè intenderetur.

Quartò, est magnum argumentum pro hac sententia. Primus gradus frigoris nullam habet repugnantiam cū primo gradu caloris, & tamen habet cum octauo, ergo primus, & octauus gradus caloris non sunt eiusdem rationis. Antecedens est certissimum apud omnes Philosophos, qui concedunt, contraria in gradu remisso esse posse simul, nō tamen in gradu summè intenso. Consequentia quoque est clara, nam quæ sunt eiusdem rationis, habent eamdem oppositionem; si ergo primus gradus frigoris non expellitur à primo caloris, & tamen expellitur ab octauo, quis non videat, diuersam habere & oppositionem, & naturam? Confirmatur auctoritate Aristotelis 4. phys. tex. 53. vbi probat, duo corpora non posse simul esse, quia possent etiam infinita, verba eius sunt, *si plenum suscipiat (corpus) sintq; duo (corpora) in eodem, continget vtique, & quotlibet simul esse corpora, differentiam enim, propter quam non vtique erit, quod dictum est, non est dicere*, eodē igitur pacto argumentabor, si duo gradus caloris, & frigoris possunt esse simul, ergo nulla est ratio, cur non etiam infiniti, nisi dicamus, hos gradus inter se diuersæ esse rationis, & quamuis dici posset, Aristotelem loqui ex mente antiquorum, attamen, dum hanc rationem non soluit, signum est, eam approbare, & ipsa etiam per se non parum habet virium. Dicent fortè aduersarij, hoc oriri ex eo, quòd subiectū potest simul sustinere primum gradum caloris, & primum gradum frigoris, non verò octauum caloris, & octauum frigoris, sed hoc sustineri non potest, nam calidum vt octo poterit recipere nouum gradum siccitatis, luminis, coloris, & cuiuslibet alterius accidentis, & tamen non potest vnum gradum frigoris, ergo nō oritur ex incapacitate subiecti, sed ex ipsa graduum natura. Præterea octauus gradus caloris, & octauus frigoris etiam quando sunt in diuersis subiectis, vel in diuersis partibus eiusdem subiecti, pugnant inter se, ergo non oritur ex incapacitate subiecti, sed ex natura ipsorum, at primus gradus caloris, & primus frigoris, siue in eodem subiecto, siue in diuersis numquam pugnant, ergo

re

re vera nullam habent inter se repugnantiam. Confirmatur etiam, quia, quæ re vera sunt inter se contraria, nullo pacto nec quoad minimũ ipsorum se compatiũtur simul, sic duæ minimæ quantitates nõ possunt esse in eodem loco: duo motus cõtrarij, verbi gratia sursũ, & deorsum quoad nullã partem possunt esse simul, & idẽ accidit in oppositis priuatiuis. Si igit' verè primus gradus caloris, & primus frigoris essent contrarij, nullo modo possent esse simul, sed se mutuò expellerẽt. Quare quod aduersarij asserũt, hũc gradum caloris, qui introducitur in subiectum frigidum vt octo, habere æqualem repugnantiam cũ omnibus, & singulis gradibus frigoris, & tamen vnum tantùm expellere, cum alijs verò sine vlla pugna pacificè degere, cum hoc paruæ capacitati subiecti, quod potest accidentia non contraria vsque in infinitũ recipere, acceptum referri nequeat, non videtur perfecto Philosopho dignum.

Argumentis primo loco positis contra nostram sententiam satisfit.

SECTIO IIII.

Tam argumenta, quæ attulimus pro prima, quàm quę pro secunda sententia, videntur nostram oppugnare, quæ partim cum vna, partim cum altera congruit, erunt igitur vtraque, quatenus nobis aduersantur, soluenda.

Ad primum pro prima sententia, quatenus hoc argumentum impugnat gradus homogeneos caloris, non est contra nos, quatenus verò fieri potest contra eosdem in lumine, vel motu dicimus, verissimũ esse, quod in eo habetur pro absurdo, quòd lumen, & motus, siue virtus impressa intendi possint in infinitum, idq; experientiæ est conforme, quia non datur motus tam velox, qui non possit esse velocior, ergo, vt argumentemur à contrario, signum est, fieri velociorem per gradus eiusdem rationis. Quòd etiã in his qualitatibus intensio sit accidentaria, non minùs, quàm extensio, pro nullo inconuenienti habemus, neque hoc est contra omnium conceptionem, immo maximè conforme, nam æquè de intenso, ac de extenso lumine solet dici, esse magnum lumen, ferè numquam verò perfectius, vel intensius.

Ad secundum dicimus, concludere de calore, qui habet esse permanens, non verò de lumine, quod nequaquam, vt vidimus, & maxima ex parte quoque verificari de motu locali, vt explicauimus.

Ad tertiũ respondent nonnulli recẽtiores, etiã data illa graduũ inę qualitate non sequi, sufficienter per eã explicari, cur priùs producatur, aut corrũpatur vnus gradus, quàm alius, sequeret'.n. semper, priùs producendũ perfectiorẽ gradũ, & corrumpendũ imperfectiorẽ, cuius in contrarium ab autoribus huius sententiæ asseritur, probatur consequẽtia, quoniã primus gradus producit' in subiecto priuato omni calore, & cõsequẽter summè frigido, ad vincendũ ergo illud summũ frigus pfectissimus calor requirit', primus ergo caloris gradus, qui in illud subiectum introducitur, perfectissimus esse debet; secundus verò, qui reperit minorem resistentiam, poterit esse imperfectior, & ita deinceps. E contra verò in corruptione primus, qui destruitur, debet esse imperfectissimus, nã si sit octauus gradus, qui corrũpitur, ergo agens,

qui hunc destruit, multò magis poterit agere in alios minoris perfectionis, quare remississimus gradus frigoris poterit corrumpere octo gradus caloris, si enim corrumpat primum tantùm, ergo remanebit in subiecto secundus, & tertius gradus caloris sine primo, quod est inconueniens, si octauum, ergo cum reliqui sint imperfectiores, poterũt faciliùs ab ipso destrui. Oportet igitur (dicunt) recurrere ad Deum determinantem. Verùm neutra pars respõsionis satisfacit, nõ prior, in qua retorquetur argumentum, quia supponit gradum caloris, quò perfectior est, habere etiam vim maiorem ad resistendum, quod est falsum, nam videmus, perfectiora faciliùs destrui, quia indigent pluribus: ex omnibus sensibus primus, & perfectissimus est visus, & hic ante omnes alios in morte, & faciliùs etiã, quàm cęteri, in vita amittitur, imperfectissimus est tactus, & hic difficillimè, & postremus deperditur, & in formis etiam substantialibus, quæ perfectior est, solet esse imbecillior, diutius enim viuũt plantæ, quàm animalia, & lapides diutius conseruantur, quàm plantę, cui rei concinit etiam illud dictum Philosophorum, quæ maiorem actiuitatem habent, minori resistentia prædita sunt; Iure optimo igitur, & congruentissimè dicitur, primum omniũ introduci imperfectissimũ gradum, quia natura ab imperfectioribus ad perfecta tendit, & primum omnium destrui perfectissimum, quia perfectiora sunt imbecilliora, & quæ postrema fuerunt in ortu, prima solent esse in interitu, quare non valet illatio, primus gradus caloris expellit octauum frigoris, ergo poterit etiam reliquos, tũ quia reliqui, cum sint imperfectiores, magis resistent, tum etiam, & magis, quia cum sint diuersæ rationis octauus, & reliqui, non habent hi formalem repugnantiam cum primo, sicut ille.

Neque posterior pars, in qua simpliciter admittũt recursum ad Deũ, est omnino probanda, quamuis .n. sit hic recursus permittendus, vbi adest necessitas, hic tamen nõ adest & cæteris paribus illa opinio est amplectenda, quæ huiusmodi necessitatem excludit. Si igitur loquamur de gradibus eterogeneis, clarissimũ est, ab ipsis excludi hanc necessitatẽ ex dictis, si verò de homogeneis in lumine, vel in motu, vel numquam, vel rarò in his adest huiusmodi indigẽtia, nõ in lumine, quia cum hoc pendeat actu ab efficiente, ille gradus luminis corrumpetur, cuius efficiens, vel ex efficiente pars influxum cohibebit, si verò totum lumen ab eadem parte lumino si pendebit, vel non poterit vnus gradus sine cæteris deficere, vel si poterit, quod verisimile non videtur, tunc tantùm erit concedendus ad Deum recursus. Quoad virtutẽ verò impressam dicimus, illum gradum priùs deficere, qui prior fuit productus, quãdo autem producti sunt omnes simul, neque ex parte subiecti adest ratio, vt vnus priùs deficiat, quàm alius, tunc tandem recurrendum esse ad Deum determinantem, quamuis enim supra diximus, de formæ substantialis productione loquentes, fortè melius esse semper ad Deum recurrere, quàm aliquando tantùm, non tamen sequitur, vt idem hic dicamus, quoniam aliud est, loqui de rerum productione, quæ solet vnicum sibi vendicare modum, aliud de prioritate quoad corruptionem, quæ ex multis capitibus solet oriri. Præterea

rea ibi, si fit recursus ad Deum, & conceditur facultas eadem faciendi creaturis, sequitur, vt illa facultas data creaturis, sit frustra, quod inconueniens hic non contingit. Denique hic manifesta ratio suppetit, non semper recurrendi ad Deum, quæ ibi non aderat.

Ad quintum respondeo, accidentia numero tantùm diuersa esse nõ posse in eodem subiecto, quia si in eodem recipiantur, statim vnum accidens componunt, & ita hic accidit, ex duobus enim gradibus homogeneis vnica fit qualitas numero.

Ad sextum respondeo, quòd sicuti in quantitate sunt partes infinitæ syncategorematicè tantùm, quia est indiuisibilis in infinitum, ita etiam in qualitate, quę ex vnione partium per ipsam diffusarum resultaret, fore partes infinitas in potentia tantùm, & consequenter non esset illa qualitas simpliciter infinita.

Argumentis pro secunda sententia satisfit.

SECTIO V.

AD primũ pro secũda sẽtentia respõdeo, vel duos ignes, à quibus ꝑcedit maior calor, quã ab vno tantùm, erunt propinqui, vel distantes, si propinqui, conficient vnicum tantùm agens, quod licet non possit producere intensiorem calorem, poterit tamen in longinquius, & velocius, & ita videntur intensiorem calorem duo ignes producere, quã vnus tantùm, si verò sint distantes, producent etiam maiorem calorem in medio, quàm si adesset alter tantùm, quia non inueniunt eam resistentiam in medio, quam inueniũt, si alter tantùm adesset, quia propinquum corpus frigidum obsisteret.

Ad secundum respondeo, si ponat Deus in aliquo subiecto quartum gradum caloris tantùm, & eũ relinquat suæ naturæ, statim hunc producturum tres gradus præcedentes, qui in virtute ipsius continentur. Si verò Deus hoc etiã impediat, illud subiectum fore calidũ vt quatuor, quamuis non habeat quatuor gradus caloris nisi eminenter. Si quęras, an sit æquè calidũ, vt prius. Respondetur, esse intensiuè, non tamen extensiuè, sumo autem extensiuè largo modo, neque efficitur, vt superflui sint tres gradus præcedentes, nam disponunt subiectum ad ipsum recipiendum. Sicuti enim posset Deus efficere, vt forma substantialis esset in materia sine dispositionibus, neque tamen dispositiones sunt superfluæ, quia naturaliter non potest esse forma sine illis; ita superflui non sunt illi tres gradus, quia quartus non potest sine illis naturaliter esse, & si esset, & peculiari influxu à Deo non conseruaretur, facillimè ab eo subiecto expelleretur; Et simili ferè modo philosophari debẽt, qui plures formas substantiales subordinatas ponunt in eodem composito, si Deus vltimam tantùm conseruare vellet sine primis.

Ad tertium respondeo, differre numero huiusmodi gradus, si seorsum sumantur, simul verò, differũt incompletè, sicuti partes componẽtes vnum totum, non autem specie. Ad consequentiam, ergo non differunt essentialiter. Respondetur, differre essentialiter, dupliciter cõtingere, vel completè, vel incompletè, quæ differunt essentialiter cõpletè, differunt etiam specie, quæ differunt incompletè, non differũt spe-

specie, quia differunt tamquam partes vnius, & ita se habent hi gradus eterogenei, neque hoc debet videri mirum, nam & de partibus eterogeneis eiusdem corporis idem videtur dicendum. Quamuis enim dici possit, quòd specie differant, quia habent diuersas formas substantiales, quatenus tamen concurrunt tãquam partes ad constituendũ compositum, differunt incompletè, & in moralibus possumus afferre exẽplum de ordine Sacerdotij, & Episcopatus, qui, vt meliores Theologi sentiunt, sunt partes vnius ordinis, & tamen differunt inter se essentialiter incompletè, quia non omnia, quæ potest Episcopus, potest etiam simplex Sacerdos. Quòd si etiã alibi non reperiretur, quàm in qualitatibus, de quibus loquimur, hæc ratio distinctionis, non esset mirandum, quia neque intensio, neque remissio alijs, quàm qualitatibus congruit. Vel dici potest, nullo pacto differre essentialiter, sed tantùm sicuti perfectius, & imperfectius in eadem specie, sicuti differnnt vir, & fœmina, & puer, & vir perfectus.

Ad quartum respondeo, quemlibet gradum eterogeneum componi ex eterogeneis, quare autem id non accidat in substãtia eterogenea, est, quia membrum eterogeneum componitur ex partibus, quæ sunt entia distincta, & composita ex materia, & forma, in quibus si procederetur in infinitum, daretur verè infinitum actu, at verò gradus eterogenei non magis sunt inter se distincti, quàm sint partes in quantitate continua, & homogenea, & idcirco non repugnat, in infinitũ sincategorematicè multiplicari, quare non sequitur, adesse infinita entia distincta numero, neque requiri infinitas definitiones, quia hę dãtur de rebus essentialiter, & completè distinctis, non verò de his, quę tantùm incompletè distinguũtur eo modo, quo explicauimus, neque habere huiusmodi gradus, est perfectio, quæ repugnet qualitatibus, vel quæ illas æquiparet viuentibus, quia partes eterogeneæ viuentium illis tamquam instrumenta ad operandum deseruiunt, & composita sunt ex materia, & forma; in qualitate verò se habent veluti partes extensæ in quantitate.

Ad quintum respondeo, hãc differentiam, quam nos ponimus inter gradus eterogeneos, non inferre diuersitatem essentialem, quia, vt diximus, est differentia essentialis incompleta, quare remanet verè eadem qualitas, quæ erat priùs, vt inquit Aristoteles, sed diuersimode intensa.

Ad sextum respondeo, non intendi gradus homogeneos ex propinquitate, siue condensatione, sed tantùm magis roborari, & ad agendũ fieri potentiores iuxta vulgare dictum. Virtus vnita fortior.

Ad septimum respondeo, agens naturale semper eodem modo agere, dummodo non determinetur à subiecto, nam iuxta varias ipsius dispositiones, diuersimode etiam potest in ipsum agere, quòd igitur calor, siue ignis modò gradum vnius rationis, modò alterius producat, ex varia subiecti dispositione oritur.

Dices. Si Deus conseruet calorẽ absque vllo contrario, habebit ne gradus eterogeneos? Respondetur, habiturum, habere enim contrarium, non est causa graduum eterogeneorum, sed signum. Cur autem, quę carent contrario, gradibus constent homogeneis, quæ verò non carent, eterogeneis, non magis

po-

potest afferri ratiò, quàm cur homo sit rationalis, & equus hinnibilis, vel cur lumen non habeat esse permanens, & calor habeat; natura .n. talium rerum hoc postulat, quamuis quod spectat ad gradus homogeneos, & eterogeneos sect. 3. ex causa finali nonnullam rationem, siue congruentiam attulerimus.

An alteratio fiat per minima discreta, vel per partes continuas, & successiuas.

QVÆSTIO XXVII.

CErtum est, alterationem fieri aliquando in instanti, vt in illuminatione accidit; aliquando autem successiuè, qualis esse solet inter contraria, & de hoc posteriori genere tantùm nos hic loquimur, & quærimus, an vnica mutatione, quę sit continua, possint acquiri plures gradus qualitatis, vel necesse sit, tot esse mutationes, & alterationes, quot sunt gradus in qualitate, siue minimę partes, quam quæstionem sub alio titulo proponunt nonnulli, an scilicet alteratio sit continua, nō quòd aliquando qualitas eadem nō possit per plures mutationes discretas acquiri, hoc enim certum est, sed an semper ita acquiri oporteat, vt numquam sit continua. Hæc autem continuitas potest considerari in alteratione, non solùm respectu termini, vt explicauimus, sed etiam respectu subiecti, an scilicet prima pars subiecti tota alteretur, & deinde interposita quiete, secūda pars, & ita deinceps, vel sine vlla interruptione, sicut accidit in motu locali, vna pars alteretur post aliam, & hęc appellatur etiam continuitas extensiua, sicuti illa, quæ est ex parte formæ, intensiua.

Diuersæ sententiæ proponuntur.

SECTIO I.

PRima Sententia est, asserentium, alterationem nō esse continuā, neque ratione subiecti, neque ratione termini, ita Sonc. 8. metaphis. quæstione 22. Ferr. 8. phys. quæstione ij. & Aquarius ibidem. Fundamentum est, quia existimant, agens priùs debere disponere subiectum, quàm formam introducere, postquam igitur in primo instanti produxit minimum qualitatis in prima parte subiecti, disponit alteram partem, & sic paulò post introducit secundum minimum qualitatis. Probatur etiam secundò hæc sententia ex Aristotele 8. phys. tex. 23. vbi ait *dici alterari cōtinuè, est rebus perspicuis aduersari*, & paulò post inquit, alterationem non fieri per partes, sicuti fit congelatio, sed eo modo, quo gutta cauat lapidem quod fit in instanti, & idem ait 6. phys. tex. 32. Probatur tertiò, si intensio caloris esset continua, sequeretur, quòd in fine horæ qualitas esset infinitè intensa, quia in quolibet instanti productus esset aliquis gradus qualitatis, at in hora sunt infinita instantia, ergo infiniti gradus. Quartò gradus qualitatis sunt indiuisibiles, ergo debent produci per instantia, instantia autem non possunt esse immediata, ergo nec productiones graduum. Probatur antecedēs maioris. Si primus gradus est diuisibilis, ergo in duos alios gradus,

ergo non est primus, & ita dici poterit de reliquis, cũ igit verè possint in qualitate assignari gradus, vel indiuisibiles, vel saltem indiuisibiliter terminati, quia, vt distinguatur gradus, verbi gratia, tertius à quarto, oportet, me posse assignare partem qualitatis, vltra quã si procedam, erũt plus quàm tres gradus, & intra quam si sistam, non erunt tres gradus perfecti, perfectio igitur graduum in indiuisibili consistit, debet ergo hæc perfectio produci in instanti, eadem autem est ratio de perfectione, & de inceptione, ergo gradus sequens incipiet etiam in instanti, & cum duo instantia esse non possint immediata, sequitur, vt debeat interrumpi alteratio. Confirmatur, quia si diuidatur gradus in duas partes, quæro de priori parte, an in illa sit perfectus gradus, vel non, si affirmes, ergo posterior pars est vltra illum gradum, si neges, ergo illa non perficit gradum, oportet igitur, vt ab indiuisibili gradus perficiatur.

Denique res permanentes incipiunt per primum sui esse, ergo cũ qualitas sit permanens, per primum sui esse incipiet, ergo non successiuè, quia in successiuis non datur prima pars, prima igitur pars qualitatis in instanti producetur, sed eadem est ratio de prima, & de reliquis, quia etiam quælibet ipsarum habet esse permanens, & cõsequenter debet in instanti incipere, non poterit igitur acquiri qualitas per motum continuum, sed per discretas mutationes instantaneas.

Secunda sentẽtia est Ægidij hic quæst. 26. & Iand. 8. phys. q. 8. qui conueniunt cum præcedenti quoad extensionem qualitatis, volunt tamen quoad intensionem, alterationem esse continuam. Dicunt enim, quòd agens, postquam introduxit primum caloris gradum in primam partem subiecti, sine interruptione intendit eumdem primum gradũ, quamuis nondum alteret sequentẽ subiecti partem.

Tertia sententia est Toleti hic q. 6. concl. 22. quoad primam partẽ subiecti, & primum gradum qualitatis, alterationem esse instantaneam, quoad reliquos verò gradus, & reliquas partes subiecti, esse successiuam. Probat Tolet. hanc sententiam, quam inquit etiam esse Auer. 8. phys. cap. 23. Iand. lib. 6. q. 15. & Ægidij q. 25. quoad subiectum, quoniam ignis verbi gratia habet determinatam paruitatem, sub qua minori non potest existere, ergo etiam debet habere hanc determinatam quantitatem calor. Probatur sequela, quia alioqui in medietatem illius quantitatis determinatæ pro igne posset introduci calor vt octo, tunc ergo vel aderit ignis, & dabitur minus minimo, vel non aderit, & posita summa dispositione, non erit forma, & summus calor erit cum forma aquæ, vel erit materia sine forma. Præterea agens, & alterans semper est applicatum æqualiter alicui parti passi, ergo in totam illam inducet qualitatem, & non in minorem, & minorem. Quoad formã verò probat, quia vix intelligi potest, quòd detur forma aliqua permanens, & incipiat, nec detur pars primò producta, cum agens sit certę, & determinatæ virtutis.

Quarta sententia est Suarez disp. 46. sect. 4. vbi quamuis fluctuare videatur, & modò hanc, modò illam sententiam amplecti, asserit tamen, quòd sicuti in quantitate dantur indiuisibilia terminatia, ita etiã admitti debent in qualitate, & con-

sequēter alterationem incipere per mutationem instantaneam, per quā producitur indiuisibile qualitatis, cui immediatè post succedit alteratio successiua, per quam successiuè producentur cæteræ partes qualitatis, inquit tamen num. 17. esse quoque probabile, quòd quotiescunque qualitas incipit cum resistentia passi, incipiat successiuè per vltimū nō esse, quomodo incipiet etiā indiuisibile ipsius. Quando verò nō adest resistentia passi, tunc agens producet simul aliquem gradum, vel aliquos gradus, quia non potest esse determinatum ad vnum tantū indiuisibile, & agit, quātum potest. Quare in duobus differt Suarez à Toleto. Alterum est, quia minimum primum, quod ponit Toletus, non est indiuisibile, Suarez verò ponit indiuisibile: Alterū, quia Toletus semper existimat necessarium, produci illud minimum, Suarez verò probabile censet, non semper produci.

Quinta sententia est communis, alterationem esse continuam tū ex parte subiecti, tum etiam ex parte formæ. Probatur primò ex Aristotele 5. & 6. phys. vbi alterationem numerat inter motus naturales, qui diuisibiles sunt, & continui, quare & Auer. 3. phys. com. 6. ait, continuationem esse de ratione motus, & idem S. Thomas eisdem locis.

Probatur secundò experientia, quia dum manus nostra calefit, nullam interruptionem in calefactione sentimus. Si dicas, fieri per morulas imperceptibiles, hoc videtur gratis confictum, nec prętereà apparet, cur non possit illa discōtinuatio sentiri. verùm hoc argumentum ab experientia parum roboris habet, nam supponit, sensum tactus percipere continuam alterationem, qd falsum est. Sicuti enim plantæ, & homines crescunt, & nos quamuis attentissimè inspiciamus, non possumus videre ipsorum accretionem, sed tantùm creuisse, post multū temporis aduertimus; ita neque sensus tactus aduertit, continuè se calefieri, sed postquam sensibilis aliquis gradus caloris productus est, percipit se calefactum, & ita euenit etiā in sequenti calefactione, si temperata sit, & non admodum vehemēs.

Probatur igitur tertiò firmiori ratione, quia quando agens non est impeditum, & adest præsens passū, numquam ab actione cessat, at post primum gradum caloris productū adsunt omnia requisita ad agendū, non ergo dicendum est, agens à calefactione cessare, quòd enim dicunt, cessare tantisper agens à calefactione, donec disponat alteram partē subiecti, & falsum est, & suis principijs nō cohęrens, falsum, quia non opus est alia dispositione ad introducendum calorem, alioqui abiremus in infinitum in dispositionibus. Non cohærens, quia & dispositio debet fieri per alterationem, ergo saltem hæc alteratio erit continua, volunt enim, aliquantum tēporis requiri ad hoc, vt secūda pars subiecti disponatur ad recipiendū calorem.

Denique fundamentum præcipuum huius sententiæ est, latitudinem intensiuam qualitatis non cōponi ex indiuisibilibus, vt supponebat contraria sententia, sed esse diuisibilem in infinitum, sicuti quoad extensionem est diuisibilis quantitas, par enim ratio videtur de vtrisque, ergo & diuisibiliter debet acquiri, & consequenter per alterationem continuam.

Aliquot conclusionibus propria sententia explicatur.

SECTIO II.

PLures dubitationes hæc quæstio amplectitur. & idcirco non possumus vnica responsione ei satisfacere. Prima est de alteratione ratione suæ propriæ intensionis, an possit esse continua. Secunda, an idẽ dici de ea possit ratione subiecti. Tertia, & difficilior de principio ipsius alterationis continuæ, an fiat per instans, vel mensuretur tempore. Quarta, dato quòd fiat per instans, quid per ipsum producatur, an gradus diuisibilis qualitatis, vel aliquid indiuisibile. Quinta, si diuisibile, an sit determinatum quoad paruitatem. Sexta, an etiam in primo instanti alterationis aliquod indiuisibile in subiecto qualitate afficiatur, vel aliquod diuisibile. Et septima, dato quòd sit diuisibile, an sit determinatum quoad paruitatem. Pro quarum solutione, sit

Prima conclusio. Non repugnat, alterationem esse cõtinuam quoad intensionem. Dixi, non repugnat, quia neque est necesse, ita semper fieri, vt patet in illuminatione. Hæc verò conclusio est cõmunis, & sufficienter experimentis, & rationib' adductis supra pro quinta sententia probatur.

Secunda Conclusio. Neque repugnat, alterationem esse diuisibilem, & continuam ratione subiecti., hęc quoque clara est, & euidenter probatur, quando alteratio est simul cum motu locali, vt quando corpus luminosum mouetur, tunc enim continuuè, & successiuè illuminat diuersas aeris partes, & idem dici potest de igne.

Tertia conclusio respondens tertiæ dubitationi. Alteratio continua semper incipit per instans. Hæc conclusio intelligi, & probari potest vel iuxta nostra principia, qui per instans nil aliud intelligimus, quàm primam, vel vltimam partem rei successiuæ, vt indiuisibilem ab exteriori, vel iuxta principia communia, & semper credo veram esse. Iuxta nostra est certissima, quia oportet vtique, alterationem habere primam partem, sicuti & aliæ res omnes diuisibiles, & hæc prima pars cum sit terminata, licet sit diuisibilis in infinitum à parte interiori, est tamen indiuisibilis ab exteriori, cui consequenter respondet in tempore instans. Probatur quoque iuxta communem sententiam, quoniam indiuisibilia ponuntur, vt terminẽt tam à parte ante, quàm à parte post, ergo cum alteratio sit terminata, debet claudi aliquo indiuisibili, non solùm à parte post, sed etiam à parte ante.

Dices. Nos hic loquimur de alteratione, vt est motus continuus, at verò si fiat in instanti, non erit motus, sed mutatio, neque erit principiũ motus, quia de essentia huius est, quòd sit successiuus. Respondetur, falsũ esse, nos loqui hic de alteratione tantùm, vt est continua, quia si hoc supponeretur, non fieret de ea quęstio. Ad alteram; partem, quòd mutatio non potest esse principium motus, negatur, non posse esse principium saltem extrinsecum cum eo tamen coniunctum, cum punctus dicatur esse terminus, & principiũ lineæ intrinsecum. Quòd verò ait Suarez, posse alterationem incipere per vltimum sui non esse, quod esset incipere in tempore, & & successiuè, quia tunc inquit, etiã

indiuisibile qualitatis, cum non incipiat per se, sed cum alijs partibus, potest incipere ad modum earum. Hoc, inquam, non mihi videtur rectè cohærere cum sua sententia de indiuisibilibus, quoniam cum indiuisibili intrinsecè repugnet incipere successiuè, quia oporteret, ipsum habere partes, non potest neque per se, neque per accidens ita incipere. Adde, quòd si non repugnaret, eo pacto semper inciperet, quia numquam incipit per se, sed semper per accidens ratione partium. Indiuisibilia enim (si modò sunt) nō sunt per se, sed propter cōtinuum, quod terminant. Sed non mirum, non consequenter loqui Suarez, quia impossibile est, aliter de his indiuisibilibus secundum sententiam communem, vt alibi notauimus, loqui.

Quarta conclusio. Probabilissimum est, in primo instanti alterationis nnmquam acquiri posse indiuisibile quoad intensionem, sed semper aliquod diuisibile. Probatur, quoniam effectus respondet virtuti agentis, at nullum est agens, quod tam minimam virtutem habeat, vel tam parum excedat passum, vt non possit producere, nisi hoc indiuisibile in principio suæ actionis, ergo à nullo agente hoc tantùm producetur. Confirmatur, quia si posset agens incipere productionem in aliquo indiuisibili qualitatis, sequeretur, vt posset etiam in alio simili suam productionem terminare, nō enim maior repugnantia ibi, quàm hic apparet, sed hoc non potest, ergo neque illud, probatur, hoc non posse, quia sequeretur, minimā candelam illuminare totum mundum, lumen enim procedit à candela vniformiter difforme, diminuitur ergo per partes proportionales, sicuti etiam extenditur spatium, si ergò deueniendum esset ad indiuisibile, numquā terminaretur lumen, quoniam diuisio proportionalis procedit in infinitum, & sicuti vnus gradus diuiditur in duas medietates, ita & illæ in duas alias, & sic in infinitum, oportet ergo, hanc actionem vniformiter difformem terminari ad aliquod diuisibile, vltra quod nō se possit amplius extēdere, quia si per diuisionem huiusmodi proportionalem deberet procedere vsque ad indiuisibile, numquam ad illud deueniret, quare illuminatio quæuis numquam terminaretur. Si ergo cum diminuitur actio, non potest deuenire ad indiuisibile, ita neque dum crescit, potest ab indiuisibili incipere. Si dicas, non diminui per partes proportionales, sed per gradus, idem adhuc colligam, quoniam alteratio terminabitur ad gradum, cum non possit amplius diminui. Obijcies. Sicut res se habet ad esse, ita etiam ad produci, sed qualitas terminatur indiuisibilibus, ergo etiam terminabitur eius productio. Confirmatur, quia dum acquiritur quantitas, necessariò diuisibile ipsius primo loco acquiritur, ergo idem dici potest de qualitate, probatur maior, quia partes quantitatis cum se penetrare non possint, simul etiam acquiri nequeunt, ergo successiuè, at si acquiruntur omnes successiuè, oportet, vt ante omnes præcedat ipsum indiuisibile. Respondetur, argumentum probare ex parte ipsius qualitatis non repugnare, quòd incipiat esse per indiuisibile, quod nos etiam concedimus, sed dicimus, id non euenire ex parte agentis, cuius virtus ad indiuisibile non terminatur. Ad instantiam

de quantitate dico, in ea allatum est se discrimen. quia videlicet partes quantitatis se penetrare non possunt, at verò gradus qualitatis possunt esse simul, & ideo etiam simul acquiri.

Secundò obijcies, dum corpus luminosum, quod habet determinatam sphæram actiuitatis, mouetur, incipit nouus aer esse intra sphærā, qui priùs erat extra, tunc ergo cum hoc luminosum incipit agere extra priorem sphæram, agit quàm minimum potest, ergo producet indiuisibile, quia si lumen productum esset diuisibile, posset medietatē eius producere in alia parte aeris propinqua. Respondetur, quòd quamuis virtus luminosi diminuatur paulatim per distantiam, non tamen vnquam deuenit ad talem virtutem, quæ possit indiuisibile tantùm producere, quia, vt supra diximus, oporteret diuidi in infinitum, sicuti in piramide, quamuis eius magnitudo paulatim minuatur, & restringatur, numquā tamen deuenimus ad punctum verè indiuisibile.

Ex hac conclusione colligitur, totam qualitatem numquam acquiri successiuè, quoniā si datur aliquod diuisibile, quod totum in primo instanti acquiritur, iam non fit tota qualitas successiuè, quia omnes partes illius diuisibiles non acquiruntur, vna post aliam.

Quinta conclusio. Diuisibile, quod in primo instanti alterationis producitur, determinatū est quoad paruitatem in alteratione, quæ sine resistentia passi fit, in ea verò, vbi hæc adest, probabilius est, non esse determinatū. Probatur prior pars, quia alioqui non esset, à quo illud minimum determinaretur, non n. à passo, quia hoc est capax cuiuslibet partis illius, siue magnæ, siue minimæ, neque à distantia, quia per hanc minuitur quidem virtus agētis, sed per ipsam non stat quin agens post productum minimum diuisibile aliud minus producat, est igitur vel in se determinatum, vel in virtute causæ. quod in idem recidit. Dici posset etiam, determinari à Deo, sed non apparet hic tanta necessitas, vt ad eum confugiamus, nec hoc esset contra nos, quia etiam determinaretur ab eo, vt ab authore naturæ, & semper in eadem mensura.

Probatur posterior pars, quoniā vbi adest resistentia passi, ab hac determinari poterit paruitas gradus primùm producibilis, non igitur aliò recurrendum est. Confirmatum, quoniam si est hoc minimū determinatum, detur agens, quod ob passi resistentiam non possit in principio producere, nisi illud minimum, deinde accedat ad idē passum agens minoris virtutis, & etiā superans resistentiam passi, profectò etiam ipsum aget, quia superat resistentiam contrarij, neque poterit agere æquè, ac primū, ergo producet aliquid minus, ergo dabitur minus minimo. Scio, posse respōderi, quòd nullo pacto aget, eò qd ad actionem non sufficiat quilibet excessus virtutis actiuæ super resistentiam passi, sed talis, qui saltem possit producere minimum, quapropter probabilem quoque existimo partem affirmantem, in his quoque dari minimum, præcipuè cum non facilè reddi possit ratio à priori, cur in illuminatione sit determinatum minimum quoad paruitatem, & nō in alteratione corruptiua, cum in hac adsit contrarium, cui ad hoc vt possit resisti, magis requiri videtur, vt sit gradus introductus congruæ magnitudinis.

Contra hanc autem nostram cõclusionem multa objiciũtur ab aduersarijs, vt notat Suarez disp. 46. sect. 4. num. 5. sed non est opus, ea soluere, nam vel probant tantùm, qualitati, cum sit diuisibilis in infinitum, non repugnare, quòd semper detur minor, & minor gradus eius vsque in infinitum, vel argumentantur ex natura motus, in quo non debet dari primum mutatum esse, & qui non debet incipere per primũ sui esse, sicut inciperet, si produceretur determinatum minimum. Hæc autem non sunt contra nos, qui non dicimus, diuisibilitatem repugnare qualitati, vel ratione qualitatis esse determinatum minimum, sed ordinem rerum ita postulare, vt detur hæc determinatio, ne actio tendat in infinitum. Neque dicimus, illud primum minimum produci per motum, sed per mutationem instantaneam, quæ deinde continuatur cum motu ad eum modum, quo instantia continuantur cũ tempore, & puncta cum linea.

Sexta conclusio, quoad extensionem, siue partes subiecti secundum longitudinem, & latitudinem numquam incipit diuisibiliter alteratio, incipit tamen aliquando, si spectetur secundum profunditatem. Prior pars patet, quia cum inter passum, & agens necessariò præequiratur ad actionem contactus, siue saltem propinquitas, semper se tangent, vel erunt æquè propinqua secundũ aliquas partes diuisibiles secundum longitudinem, & latitudinem. Fateor tamen, perfectè sphæricum, si daretur, cum tangeret planum in puncto, posse etiam alterare illud punctum, & non aliquam partem diuisibilem, præcipuè si loquamur de alteratione, quæ non sit corruptiua. Verùm supra iam ostendimus, hoc perfectè sphæricum dari non posse.

Posterior pars probatur, quia agens magis est propinquum vltimæ parti, siue superficiei passi, quã profunditati eius, ergo poterit in illam priùs agere. Confirmatur ex motu agentis, siue sit ignis, siue corpus luminosum, quoniam successiuè variæ partes aeris ei fiunt præsentes, ergo etiam successiuè eas illuminat, vel calefacit, sicut igitur in motu prius pertransitur prima pars, & superficies, quàm cæteræ partes; ita priùs hæ alterationem patientur, quæ commensurantur motu.

Ex qua conclusione patet etiam responsio ad septimam dubitationem, si enim potest priùs alterari superficies, quàm cæteræ partes corporis, multò magis poterit altera pars minor, & minor vsque in infinitum. Non est igitur determinatum quoad paruitatem minimum subiecti, quod alterari possit, quod intelligendum est de principio alterationis. Nam an dari possit minimum in tota alteratione, pendet ex alia quæstione infra pertractanda de maximo, & minimo in facto esse, hic enim loquimur tantùm in fieri.

Argumenta pro alijs sententijs adducta diluuntur.

SECTIO III.

AD primum pro prima sententia respondeo, illud fundamentum, quòd ad alteratione͂ requiratur præuia dispositio, esse falsum, & insufficiens, vt etiam supra notauimus, falsum, quia non omnia accidentia præequirunt dispositionem, quia alioqui daretur processus in infinitum. Insufficiens,

quia

quia etiam ipsa dispositio subiecti est alteratio.

Ad secundum respondeo, continuũ dupliciter sumi, pro perpetuo, & pro eo, quod habet partes inuicem vnitas, quando ergo Aristoteles negat, alterationem esse continuam, accipit continui nomen in priori sensu, disputabat enim ibi cõtra Heraclitum dicentem, omnia continuè, idest semper, moueri, licet interdum motus nos lateat. Dices, exemplum ibi affert Aristoteles de gutta excauante lapidem, & deinde subdit, *similiter & in alteratione qualibet, non enim si partibile est in infinitum id, quod alteratur, ob id & alteratio.* Respondetur, Aristotelem semetipsum exponere, nã subijcit, *sed simul vniuersa fit sæpe.* Non igitur vult, semper alterationẽ fieri in instanti, sed tantùm aliquando, quod nos etiam admittimus, quamuis non sit concedendum, excauationem lapidis à gutta fieri in instanti, quia fit impellẽdo per motum localem, motus autem localis non potest esse sine successione, sed hanc excauationem affert Aristoteles exempli gratia, quia sicuti non ab omnibus guttis excauatur pars lapidis, sed tota ab vna, ita non est necesse, vt quælibet pars qualitatis à parte alterationis producatur, sed poterit aliqua pars tota simul produci.

Ad tertium respondeo, instantia præcipuè continuantia à nobis non admitti. Toletus autem, qui admittit, consequenter negat illationem, sicuti enim motus localis est continuus, ita vt in quolibet instanti sit mobile in alio loco, & tamen non pertransit locum infinitum, ita dicendum esse etiam de qualitate in alteratione.

Ad quartum negamus, qualitatẽ componi ex indiuisibilibus, quia indiuisibile additum indiuisibili nõ efficit illud maius. Ad probationẽ dico qualitates diuidi in gradus tãquam in partes aliquot, sicuti etiam quantitas diuidi potest in quatuor, vel quinque palmos, neque sequitur, vt gradus, vel palmus sit indiuisibilis, sed tantùm vt non sit diuisibilis in alios palmos, vel gradus. Ad alteram partem de perfectione gradus concedimus, hanc positam esse in indiuisibili, sed dicimus, assignari tantùm posse ab extrinseco, & identificari cum ipso gradu diuisibili, sicuti explicauimus quæstione de indiuisibilibus, qui verò communem sententiam de indiuisibilibus sequuntur, dicent, esse quidem ibi aliquod indiuisibile, sicuti etiã sunt in tota quantitate, & huic indiuisibili correspondere instans in tẽpore, quo mensuratur alteratio, sed sicuti per hæc instantia non tollitur continuatio temporis, nec per puncta continuatio lineæ, immo censentur necessaria vt partes vniant, ita neque per hæc indiuisibilia in qualitate tolli debet ipsius diuisibilitas, & alterationis successio.

Ad quintum responsio communis est, rem permanentem, quæ per motũ producitur, incipere cũ ipso motu, & cõsequẽter successiuè, & per vltimum sui non esse. Difficilis est autem hæc responsio, præcipuè si admittamus aliam sententiam communem, quòd res permanentes habent etiam durationem totã simul, quoniã productio alicuius rei identificatur omnino cum sua existentia, & duratione, si ergo duratio est tota simul, quomodo potest incipe pere successiuè? In nostra autem sententia, qui existimamus, omnia incipere per primum sui esse, & rerum omniũ creatarum durationẽ

esse

esse successiuam, nulla est difficultas.

Ad primum Toleti respondent aliqui, non esse inconueniens, quòd detur summus calor in aliqua parte subiecti, & tamen in ea nō sit ignis, quia ad ignem requiruntur etiam aliæ dispositiones. Verùm non euacuant argumenti vim, vrgere .n. poterit Toletus, quòd sicuti introductus fuit calor, ita etiam poterant introduci reliquæ dispositiones. Dicendum igitur, aliud esse, loqui de minimo in facto esse, aliud de minimo in fieri, illud an sit determinatum, tum in substantia, tum in accidentibus, alibi videndum erit, de hoc hic loquentes, negauimus, & ratio est, quia licet aliquid minus minimo fiat, tamen cōtinuatur statim cum alijs partibus, cum quibus conseruari potest, vt quando ignis paulatim depascitur lignum, non potest assignati determinata pars ligni; in qua minore non introducatur forma ignis, quia statim continuatur cum reliquis partibus ignis.

Ad secundum, & tertium non respondemus, quia probant nostra dicta.

De termino, & nobilitate alterationis.

QVÆSTIO XXVIII.

QValitatem esse terminum alterationis, à nemine vocatur in dubium, an verò sola sit eius terminus, non est tam clarum, sicuti etiam, an omnis, & inter eas, quę qualitatem terminant, quænam terminent primò, & per se, & quęnam secundariò. Hæc igitur explananda erunt in quæstione præsenti, & cōsequenter nobilitas eius in ordine ad alios motus, quæ ex termini nobilitate potissimum desumitur.

Non solam qualitatem videri terminum alterationis.

SECTIO I.

PEr alterationem acquiritur forma substantialis, ergo etiā substantia est eius terminus. Probatur antecedens, quoniam alteratio ordinatur à natura ad generationem formæ substantialis, neque alia ratione agens potest ipsam producere, nisi per accidentia alterando materiam.

Secundò, substantia suscipit magis, & minus, nam 7. metaph. cap. 3. vocat Aristoteles compositum magis substantiam, quàm materiā, & formam, & vna etiam substantia est alia perfectior, ergo potest recipere intensionem, intensio autem est alteratio. Confirmatur, quia formæ elementorum sunt in misto in esse refracto, & remisso, ergo suscipere possunt magis, & minus, ergo alterantur. Secundò, quia per nutritionem, & augmentationem perficitur animal secundum substantiam, quamuis non secundum essentiam, ergo substantia intentenditur, & alteratur. Si dicas, esse augmentationem. Contra, quia non tantùm acquirit animal maiorem quantitatem, ad quam est augmentatio, sed etiam perficitur in omnibus suis operationibus, maior autem perfectio in operationibus indicat maiorem perfectionem in forma substantiali, alioqui non haberemus argumentum ad probandum, animam rationalem esse perfectiorem anima

bruti. Videmus etiam, esse perfectiora omnia accidentia, ergo perficitur etiam substantia, quæ est radix ipsorum, & à qua pendent, vnũ enim, aut alterum perfici per se sine substãtia, est credibile, at omnia, nõ videtur possibile.

Tertiò, natura non transit ab extremo ad extremum sine medio, nã neque qualitates ipsas producit statim summè perfectas, at forma substantialis est longè perfectior qualitate, ergo non est credendum, in vnico instanti summè perfectam produci, sed primùm imperfectam, ac paulatim deinde magis perfici, quod erit, ipsam intendi per alterationem.

Quartò, nulla potest assignari sufficiẽs ratio, cur substãtia nõ intẽdat, & remittatur, nam illud tantùm nõ videtur posse intendi, quod est summè perfectum, illud tantùm non posse remitti, quod est summè imperfectum, substantia autem neque est summè perfecta, neque summè imperfecta, ergo poterit intendi, & remitti.

Quintò, intensio fit vel per additionem nouæ partis, vel per maiorem radicationem in subiecto, vtroque autem modo videtur posse intendi forma substantialis: per additionem, quoniam in nutritione saltem in plantis, & in brutis fit additio nouæ formæ. Si dicas, non esse in eadem materia, contra, quia non semper cum nutritione est coniuncta accretio, quando ergo sine hac fit nutritio, cum non adsit noua materia, oportebit, nouam entitatem formæ accipi in eadem materia, in qua erat præcedens. Præterea saltem per diuinam potentiam poterit poni in eadem materia, & tunc recipiet intensionem forma, non igitur simpliciter est expers intensionis, sed per accidens, quatenus nõ adest agens, quod possit eam intendere. Si verò per maiorem radicationẽ, non apparet ratio, cur potius radicari magis possit in subiecto forma accidentalis, quàm substantialis.

Sextò, videtur etiam intensio cõuenire quantitati, nam per rarefactionem, vel condensationem nõ acquiritur, vel deperditur quantitas, & tamen est magis, vel minùs extensa, magis, vel minùs impenetrabilis, ergo per aliquem motum, non augmentationis, quia non est acquisita quãtitas, ergo per alterationem.

Septimò, motus etiam videtur intendi, & remitti, nam & potest esse longior, & velocior, & esse quidẽ longiorem, spectat ad extensionem maiorem, at esse velociorem, non potest ad eã pertinere, ergo ad intensionem.

Octauò, actioni, & passioni conuenit per Aristotelem suscipere magis, & minus, ergo intendi, & remitti, non est igitur hoc proprium qualitatis.

Nonò, similitudo, quæ est relatio, habet latitudinem, & dicitur vnus esse magis similis vni, quàm alter, ergo intensionis est capax, & cõsequenter ad relationem dari potest alteratio.

Ad solam qualitatem esse motum alterationis, & intensionis.

SECTIO II.

HÆc est sententia communis, & vera, quam docuit Aristoteles 5. physicorum tex. 9. definiens, alterationem esse motum ad qualitatem, & in hoc primo tex. 10. & 23. inquit esse *mutationem in passionibus*, per passiones autem qualitates in-

intelliguntur, nã tertia species qualitatis est passio, & passibilis qualitas. Videntur tamen huic sententiæ repugnare Scotus ij. metaphis. vbi videtur velle, omnes formas substantiales præter animam rationalem suscipere magis, & minus, & Auer. qui 3. Cœli com. 67. de formis substantialibus elementor. idipsum asserit.

Probat sententiam communem Toletus in hoc 1. q. 4. quem sequitur Fons. 8. metaph. cap. 3. q. 4. Si forma substantialis esset terminus alterationis, & posset intendi, & remitti, sequeretur, produci cum motu, quod est absurdum, quo argumẽto fuerat etiam antea vsus Durãdus in primo dist. 17. quæst. 6. Verùm aduersarij dicere poterunt, introduci in instanti, quia caret contrario, sicuti etiam lumen, & præterea nullum esse absurdum, quod infertur, & re vera nõ est maius, quàm illud, ex quo deducitur.

Affert secundam rationẽ Tolet. quia sequeretur, duas formas substantiales posse simul existere, nam qualitas, quæ intenditur, contrariũ in aliquo gradu remisso compatitur. Verùm non est vniuersaliter vera hæc cõsequentia, lumen enim intenditur, & remittitur, neque tamen habet contrarium, præterea dicere poterunt aduersarij, satis esse, quod compatiatur secum accidentia contraria, vel etiam secum compari contrariam formam, volunt enim Auer. sectatores, formas elementorum se compati in mistis, qua respõsione etiam labefactatur eius tertia ratio ex carentia contrarij deducta.

Probant alij, quia si forma substantialis intendi posset, & remitti, etiam ex ipsis composita susciperẽt magis, & minus, possemus igitur dicere, hunc esse magis ignem, quàm illum, quod est falsum, sed neque hæc ratio euincit, poterit enim responderi, magis, & minus, non tribui substantiuis, sed adiectiuis, nã neque dicimus, hunc esse magis calorem, quàm illum, sed magis calidum, & pari modo etiam dicimus, aliquid esse magis ignitum.

Tertiò, alij hoc argumẽto vtuntur, quia substantia non habet latitudinem, sed est indiuisibilis, consequenter ei repugnat intendi, quare etiam dicebat Aristoteles, formas esse, sicut numeros, qui ex qualibet minima additione essentialiter variantur. Verùm hæc ratio petit principium, quia idem est, substantiam esse indiuisibilem, & intendi non posse.

Melior ratio quoad formas substantiales videtur esse illa, quam innuit Suarez disp. 46. in metaph. sect. 2. nume. 6. quia per formam substantialem reducunt se composita substantialia ad pristinum statum, si quando à contrario aliquid passa sunt, ergo forma non suscipit magis, & minus; Antecedens patet in animalibus, quæ se ad pristinam sanitatem, & robur post infirmitatem reuocant, & in aqua, quæ calefacta natiuum frigus recuperat, & in alijs similibus. Consequentia probatur, quoniam si forma esset remissa quoad substantiã, non haberet vires, quibus pristinã intensionem de integro assumeret. Quod enim producitur, oportet, vt sit vel formaliter, vel virtute in producente. Hæc autem intensio, quã forma producit, si formaliter esset in ipsa, non produceretur amplius, si virtute, ergo nõ esset remissa, quia esset æquè potens, ac prius, alioqui sequeretur, vt etiam calor vt quatuor posset se intendere vt octo.

Confirmatur, quia si aqua tepefacta, vel etiam feruida esset remissa quoad formam substantialem, posset aliquando contingere, vt calor ipsam superaret, & omnino corrumperet, etiam absente igne, & multò magis si cum calore fuisset in ipsa aqua producta siccitas. Nam in ipsa forma aquæ essent remissæ vires, ergo calor, qui potuit eam vincere, quando erat intensa, multò magis poterit nunc, quando est refracta.

Dices, at hoc videmus in animali, quia calor febrilis paulatim augetur, & formam substantialem expellit. Respondetur, in animali esse plures partes eterogeneas, quarum vna agit in aliam, & sic animal corrumpitur, non igitur prouenit corruptio ab ipso calore tantùm, sed ab illis partibus, siuè humoribus, in quibus residet calor, quare nihil refert, quòd forma substantialis non sit remissa, dum semper adest agens præsens, quod in ipsam agit, sicuti etiam aqua corrumpitur, dum ignis non amouetur, sed adest, & perseuerãter in ipsam agit. A posteriori igitur videtur sufficienter probata hæc sententia. A priori autem non videtur indigere probatione, quia naturæ rerum, & essentiæ probari non possunt, quia conueniunt illis per se, & non per aliud, quis enim poterit reddere rationem, cur homo sit rationalis? Vel cur substantia per se subsistat? Vel cur animal sit sensitiuum? Neque tantùm essentiæ, sed neque primæ passiones, qualis hęc esse videtur, probari possunt, quia vltimæ rerum differentiæ non nisi per ipsas nobis innotescunt.

A causa tamen finali non repugnat, aliquam deduci posse rationem, quæ etiam possit aliquo pacto appellari à priori, licet huiusmodi rationes potius sint congruentiæ quędam, quæ si solæ essent, parum virium haberent; huiusmodi est illa S. Thomæ par. 1. q. 76. art. 4. quòd forma substantialis constituit rei essentiam, quæ fixa debet esse, & inuariabilis, præcipuè vt ex vi eius possit res se tueri, & ad suum statũ naturalem reuocare. Alia etiam conguentia potest afferri, quia per accidentia redditur substantia magis, vel minus perfecta, non igitur opus fuit, vt in se reciperet alterationem nisi medijs accidentibus.

Quoad reliqua verò prædicamẽta accidentium, sicuti ab omnibus admittitur, non dari ad ea alterationem, ita difficile esset, reddere huius rei perfectam rationem, quapropter nõ existimo, nos admodũ solicitos in hoc esse oportere, curioso verò lectori sufficiet Suarez disp. & sect. citata, & Fons. 8. metaph. cap. 3. q. 3.

Responsio ad argumenta.

AD primum dico, concludere tantùm, generationem, siue substantiam per ipsam generatam esse terminum extrinsecum alterationis, non verò intrinsecũ, de quo nos hic loquimur, vt supra quoque contra nonnullos recentiores ostendimus.

Ad secundum dico, suscipere magis, & minus, intelligi posse dupliciter, vel in diuersis subiectis, vel in eodem, si priori modo intelligatur, non est adeo absurdum, substantiã suscipere magis, & minus, idest substantiam esse magis talẽ, siue perfectiorem, quàm alterã, at hoc nõ sufficit ad alterationẽ, si posteriori, negamus, substantiã suscipere magis, & minus, ex hoc. n. verè sequeretur, alterationem esse ad substantiam.

Ari-

Aristoteles aũt priori modo est intelligendus, vt omittam alios modos, quibus dici posse vnam substantiam magis substantiam, quàm alteram, refert Tol. quæst. citata in responsione ad loca Aristotelis. Ad primam confirmationem responde tur, falsum esse, formas elementorũ refrangi, & simul permanere in mistis, vt infra videbimus. Ad secundã confirmationem dico, per nutritionem acquiri quidem posse plus materiæ, & accidentium, quæ eam consequũtur, & etiã formæ in viuẽtibus ratione carentibus, non tamen fieri aliquã intensionem. Ad instantiam de operationibus dico, ex operationibus essentialiter diuersis rectè colligi diuersas formas essentiales, nõ verò ex maiori, vel minori earum perfectione, quia hæc oriri potest ex dispositionibus, & instrumentis ad eam concurrentibus.

Ad tertium dico, non transiri ab extremo ad extremum sine medio, quando medium adest, sed quando hoc non adest, extrema censentur immediata, & potest fieri transitus ab vno ad aliud, quod nisi dicamus, oportebit multiplicare media vsq; in infinitum, nam quãuis primùm producatur imperfecta substantia, semper respectu materiæ, à qua educitur, & priuationis, quæ est eius terminus à quo, se habebit vt extremum, ergo aliud medium erit excogitandum, de quo medio inquiram an sit substantia, vel accidẽs, si substantia, iterũ dicã, opus esse alio medio ad ipsam, si accidens, requiri aliud medium ad substantiam.

Ad quartum de ratione, cur substantia non possit intẽdi, & remitti, iã supra diximus satis. Ad instantiã hic allatam dico, non tantũ summè perfectum, vel imperfectum nõ posse intendi, & remitti, sed etiã id, quod habet suam perfectionem indiuisibilem, sicuti substantia, quare dicere etiã possumus, eam esse summè perfectam, & summè imperfectam in entitate sua, quia nullã potest recipere maiorem, vel minorẽ perfectionem.

Ad quintum dico, alterationẽ fieri per additionẽ. Ad impugnationem dico, quando in nutritione nõ fit accretio, non induci formã in materiam præcedentẽ, sed addi nouã materiã loco illius, quæ per actionẽ caloris naturalis deperdita erat, & quia non est maior, sed æqualis, idcirco non dicitur fieri accretio. Ad instantiã de omnipotentia Diuina reponente duas formas eiusdẽ speciei in eadem parte materiæ. Respõdetur, hoc nõ sufficere ad intensionẽ, oporteret enim præterea, vt ex illis duabus formis vna se haberet vt actus, altera vt potentia, vt possẽt inter se vniri, & efficere formã intẽsiorẽ, illæ autem formę remanerent diuisæ inter se, nec ambæ possent aliquid magis tribuere materiæ, quã altera earum tantũ, & idcirco non sequeretur intensio.

Ad sextum commodiùs soluetur hoc argumentũ in quæstione de rarefactione. Interim dicamus, hic nullã intercedere entitatis additionem, & consequenter non adesse intensionem.

Ad septimũ rectè Suarez, velocitatem non esse propriè intensionẽ, sed veluti condensationẽ partium motus intra breuius tempus. Adde, motũ nõ habere vllã ꝓpriã entitatẽ, consequenter nec posse intendi.

Ad octauũ, & nonũ respõdet, actionẽ, passionẽ, & relationẽ nõ intẽdi per se, sed tñ ratione qualitatũ, cũ quibus identificantur, neque fieri per aliquẽ motũ, & consequenter ad ipsas non esse alterationem.

An ad qualitates tantùm tertiæ speciei detur alteratio.

SECTIO III.

VIdimus, ad solam qualitatem esse alterationem, videndum modò est, an ad omnem, qua in re clara est sentẽtia Aristotelis 7. phys. cap. 2. & 3. ad solas qualitates tertię speciei dari alterationem, ad passiones scilicet, & passibiles qualitates, cuiusmodi sunt calor, & frigus, albedo, & nigredo. Non caret tamen difficultatibus hæc conclusio, nam ad reliquas quoque videtur dari alteratio.

Ad habitum, & dispositionem, nam has generari, nulli dubium est, generatio autem qualitatis quid aliud esse potest, quàm alteratio? Cõfirmatur, quia suscipiunt magis, & minus, intenduntur enim habitus ex frequentatis actibus, intensio autem est species alterationis.

Præterea in hoc primo tex. 23. pro exemplis qualitatum, ad quas fit alteratio, affert Aristoteles sanitatem, ægritudinẽ, & figuram, quarum priores spectant ad primam speciem qualitatis, postrema verò ad quartam, ergo non tantùm ad tertiam speciem qualitatis datur alteratio.

Tertiò, potentia, & impotentia, quæ sunt secundæ speciei qualitatis, non producuntur per generationem substantialem, & de nouo fiũt in aliquo subiecto, ergo per alterationem.

Dicendum tamen, veram esse Aristotelis sententiam, si eius verus sensus intelligatur, pro quo eruendo notanda sunt nonnulla. Primò notandum est, loqui Aristotelem de termino primo, & per se, non autẽ de secundario, & resultante. Hinc patet, non dari alterationem ad pulchritudinem, & sanitatem, nam pulchritudo nõ est aliqua qualitas simplex, sed cõsistit in proportione mẽbrorum, & in quadam suauitate colorum, ad hos igit' dari poterit motus alterationis, & inde sequetur sine noua alteratione pulchritudo. Sanitas quoque in æqualitate humorum, & primatum qualitatum est sita, & idcirco non est per se terminus motus, sed quatenus hic ad primam qualitatem tendit, etiam ipsam producit, & hac eadem ratione figura non per se acquiritur, sed ex mutatione loci resultat, cum. n. lignum ex recto fit curuum, eius tãtùm partes localiter mouentur, neque opus est alteratione.

Notandum secundò, loqui Aristotelem de alteratione physica, quę duas conditiones requirit, altera, quòd sit sensibilis, & hac excluduntur acquisitio scientiæ, & aliorum habituum: altera, quòd sit inter cõtraria, & hac excluduntur emanationes, & aliæ mutationes, quæ in instanti fiunt.

Notandum tertiò, quòd eadem qualitas respectu diuersarum rationum potest in diuersis speciebus qualitatis collocari. Nam calor, vt disponit ad formam ignis, ponitur in prima, vt est potentia eiusdẽ, in secunda, vt verò infert passionẽ, in tertia, quare dum ipse alterationis est terminus, dici posset, dari alterationem ad primam, ad secundã, & ad tertiam speciẽ qualitatis, quia tamen in tertia specie videtur poni secundum se, & in alijs in ordine ad alia, idcirco dicitur alteratio esse ad ipsum tamquam ad qualitatem tertiæ speciei. Ex his patet, & veram esse Aristotelis sententiam, & tamen si de omni alteratione loquamur, eius terminum non esse

tan-

tantùm qualitates tertię speciei, sed etiam primæ, & secundæ. Esset quidem difficultas circa rationes, quibus probat Aristoteles, ad multas qualitates non dari motum, sed eas examinare, non est huius loci, sed 7. physicorum. Est tamen hic respondendum ad eius authoritatem in hoc primo in secundo argumento allatam. Ad eam igitur respondent Doctores Connimbr. in expositione text. quoad primam quidē partem, sanitatem spectare ad tertiam speciem qualitatis; quoad secundam positam esse figuram exēpli causa, neque in exemplis requirendam veritatem; sed Philosophi dignitatem magis decebit, si dicamus, etiam in his exemplis adesse veritatem, sed illam, quam ipse requirebat, volebat enim ostendere, per alterationem non mutari subiectum quoad substantiam, quod verissimum apparet in his exemplis, quòd verò per se sint alterationis termini, vel non, nihil ipsius Aristotelis intererat. Reliqua argumenta ex dictis soluta remanent.

An ad colores detur per se primò alteratio.

SECTIO IIII.

Spectant colores ad tertiam speciem qualitatis, & hac ratione videntur esse posse per se termini alterationis. E cōtra verò non sunt actiui, neque mutuò agunt, & patiuntur, non igitur videntur produci per motum, qui immediatè fit ad ipsos colores, non quòd formaliter non fiant per motum, hoc enim necessariò est dicendum, sed quia motus, quo ipsi fiunt, sequatur motum alterius rei.

Quòd igitur ad colores dari possit per se motus à quocumque alio separatus, & nō tantùm consequēs alium motum, his probari potest rationibus.

Primò videmus iuuenes rubore suffundi, & pallescere nulla alia pręcedente alteratione, vel motu, ergo ad colores datur per se motus.

Secundò, colores iridis formantur à radijs solis nulla prærequisita alteratione, ergo idem concluditur. Et confirmatur, quia colores iridis possunt etiam in pariete repręsentari, si vas aqua plenum soli exponatur, & in aqua sit speculum; Sole enim percutiente radijs speculum in opposito pariete, colores iridis apparebunt, qua ratione etiam inter alios aquæ ludos, qui in Principum viridarijs videri solent, etiam irides apparent, dum inter specula, & solem aquæ guttæ salientes, vel desilientes intercedunt.

Tertiò, Polypus, Chamaleon, & alia quædam animalia varios colores assumunt pro varietate rerum, quibus insident, ergo absque interuentu alterius qualitatis mutantur colores. Antecedens multis scriptorū auctoritatibus probant Cōnimbr. in hoc primo cap. 4. quæst. 1. art. 3. immo res est communi cōsensu recepta, ita vt in prouerbium abierit Polypi mentē obtines, quod de vafro, & instabili dici solet, sicuti etiam Chamaleon de adulatore.

Pro resolutione notandum est, colorum alios esse veros, & reales, alios esse apparentes tantùm, veri, & reales sunt, qui corporibus insidēt, neque ab aliqua causa extrinseca pendent. Apparentes sunt, qui ex radiorum solis reflexione, siue refractione, & ex commistione lucis cum opacitate nascuntur, sicuti videmus in phiala aquæ, si apponatur

soli,

soli, & in radio solis per vitrum coloratum transeunte. Quoad reales igitur dicendum est, numquam mutari, nisi præcedente alia mutatione, & ratio est, quia neque colores possunt transmutari ab alijs coloribus, cũ inter eos nulla detur actio, vt patet, neque ab alijs, cũ nullam habeant cum alijs oppositionem, sequitur igitur tantùm, vt ad aliorum mutationem mutentur. Est autem mutatio, ad quam sequuntur, vel generatio formæ substantialis, vel alteratio primàrum qualitatum, ex motu ẽt locali, & ex elementorũ mixtione generari videntur diuersi colores, verùm hæc non tam est productio colorum, quàm diuersa eorum compositio, & contemperatio. Quoad apparentes verò dicimus, fieri non solùm absque vlla præuia alteratione, sed neque esse terminos alterationis, cum enim non sint veri, & reales, non indigent vero, & reali motu.

Ad primum pro contraria parte dico, ruborem, & pallorem apparere in genis ex timore, vel verecundia, non quia generetur nouus color, sed quia sanguis ob timorẽ ad interiores partes accedens exteriores sine rubore relinquit, ob verecundiam verò ad exteriores acurrit, cuius color per tenuem genarum pellem facilè apparet.

Ad secundum dico, eos colores iridis esse tantùm apparentes.

Ad tertium multas responsiones afferunt Vlysses Aldob. lib. 1. de auibus cap. 2. & Doctores Connimbricenses loco supra citato, quæ tamen omnes difficultates patiuntur, etiam illa, quam hi sequuntur ex raritate scilicet, & perspicuitate horũ animalium, per quorum corpora, quasi per vitrum, colores propinqui elucescunt, nam difficile est creditu, tantam perspicuitatem in illis esse, præcipuè cum in ipso rum cadaueribus contrarium appareat. Adde, quòd proprio colore sunt affecti, vt & ipsi fatentur, at quando vitrum est coloratum, communicat potius suum colorẽ alijs, quàm externum recipiat. Tandem de Chamaleonte dicitur, quòd in colorem album, addunt alij, & in rubrum, nũquam mutatur, cum tamen hi colores non minùs per res perspicuas se transfundant, quàm reliqui. Perarduum ergo existimo, huius rei, si vera est, veram rationem reddere, addidi, si vera est, nam licet plurimi id testentur, accidit tamen aliquando, vt ex vnius relatione plurimi idipsum afferant, quos perinde nõ minorem authoritatem, quàm ille primus illi contulerit, sibi vindicare, æquum est. Vulgus etiam procliue est ad huiusmodi prodigia credenda; Sapientes verò hac vulgi opinione ad exornandas similitudines libenter abutũtur, atque ita tãdem paulatim omnes id credunt, quod initio nemo solus credidisset, huiusmodi sunt, quæ de phœnice se ipsam comburente: de vipera à suis catulis discerpta: de vrsis parrum informem edentibus, & lingua conformantibus, & id genus alia, quæ ab experientia tandem falsitatis conuicta sunt, quamuis lõga annorum serie, & multorum scriptorum testimonio roborata in animis hominum altas demisissent radices. Si tamen verum est, quod de Polypo, & Chamaleonte dicitur, perarduum est quoque, reddere rationẽ illius rei, quam non pespexeris, forté enim quædam notasses, ex quibus veritatis scopum attigisses, sed cum ab aliorum testimonio pendemus, veluti in tenebris cęcutimus, & manuducimur nescientes, quare

diui-

diuinationis potiùs, quam contemplationis opus videtur, veram rationem tradere; vt igitur & egò mei periculum faciam, nouam rationem in medium afferam, & alijs diiudicandam relinquam, fortè igitur dici poterit, Polypum, & Chamaleontem coloribus eius naturæ præditos esse, quam videmus in coloribus colli columbæ, qui ex vario situ conspecti plures, & planè diuersos colores nobis exhibẽt; ita igitur & illa animalia ijs coloribus imbuta fortasse sunt, qui facillimè ex corporum propinquorum diuersitate varias species inspicientibus ingerant, vnà concurrente quodam læuore, siue perspicuitate, ad modum speculi lumẽ, & species reflectente, quod multis occasionẽ præbuerit credendi, mutare ea colorem pro subiectis, quibus adhærent. Nec aliud fortè voluit Plutar. lib. de causis naturalibus cap. 9. cum dixit, Polypũ defluxu atomorum è marinis saxis ad se attracto, receptoque, ijs quodammodo vestiti, & eorum colore circumquaq; perfundi, fortè enim per atomos species, quas philosophi intentionales vocant, intellexit, ex quarum receptione, & permixtione cum lumine, & proprijs speciebus, non est adeo improbabile, illam colorum varietatem in Polypo cerni. Dices, collum columbæ varijs quidẽ coloribus ornati ex intuentium diuerso situ, non tamen corporum, quibus adhæret, colores imitari, vt Polypus, & Chamaleon, non igitur vera ratio videtur assignata. Resp. me non affirmasse, eiusdem prorsus esse cõditionis Polypi colores, & colli columbini, sed similis, & minùs admirabile videri, Polypum varios colores propinquorum corporum reddere, cum & columbinũ collum diuersis coloribus imbui videatur, & qua ratione hoc fit ex variarum specierum intentionalium cum specie cõpositione, simili posse & illud fieri. Fortassis verò Polypus, & Chamaleon nitidiorem cutem habent, & idcirco colores propinquos reflectere possunt, quos columba nequit. Adde, quòd ea, quę oculis non patent, sed auribus tantùm recipiuntur, longè faciliùs maiora fiunt, & in miraculum euadũt. fortassis igitur non maiora sunt, & mirabiliora, quæ de Polypo, & Chamaleonte dicuntur, quàm ea, quæ nos in collo columbę, & pauonum cernimus, sed quia rariora sunt, & non videntur, vel à paucis admodũ, & raro, tamquam mirabiliora referuntur. Quòd verò aliqui in ipsius Polypi atramentum, quod modò copiosiùs, modo parciùs in exteriores partes diffunditur, & in varios Chamaleontis humores proprijs distinctos coloribus, ex quorũ vario cõcursu, & occursu multiformes colores oriuntur, vel in contractionem, & extensionem pellis hanc colorum mutationem referũt, probabilissimum esset, si tãtùm diceretur, hoc animal mutare colorẽ, non verò corporum etiam, quibus adhæret, assumere.

De nobilitate alterationis.

SECTIO V.

NOn adeo facilem exitum, vt præsefert, habet hæc quæstio. Nam & cum multis mutationibus est alteratio conferenda, & in singulis comparationibus multa pro vtraque parte argumẽta afferri possunt, quia tamen non videtur esse magni momẽti, nec multũ referre, hæc ne, an illa mutatio dignitate

præstet, nec reliqui philosophi hac de re admodum solliciti fuerunt, præter Doctores Connimbr. qui in hoc primo cap. 4. q. 3. copiosè, & luculenter hanc quæstionem pertractarunt, breuiter eam expediemus. Duo igitur, antequam conclusionibus statuam, quid mihi videatur dicendum, prænotanda existimo.

Alterum est, secundum diuersas rationes posse aliquid esse altero nobilius, & ignobilius; Nobilitas enim ex perfectione præcipuè desumitur, cum autem res, quæ comparantur, pluribus partibus, vel physicis, vel saltem metaphysicis constent, non est mirum, nō æquè perfectas eas habere, ac proinde quæ aliam rē in perfectione vnius partis excedit, ab alia per alterius partis maiorem perfectionem excedi, quæ tamen in præcipua parte, seu prædicato excedit, dicitur simpliciter nobilior, quæ verò in alia, secundum quid.

Alterum notādum est, alterationem posse varijs modis cōsiderari, sed pręcipuè duobus, scilicet vt motus quidam est, secundò, vt est productio. Differunt enim hæ duæ cōsiderationes, nā motus est propriè transitus ab vno termino ad alium, quare includit vtrumque terminū. Productio verò est via, & tendentia ad esse alicuius, & hæc duo, vt patet, reperiuntur non tantùm in alteratione, sed etiam in motu locali, & augmentatione, in generatione verò non nisi impropriè, vt supra diximus, vel quatenus simul cum corruptione cōcipitur, vt pars vnius totalis transmutationis. His positis.

Dico primò, si alteratio consideretur, vt est productio, ignobilior est simpliciter generatione, sed nobilior augmentatione, & motu; quamuis etiam secundum quid nobilior dici possit generatione, & ignobilior augmētatione, & motu locali. Prima pars, quòd sit ignobilior generatione, non indiget probatione, cum per hanc substantia producatur, per illā verò accidens. Secunda pars etiam facilis est, nam qualitas nobilior est, quàm quantitas, siue vbi, vt loco citato Cōnimb. ostēdunt, tum quia qualitas sequitur formam, tum quia est principiū agendi, & conuenit etiam rebus spiritualibus, quantitas verò sequitur materiam, est principium patiendi, & in rebus tantùm materialibus reperitur. Vbi etiam est quidam modus tantùm, qui, vt suam qualemcumque existentiam ab aduersarijs tueatur, non paruam difficultatem habet. Tertia pars quòd alteratio sit nobilior secundum quid generatione, probatur, quia habet nobilius subiectum, nempè compositū, cum illius sit materia prima. Præterea alteratio potest reperiri etiam in rebus spiritualibus, non autem generatio. 3. Alteratio potest esse sine alterius corruptione, vt illuminatio, at verò generatio corruptione semper, socio videlicet ad modum deformi, est comitata. Quarta pars, quòd augmentatio secundum quid sit nobilior alteratione probatur primò ratione principij, quoniam augmentatio est opus animæ, alteratio verò etiam à forma elementorum, imò ab his potissimùm procedit. Secūdo augmentatio numquam est sine aggeneratione, & acquisitione etiam plurimarum qualitatum, quare comitū saltem ratione augmentatio est nobilior. Tertiò ratione termini à quo, qui in augmentatione semper est quid positiuum, non autem in

alte-

alteratione. Quinta pars, quòd scilicet alteratio sit secundum quid ignobilior motu locali, probatur, nam motus localis potest esse perpetuus, non autem alteratio. Secundò localis motus attingit substantiam magis, quàm alteratio, nam hęc est mutatio tantùm in eius qualitatibus realiter ab ipsa distinctis; motus verò localis est mutatio modi, qui realiter identificatur cum substantia, quare etiam reuera transfert substantiam.

Dico secundò. Alteratio in ratione motus nobilior est simpliciter generatione, ignobilior motu locali, augmentationi verò æqualis. Probatur prima pars, quoniam in ratione motus illud est nobilius, quod magis eius naturam participat, at generatio vix, & non nisi improprie dici potest motus; alteratio verò propriè motus appellatur, ergo alteratio, cum magis participet rationem motus, est etiam simpliciter nobilior. Probatur secunda pars iisdem principiis, quia motus localis magis participat rationē motus; nam & apud vulgus solus est, qui nomine motus intelligitur, & reliqui per analogiam ad ipsum explicantur. Præterea in motu locali transfertur tota ipsa res, substantia scilicet cū omnibus suis accidentibus ab vno termino ad aliū, quare est verus transitus, at in alteratione non transit propriè materia, sed sunt termini, qui sibi inuicem succedunt, sicuti igitur longè magis propriè dicitur homo moueri, cum ab vno loco transit ad aliū, quàm cum circa eum loca mutantur, ita magis propriè res dicetur moueri, dum localiter ab vno termino ad alium transit, quàm quando ipsa immobili per se stante, in ea tantùm duæ formæ sibi inuicē succedāt, quod in alteratione accidit.

Accedit Aristotelis clarissima authoritas, qui 8.phys.cap.8. non tantùm affirmat, sed etiam rationibus probat, motum localem esse primū cæterorum, nō solùm tempore, sed etiam secundum substātiam, id est dignitate, non igitur tantùm secundum quid, vt volunt Connimb. sed simpliciter vult, motum localē esse nobiliorem, quia loquitur ibi de motibus, vt motus sunt, & simpliciter motum localem præfert. Confirmatur, quia alioqui rueret totus Aristotelis discursus, ad hoc enim probat, motum localem esse cæteris perfectiorem, vt concludat, esse etiam priorē, atqui si esset tantùm nobilior secundum quid, non sequeretur, esse priorem, sed posteriorem, quia ex maiori nobilitate intendit deducere prioritatem, quod est autem nobilius tantùm secundū quid, simpliciter est ignobilius.

Sed statim offert se obiectio, quam proponūt quoq; Connimbr. Motus specificatur à termino, ergo etiam nobilitatem ab eo recipit, terminus autem alterationis est nobilior, quàm lationis, igitur Resp. motum specificari à termino, sed formaliter, non materialiter, id est à termino non secundum rationem suæ entitatis, sed terminationis, qua ratione includit respectum ad terminum à quo, & etiam ad transitum. Nam alioquin idem motus erunt frigefactio, & calefactio, quia vtraq; terminari potest ad teporem. Idem motus intensio, & remissio, quia vtraque qualitatem vt quatuor habere pro termino potest. Cum ergo subinfertur, terminū alterationis esse nobiliorem termino lationis. Resp. esse nobiliorem quoad entitatem, non tamen quoad terminationē motus, quia terminus mo-

tus localis acquiritur per mutationem mobilis, immobilis ipse existens, terminus autem alterationis acquiritur per suam ipsius mutationem, immobili existente subiecto, quantò igitur nobilius est, alium ad se vocare, quàm ad illum accedere, tantò in ratione terminandi nobilior est terminus lationis, quàm alterationis. Præterea non repugnat, aliquid esse nobilius in ratione generis, & ignobilius in ratione speciei, quæ enim repugnantia esset, si diceremus, bouem esse homine nobiliorem in ratione generis; quatenus videlicet sensus haberet perfectiores, ignobiliorem verò in specie, quatenus caret rationabilitate, quæ est differentia hominis? Sic enim dicimus, etiam cælum, vt corpus esse nobilius animalibus, hæc autem illo vt viuentia. Motus autem se habet vt genus ad alterationem, & lationem, non mirum igitur, si diceremus, in ratione motus nobiliorem esse lationem, quamuis in ratione termini, à quo speciem habent, nobiliorem esse alterationem, nam etiam inter ipsas alterationes ea, quæ fit in instanti, minùs participat rationem motus, quare secundum hanc rationem est ignobilior, quamuis ratione termini possit esse nobilior.

Præterea si verè consideremus lationem, eius terminus non est vbi simpliciter, sed vt identificatur cũ substantia, nam re uera transfertur ipsa substantia secundum totum suum esse ab vno loco ad alium, per alterationem verò non mutatur substantia secundum se, sed tantùm ratione accidentium, nobilior est igitur motus localis terminus, quàm alterationis. Dices, si hæc ratio concludit, ergo motus erit nobilior alteratione, etiam vt productio, quia terminatur ad substantiam. Respon. negandam consequentiam, quia per motum localem licet transferatur substantia, & re uera mutetur, tamen id, quod producitur, aliud non est, quàm vbi.

Obijcies secundò, Aristoteles 8. physic. tex. 59. inquit, motum localem esse nobiliorem, quia per eum minùs substãtia mutatur, cum enim alteratur, mutatur secundum esse quale, cum augetur secundum esse quantum, secundum verò lationem nihil mutatur ab esse, ergo non considerat ibi Aristoteles lationem secundum rationem motus, quia secundum hanc quantò magis res mutatur, eò magis eam participat, ob hanc igitur Aristotelis rationem motus localis in ratione motus erit omnium postremus. Respon. Aristotelem, postquam concluserat, motum localem esse perfectissimum vt motum, ostendere etiam ex alijs capitibus eius excellentiam, inter quæ hoc quoque recenset, quòd minimè omnium per eum substantia mutetur. Præterea hinc etiam infertur, quamuis fortè non fuerit Aristotelis mens, quòd latio in genere motuum est nobilissima; nam ad motum requiritur, vt subiectum idem sit sub vtroque termino, quominùs autem mutatur subiectum, dum, transit ab vno termino ad alium, eò magis verum est, subiectum idem fuisse sub vtroque termino, & idcirco generatio minimè omnium participat rationem motus, quia quamuis adsit maxima mutatio, nam est quo ad esse simpliciter, tamen in ratione transitus minimè omnium rationẽ motus participat.

Tertia pars, quòd alteratio, & augmentatio sint æquales, in ratione motus, probatur, quia transitus subiecti est æqualis, in vna .n. transit ab albo in nigrum, in altera à paruo in magnum, & quamuis possint nonnullæ differentiæ inueniri, vt quòd alteratio fit inter contraria, & aliquando etiam inter terminos, positiuum, & negatiuum, accretio verò nequaquã, sed hæc è contra fit coniuncta cum motu locali, & generatione; hæc tamen non videntur tanti facieda, vt propterea simpliciter vnam alteri præferamus, nam hic nõ esse attendendã perfectionẽ termini, quam concedimus in alteratione esse maiorem, iam supra ostendimus.

De subiecto alterationis.

QVÆSTIO XXVIIII.

PEnes subiectum differre generationem, & alterationem, statuit Aristoteles hic tex. 23. & 24. Cum autem constet, subiectum generationis esse materiam primam, eo modo, quo supra explicauimus, videndum nunc est, quodnam sit subiectum alterationis. Idem est autẽ quærere subiectum alterationis, ac subiectum accidentium, & quoniã est quoque in confesso, accidentia extensa, qualia sunt, de quibus nos hic agimus, substantiæ media quantitate inhærere, idem est quærere de subiecto accidentium, ac de subiecto quantitatis, cui enim hæc inerit, etiam cætera accidentia materialia inesse necesariò oportebit.

Subiectum quantitatis, & consequenter accidentium, & alterationis solam esse materiam primam ex multorum sententia.

SECTIO I.

COmmunis ferè est hæc sententia, & eam præcipuè sectantur Auer. lib. de substantia, Perer. libro primo, cap. 14. Suarez disp. 14. sect. 3. Colleg. t. de generatione c. 4. quæst. 4. Tolet. 2. de gen. quamuis phys. 1. quæst. 15. contrarium asseruerit, Greg. Arim. in 2. disp. 12. quæst. 2. ar. 2. Fonseca libro 8. metaph. cap. 1. quæst. 1. sect. 4.

Probatur hæc sententia primò, in eo subiecto inhærent accidẽtia, quod disponunt ad formam substãtialem, at solam materiam disponunt, ergo illi soli inhærent.

Secundò, Materia est sufficiens, & totale subiectum quantitatis, ergo illi soli inhæret. Probatur antecedens primò, quoniam materia habet suam propriam existentiam; imò etiam subsistentiam, per quam potest sustinere accidentia. Secundò, quia potest sustinere formas substantiales, ergo etiam accidentia. Tertiò, quia de facto in homine sola materia est subiectum quãtitatis; nam neque potest inhærere animæ rationali, nec alia forma substantialis, cui insit, in eo datur. Probatur consequẽtia, quia in vnoquoque genere posita causa totali, non alia requiritur.

Tertiò, si quantitas est vnita materiæ, & formę, vel vnitur vnica indiuisibili vnione vtrique, vel duabus partialibus vnionibus, neutrũ dici potest, ergo. Probaᵗ minor.

Non

Non vnitur vnica, quoniam non posset separari ab vna parte, quin etiam separaretur ab altera, at potest quantitas separari à forma, absque eò quòd separetur à materia, ergo &c. Non duplici, nam quantitas, quamuis sit diuisibilis quoad partes, tamen in ratione formæ indiuisibilis est, non enim per vnam partem materiæ vnitur,& per alteram formæ,sed per eamdem omnino entitatem vtrique, ergo etiam vnio erit indiuisibilis, tum quia cũ sit modus illius, debet illi esse modus proportionatus, tum quia per eam vnionem indiuisibiliter vnitur quantitas composito, & vtrique parti eius. Confirmatur, quia in causalitate effectiua, quando effectus procedit à duabus causis per se, vel partialibus in vno ordine, vel totalibus in diuersis, vnica indiuisibili actione manat effectus ab vtraque causa, ergo in genere causæ materialis idem erit dicendum, si igitur quantitas pendebit in hoc genere à materia, & forma, ergo per eamdem dependentiam, & consequẽter per eamdem vnionem, & hoc potissimum argumento mouetur Suarez ad hanc sectandam sententiam.

4. Si quantitas inhæreret composito, corrupto composito, corrumperetur quantitas, & omnia accidentia, hoc est falsissimum, ergo. Probatur maior, quoniam accidens pendet à subiecto, in quo est, corrupto ergo subiecto, etiam ipsum accidẽs destruitur, nec enim potest transmigrare de subiecto in subiectum, minor supra quæstione ij. sufficienter probata fuit.

5. Priùs natura materia recipit quantitatem, quam formam, illa enim prærequiritur tamquam dispositio, recipitur ergo quantitas in sola materia, nec potest deinde explicari quomodo, vel cur extendatur inhærendo etiam formæ.

6. Vel producit quantitas eumdem effectum formalem in materia, & forma, vel diuersum, non prius, quia tunc idem effectus formalis esset in diuersis rebus realiter distinctis, quod est impossibile. Non posterius, quia ab vnica forma vnicus tãtùm prouenire potest effectus formalis.

7. Quantitas educitur de potentia materiæ tantùm, ergo etiam in illa tantùm recipi debet.

8. Quantitas cum sit quædam forma, est actus, ergo recipi debet in potentia, non in alio actu, at forma substãtialis est etiã actus, ergo non poterit in ipsa recipi, sed tantùm in materia.

Postremò. Quantitas est affectio solius materiæ, ergo ipsam solam afficit. Antecedens probatur tum ex similitudine, quæ est inter materiam, & quantitatem, tum ex eo quòd quælibet substantia aliquod proprium accidens sibi vendicare debet, nullum autem aliud potest materia, quàm quantitatem.

Quantitatem, & cætera accidentia composito inhærere ex aliorum sententia.

SECTIO II.

Amplectitur hanc sententiam S. Thom. prima parte, quæst. 77. artic. 6. Albertus in summa de hom. 2. parte quæstione an nutritio fiat ex simili. Durandus in primo, distin. 8. 2. parte, quæst. 4 Capr. in 2. distinct. 13. quæst. 1. conclus. 2. Caiet. de ente, & essentia cap. 7. quæst. 16. cum alijs Thomistis.

Pro-

Probant, quia materia est pura potentia, ita vt neque existere possit sine forma, ergo ex se impotens est ad sustinenda accidentia. Antecedes supponitur ex eorum principijs, consequentia verò probatur. Quoniam prædicatū de tertio adiacente supponit prędicatum de secundo, priùs ergo oportet, materiā esse, quàm esse subiectum accidentium, at non potest esse nisi per formam, priùs igitur oportet esse informatam, quàm esse subiectum accidentium, si autem accidentia adueniunt materiæ informatæ, ergo adueniūt composito, & ipsi inhęrent. Confirmatur etiam, quia priùs est, esse simpliciter, quàm esse secundū quid, at forma substantialis dat esse simpliciter, accidentalis verò secundum quid, priùs igitur oportet, illam concipi in materia, quàm hanc. Confirmatur secūdò, quia subiectū accidentium oportet per se subsistere, vt possit ea sustentare, at materia nō potest per se subsistere, sed hoc habet à forma, ergo neque per se potest esse subiectum accidentium.

Deinde materia priùs respicit formam substantialem, quàm accidentalem, nam ad illam habet ordinē essentialem, ad hanc verò accidentalem, ergo etiam priùs illam recipit, consequenter accidens aduenit materiæ iam informatæ, siue quod idem est, composito. Confirmatur, quia accidens est actus secundus, ergo supponit primum, qui est forma substantialis.

Tertiò, quantitas est proprietas compositæ substantiæ, ergo etiam illi inhæret. Consequentia est clara, quia passio inest subiecto, à quo fluit. Antecedens probatur primò, quia quantitas est passio substantiæ corporeæ, at substantia corporea includit materiam, & formam, nō .n. materia sola est corpus. Secundò, quia materia nullam habet actuitatem, ergo non potest producere quantitatem. Tertiò, quia quantitas cum sit actus, & forma, potius ab alio actu debet originem ducere, quàm à materia. Quartò, quia forma substantialis vt dans esse corporeum, nullam aliam passionem habere potest. Neque dicendum est, nullam ab ea emanare, quia ab omni essentia aliqua passio emanat.

Quartò, si quātitas, & cætera accidentia materię inhærerent, forma substantialis reciperetur in materia medijs accidentibus, quod est absurdum. Probatur consequentia, quia quod posterius aduenit, recipi per immediatè in eo, qđ priùs inerat. Confirmatur, quia hac ratione dicuntur qualitates media quantitate materię inhærere, quia post ipsam adueniunt. Tertiò, quia nulla esset ratio constituendi accidentia in materia, nisi vt ipsam disponerent ad formam incipiendā: falsitas autem consequentis probatur, quia tunc vnirentur forma, & materia per accidens medio accidente, non possent igitur constituere vnum ens per se. Item quantitas concurreret ad generationem tamquam subiectum formæ, non minùs, quàm materia. Accidentia quoque intimiùs afficerent materiam, quàm forma substantialis. Denique corrupto quolibet accidēte, corrumperetur etiam forma substantialis, quia si hæc inest materiæ medijs accidentibus, vtique his ablatis, non potest non separari forma ab ipsa materia.

Quintò, quantitas si materiæ primæ inhæreret, esset ingenerabilis, & incorruptibilis, quod est contra

Aristotelem, qui censet, dari motū ad quantitatem. Probatur illatio, quia quantitas non potest corrumpi à contrario, cum nullum habeat, neque ad corruptionem subiecti, cum materia sit incorruptibilis, ergo numquam corrumpetur.

Sexto, non solum materia, sed etiam forma est extensa, & quanta, ergo est subiectum quātitatis. Antecedens est extra controuersiam, alioqui enim non esset materialis, multas aūt formas esse materiales, nulli dubium est. Consequentia probatur, quia effectus formalis alicuius formæ non potest participari nisi à subiecto, in quo est ipsa forma, non enim est album nisi subiectum, in quo est albedo. Et confirmatur, quia non sufficit, duas formas esse in eodem subiecto, ad hoc vt vna denominet alteram, quia nō dicitur albedo lactis dulcis, sed etiā oportet, vt ea, quę denominatur, sit subiectum denominantis, cum ergo forma substantialis denominetur quanta, & extensa, oportet, vt in ipsa sit quantitas. Confirmatur secundò, quia extensio non potest esse extra rem, quam extēdit, est. n. extensio existentia partium extra partes, at nihil potest existere alicubi per aliquid, quod sit in alio, ergo neque extēsum, qđ nihil aliud est, quàm habere partes hoc pacto existentes.

Septimò, eadem sententia confirmatur ex multis locis Aristotelis, nam hic tex. 23. ait, In generatione nullum sensibile remanere, at si accidentia materiæ inexisterent, remaneret vtique aliquod sensibile, quia accidētia sunt sensibilia. Textu etiā sequenti ponit discrimen inter generationem, & alterationem, quòd illius subiectum sit materia prima, huius verò compositum. Tertiò, 7. metaph. tex. 8. ait, materiam non esse quid, nec quantum, nec quale, at si haberet accidentia, esset quantum, & quale.

Propria sententia explicatur.

SECTIO III.

Antequam sententiam nostrā proferamus, duplex distinctio subiecti est præmittenda. Prior est. Subiectum vel esse denominationis, vel inhæsionis, illud etiam dicitur subiectum quod, hoc dicitur subiectum quo. Prænotanda fuit hæc distinctio, quia hic nō potest esse quæstio de subiecto denominationis, siue quod, liquet enim, esse compositum, sed tantùm de subiecto inhæsionis. Quare non est bona conciliatio opinionum illa, quam affert Fonseca, quòd scilicet prima opinio vera sit de subiecto quo, secūda de subiecto quod, quia non hoc tantùm voluit secunda sententia, vt patet ex ipsius argumentis, & prima totum id, quod optat, consequitur.

Posterior distinctio est, quòd aliud est subiectum sustentationis aliud inhæsionis, non quòd subiectum sustentationis non sit etiam inhæsionis, sed quia potest dari subiectum inhæsionis, absque eo qđ sit sustentationis, quod ex anima rationali constat, quę inexistit in materia, & tamen ab ea non sustentatur. His positis.

Dico primò. Subiectum sustentationis quantitatis est sola materia, hoc dictum probatur sufficienter argumentis primæ sententiæ, præsertim quarto, ex consequente resolutione vsque ad materiam primam, quam miror alicui placere potuisse, neque S. Thom. illi fauisse, in-

ducere in animum possum, vt supra probaui.

Dico secundò. Clarissimum est quoque, non inhærere quantitatem in anima rationali, quia non est capax quantitatis, cum sit spiritualis, & indiuisibilis. Dices recipitur anima in materia extensa, ergo etiam poterit recipere quantitatem extensam. Probatur consequentia, quoniam receptũ recipitur per modum recipientis, ergo rei inextensæ magis repugnabit, recipi ab extenso, quàm recipere extensum. Respondetur, negandã consequentiam, quoniam à materia nullum recipit anima effectum formalem, consequenter non repugnat ei, esse in materia extensa, quamuis ipsa sit inextensa; at verò si esset subiectum quantitatis, reciperet eius effectum formalem, qui illi repugnat. Ad probationem consequentiæ dico, sensum illius propositionis esse, quòd receptum tribuit suum esse recipienti, iuxta capacitatem illius, non verò quòd receptum ipsum debeat induere conditionem recipientis, cum ergo anima nullo modo sit capax effectus quantitatis, efficitur, vt nullo modo possit eam recipere; cum verò materia sit capax effectus animæ rationalis, optimè potest hæc ab ea recipi.

Dico tertiò. Subiectũ inhæsionis materialium accidentiũ, & quantitatis etiam esse non tantùm materiam primam, sed etiam formam materialem. In hoc dicto totus disputationis cardo versatur, quare in eius probationem est nobis magnopere incumbendum, & eò obnixiùs, quò ab alijs, qui eamdem sententiam secuti sunt, infirmis valde rationibus confirmatum fuit, qualis ferè sunt, quæ superiori sectione retulimus.

Primò ergo probatur, forma materialis est capax recipiẽdi aliquod accidens materiale, ergo est subiectum saltem alicuius accidentis, ergo etiam quantitatis, & reliquorum omnium. Antecedens (quod de accidente habente entitatem realem, & non tantùm modalem intelligendum est, quia de hoc nullum potest esse dubium) probatur, quia sunt multa accidentia, quæ consequuntur formam substantialem, tamquam passiones; nam qualitates omnes cum ortum non ducant à materia, sequitur, vt ab ipsa forma fluant, & quædam etiam fluunt, vt passiones inseparabiles, vt grauitas, & leuitas, & plurimæ mistorum, & viuentium virtutes, & proprietates. Consequentia probatur ex omnium philosophorum consensu, qui idem ponunt esse principium, & subiectum passionum, neque hoc meritò negari potest. Cum enim vnaquæque natura proprium commodum spectet, vt quid producet forma qualitatem, quæ ab ipsa non est participanda, sed alteri tribuenda? vt quid etiam propria passio vocatur, si alteri conuenit, & non ipsi? vt quid dicitur ipsam consequi, si alteri inhæret? quomodo etiã eadem abscedente abscedit, si eã vt subiectũ nõ agnoscit? Præterea si nõ accipit, nõ potest hoc esse nisi ratione alicuius repugnantiæ, quæ sit in forma, at quomodo credibile est, formã habere repugnantiã ad recipiẽdam suã propriã passionẽ? nũquid dicemus, ei esse improportionatã? at quid magis accommodatũm rei naturæ esse potest, quàm sua ipsiusmet propria passio? forma certè spiritualis recipit suas passiones spirituales, cur ergo & materialis non poterit sua accidentia materialia?

An obstabit, quia hęc non est subsistens? atqui multò minùs est subsistens quantitas, & tamen quantitati cætera accidentia immediatè inhærent, cur igitur non poterunt inhærere formæ substantiali?

Præterea idipsum probatur ex ratione substantiæ, huius enim proprium est, substare accidentibus, vt nomen ipsum indicat, & accidentia dicuntur esse entis entia, idest substantiæ, at forma est verè substātia, quomodo ergo alicui accidenti non substabit? Carere accidentibus tamquam maximæ perfectionis inditium, soli Deo à Theologis tribuitur, quomodo igitur tam imperfecta substantia, qualis est forma, eodem priuilegio gaudebit? Accidentia ipsa sequuntur substantię naturam, dabitur igitur aliquod accidens, quòd formæ naturam sequetur, & ei poterit inhærere, alioqui si absque accidente existit, dicamus etiam, absque accidente operari, quia sicuti res se habet ad esse, ita etiam ad operari, quod tamen esset contra totam philosophiam. Dicamus etiam, absque aliquo accidente produci, quia non est maior ratio de passione, quàm de actione, eruntq; materialia accidentia solùm propter materiam producta, & ipsius entia dicenda erunt, non verò formæ, vel compositi. Confirmatur, quia posset Deus cōseruare formam sine materia, non est autem credibile, tunc illam formam omni accidente carituram, ergo verè est capax accidentium.

Tertiò, materia, & forma efficiūt vnum quid per se, & tā perfectè inuicem colligantur, vt non possit assignari pars compositi, in qua non sit materia, & forma, neque locus, in quo altera sit sine altera, ergo etiam accidens, quod vnam informabit, alterius quoque actus erit. Probatur consequentia primò exemplis, vt melius intelligatur. Nam in misto perfecto, quoniam quælibet pars misti est mista, impossibile est, aliquod accidens esse in vno miscibilium, & non in cæteris: Similiter quoniam os est intra carnem, impossibile est, veste carnē tegere, & non os. Præterea si materia, & forma eo modo, quo explicauimus, sunt simul, impossibile est, aliquod accidens esse præsens materiæ, quod etiam non sit æquè pręsens formæ, at illa præsentia sufficit ad informationem, ergo etiam hęc, si quid enim obstaret, non aliud esset, quàm quòd materia se habet vt potentia respectu illius accidentis, non autem forma, hac enim ratione quātitas non est in anima rationali, quia hæc cum sit spiritualis, non potest esse in potentia ad quantatem, at hoc non obstat, quia loquimur hic de forma materiali, quę non habet repugnantiam ad accidens; Habere autem etiam potentiam, probatur, quia materia actuata per formam substantialem est adhuc in potentia ad formam accidentalem, ergo forma accidentalis est actus posterior respectu formæ substātialis, sed actus prior est in potētia ad posteriorē, igitur & forma substantialis ad accidētalem. Confirmatur, quia forma substantialis inferior, est tamquam potentia respectu formę substantialis superioris, vt supra q. 4. probauimus. Et confirmatur, quia anima rationalis informat verè carnem, & non tantùm materiam primam, ergo forma carnis se habet vt materia, & potentia erga animam rationalem, ergo multò magis respectu accidētium, cum & ipsa anima rationalis, quæ est perfectissimus actus, sit in poten

tia

tia ad accidentia. Adde, quòd non est credibile, animam rationalem recipi in subiecto, in quo non sit quantitas, & cæteræ dispositiones accidentales, atqui recipitur in forma mistionis tamquam in materia, ergo in eadem sunt & quātitas, & cæteræ accidentariæ dispositiones.

Quòd verò si aliquod accidens sit in forma, idipsum sit dicendū de quantitate, facilè probatur, quoniā omnes Philosophi consentiunt, accidentia materialia esse in subiecto media quantitate, nisi igitur ipsa quantitas esset in forma, nullum etiam aliud accidens materiale inesse posset. Confirmatur miraculo, quod videmus in accidentibus remanentibus in Sacramento Eucharistiæ, in quo cum nulla adsit naturalis substantia, quæ sit eorum subiectum, dicitur quantitas per se existere, & cętera omnia accidentia ipsi inhætere. Hinc quoque efficitur, vt reliqua omnia accidentia materialia formæ inhętere dicenda sint, quia cum omnia inhęreant quantitati, subiecto etiam ipsius vt mediatè insint, oportet.

Pręterea quantitatem inhętere formæ substantiali, probatur. Cum in eadem materia simul sint quantitas, & forma materialis, vel oportet, inter formam substantialem, & materiam intercedere quātitatem, vel è contra formam substantialem mediatè quodamodo consistere inter materiam, & quantitatē, vel disparatè omnino se ambas habere ad materiam, primum, & tertiū dici non possunt, ergo secundum, ergo consequenter quantitas erit inhæsiuè in forma. Probemus singula membra huius argumentationis, nam diuisionē ipsam esse sufficientem, satis per se patere potest, quia vel quantitas est in forma, vel non est, si est, habemus secundum membrum, si non est, vel forma est in quātitate, & habemus primum, vel neutra est in altera, & habemus tertium. Quòd igitur quantitas non intercedat inter formam, & materiam, siue quod pro eodem habeo, ipsa forma non sit immediatiùs in quantitate, quàm in materia, facillimè probatur. Primò enim substantia esset in accidente, & accidēs substaret substantiæ, quod in philosophia est inauditum, & doctrinam prædicamentorum omnium euertens. Deinde forma substantialis non potest vniri quantitati, nisi per modum accidentalem, materiæ verò vnitur per modum substantialē, ergo non potest priùs vniri quantitati, quàm materiæ. Consequentia probatur, quia quando duæ causæ sunt subordinatæ, remota modificatur à proxima, si ergo forma priùs est in quantitate, & media quantitate in materia, causa proxima materialis eius erit quantitas, ergo modificabit hæc remotam, quæ est materia, non poterit igitur materia perfectiùs vniri formæ, quàm vniatur forma quantitati. Immo neque vniretur per alium modum materiæ, quàm per eum, per quem vnitur quātitati, sicuti albedo, quia inhæret materiæ media quantitate, non habet diuersum modum, quo materiæ vniatur, ab eo, quo vnitur quantitati.

Tertiò sequeretur, quòd magis naturalis esset hæc propositio. Quātum est viuens, vel corpus, quam hæc. Corpus, aut viuens est quantum, quia in illa prędicaretur forma de subiecto, in hac subiectum de forma inhærente, quod est contra omnium conceptionem.

Quartò, non potest quantitati tribuere forma suum effectum forma

lem, non enim quantitas potest esse viuens, aut sensitiua, aut omnino recipere vllum effectũ formalẽ substantiæ, vt quid ergo dicemus, formam inhærere subiecto, cui nullum effectum tribuit?

Postremò idem probatur argumento ex Eucharistiæ Sacramento deducto, nam si forma substantialis panis esset in quantitate, reliqua panis accidentia, vt albedo, sapor, &c. non essent immediatè in quantitate, sed media forma substantiali, non enim est verisimile, priùs esse in quantitate omnia accidentia, ac deinde formam substantialem, ergo corrupta forma substantiali, corrumperentur etiã reliqua accidentia, vel oporteret multiplicare miracula, quæ numquam in mentem alicui venerunt.

Quòd verò neque se habeant disparatè in materia, probatr primò, quia frustra tamquam dispositio ad formam requireretur ipsa quantitas in materia, sicuti quia in lacte eodẽ pacto disparatè se habent dulcedo, & albedo, vna non est dispositio ad alteram. Secundò, quantitas ita materiæ adhæret, vt nullum omnino accidens possit in ea recipi, quin etiam recipiatur in quantitate, ergo non est credibile, disparatè se habere ad formam substantialem, quæ etiam maximè vnitur intimè ipsi materiæ. Tertiò, idem colligitur ex prædicatione, quia forma materialis dicitur extensa, & quanta, nõ tamen fit huiusmodi prædicatio inter formas, quæ disparatè se habẽt, nam albedo non dicitur dulcis, neque dulcedo alba. Quartò, quantitas, & forma substantialis sunt simul, & vtraque habet rationem actus, & potentiæ, ergo nulla est ratio, cur inuicem non vniãtur. Quãtitatem se habere vt actum, patet, quia informat materiam, & vt potentiam quoque, liquet, quoniam est subiectum qualitatum. Idem etiam dici posse de forma substantiali, suadetur, quoniam & respectu materiæ est actus, & respectu accidentium, siue etiam alterius formæ substantialis est potentia; Est ergo omnino incongruum fateri, quantitatem, & formam substantialem esse simul, & tamen nõ vniri. Confirmatur, quia eatenus non vniuntur in lacte albedo, & dulcedo, quatenus ambæ se habent, vt actus tantùm, non verò etiam, vt potentia.

Obiectionibus contra allatam doctrinam occurritur.

SECTIO IIII.

Nouum videri poterit, quod asseruimus de duplici subiecto inhæsionis, & sustẽtationis præcipuè respectu accidentium, neque deerunt, qui multa obijciant, quibus ꝓ viribꝰ satisfacere conabimur.

Principio obijci poterit, accidẽs non posse alicui inesse, nisi inhæreat, non potest igitur dari hoc subiectum inhæsionis, quod non sit etiam sustentationis, eatenus enim hoc conceditur respectu animæ rationalis, quatenus est per se subsistens, cum autem accidens per se nõ subsistat, neque etiam poterit inhærere, & non sustentari. Respondetur, non posse quidẽ accidẽs inesse, quin etiam sustentetur, non tamen verum esse, quòd sustentur ab omni subiecto, cui inhæret, sicut lapis non potest in alto degere, quin ab aliquo fulciatur, potest tamen ita alicui columnæ inniti, vt simul etiã videatur sustineri ab aliquo alio, exemp. gr. Angelo depicto, vel ligneo, re vera tamen ab illa tantùm

tùm columna sustentatur. Sicuti igitur anima rationalis quia est per se subsistens, potest inesse, & non sustentari, ita quantitas, quia iam sustentata supponitur à materia, poterit formæ inhærere, absque eo qđ ab ea sustineatur.

Secundò obijcitur. Accidens nō potest transmigrare de subiecto in subiectum, vt omnes Philosophi vnanimiter asserunt, at si subiectum accidentium esset forma, & nō abscederent ipsa recedente, vt nos volumus, idem accidens modò esset in hac forma, modò in illa. Respondetur, hoc verè non esse transmigrare de subiecto in subiectum, sed substantiam mutari sub accidētibus, sicuti enim dicitur immobilis permanere turris, quamuis superficies aeris circa eam subinde varientur, ita non dicitur moueri accidēs, quamuis subiecta sub ipso mutentur, quare & Aristoteles in hoc primo tex. 24. asserebat, eamdem qualitatem in genito permanere, quæ fuerat in corrupto. Adde, quòd licet mutentur subiecta inhæsionis tantùm, non tamen mutatur subiectum sustentationis, quod est materia prima, & ratione huius dicitur accidens semper esse in eodem subiecto, sicuti ratione spatij imaginarij dicitur turris semper esse in eodem loco.

Tertiò obijcitur. Accidens non potest esse, nisi in eo subiecto, à quo educitur, sed nō pōt idē accidens educi ex materia, & ex forma, ergo neque in vtraque esse. Et confirmatur, quia quantitas, quæ modò dicitur esse in vna forma; paulò post erit in alia, ex vtraque autem non potuit educi. Respondetur, maiorem veram esse tantùm de subiecto sustentationis, quia educi est fieri dependenter, non dependet autem propriè accidens, nisi à subiecto, à quo sustentatur. Confirmatur responsio, quoniam qualitates non dicuntur educi ex quantitate, sed ex materia, & tamen etiam quantitati, & immediatiùs inhærent.

Quartò obijcitur. Non potest accidens immedatè inhærere tum materiæ, tum formæ, quia neque qualitates inhærent immediatè materiæ, & quantitati, sed huic immediatè, illi verò mediatè, si verò immediatè vni tantùm inhæret, vel erit forma, vel materia, non materia, quia sequeretur, formam esse subiectum materiæ, vt dici posset, accidens, quod est in materia, esse mediatè etiam in forma, sicuti albedo est mediatè in materia, quia quantitas, cui illa inest, immediatè subiectatur in materia: neque uerò forma, quia tunc magis vniretur formæ, quàm materiæ, & recedēte forma, etiam ipsa corrumperetur, sicuti quantitate pereunte, non possunt accidentia, quæ illi inhærent, conseruari. Respondetur, accidentia immediatè inhærere tum materiæ, tum formæ, & ratio est, quia hæ efficiunt maximè vnum, non ita autē se habent quantitas, & materia, hæc enim ab illa magis extrinsecè afficitur, & idcirco non mirum, si dicantur accidentia immediatè inhærere quantitati, & ea mediante, materiæ. Adde, quòd quantitas est conditio necessariò prærequisita, ad hoc vt accidentia sint in materia, at verò materia si posset existere sine forma, posset etiam accidentia recipere, & similiter forma, si sine materia, quamuis tunc esset ēt subiectū sustentationis accidentiū, sicuti modò quātitas est subiectū sustētationis accidētiū in Sacram. Eucharistię, quāuis dū est in materia,

ipsa

ipsa materia ea sustentatare dicatur.

Quintò obijcitur, forma substantialis aduenit materiæ post accidentia, idcirco enim hæc appellantur dispositiones, sed quod est priùs in materia, subijcitur illi, quod aduenit posteriùs; sicuti vestis, quam priùs induimus, subiacet posteriori. Ergo etiam accidentia subijciuntur formæ substantiali. Respondeo valere hoc argumentum in vestibus, quæ extrinsecus applicantur, non autem in formis, quæ à materia educuntur, & idcirco potius videretur dicendum, posteriùs eductas intimiùs vniri materiæ, & esse veluti subiectum aliarum.

Argumenta primæ sectionis dissoluuntur.

SECTIO V.

Ad primum respondeo, si accidentia ponerentur in subiecto in hunc tantùm finē, vt ipsum disponerent ad formam, fortè argumentum conclusurum, atqui indiget etiam forma accidentibus, non vt disponatur, sed vt perficiatur, & operetur, ac proinde non valet argumentum, nō disponunt formam, ergo non sunt in forma. Adde, & formam ignobiliorem dispo ni posse ad nobiliorem.

Ad secundum respondeo, materiam esse totale subiectum sustentationis, non tamen inhæsionis. Neque valet argumentum: Quantitas non indiget forma, vt sustentetur, ergo non est in forma, vt patet in anima rationali, quæ est in corpore, & ab eo non sustentatur, nam & forma ipsa indigebit quātitate, & quātitas recipere poterit aliquid aliud à forma, vt terminos, figuram, & qualitates, quibus ipsa quantitas afficitur. Ad instantiam de homine dico, in ipso esse præter animam, formam mistionis, quæ est subiectū ipsius quātitatis. Sed hac etiam nogata respondeo, quantitatem esse posse in materia sola, quia hæc est subiectum sustentationis, si tamen adsit & forma quantitatis capax, etiam ipsi inhærebit, sicuti ēt eadem quātitas modò paucis qualitatibus, vt in elementis, modò pluribus, vt in mistis, subiacet.

Ad tertium respondeo, duplici vnione quantitatem formæ, & materiæ vniri. At inquies. Est simplex entitas. Respondetur, non obstare, quia hæ vniones non sunt inter se contrariæ, quare optimè possunt eidem inexistere. Multò minùs autem Suarez deberet hoc pro inconuenieti habere, cum ipse concędat punctum indiuisibile duabus partibus quantitatis, quas cōnectit, duabus etiam vnionibus vniri, quod tamen nos supra pro absurdo habuimus, quoniam illæ duæ vniones respiciunt terminos oppositos quoad situm, non possunt igitur eamdem rem indiuisibilem afficere. At hic quantitas vnitur materiæ, & formæ, quæ simul existunt. Confirmatur, quia potest eadem quantitas vniri albedini, & dulcedini in ipsa existentibus, ergo potest recipere duas vniones, quamuis enim iuxta principia Suarez non sit vnio in quantitate, sed in qualitatibus, contraria tamen opinio ab ipso etiam censetur probabilis, & certè, si non repugnat, vt duæ res sint quātitati vnitæ, neq; verisimile est, pugnare, ꝙ ipsa illis vniat. Vel iuxta ipsius sententiam possemus etiā dicere, quantitatem vniri formę

per vnionem formæ tantùm, quia mutatio potius videtur in forma, quàm in quantitate. Ad instantiam de actione dico falsum esse, in effectu procedente à duabus causis partialibus vnicam esse actionem indiuisibilem, sequeretur enim, esse totum ab vtraque causa, quod est falsum.

Ad quartum Fonseca, & Collegium concedunt conseq. quanuis affirment, accidentia soli materiæ inhærere, sed non video, quid nos ad illud admittendum cogere possit, cum potius, ne illud concedatur, quodlibet aliud sit amplectendum. Neganda est igitur consequentia, quia forma non est subiectum sustentationis, sed tãtùm inhæsionis.

Ad quintũ respondeo, licet quantitas sit prior in materia, quia tamen forma substantialis ita materiæ vnitur, vt faciat cum ipsa vnum per se, & magis faciat, quàm sit illud, quod ex quantitate, & materia componitur, cõsequenter materia, & forma inuicem sibi communicãt accidentia, dummodo non adsit ex parte alterius repugnantia.

Ad sextum respondeo, vnicum esse effectum formalem, participatum tamen à materia, & à forma, sicuti vnica est quantitas, neque.n. effectus formalis identificatur cum subiectis, vt participari non possit à duobus distinctis.

Ad septimum respondeo, recipi quidem quãtitatem in materia, sed deinde informare etiam formam substantialem, quę cum materia vnitur.

Ad octauum, licet forma sit actus respectu materiæ, se habet tamen, vt potentia ad quantitatem, & ad alia accidentia, sicuti eadem etiam quantitas, licet substantiam actuet, potest tamen aliud accidens, idest qualitatem recipere.

Ad vltimum respondeo, quantitatem quidem esse affectionem materiæ, in quo ab autoribus secundæ sententiæ dissentio, qui censent, eam ex nexu formę, & materiæ oriri. Nego tamen, hinc deduci, esse in materia tantùm, quia cum ex materia, & forma fiat vnum per se, accidẽtia quoque, & proprietates inuicem sibi communicant. Nam & aduersarij volunt, qualitates, quæ sunt proprietates formæ, materiæ inhærere. Argumenta secundæ sententiæ quamuis omnino à nobis nõ probentur, quia tamen pro conclusione nostra, quòd scilicet accidentia sint in composito, pugnarunt, indemnata dimittimus.

SVMMA SECVNDA. De Augmentatione, Caput V.

Quomodo Augmentatio ab alijs differat motibus.



E Augmentatione autẽ reliquum est dicere, & quonam differt à generatione, & alteratione & quomodo augmẽtantur vnumquodque eorum, quæ augmentatur, & diminuitur quodcumque eorum, quæ diminuitur. Scrutandum itaq; primo, vtrum solum in ipso, circa quod eorum adinuicẽ differentia est, vt quod quidem ex hoc in hoc transmutatio, vt ex potentia substantia in actu substantiam, generatio est: quæ autem circa magnitudinem, augmentatio, & diminutio: quæ autem circa passiones, Tex. 25

siones, alteratio. vtraque autem ex potentia existentibus in actũ transmutatio dictorum est. An etiam modus differt transmutationis. videtur enim id quidem, quod alteratur, non ex necessitate transmutari secundum locum, neque quod generatur: quod autem augmentatur, & diminuitur: alio autem modo ab eo, quod fertur. quod enim fertur, totum mutat locum: quod autem augmentatur, quemadmodũ quod extenditur. hoc enim manente, particulæ transmutantur secundum locum, non quemadmodũ quæ sphæræ. hæ enim in æquali loco, toto manente, transmutantur: quæ autem eius, quod augetur, semper in ampliorem locum, in minorem autem quæ eius, quod diminuitur.

Quæ sit augmentationis materia.

Tex.26 QVod igitur differt non solum in ipso, circa quod, sed & sic, trãsmutatio eius, quod generatur, & alteratur, & augmentatur, manifestum est. Circa quod autem est transmutatio augmentationis, & diminutionis (circa magnitudinẽ autem videtur esse) augeri, & diminui vtro modo accipiendum.

Tex.27 ¶ Vtrum ex potentia quidẽ magnitudine, & corpore, actu autem incorporeo, & sine magnitudine generari corpus, & magnitudinem. Et, cum hoc dupliciter contingat dicere, vtro modo augmentatio fit, vtrum ex ipsa separata secundum se materia, an ex stante in alio corpore. An impossibile vtroque modo, separata enim existens, aut nullum possidebit locum velut punctus aliquis, aut vacuum erit, aut & corpus non sensibile: horum autem hoc quidem non contingit, hoc autem necesse est in aliquo esse. semper enim alicubi erit, quod generatur ex eo: quapropter & illud aut secundum se, aut secundum accidẽs.

Sed, si in aliquo inerit, si quidem separatum ita, vt aut non illius secundum se, aut secundum accidens aliquid sit, contingent multa, & impossibilia. Dico autem vt si generatur aer ex aqua, non aqua erit transmutata, sed propterea quòd, vt in vase aqua inest, materia eius. infinitas enim nihil probibet materias esse: quapropter & generari actu. Amplius neque sic videtur generari aer ex aqua, vt exiens à manente. Tex.28

Melius ergo est facere omnibus inseparabilem esse materiã, vt existentem vnam: & candem numero, ratione autem non vnam. At verò neque puncta, neque lineas ponendum corporis materiam, propter easdem causas. illud autem, cuius hæc vltima, materia erat. quam nunquam sine passione possibile est esse, neque sine forma. Tex.29

Generatur igitur simpliciter alterum ex altero, quemadmodum et in alijs determinatũ est, & ab aliquo quoque actu existente, aut eiusdem generis, aut eiusdem speciei, vt ignis ab igne, aut homo ab homine: aut ab actu. durum enim non à duro generatur. Tex.30

Quoniam autem est & substantia corporeæ materia, corporis autem Tex.31

tem

tem iam talis (corpus enim commune nullum) eadem & magnitudinis, & passionis est, ratione quidē separabilis, loco autem non separabilis, nisi & passiones sint separabiles. Manifestum itaq; ex dubitatis, quòd non est augmentatio transmutatio ex potentia magnitudine, actu autem nullam habente magnitudinem. separatum enim esset, quod cōmune. hoc autem quod impossibile sit, dictum est prius in alijs. Amplius autē talis trāsmutatio non augmētationis ꝓpria, sed generationis omnino. Augmentatio enim est existentis magnitudinis additamentū: Diminutio autem, minoramentum. Ideo oportet habere aliquā magnitudinē id, quod augetur. Quapropter non ex materia sine magnitudine oportet esse augmentationem in actum magnitudinis. generatio enim erit magis corporis, non augmentatio.

Tex. 32 Accipiendum itaque magis, velut tangentes quæstionem à principio, qualinam existente ipso augmētari, & diminui, causas quærimus. Videtur itaque eius, quod augetur, quæcumque pars aucta esse. Similiter autem & in diminutione minor generata esse. Amplius autē adueniente aliquo augmentari, & recedente, diminui. Necesse autem aut incorporeo augmentari, aut corporeo. Si igitur incorporeo, erit separatum vacuum, impossibile autem est à magnitudine materiam esse separatam, sicuti dictum est prius. Si autē corporeo, duo corpora in eodē loco erunt, et quod augetur, et quod auget. est autem & hoc impossibile.

Materiam à magnitudine esse separabile impossibile est.

Tex. 33 Sed neque sic contingit dicere fieri augmentationem, & diminutionem, vt cum ex aqua aer. tunc enim maior moles est generata. non enim augmentatio hoc. sed generatio quidem eius, in quod transmutatur, erit, corruptio autem cōtrarii, augmentatio autem neutrius. Sed aut nullius, aut, si quid commune amborum existit, eius, quod generatur, & eius, quod corrumpitur, vt si corpus. aqua aūt non aucta est neq; aer: sed hoc quidem deperijt. hoc autem generatum est: corpus autem, siquidem auctum est. Sed & hoc impossibile. Oportet enim saluare ratione inexistentia ei, quod augetur, & diminuitur. Hæc autem sunt Tria, quorum Vnum quidem est, quamcunque partem maiorem fieri eius, quæ augetur magnitudinis, vt, si caro, carnis, & adueniente aliquo: Et tertium, vt saluetur quod augetur, & permaneat. Cum enim generatur aliquid simpliciter, aut corrumpitur, non permanet: cum autem alteratur, aut augetur, aut minuitur, permanet idem, quod augetur, aut alteratur, sed hic quidem passio, ibi autē magnitudo eadem non permanet. Si itaque erit, quæ dicta est augmentatio, cōtinget nullo adueniente, neque permanente augeri, et nullo recedente diminui, & non permanere quod augetur sed hoc saluare oportet: supponitur enim augmentatio tale.

Tria essentialia augmentationi.

Quid sit id, quod augetur.

Dubitabit autem aliquis quid sit quod augetur, vtrum cui

apponitur aliquid, vt si crus augeat, ipsum maius, quod autem auget nutrimentum non. Quare igitur non ambo aucta sunt? maius enim & quod, & quo quemadmodũ quando miscueris aquæ vinum. similiter enim plus vtrunque. An quoniam huius quidem manet substantia, huius autẽ non, vt ea, quæ nutrimenti quoniam & ibi dominans dicitur in mistione, vt quod vinum. facit enim vini opus, sed non aquæ, vniuersa mistura. Similiter & in alteratione, si manet caro existens & quod aliquid est, passio autem aliqua existit earum, quæ secundum se, quæ priùs nõ existebat, alteratum est hoc. Quo autem alteratum est, hoc quandoque quidem nihil passum est, quãdoque autem & illud. Sed alterans & principium motus in eo, quod augmentatur, & alteratur. in his .n. mouens. quoniam & ingrediens fieri poterit aliquando maius, & quod fruitur ipso corpus, vt si ingrediens fiat spiritus, sed corruptũ est hoc patiens. & mouens non in hoc.

tex.35. *¶ Quoniam autem dubitatum est de his sufficienter, oportet & solutionem dubitationis tentare inuenire, saluantes, manente eo, quod augetur, & adueniente aliquo, augeri: recedente autem, minui. Adhuc autem, quodcunque signum sensibile, aut maius, aut minus factum esse, & non vacuum esse corpus, neque duas magnitudines in eodem loco, neque incorporeo augeri. Suscipiendum autem causam, cum determinauerimus primum, vnum quidem, quòd ea, quæ sunt dissimilium partium, augetur, quia ea, quæ sunt consimilium partium augentur, componitur enim ex his vnumquodque. Deinde quod caro, & os, & vnaquæque talium partium est duplex, quemadmodum & aliarum in materia formam habentium, etenim materia dicitur, & forma, caro, aut os. Quamcunque igitur partem augmentari, & adueniente aliquo secundum formam quidem est possibile, secundũ materiam autem non est.* ¶ *Oportet enim intelligere, quemadmodũ si quis mensurabit eadem mensura aquam: semper enim alia, & alia, quæ generatur: sic vtique augmẽtatur materia carnis. & non cuicunque partium aliquid adijcitur, sed hoc quidem defluit, hoc autem aduenit, figuræ autem, & formæ cuicunque particulæ.* tex.36.

¶ In his autem, quæ sunt dissimilium partium hoc magis manifestum, vt manu, quòd proportionaliter aucta est, materia enim, altera existens, manifesta est magis ipsa forma hic, quàm in carne, & his, quæ similium partium. ideo & mortui magis videbitur esse adhuc caro, & os, quàm manus, & brachiũ. Quapropter est quidem vt quæcunque pars carnis aucta sit, est autem vt non. secundum formam .n. cuicunque accessit, secundum materiam verò non. tex.37.

¶ Maius autem totum generatum est, adueniente aliquo quidem, quod vocatur nutrimentum, & contrarium, transmutato autem in eãdem formam, vt si sicco adueniret humidum: cum autem aduene- tex.38.

rit,

rit, transmutaretur, & generaretur siccum. est enim vt simile simili augmentetur, est autem vt dissimili.

Quale sit id, quod augetur. Quo pacto fiat Augmentatio. De differentia inter augmentationem, & nutritionem: & quid sit ipsa Corruptio.

tex.39. *DVbitabit autem aliquis, quale oportet esse id, quo augetur. Manifestum vtique quòd potentia illud. vt si caro, potentia carnem, actu igitur alterum. corruptum autem hoc, caro generatum est. non igitur ipsum secundum se. generatio enim esset, non augmentatio. sed quod augetur, id hoc. Quid igitur patiens ab hoc auctum est? An mistum? quemadmodum si quis vino superinfundat aquam, hic autẽ possit vinum facere quod mistum, & quemadmodum ignis, tangens vrenda, vrit, ita in eo, quod augetur, & existente actu carne, quod inest augmentatiuum, adueniente potentia carne fecit actu carnem. Ergo simul existente. si enim seorsum, generatio est .n. ita ignẽ facere, ad existentem adiungentem ligna, sed hic quidem augmentatio est: quando autem ipsa ligna accẽsa fuerint, generatio.* ¶ tex.40. *Quantum autem vniuersale quidem non generatur: quemadmodum nec animal quod nec homo, nec aliquod est singularium. sed, vt hic vniuersale, ita & illic quantum. Caro igitur, & os, aut manus, aut nerui, & horum ea, quæ sunt similiũ partium, adueniente quidem aliquo quanto, sed non carne quanta.*

¶ *Secundũ igitur quod potentia compositum ex vtroque est, vt quãta caro sic quidem auget. etenim quantum oportet generari, & carnem: secundum autem quod solum caro est, nutrit. etenim sic differũt nutrimentum, & augmentatio, ratione. Ideo nutritur quidem, quousque saluum fuerit, & si diminuatur, augmentatur autem non semper. Et nutrimentum augmentationi idem quidem est, ipso autem esse aliud. secundum enim quòd est id, quod aduenit, potentia quanta caro augmentatiuum carnis est: secundum autem quòd solùm potentia caro, nutrimentum. Hæc autẽ forma sine materia, vt materialis potentia quædam, in materia est. Si autem aliqua aduenerit materia, existens potentia immaterialis, habens & quantum potentia, hæ erũt maiores immateriales.* tex.41. Idẽ 2. de anima.

¶ *Si autem amplius facere non possit, sed vt aqua vino, semper amplius mista in fine aquosum facit, & aquam, tunc diminutionem facit quanti, forma autem manet.* tex.5.

PROPOSITIONES ex Capite Quinto.

1 *Quod alteratur, & generatur, non necessariò loco mutatur, mutatur autem, quod accrescit, vel decrescit.* tex.25.

2 *Quod fertur, totum mutat locum, quod augmentatur, secundum partem tantùm.* tex.25.

3 *Quod in orbem mouetur, mouetur se-* tex.25.

secundum partes, toto manente in aquali loco, quod autem augmentatur, ampliorem locũ occupat, qđ diminuitur, angustiorẽ.

tex.29. 4 *Materia, quæ à compositis separata existere nequit, vna numero, eademq; est, ratione non vna.*

tex.29. 5 *Quantitate affecta materia, cuius termini sunt superficies, & linea & pũcta, &c. quã nũquã sine passione, aut forma, possibile est, esse, materia est augmentationis.*

tex.30. 6 *Generans est eiusdem generis, aut speciei cum genito, vel virtute ipsum continet.*

tex.31. 7 *Non potest materia à quantitate separari, sicuti neque passiones, & qualitates.*

tex.31. 8 *Accretio non est ex magnitudine in potentia, sed in actu.*

tex.31. 9 *Non acquiritur tota quãlitas per accretionẽ, sed potius per generationem.*

tex.32. 10 *Eius, qđ accrescit, qualibet pars augetẽ, & ꝙ decrescit, minuitur.*

tex.32. 11 *Accedẽte aliquo, fit accretio, & recedente, fit diminutio.*

tex.33. 12 *Vt idem maneat, quod fit maius, in accretione requiritur.*

tex.33. 13 *Quod alteratur, aut augetur, idẽ manet, non permanente tamen eadẽ qualitate, aut magnitudine.*

tex.34. 14 *Quod euincit, ac superat in ipsa mistione, augeri dicitur, ceu vinum, cum ei admiscetur aqua.*

tex.34. 15 *Non tã quod additur, quã cui additio fit, maius reddi solet.*

tex.34. 16 *In alteratione quoque nõ accidẽs, sed subiectũ ipsũ alterari dicitur*

tex.34. 17 *In alteratione aliquando reactio, & repassio datur, aliquando nequaquam.*

tex.34. 18 *Principiũ alterationis, atq; augmẽtationis in eo sunt, quod alteratur, & accrescit.*

tex.34. 19 *Quod additur in augmentatione, fieri maius potest.*

tex.34. 20 *Alimẽtũ, cũ patitur, corrũpi solet, neq; in eo ẽ principiũ nutritionis.*

21 *Dissimilaria augentur, cum similaria accrescunt, ex his enim illa componuntur.* tex.35.

22 *Quãlibet parte cõpositi augeri, & accedente aliquo, secundũ formã quidẽ, est possibile, non autem secundum materiam.* tex.35.

23 *Cum mortuum est quippiam, magis caro, & os, quàm manus, & brachium esse videtur.* tex.37.

24 *Partim simile simili, partim dissimile dissimili accrescit.* tex.38.

25 *Quo aliquid augetur, potentia debet esse illud, quod augetur, actu autem aliud.* tex.38.

26 *Illud, quo aliq̃d augetur, nõ debet esse ab eo separatum, sed in ipso existens.* tex.39.

27 *Quantitas vniuersalis nulla fit, sicuti nec animal, quod homo nõ sit, vel brutum.* tex.40.

28 *Nutritur homo carne, vt caro est, accrescit autem eadem, non vt caro, sed vt quanta est.* tex.41

29 *Quamdiu viuit animal, nutritur, non tamen semper augetur.* tex.41.

30 *Deficiẽte virtute in viuẽte, fit decretio secundum quantitatem, forma tamen remanet.* tex.42.

NOTATIONES.

IN primam propositionem. Quod gignitur, dicitur locum non mutare, nõ qđ maneat in eodem loco, in quo erat priùs, quia antea nullibi erat, sed quia nõ acquirit vnũ locũ, deserẽdo aliũ, qua ratione neq; dici potest, mutari quoad substantiã, quare qđ generaẽ, re vera nõ mutaẽ. Vel nõ dicitur, mutare locũ ratione materię, quę in eodẽ loco manet, ac erat priùs. Vel quia manet in eodẽ loco, in quo antea erat corruptũ, sicuti n. accidẽtia dicũtur eadẽ remanere in genito, & in corrupto, ita etiam locus.

Altera dubitatio circa hãc ꝓpositionẽ esse potest, quia põt aliquid augeri, sed simul ẽt condẽsari. Respondeo, non esse veram augmentationem, & perfectam, vt patebit ex quæstionibus.

In

In 2. Contra hanc potest obijci, quia potest aliquid moueri localiter secundum vnam partem tantũ, vt si quis moueat brachium, ergo non est semper verum discrimen, quod hic assignat Aristoteles. Respondeo, tunc non moueri hominem totum, sed tantùm brachium, at verò animal totum augetur, quã uis non totum locum mutet, dicitur contra eamdem.

Quod augetur, videtur moueri secundum totum, siue totum intelligatur respectu eius, quod augetur, siue respectu loci, nam quælibet pars augetur, ergo quælibet pars mutat locum. Confirmatur, quoniam si corpus occupet spatiũ decem pedum, ac deinde relinquat spatium vnius tantùm pedis ex parte posteriori, & occupet aliud vnius pedis ex parte anteriori, tunc non mutabit totum locum, sed partem, ergo discrimen Aristotelis nullum. Si dicas, ibi omnes partes mutare locum, ita dicam in augmentatione, quia quælibet pars augetur. Respõdeo, verum esse discrimen, quia quamuis corpus decem pedum, spatio tantùm vnius pedis motum sit, totũ tamen dicitur mutatum esse, at qđ accrescit, nõ dicitur totũ mutate locũ, sed retinuisse priorẽ, & acquisiuisse aliũ, vel loqui Arist. de ratione, qua deseritur prior locus.

In 4. propositionẽ. Materia est in diuersis compositis, ergo non est vna numero. Respondeo, dici vnam numero, non respectu omniũ compositorum, sed respectu geniti, & corrupti, quia eadem manet in vtroque. Vel dicitur vna numero in omnibus, quatenus materiæ diuersorum compositorum considerantur veluti partes eiusdem materiæ primæ, quæ ex se nullã habet diuisionẽ. vel vna numero in cõposito, ꝙ constituit, vt exponit Tolet.

In 5. propositionẽ. Dubium esse potest, quam velit Aristoteles esse materiam, siue subiectum augmentationis, materiam ne affectam quantitate, an quantitatem præcisè sumptam; Et quamuis videri possit quæstio de nomine, dicendũ tamen potius videtur, materiam ipsam esse subiectum, quia substare accidentibus, substantiæ tribuitur.

In 6. propositionẽ. Dubitari potest, cur dixerit Aristoteles, generans esse debere eiusdem speciei, vel generis, videtur enim semper esse debere eiusdem speciei. Respondeo, prudenter apposuisse vel generis, nam malus nõ producitur ab eodem agente specie, sed genere, & plantæ etiam aliquando degenerant in plantas alterius speciei.

In 7. propositionẽ. Verissima est naturaliter loquendo, dubium tamen esse pōtest, an in cõdensatione aliqua pars quantitatis separetur, sed de hac in propria quęstione, nota autem, abhorrere Aristotelem à resolutione vsque ad materiam primam, nã si daretur, vtique materia in ea separaret à quãtitate.

In 8. propositionẽ. Cum omnis motus sit actus entis in potentia, & tẽdat à potentia ad actũ, & accretio sit motus ad quantitatẽ, non videtur verũ, qđ hic ait Aristot. accretionem non esse ex magnitudine in potentia, sed actu. facilis tamen est responsio, nam accretio supponit corpus quãtum, & idcirco dicitur esse ex magnitudine in actu. Sed quoniã hęc magnitudo est in potentia ad maiorem extensionem, & terminũ; idcirco potest esse subiectũ motus, dici ergo potest in actu, & in potentia; Aristoteles tamen dixit esse in actu, vt distingueret augmentationẽ à generatione, in qua quod generatur, antequam generatur, est omnino in potentia.

In

In 9. propositionē. Non est sensus, quòd verè acquiratur quantitas per generationem, sed quòd si acquireretur tota quantitas, esset per generationē, potius quàm per augmentationem, potest tamen etiam dici, quòd acquiratur tota quantitas à composito, quia si acquirit totum esse, ergo etiam quantitatem, attamen quia quantitas ipsa non producitur, sed iam antea erat, idcirco non dicitur acquiri. Dubitari ēt potest primò, cur non sit dari motus ad totam quantitatē, sicuti ad qualitatem datur. Secundò, cur si acquireret tota, esset per generationem, cum hęc terminetur ad substantiam? Ad primum respondetur, quia quantitas est coæua materiæ at non sufficit, quia neque pars deberet acquiri. Melior responsio est, quia nullum reperiri potest compositum, quod sit quantitate denudatum, consequenter non potest esse in potentia ad totam quantitatem. Ad secundum respondetur, sumi generationem largo modo pro productione. Vel vocatur generatio, quia in hac per accidens producitur tota quantitas.

In 10. propositionē. Potest hic adesse difficultas, quia partes sunt infinitæ, ergo infinitū erit augmētum. Sed de hoc in quæstionibus, sicut etiam de duabus sequentibus.

In 13. propositionē. Non videtur verum, quòd non permaneat eadem magnitudo in augmentatione, nam quamuis noua adueniat, vetus tamen non recedit. Respondeo, non dici eamdem, quoad terminos, & mensuram, sed eamdem, quoad entitatem.

In 15. propositionē. Ratio huius dicti est, quoniam id, quod additur, videtur transire in id, cui additum est.

In 16. propositionē. Videtur, quòd etiam accidens alterationem patiatur, quia intenditur, hæc autē intensio cum sit motus, non potest spectare nisi ad alterationem. Respondeo, spectare quidem, & esse etiam alterationem respectu subiecti, non tamen respectu accidentis. Ratio autem esse potest, quia qualitas præexistens non est propriè subiectū illius noui gradus producti, sed ipsa substantia. Dubitatur secundò, quia exemplum non videtur ad rem, nā videretur sequi, quòd quantitas non augmentaretur, quod est falsum, augetur enim & subiectum, & quantitas. Resp. in exēplis non esse requirendam exactam similitudinem.

In 17. propositionē. De hac in quæstione de reactione.

In 18. propositionē. Principiū augmentationis esse in eo, quod augetur, nullum dubiū est, at de principio alterationis non est parua difficultas. Tres autem sunt responsiones, vt videre est in Collegio, quarum secunda est etiam Toleti. Addo ego quartam, vt loquatur Aristoteles de principio formali alterationis, quando enim aqua calefit ab igne, licet ab igne prodeat calor, tamen calor, à quo immediatè oritur alteratio, est in ipsa aqua, si enim calor non recipitur in aqua, numquam ipsam alterabit, qua ratione etiā dicitʳ actio esse in passo.

Contra alteram partem de augmentatione videtur esse dubium, quia virtus nutritiua videtur etiam esse extra nutritum, nam à pipere, vino, &c. habetur virtus conuertēdi cibos, ergo etiam augmentationis. Resp. neque piper, neque vinum habere virtutem nutriendi, sed tantùm adiuuare, siue fouere,

&c.

& excitare ipsam virtutem animalis.

In 19. propositionē. Dicitur fieri maius, antequam corrumpatur, quod additur, quia fit rarius, vel quia conuertitur in aliquid maius, vt in sanguinem, quod est impropriè fieri maius, quare & Aristoteles inquit, fieri spiritus, idest rem magis spiritualem.

Pro 20. vide 18. circa 21. autem nihil occurrit, quo lectorem moremur.

In 22. propositionē est locus Aristotelis difficillimus, quid per formam, quidq; per materiam intelligat, de quo in disputationibus.

In 23. propositionē cur caro potius videatur caro in cadauere, quàm in homine, est quia brachium ordinatum est ad operationem, quam exercere non potest cadauer, non ita autem caro.

In 24. propositionē Debet ergo nutrimē um esse partim dissimile, partim simile, si enim sit omnino dissimile, non poterit vinci, neque nutrire. Si omnino simile, non recipiet actionem. Atqui non ne posset homo nutriri sua propria carne, & sanguine? posset. Sed priùs redderentur dissimiles in stomacho. ratio est etiam, quia nutrimentum debet esse in potentia, ergo non omnino simile: debet corrumpi, ergo amittet formam, per quam erat simile. Dices, ad quid recipere debet nouā formā, si iam habet similem? Respondeo, habere diuersam numero, non potest autem hæc fieri eadem numero cum præexistente, quia ad hoc requiritur, vt ab ea dependeat, & determinetur per generationem, vel nutritionem.

In 26. Explicant hanc propositionem Aristotelis appositissimo exēplo de igne, cui si inijciantur ligna, dicitur augeri; si apponantur extrinsecus, dicitur potius gigni alter ignis.

In 27. Non igitur verum est, gigni animal in ventre matris ante hominem, quod animal neque sit homo, neque brutum, vt nonnulli putant.

In 28. Dubitatur contra hanc, quia si adderetur à Deo alicui quātitas absque carne, non verè augeretur, ergo non sola quantitate augetur. Præterea augetur caro vt caro, & homo vt homo, ergo etiam per carnem vt carnē. Respondeo, posse sumi vt cōditionem, particulam illam, vt quanta, non verò vt totam rationem formalem significet, vel addita carne habiturum hominem plus carnis, tamen re vera non augmentatum iri, quia hoc includit necessariò ipsam quantitatem. Ad illud de additione quantitatis tantùm respondeo fore augmentatum quantitatiuè, non entitatiuè.

In 29. De hac habenda erit quęstio, sicut etiam de sequenti.

DE AVGMENTATIONE Disputatio IV.

TRib⁹ in locis agit Arist. de augmētatione, 5. phys. tex. 18. quatenus est quædam species motus, in 2. de anima. tex. 44. & seq. vbi de potentijs animæ vegetatiuæ. tertiò, & longè copiosiùs in hoc primo à text. 25. vsque ad 43. secundum se, quare & eius interpretes communius in hoc loco eam considerant, quamuis nonnulli etiam ad secundum de anima eamdem remittant. Nos simul cum Arist. de ea hic agemus. Et ne à ianua aberremus, notandum est ex Auerroe 1. cœli cōm. 32. augumentationem varijs modis sumi. Primò pro augmento cuiusli-

bet.

bet rei, siue sit accidens, siue substãtia, & quomodocunque fiat, sic numerus augetur additione vnitatũ, qualitas additione graduum, acervus additione lapidum. Secundò pro maiori extensione, & rarefactione, etiam si fiat nullo addito, vt cum pellis extenditur. Tertiò minus impropriè pro additione extrinseca rei, quæ simul cum eo, cui additur, efficit vnum, quo pacto ignis dicitur augeri, dum plura ligna comburit, & aqua, si præexistenti in aliquo loco alia addatur. Quartò proprijssimè pro accretione, quæ competit solis viuentibus, quam reperiri in rebus, certius est, quàm vt probari debeat. Sequitur ergo, vt videamus.

Quid sit, & in quo formaliter sit posita Augmentatio.

QVÆSTIO XXX.

Conueniunt omnes, augmentationem esse motum, quo viuẽs maiorem quantitatem acquirit. Nam & Aristoteles in hoc primo tex. 31. Augmentatio, inquit, est existentis magnitudinis additamentum, & alioqui non posset ab alijs motibus distingui, si enim per eam substãtia acquireretur, esset generatio, si qualitas, alteratio, si locus, latio; quod tamen difficilem videtur reddere hanc quæstionem, est, quoniam augmentatio ipsa ita est cum alijs motibus implexa, vt eam separare, & actionem, in qua formaliter sit constituta, determinare, non sit cuiusque. Ad hoc enim vt animal augeatur, vt omittam, quæ circa cibum fiunt, antequam in proximum alimentum conuertatur, de quibus Conimbr. hic. cap. 1. q. 3. Tol. q. 8. & alij, opus est, vt alimentum in substantiam aliti conuertatur, quæ est mutatio substantialis, & aggeneratio vocatur, quasi partialis generatio. Et præterea, vt partes animalis extendantur, & dilatẽtur, vt locum præbeant vel alimento, vel substantiæ ex eo genitæ, & ita animal maiorem locum, quàm prius occupat, quare dicebat Aristoteles, Augmentationem non esse sine motu locali. Controuersia est igitur inter philosophos, in quo formaliter posita sit augmentatio, an videlicet in illa dilatatione membrorum, & pororum, vel in aggeneratione, vel in vtraque simul.

Aliorum Sententiæ.

SECTIO I.

Prima Sententia accretionem in extensione constituens.

Iandunus 4. phys. quæst. 16. Augmentationẽ esse formaliter illã extensionẽ, quæ fit per nutritionẽ, siue aggenerationem, existimat? fundamentum huius sententiæ est, quia tunc solùm animal dicitur auctum, quando facta est hæc extensio, nã ante hanc licet per aggenerationem acquisierit maiorem substantiam, tamen eumdem etiam locum occupat, & eamdem habet longitudinem, & latitudinem, ergo nõ dicitur factum maius, non igitur adest augmentatio, at posita illa extensione, statim omnes fatentur, recepisse augmentũ, ergo in illa cõsistit augmentatio. Cõfirmatur, quia augmentatio esse debet cum motu locali, vt ait Aristoteles tex. 25. at hæc tantùm extensio est cum motu locali, hæc igitur tantùm est augmentatio. Immo Aristoteles visus

est

est, hanc approbasse sententiam in tex. 25. supracitato, dixit enim, illa, quæ augentur, mutare locum eo modo, quo illa, quæ extenduntur, quare videtur naturam accretionis in illa extensione posuisse. Et hanc eamdem sententiam secuti sunt Burlæus in tex. 63. phys. & Zimara in tabula verbo *motus definitio est ambigua.*

2 Magnis tamen vrgetur hæc sententia difficultatibus, ac præcipuè contra eam argumentatur Pomponatius libro 1. de accretione cap. 9. Primò quia extensio est motus ad raritatem, non enim differt extensio à rarefactione, raritas autem est qualitas, non quantitas, ergo non potest esse augmentatio, quæ est motus ad quantitatem. Deinde extensio fit, etiam nulla adueniente materia, accretio autem fit aliquo addito, vt Arist. hic docet. Ad hæc tex. 25. huius primi dum inquit Aristoteles, quæ augentur, mutare locum, sicuti quæ extendun tur, planè significat, accretionem non esse extensionem, alioquin declararet idem per se ipsum. Præterea 8. phys. tex. 59. & 2. de anima tex. 47. & alibi sæpe docet Aristoteles, per augmentationem acquiri quantitatē, ergo non est extēsio, qua p hanc nulla quātitas acquiritur. Confirmatur etiam, quia negat hic Aristoteles, alimentum augeri, sed illud, cui additur, at si augmentatio esset extensio, etiam alimentum augeretur, quia & ipsum extenditur.

Quibus rationibus impugnatur etiam illa sententia, quam refert Dand. in 2. de anim. digress. 27. accretionem videlicet esse qamdam partium propulsionē, vt quemadmodum in canali aqua pleno, dum alia additur aqua, hæc priorem pellit, sic in viuente corpore dum alimentum accessit, atque in poris susceptum est, vna pars aliam pellit, & trudit, & hæc aliam, totumque corpus fit maius, quomodo ferè pili, & vngues crescunt; hæc, inquam, etiam impugnata manet. Nam videtur quædam species extensionis, neque per eam maior quantitas acquiritur, quod superiori potissimum obiiciebatur.

Secunda sententia accretionem ab aggeneratione non distinguens.

Communem hanc fuisse recentiorum sui temporis, testatur August. Niphus, & eā tradiderunt Marsil. hoc lib. quęst. 10. & Alb. sax. quæst. nona.

Fundamenta huius sententiæ sunt, quoniam illa est augmentatio, per quam viuens fit maius, sed viuens non fit maius, nisi per additionē nouæ substantiæ, quæ fit per aggenerationem, ergo hæc est augmentatio. Secundò quia dum animal augetur, nō ad sunt aliæ mutationes, quàm istæ, aggeneratio scilicet, & extensio partium, nam reliquæ mutationes, quæ recenseri solent, vel pręcedunt augmentationem, vel ad has reducuntur; at augmentatio non potest esse ipsa extensio, vt supra probatum est, ergo erit hęc aggeneratio.

Verùm hæc quoque sententia nō minoribus quàm præcedens, difficultatibus pmitur. Primò quia augmentatio nō est motus ad substātiā, sed ad quantitatem, vt omnes fatentur, & Aristoteles sæpissimè testatur, ergo non potest esse aggeneratio, quæ ad substātiam terminatur.

Prçterea generatio fit in instanti, accretio verò successiuè, ergo non possunt idem esse. Tertiò aggeneratio est tantùm vnius partis, in quam cõuertitur alimentum, at verò augmẽtatio toti cõuenit, dicitur enim totũ viuens, & quælibet eius pars augeri tex. 38. Quartò p solã aggenerationem maioris partis totum non mutat locum, neque fit simpliciter maius, nisi accedat extensio partium, ergo in illa aggeneratione non potest esse completa augmentatio.

Tertia Sententia extensionem, & Aggenerationem complectens.

ZAbatella libr. de accretione post impugnatas aliorum sententias tandem cap. 9. protulit suã, dicens, accretionem essentialiter cõtinere & conuersionem alimenti in maiores substantiæ partes, & etiã extensionem, & dilationem partiũ, quare definit, accretionem esse *mutationem ad maiorem quantitatem per motum extensionis ex alimento in substantiam conuerso, tamquam ex materia*. Probat hanc suam sententiam, quoniam Aristoteles hanc vtramque conditionem ad accretionem requisiuit. Nam & voluit, fieri augmentũ aliquo addito, in quo includitur generatio nouæ partis, & extensionem expressit. tex. 25. eius libri, cum dixit, illa, quæ augẽtur, locum mutare, sicut ea, quæ extenduntur. Confirmat auctoritate Auerrois com. 28. eiusdem libri, vbi affirmat, accretionem fieri per extẽsionem membrorum; & quia sic facile declaratur, quod Aristoteles dixit, accretionem esse idem subiecto cum nutritione, hoc est enim continere in se nutritionem. Obijcienti verò, tunc accretionem fore duplicem motum, respondet negãdam consequentiã, quia conuersio in substantiã non est motus, sed mutatio, quæ est principiũ sequentis extensionis, sicut punctum est principium lineæ, quare sicuti vna dicitur linea, licet duobus punctis terminata, & ea pũcta ĩ definitione lineæ accipiuntur, sic etiam vnicus motus est accretio, licet principium eius sit instantanea mutatio ad substantiam.

Non caret tamen hæc sententia difficultatibus, imò cum ambas sententias supradictas complectatur, & illas omnes, quibus illæ sunt obnoxię, & alias quoque proprias patitur. Nam, vt ex multis Aristotelis locis colligitur, augmentatio species quædam motus est à cęteris distincta, ergo non est idem cum aggeneratione, & rarefactione, sicuti enim ex alteratiône, & generatione non constituitur vnus nouus motus ab ipsis diuersus, ita neque constitui debet ex nutritione, quę est quędam generatio, & extensione, quæ videtur esse vel motus localis, vel alteratio. Prçterea ex 5. phys. tex. 31. vnitas motus ex termini vnitate pẽdet, sed in augmentatione hoc pacto explicata sunt duo termini realiter distincti, ergo etiam duo motus, nec sufficit responsio Zabbatellæ, quòd altera mutatio se habeat sicuti punctus, nam etiam si concederemus puncta adhuc diuersa esset ratio, quia punctum est lineæ simplex terminus, nec per se aliam entitatem diuersum motum requirentem habet; at verò terminus nutritionis habet entitatem absolutã, & independentem ab extensione, & à natura per se intentam. Adde, quòd nutritio cum sit motus ad substantiam, est longè nobilior augmẽta-

tatione, neque potest esse pars eius, sicuti neque substantia potest esse pars quantitatis.

Ex his etiam efficitur, non posse accretionem ex alteratione, vel motu locali componi, quas sententias tamquam ab aliis diuersas refert Dand. sed adeo parum sunt probabiles, vt nullus earum sectator proferatur.

Quarta Sententia in acquisitione quantitatis accretionem constituens.

COmmunis est hæc sentenia, quam sequuntur Ægid. quæst. 27. Tolet. quæst. 5. Doctores Conimb. cap. 5. quæst. 12. Hieronymus Dandinus digress. supracitata, & alii recentiores. Si autem quæras, quænam sit actio, siue mutatio, in qua quantitas acquirit? Respondetur, esse ipsam alimenti conuersionem, in alimento .n. est substantia, & est quãtitas, quatenus per ipsam conuersionem acquiritur substantia, dicitur generatio, quatenus verò quantitas, dicitur augmentatio. Hæc sententia magnam secum probabilitatem affert, ex eo quòd & Aristoteles, vt supra notauimus, & cęteri omnes philosophi dicunt, augmentationem esse motum ad quantitatem, at nulla alia ratione potest hoc intelligi, nisi prout declarat hæc sententia, quia quantitas cum sit inseparabilis à materia, non potest per se acquiri, ergo relinquitur, vt simul cum substantia per nutritionem acquiratur, ita tame vt motus, quo ipsa acquiritur, sit formaliter diuersus ab eo, quo acquiritur substãtia, sicuti etiã termini ipsi diuersi sunt.

Verũ hæc quoque sententia non paruis concutitur argumentis. Primò, quoniam videmus, quòd quotiescunque accidens simul cum substantia acquiritur, vel ad eius acquisitionem sequitur, non dicitur habere proprium motum, sed per generationem acquiri, sed hic quantitas non acquiritur per se, sed tantùm ad substantiæ generationem, ergo non debet poni terminus distincti motus. Maior probatur, nam cum aliquid generatur, non tantùm substantiale esse acquirit, sed etiam quantitatem, qualitates, locum, & cætera omnia, & tamen in illa generatione vnica tantùm substantialis mutatio dicitur intercedere.

Cõfirmatur, quia non est maior ratio de quantitate, quæ acquiritur per nutritionem, ac de ea, quæ per generationem, vtrobique enim quantitas non acquiritur per se, sed ad substantiæ acquisitionem sequitur, ergo vtrobique erit ponendus distinctus motus ad quantitatem, & ad substantiam, vel nullibi.

Confirmatur secundò, quoniam quando per nutritionem acquiritur quantitas, acquiruntur etiam simul plures qualitates, et tamen nulla dicitur adesse alteratio, quia illę qualitates non acquiruntur per proprium motum, sed ad substantiæ acquisitionem, ergo idem dici debet de quantitate. Præterea hac eadem ratione dicitur non dari motus ad relationem, ad sanitatem, ad figuram, & ad alia multa, quia non acquiruntur per se, sed alterius acquisitionem sequuntur, ergo idem dici debet de quantitate.

Adest etiã peculiaris difficultas in acquisitione quantitatis, quia hęc ab omnibus censetur successiua, at generatio etiam partialis fit in in-

ſtanti, ergo non ſunt idem motus, verùm de hac, q. ſequenti.

Confirmatur etiam, quia nil quātitatis producitur. ſed præxſtiens applicatur ſimul cū ſubſtantia, ergo reuera non datur motus, quo acquiratur quantitas, nam ipſa applicatio, & vnio ſufficienter facta intelligitur per mutationem ſubſtantialē præciſo omni alio motu.

Præterea augmentatio dicitur eſſe propria viuentium, at huiuſmodi quantitatis incrementum poteſt etiam non uiuentibus conuenire, dum enim ignis genitus præexiſtenti igni additur, hic fit maior, & maiorem quantitatem acquirit, ſi igitur in hoc formaliter augmentatio poſita eſſet, immeritò igni, & aliis non viuentibus negaretur. Denique ſi ſola quantitas alicui viuenti eſſet addita, in communi omnium opinione non diceretur auctū, quia cenſent ad hoc oportere, vt etiam ſubſtantię plus habeat, quàm antea. Nam ſolet dici, ſubſtantiam eius factam eſſe maiorem, ergo etiam nutritio debet aliquo pacto in accretione includi.

Quæſtionis reſolutio.

SECTIO II.

ADeo difficilis à Petro Pomponatio, qui duobus libris de accretione copioſè, & ſubtiliter de ea diſputat, habita fuit hæc quæſtio, vt aſſeruerit, nil ſe inuenire, in quo quieſceret & neq; ab aliquo mortalium inueniri poſſe, affirmarit, à quo non videtur ad modum diſſentire Zabarella, qui non audet aſſerere, ſe ad plenā ipſius quæſtionis veritatē perueniſſe; mihi tñ ī ē ipſam perpendēti de nomine potius, quā de re ipſa eſſe videtur. Nam in recēſendis mutationibus, quę ad augmētationem concurrunt, omnes conueniunt, omnes enim admittunt, & nūtritionem, & extenſionem, & quātitatē ſimul cum ſubſtantia acquiri; dum ergo controuertitur, in qua nā mutatione augmentatio ſit conſtituēda, non quęritur, quando quantitas acquiratur, quia tunc eſſet quęſtio de re, ſed quænam mutatio augmētatio dici debeat, q̄ non aliud eſt quàm quæſtio de nomine, in qua difficultatē pepeterunt, quòd augmentatio ponitur motus ab aliis diſtinctus, & motus ad quantitatem, hic autē non videtur quantitas per motum diſtinctum acquiri. Cum igitur de re conſtet, poſſemus ſolliciti non eſſe de nomine, quia tamen decet etiam ſcire, quomodo ſit loquendum, & ne videamur tot philoſophos, qui in hac quæſtione deſudarunt, cōtemnere, immo & ipſū Ariſtotelem, cuius plurima loca ab hac explicatione pendent, quid nobis probabilius aſſerendum videatur, in medium afferemus.

Exiſtimo ergo, augmentationem dicere duo, ſed alterum in recto, & formaliter, alterum in obliquo, & connotatiuè. In recto quidem extenſionem, ſiue dilatationē, per quā viuens occupat maiorem locum. In obliquo verò nutritionē præcedentē. Probatur verò hęc ſentētia primò ex aliarum refutatione, oſtendimus enim, augmentationem neque eſſe poſſe extenſionem præcisè ſūptam, neque ex ęquo cum nutritione, vt volebat Zabatella, neque etiā ipsā nutritionē, ſiue vt terminatur ad ſubſtantiā, ſiue vt ad quantitatē, relinquitur igitur, vt ſit vel nutritio connotans extenſionem, vel extenſio cōnotans nutritionem, at hoc ſecundum videtur probabilius.

Nā nutritio per ſe terminatur ad ſubſtantiā ergo nō debet appellari augmentatio, quia oporteret, ordinari

nari

nari productionem substantiæ ad extensionem, siue augmentationẽ, quod videtur absurdum. Præterea prius est, nutriri animal, quàm extendi, si ergo nutritio ipsa esset formaliter augmentatio, antequã daretur extensio, iam animal esset auctum, quod est contra communem sensum hominum, nisi enim videant, animal occupare maiorem locũ, nunquã fatetur auctũ fuisse. Neque verò posset reddi ratio, cur ad augmẽtũ quãtitatis cõcedat̃ motus, & nõ ad primã eius acqsitionẽ.

Quòd autẽ sit extensio cũ connotatione nutritionis, probat̃ primò ex Aristotele, qui ait, accretionẽ fieri aliquo addito; non inquit, esse additionẽ, tunc .n. esset formaliter nutritio, sed fieri aliquo addito, ergo postquã additũ est aliquid p nutritionẽ, mutatio, q̃ sequit̃, est accretio, nõ sequit̃ aũt alia, quã extẽsio.

Præterea extẽsioni cum hoc ordine omnia cõueniũt, quæ de augmentatione dicuntur. Dicitur .n. primò augmẽtatio esse motus ad quãtitatẽ, & hæc est huiusmodi, quia, quamuis per eã nõ acquiratur quãtitas, quia hęc non potest acquiri, nisi per generationem, acquiruntur tamen noui modi quantitatis, & sicuti intensio in qualitate est alteratio, ita extensio in quantitate esse debet motus ad quantitatem, & augmentatio. Secundò dicitur viuẽs per augmentationem augeri secũdum omnem sui partẽ, hoc aũt verum esse nequit de nutritione, quia non omnes partes acquiruntur per eam, verum est autẽ de extensione, quia omnes extenduntur. Si verò, dicas, augeri omnes partes per nutritionẽ, quia singulis additur aliquid, hoc esset, augeri extrinsecè, sicuti ẽt augetur ignis, quod non est proprium accretionis. Tertiò dicitur augmentatio esse motus distinctus ab alijs, & distincta est hæc extensio quia per eã non gignitur aliquid substantiæ, vt fit per nutritionem, neque per se aliqua qualitas, nam licet per eam gigni dicatur raritas, tamen hęc potius consequitur ad terminos quantitatis, quàm per se fiat. Nam neque ad figurã dicitur dari alteratio, quia hæc consequitur quantitatis terminum, eadem autem est ratio de raritate, si modò raritas est qualitas, nam re vera potius videtur dicendum, modum esse quantitatis, alioquin dicere etiam possemus, extensionem, per quam vna pars est extra aliam, & quæ communiter asseritur esse essentia quantitatis, spectare ad qualitatem, raritas .n. nil aliud est, quàm maior quædam extensio. Quartò dicitur augmentatio esse coniuncta cum motu locali, & hoc verissimum est de extẽsione, q̃a tũc viuẽs incipit occupare maiorẽ locũ, nõ verò de nutritione. Denique ex cõmuni hominũ cõceptione probatur, tũc .n. existimãt, aliquod viuẽs augmentũ accepisse, quando post nutritionem est extensum, & occupat maiorem locum.

Neque verò est inconueniens, vt vnũ dicat formaliter, & alterũ connotet, quia idipsũ videmus in alijs mutationib⁹. Creatio .n. quomodo differt à cõseruatione, siue generatione, nisi p aliquid cõnotatũ? scilicet, q̃ ex nihilo res creata fuerit? Similiter generatio connotat subiectũ. Duratio cõnotat, illud, qđ durat, priùs præexstitisse, & alia id genus afferri possunt multa.

Video tñ, nõnulla posse obijci cõtra hãc sentẽtiã. Primò, quòd accretio existimatur ab omnibus esse acquisitio maioris quantitatis, at per huiusmodi extẽsionẽ nulla acq̃rit̃

quan-

quantitas. Secundò, quia tunc rarefactio etiam sine nutritione, & in non viuentibus esset augmentatio, vel saltem motus ad quantitatem, quia esset ad terminos eius, quod tamen esset contra omnium sententiam, & oporteret addere nouam speciem motus ab alijs distinctam. Tertiò, quòd rarefactio etiam sine additione nouæ substantiæ diceretur augmentatio. Nam pueri infirmi, qui per calorem febrilem magis extenduntur, dicuntur deinde creuisse, & tamen nulla est addita substantia, immo potius diminuta.

Obijci quoque potest Aristotelis autoritas, qui in hoc primo tex. 41. apertè dicit *carnem vt carnem nutriri, quantum verò esse materiam accretionis*, ergo vult Aristoteles, augmentationem fieri per additionem carnis quantæ, & non per extensionem.

Ad primum respõdeo, per accretionem, vt complectitur etiam cõnotatum, fieri augmentum, & acquisitionem quantitatis, immo & substantiæ, quia re uera si tantùm quantitas esset addita, & nihil substantiæ, non censeretur secundum communem modum loquendi auctum viuens, si verò vt separata à connotato sumatur, quod philosophicum est potius, quàm vulgare, tunc dicitur esse acquisitio quantitatis, idest noui termini quantitatis.

Ad secundum respondeo, per nomen rarefactionis indicari motum ad raritatem, si igitur raritas ponatur esse qualitas, erit alteratio, si nõ ponatur qualitas, erit vel motus localis partium, vel quatenus terminatur ad modum, & terminos quantitatis, spectabit reductiuè ad augmentationem, non erit tamen vera augmẽtatio, quia deest connotatũ.

Ad tertium respondeo, infirmos dici creuisse ad sensum, quia apparent longiores, non est tamen hæc vera accretio, neqne mirum, nos distinguere veram accretionem ab ea, quæ est ad sensum, quia & Aristoteles distinguit veram mixtionẽ ab ea, quæ est ad sensum tantùm.

Ad Aristotelẽ respõdeo, ab ipso affirmari, carnem quantam augeri, non formaliter, sed consecutiuè, quia eò quòd sit quanta caro, quæ est addita, efficitur, vt debeat viuẽs occupare maiorem locum, ac proinde extendi.

Quæres, quando fit hæc extensio & dilatatio partium? Tol. quæst. 9. ij. huius primi docet, fieri ante conuersionem alimenti, recepto enim, inquit, nutrimento in poris, cũ virtus viuentis incipit alterare, & resoluere, tunc fiunt pori, & paries extenduntur, post quam sequitur cibi conuersio. Zabarella verò cap. 3. & 4. asserit, fieri per nutritionẽ. Ego verò existimo, fieri ante, & post, fit ante, quoniam vt recipiatur alimentum, oportet, dilatari poros, fit post, quia repletis alimento poris, & noua substantia, oportet denuo fieri alios poros, & consequenter extendi ipsam substantiam, accretio autem in hac secunda extensione potius consistit, quia per primam viuens non est re vera factũ maius. Aristoteles quoque ait, accretionem fieri aliquo addito, in prima autem extensione nihil est additum.

Quæres prærerea, an etiam diminutio fiat per contractionem, siue condensationem, Zabarella negat cap. 5. & inquit, fieri tantùm per subtractionem. Mihi verò videtur concedendum, quia licet in diminutione etiam subtractio sit necessaria, nisi tamen adsit cõtractio,

corpora diminuta retinerent eumdem locum, & essent rariora, non minora, non enim subtractio fit à partibus extrinsecis, vel ab intrinsecis, extrinsecæ autem contrahuntur, vt etiam clarissimè patet in senibus, quorũ pellis corrugata, & substantia tota contracta apparet.

Argumenta, quæ pro alijs sententijs afferri solent, ex dictis soluta manent, immo vires suas ad nostrã confirmandam adhibent, quæ dici potest quædam cæterarum conciliatio.

An Augmentatio sit continua.

QVÆSTIO XXXI.

PLures sensus recipere potest hic titulus, quos distinguere oportet, vt vera à dubijs secernamus. Primus est, an sit continua accretio, idest perpetua, & de hoc non quærimus, potest enim non esse. Secundus sensus, an sit continua, idest an numquam interrumpatur, sed postquam viuens augeri cœpit, numquam augeri desinat, nisi post acquisitum totum augmẽtum, quod est consequuturum, & neque de hoc quærimus, nam fatentur omnes, neque in hoc sensu accretionem esse continuam, quãuis enim neque experimentis, neque rationibus possit omnino conuinci contraria pars; sufficienter tamen suadetur, & probatur, quia nõ semper tantum alimentum hauritur, quantum ad augmentationem requiritur, morbi quoque intercedunt, & calor ipse naturalis à causis extrinsecis repatitur, & spiritus distrahuntur ab omni nimia occupatione; ex quibus omnibus colligitur, intermitti aliquando in viuentibus augmentationem, præcipuè cũ pro contraria parte non adsit argumentum vrgens.

Verus igitur sensus huius quæstionis est, an quando fit augmentatio, fiat successiuè, vel tantùm per minima discreta, sicuti etiam de alteratione quosdam existimasse, diximus supra.

Prima opinio asserens, accretionem non esse continuam.

SECTIO I.

TRibuitur hæc sententia Auer. 3. phys. com. 8. Alberto Magno 8. phys. tex. 23. & eam sequuntur Fer. 8. phys. q. 6. Soncinas 8. metaph. q. 22. & 28. Pompon. lib. 1. de accretione cap. 9. Tol. in hoc primo quæst. ij. & alij nonnulli. Fundamentum huius sententiæ est, quia augmentatio fit simul cum generatione substantiali, sed hæc non potest fieri successiuè, & continuè, ergo neque illa. Si dicas, non fieri successiuè quoad formam, quasi hæc producatur per gradus, sed ratione subiecti, quia succesiuè diuersæ partes alimenti in aliti substantiam conuertantur. Contra. Nam dum incipit fieri conuersio cibi, oportet, vt fiat saltem per minimum totum simul, est enim determinata quãtitas viuentiũ quoad paruitatem, ita vt sub minori conseruari non possit, primũ igitur illud minimum gignitur in instanti, & non successiuè, at eo ipso quòd genitum est, non potest esse continuum cum alimento, quia viuens non potest continuari cum non viuente, neque consistens cum fluido, at illa pars alimenti, siue illud minimum est viuens, & consistens, reliquum verò alimentum non est viuens, vt patet, & est fluidũ, quia est

est sanguis, ergo non sunt continua, sed tantùm contigua, & iuxta se posita, ergo neque conuersio ipsius potest continuari cum conuersione alterius, quia mutationes identificantur cum terminis, cum igitur hi termini non sint continui, neque mutationes, quarũ sunt termini, continuæ esse poterunt. Confirmatur, quia antequam secundum minimum alimenti conuertatur, oportet, per alterationem disponi, ergo inter conuersionem primi minimi, & secundi intercedit alteratio, non ergo adest continuitas.

Secundò eadem sententia probatur. Diminutio non est continua, ergo neque accretio. Consequentia patet, quoniam contrariorum eadem est ratio, & quod successiuè acquiritur, debet etiam successiuè deperdi, nec adest aliqua ratio pro continuitate augmentationis, quæ æquè non militet pro continuitate diminutionis. Antecedens probatur, quia ex diminutione resultat aliqua substãtia, in quã resoluitur aliqua pars viuentis, ratione cuius fit decretio, at substantia non potest gigni successiuè, ergo neque decretio successiua erit.

Tertiò probatur ex Aristotele 8. phys. tex. 23. vbi apertè asserit, augmentationem non esse continuam.

Quartò, partes viuentis, quæ augentur, non habent inter se continuitatem, aliud enim est os, aliud caro, quæ augentur, ergo nec augmentatio erit continua.

Secunda sententia oppositum amplectens.

SECTIO II.

COmmunis est hæc recentiorũ, quam docuit Greg. in 1. dist. 17. q. 2. ar. 1. & alij apud Conimb. cap. 5. q. 16. art. 2. Fundamentum huius sententiæ est contrarium fundamento præcedentis, scilicet non dari minimum determinatum, quod non possit per nutritionem acquiri aliud minus, quamuis enim concedant, dari huiusmodi minimum in generatione, & in re consistente, negant tamen, dari in aggeneratione, quia in hac non fit aliquid separatum existens, sed vnitum cum cæteris partibus, quare nulla est ratio, cur hæc minima determinentur. Et confirmatur, quia si aggeneratio esset efficienda per hęc minima, numquam posset alimentum in aliti substantiam conuerti, quia pars alimenti, quæ conuertitur, cũ in poris viuentis consistat, adeo est parua, vt per se non possit esse sufficiens materia animæ, sit ergo sufficiens, quatenus vnitur partibus iã ab eadem anima informatis, & hac ratione, quantumuis parua sit, semper poterit ab anima informari.

Secundò, dispositiones ad quam libet formam requisitæ incipiunt esse in subiecto indeterminatè sumpto, vt supponitur ex quæstione, quòd alteratio sit successiua, ergo ita etiam incipiet forma substantialis, quare per motum continuum acquiretur.

Tertiò, ex termino motus diiudicatur ipsius motus natura, sed quantitas, quæ est terminus augmentationis, est diuisibilis, ergo etiã motus ad ipsam erit diuisibilis, & consequenter continuus. Confirmatur,

tur, quia ex Arist. in hoc primo tex. 25. dum res augetur, localem quoq; mutationem subit, sed motus localis non potest non esse successiuus, ergo idem de augmentatione dicendum erit.

Quartò testimonijs Aristotelis eadem sententia confirmatur. Nam sępe ab Aristot. inter motus augmentatio numeratur, vt 1. phys. tex. 18. & 8. tex. 51. Continuitas autē necessariò motui conuenit ex 5. metaph. tex. 18.

Quintò inter partes alimenti vna est viuenti propinquior quàm altera, cum enim alimētum sit quātum, non potest secūdum omnes sui partes cōtingere viuens, at agens quodlibet priùs agit in partes propinquas, quàm in remotas, ergo viuens priùs disponit alimenti partes propinquas, consequenter priùs in eas suam formam introducet, si autem priùs in propinquas, quàm in remotas, vtique successiuè.

Sextò ex anima rationali non leue deducitur argumentum. Quando enim alimentum conuertitur in hominis substantiam, non generatur anima rationalis, nec pars eius, sed per quamdam extensionem anima acquirit præsentiam etiam in illis partibus, & eas informat, at hæc extensio, cum sit species motus localis, non potest fieri nisi successiuè, erit igitur nutritio, & augmentatio motus successiuus, & continuus.

Quæstionis resolutio.

SECTIO III.

IN sententia nostra de augmentatione nulla potest esse controuersia circa continuitatem ipsius, cum enim velimus, in extensionem positam esse accretionem, patet quoque, esse continuam, quia extensio est simul cum motu locali, aderit tamen circa nutritionem, quam etiam nos admittimus esse mutationem substantialem, & quæ fit simul cum augmentatione; si hæc iuxta sententiam communem accipiatur. De hac igitur.

Dico primò, Nutritionem in homine fieri nō posse in instanti, sed necessariò successiuè. Persuadeo mihi hoc dictum ob argumentum sextum secundæ sententię, quia videlicet anima rationalis incipit informare materiam alimenti per extensionem, ergo successiuè.

Dico secundò, in reliquis viuentibus probabile esse, nutritionem nō esse continuam, moueor ad hoc affirmandum, non ob argumenta primæ sententiæ, sed ob sequentem rationem. Quando passum est in minima quantitate, & modicam habet resistentiam, & vndique à contrario obsidetur, probabilissimum est, totum passum in instanti immutari, sed ita se habet alimentum conuertendum in substantiam aliti, ergo &c. maior manifesta est, quia illud minimum tam paruā habere potest resistentiā, vt pro nulla sit habenda, si autem nulla adsit resistentia, in instanti immutabitur, nam & guttam aquæ, si in fornacem ignis injciatur, est communis sentētia, in instāti corrumpi. Minor probatur, quoniam prius natura alimentum conuertitur in substantiam aliti, quàm sit per omnes partes corporis distributum, & in poris receptum. At pori viuentium sunt adeo exigui, vt sensus fugiant, ergo alimentum, quo huiusmodi pori replentur, erit perexiguum, ante quam etiam in poris recipiatur, est valde dispositum, vt possit animam recipere, & vndique à viuente circumcluditur.

Si dicas, primum minimum ita quidem conuerti, sed postea succes siuè progredi nutritionem. Contra, quoniam postquam alimētum, quod in poris erat, conuersum est in aliti substantiam, oportet, vt denuo aperiantur alij pori, vel per rarefactionem, vel per consumptionem, & resolutionem, atque ita intercedit tempus inter primam conuersionem, & secundam, probabilissimum est igitur, nutritionem nō esse continuam.

Dico tertiò, probabile quoque esse, vt aliquando nutritio fiat successiuè. Ratio huius dicti est, quoniam quod fiat in instanti, non est ex eo quòd repugnet aliter fieri, sed ex accidente, vt dicto superiori explicauimus; facilè igitur contingere poterit, vt non semper adsint omnes illæ circunstantię, quæ requiruntur ad actionem in instanti, vel quia calor viuentis sit imbecillis, vel nutrimentum sit in maiori quantitate, aut non tam perfectè dispositum, vt in instanti sequatur conuersio eius.

Argumentis vtriusque sententiæ satisfit.

SECTIO IIII.

PRima sententia nitebatur potissimum duobus principijs. Alterum, quòd detur minimum, quo minus conuerti non possit. Alterum verò, quòd minimum conuersum non possit continuari cum alimento nondum conuerso, vtrumque autem est falsum, prius quidē. Nam in aggeneratione non datur minimum ob rationem supra adductam, quod per se non remanet, sed vnitur cum reliqua substantia. Posterius verò, quoniam, quamuis quæ habent formas substantiales diuersas, non possint continuari secundum formam, possunt tamen secundum materiam, & quantitatem, vt patet in virga partim sicca, & partim viridi, quare nō opus est, vt alimentum conuersum disconti nuum sit à non conuerso. Ad illam verò confirmationem, quòd fluidum non potest continuari cū consistente, esto hoc verum sit de perfecto fluido, non tamen de imperfecto, quale est nutrimentum nondum quidem conuersum, sed tamen in potentia proxima ad conuersionem. Potest igitur generatio esse successiua ex parte subiecti, vt patet in igne successiuè comburente lignum.

Notandū tamen, Doctores Conimb. in resp. ad secundum concedere, in fine nutritionis aliquod minimum alimenti simul conuerti in substantiam viuentis, immo hoc necessariò admittendum existimare. Ratio est, inquiunt, quoniam datur in non viuentibus determinata quantitas, sub quā minori existere non possint, cum igitur in conuersione alimenti ad illud minimū deuentum fuerit, totum oportebit simul conuerti, ne detur minus minimo. Verùm hoc ego non existimo necessarium, quia sicuti in generatione concedunt non dari minimum, ita etiam idem videtur dicendum de corruptione, satis est .n. ad rationem minimi, vt non possit conseruari sub minori, non verò vt non corrumpatur successiuè, alioqui anima rationalis in instanti se extenderet ad omnes eius partes, quod est impossibile. Adde, quòd quāuis pars minima alimenti remaneat conuertenda, & consequēter ratione formæ sit diuisa à reliqua parte alimenti iam conuersi,

ratione tamen materiæ est illi coniuncta, & habent qualitates valde similes, quod non parum adiuuare potest eius conseruationem.

Ad secundum eadem responsio valet, quia quando aliqua pars substantiæ viuentis in aliam substantiã conuertitur, puta aerem, vel aquã, potest successiuè conuerti, & non est necesse, dari minimum, tũ quia potest vniri cum alia simili substantia, tum etiam quia immediatè post sequetur alia pars eiusdem substantiæ, & ita non est inconueniens, nõ dari in his motibus successionis determinatum minimum.

Ad tertium deductum ex Aristotelis auctoritate dico, negare ipsam augmentationem continuam, idest perpetuam, vt supra etiam exposuimus.

Ad quartum dico, nõ loqui nos de continuitate respectu partium viuentis, sed respectu ipsius nutrimenti, quod successiuè vertitur in substantiam aliti, ad quod nihil refert, quòd partes viuentis fiat discontinuæ, quod tamen etiam verum non est.

Ad primum pro secunda sententia dico, probare tantùm, accretionem non repugnare fieri successiuè, quod libenter concedimus, non verò ita necessariò semper fieri.

Ad secundum respondeo, non semper dispositiones fieri in subiecto indeterminato, sed aliquando etiam in determinato, quando scilicet adsunt illę circunstantiæ, de quibus in probatione nostri secundi dicti locuti sumus.

Ad tertium respondeo, si quantitas per se acquireretur, rectè probari, quòd eius acquisitio foret successiua, at hic acquiritur per generationem, & idcirco potest sequi etiam naturam substantiæ, & acquiri in instanti. Adde, quòd neque terminus diuisibilis semper diuisibiliter acquiritur, sed potest indiuisibiliter acquiri, nam aliquando alteratio etiam fit in instanti, quamuis sit ad terminum diuisibilem. Ad confirmationẽ respõdeo, accretionem esse simul cum motu locali, quatenus includit extensionem, non quatenus idem dicitur esse cũ nutritione.

Ad quartum respondeo, Aristotelem loqui de augmẽtatione, put est extensio, quam etiam nos fatemur semper esse continuam.

Ad quintum respondeo, quando agens excedit resistentiam passi, nõ tantũ in partes magis propinquas agere, sed etiam simul in remotiores; vt hic accidit, sicuti supra explicauimus.

Cur toto vitæ decursu non omnia augeantur viuentia.

QVÆSTIO XXXII.

Homines, & multa alia animalia non semper augeri, dum viuunt, experientia docet, de plantis dubium esse potest, nam quædã semper augeri videntur, vt vitis, hędera, & similes, Animalia quoque imperfecta eodem priuilegio gaudere, est probabile, atque de crocodrilo multi apertè asserunt. Meritò igitur quęrimus, quænam sit ratio, cur non omnia viuentia per totam vitam augeantur, atque hoc homini, & animalibus perfectis sit denegatum, cum imperfectioribus sit concessum.

Prima ratio assignari potest ex parte termini, quia videlicet sit determinata quantitas quoad maximũ, quã excedere nequeunt huiusmodi animalia, cum igitur ad eã

quantitatem deuenerunt, augeri amplius non possunt, quã rationem indicant Doct. Connimbr. cap. 5. q. 14. art. 2. ad secundum. Verùm quamuis possit hæc ratio locum habere aliquãdo, vt plurimum tamen non est sufficiens, quia antequam uiuentia ad illum vltimum terminũ magnitudinis pertingant, augeri desinunt.

Secunda ratio desumitur ex debilitate caloris naturalis, à quo prouenit accretio, nã à prima ætate, vt in hominibus vsque ad annũ 25. robustior est, & firmior calor naturalis, & facultas altrix, consequenter plus nutrimenti reponit, quàm consumatur, & tunc fit accretio. Deinde hebetatur calor, & virtus altrix minuitur, & tantum solùmodo reparare possunt, quantum substantiæ deperditur, & tunc dicitur homo esse in statu cõsistentiæ. Tãdem in ætate extrema contabescit virtus tum caloris, tũ facultatis altricis, neque possunt amplius totũ deperditũ restaurare, & fit decretio: tradunt ẽt hanc rationẽ Conimb. & vidẽtur eã desumpsisse ab Arist. in hoc primo, tex. 42. & à S. Thom. in 1. par. q. 100. Verùm Aristot. & S. Thom. non loquũtur de accretione, sed de nutritione, de illa .n. non est sufficiens ratio, quia sæpe antea terminatur accretio, quã deficiat virtus altrix, quotiescunq; .n. homo pinguescit, signum est, virtutem altricẽ in suo robore persistere, & plus nutrimẽti reponere, quã substantiæ deperdatur, neq; tamen semper cum pinguescit animal, ẽt augetur, ergo non ex eo quòd virtus altrix plus nutrimenti reponit, sequitur semper accretio, neque ex contrario deficit.

Tertia, & vera ratio deducenda est ab extensione, in qua formaliter diximus augmentationem residere, tunc .n. desinit crescere viuens, cũ non potest amplius extendi, tũc aũt non potest, quando sunt valde consolidata ossa, & exsiccata, cum enim humidæ partes substãtiæ sint illæ, quę resoluuntur, quò magis viuens in ætate proficit, eò magis etiã exsiccãtur, atque ita fit incapax extensionis, & augmenti. Atque hinc facilè respondere possumus ad multa quæsita circa hanc materiam. Si .n. quæras, cur homo, qui pinguescit, non amplius augeatur. Ratio est, quia ossa, quæ sũt magis solida, & sicca, non amplius extendi possunt, caro verò vt pote humidior, & mollior potest semper recipere extensionem. Si quæras, cur quædam plantæ, & quædam animalia semper augeantur, eadem responsio afferri potest, quia eorum substantia ob humiditatem, & minorẽ soliditatem semper est apta extẽdi.

Notandum tñ, quod dicitur de animalibus, vt crocodrilo, quòd semper augeatur, videri difficile, quoniam sequeretur, numquã moti morte naturali, quia semper repararetur plus humidi, quàm à calore consumeretur, & si eius virtus nutritiua semper tam robusta esset, vt posset ipsum augere, numquam deficeret. Quod verò dicitur de vite, & alijs plantis, non videtur esse verum, nisi efficiant nouas radices, & consequenter se habeant veluti nouum indiuiduum, alioqui nõ poterit vitis vltra certam magnitudinem excrescere, vt infra dicemus.

Qui tamen defendere vellet, crocodrilum semper crescere, dicere poterit, plus quidem substantiæ reparari, quàm destrui, semper tamen esse deterioris naturæ, & consequẽter non aptam ad conseruandũ crocodrilum. Neque esse impossibile,

sibile, quòd hoc animal semper augeatur, ex eo confirmari potest, qđ quidam homines, & quædā animalia, vt sues, videntur semper, quoad viuunt, pinguescere. Cū igitur crocodrilus habeat totam substantiam tenuem, vt hæc animalia habēt carnem, poterit semper etiā augeri, quod non ita tamen est intelligendum, vt etiam immediatè ante mortem augeatur, sed, vt dici solet, moraliter, non mathematicè, ita vt quousque non est morti propinquus, vel quandiu bene valet, crescat.

An eius, quod augetur, quælibet pars augeatur.

QVÆSTIO XXXIII.

TRes conditiones in accretione requirit Aristoteles tex. 32. Prima est, vt fiat aliquo addito, quā sect. 1. explicauimus, ostendentes, augmentationem præsupponere, & connotare nutritionem, per quā noua substantia additur. Secunda est, vt quælibet pars eius, quod augetur, augeatur. Tertia, vt idem maneat post accretionem, quod ēt antea erat, de tertia agemus quæstione sequenti, de secunda verò in hac. Notandū autem, quòd quamuis Arist. tex. 32. & 33. simpliciter asserat, eius, quod augetur, quamlibet partē maiorē fieri, tex. tamen 35. & deinceps limitare hoc dictū, ait enim intelligendum esse secundum formam, non autē secundum materiam, quæ verba ab omnibus habentur pro difficillimis, & meritò. Nos igitur tria hic videbimus. Primùm, an quælibet pars materiæ in augmentatione augescat. Secūdū, an quælibet pars formæ substantialis. Tertiū, quisnam fuerit sensus verborum Aristotelis.

An quælibet pars materiæ in accretione fiat maior.

SECTIO I.

RAtio dubitandi est, quia partē materię fieri maiorem, potest intelligi dupliciter, & in vtroque sensu adest difficultas. Prior sensus est, fieri maiorē ratione totius, quia videlicet totū illud, cuius est pars, sit factum maius, & hic nō est recipiendus, quia omnē partē augeri nil aliud esset, quàm totum ipsum augeri, superfluè igitur diceretur, cū totum augetur, augeri ēt quamlibet partē. Secundus sensus est, quālibet partem seorsum à toto recipere augmentum, & hic videtur communis, sed habet etiam magnā difficultatem, nam partes in composito sunt infinitę, si igitur cuilibet parti factum est augmentum, erit quoque augmentum infinitum, vel saltē æquale erit augmentum quantitati præexistenti. Nam dū augetur quantitas palmaris, vel fit bipalmaris, vel nō, si fit, hoc est, quod volumus, si nō fit, ergo poterit in priori palmari assignari aliqua pars, quæ nō fuerit aucta. Probatur consequentia, quoniam si illud, quod est additū, extendatur, & coæquetur priori quātitati, non respondebit toti, ergo illa tantùm pars est aucta, cui additum respondet, nō aūt tota quantitas palmaris. Præterea si quælibet pars augmentū recipit, ergo totū diuisū fuit in omnē suam partē. Probatur cōsequētia, quoniā parti, quæ augetur, oportet aliquid addi, ꝙ inter ipsam, & aliam partē mediet, alioqui non ipsa secundū se recepisse augmen-

augmentum, dici poterit, sed ratione totius, cuius est pars, nam additamentum non est factum ipsi, sed suæ comparti, oportet igitur inter omnes, & singulas partes aliquid de nouo intercedere, quòd fieri non poterit, nisi cõcipiamus, in omnes suas partes continuũ intersecari. Tertiò, quia additio fit pori replentur noua substantia, at dantur partes in viuẽte, in quibus nullus est porus, & quę poris non sunt contiguæ, ergo istę non augentur. Consequentia videtur euidens, quia cum accretio fiat mediis poris, vbi hi non adsunt, illa fieri non poterit: Antecedens probatur, quia inter duos poros oportet mediare aliquam partem, quę poris careat, alioqui nulla esset substantia inter poros; & corpus nil aliud esset, quàm inane, illa igitur pars, quæ inter proximos poros reperitur, poris vtique caret, & cum possit in infinitũ diuidi, aliquę partes ipsius erunt propinquę poris, alię verò non propinquæ, dabitur igitur pars, quæ neque poris constabit, neque poris contigua erit, ac proinde quæ per se augeri non poterit.

Quartò adest difficultas circa hos poros, qui cum sensum fugiant, nec alia ratione fulciantur, non videntur admittendi. Confirmatur, quia vel in qualibet parte admitterentur, & tunc totum corpus esset inane, vel in aliqua tantùm, & non est maior ratio de vna, quàm de altera. Confirmatur secundò, quia vel essent pleni, vel vacui, non primum, quia ad nihil deseruirent, non secũdum, quia non datur vacuum in natura.

Ad hæc, vel fieret accretio in omnibus partibus simul, vel non, si primum, ergo euidenter appareret accretio, si secundum, ergo potest augeri vna pars sine aliis.

Adest quoque peculiaris difficultas de arboribus, quæ dum germinant, apparent augeri secundum ramum tantùm, non verò secundum truncum, ergo non est necesse, vt illud, quod augetur, augeatur secundum omnem partem.

Propter has difficultates, sunt varij modi dicendi in hac quæstione. Primus est Auerrois comm. 38. qui existimat, quodlibet minimum naturale corporis habere suum porum, & per ipsum recipere nutrimentum, & augeri, quare secundum ipsum non augentur omnes partes simpliciter, sed illæ, quæ sunt sensibiles, & minimæ. Hanc sententiam rectè impugnat Tolet. quæst. 10. tum quia in continuo non sunt ponenda hæc minima, tum etiam quia æquales essent pori in omnibus, quod est falsum.

Secunda sententia est Marsilij quæst. 13. & Alberti quæst. 12. qui aiunt, partes porosas augeri per intus susceptionem, quia in se recipiunt cibum, non porosas verò per iuxta positionem. Hanc etiam impugnat Toletus ex eo quòd pori non sunt partes, verùm non affirmat hæc sententia, poros esse partes, sed esse in partibus, quam sententiam sequitur etiam Dandinus secũdo de anima digress. 27. & Zab. lib. de accretione cap. 19. Connimb. c. 5. quæst. 11. & alij recentiores, neque ab ea videtur dissentire Auerr. & probabilitate non caret. Non videtur tamen perfectè seruare cõmune dictum, quòd omnis pars augeatur, quia quod augetur per iuxta positionem, non verè augetur augmentatione, de qua loquimur, alioqui etiam ignis augeretur, cum per iuxta positionẽ maior fiat.

Ter-

Tertia sentētia est Toleti, qui inquit, quamlibet partem augeri per propulsionem, quam ita explicat, quòd cum alimentum in poro existens in substantiã viuentis conuertitur, simul resoluitur vapor, qui ex concoctione resultat, & ille vapor nouum faciens porum, propellit viuentis partes versus locum exteriorem, & sic dilatatur, & locum maiorem occupat, & eamdem sententiam tribuit Philopono in tex. 39. Hanc sententiam suppresso nomine impugnat Dandinus digressione citata, quia tunc accretio esset motus violētus, non fieret enim a natura sed à vapore, & cicatrices, & maculæ, quæ sunt in vna corporis parte, tempore procedente pellerentur ad aliam. Adde etiã, quòd non videntur tantã vim habere posse hi vapores, vt propellant carnem, & ossa viuentium.

Dicendum igitur est, quamlibet partem augeri, quia quælibet pars extenditur, & dilatatur, non quidē per propulsionē, vt dicebat Toler. sed per actionem caloris natiui, cui proprium est extendere, & dilatare. Probatur hæc sententia primò, quoniam, vt supradiximus, augmentatio propriè dicta in hac extensione posita est, ergo non magis propriè exponere possumus, quamlibet partem crescere per augmentationem, quàm si dicamus, magis extendi. Secundò, quoniam ita perfectè saluamus, quamlibet partē augeri, cum quælibet pars extendatur. Tertiò, quia optimè etiam intelligitur, quomodo augmentatio viuentiũ differat ab accretione non viuentium, quia ignis augetur per iuxta positionem, at verò viuentia per extensionem.

Nobis tamen aduersatur Zabarella cap. 20. vbi contendit, non quã libet partem in accretione extendi, notauerat enim supra cap. 10. duplicem esse extensionem, alteram, quę habet pro termino tenuitatem substantiæ, & raritatem, & ita dicimus, aerem esse rariorem terra, alteram, quæ terminatur ad partium distantiam, qualis est, quæ reperitur in spongia, existimat igitur ipse, per extēsionem, quam dicimus esse augmentationem non acquiri raritatē priori modo sumptam, sed posteriori, probat, tum quia per augmentationem substantia viuentis non fit tenuior, tum quia per eam fiunt pori, & cauitates, quæ ad priorem raritatem spectant. Hinc probat, non extēdi omnes partes, quia hoc supposito eatenus aliqua pars extēditur, quatenus in ea pori fiunt, & foramina, sed hæc non possunt fieri in omni parte, vt nos etiã supra probauimus, ergo non omnis pars extenditur.

Cui occurrendum est, falsum esse, quod ipse supponit, in accretione intercedere illam tantùm extensionem, quæ fit medijs poris. Nam effectus caloris est, rarefacere priori modo, hæc autem extensio à calore prouenit, ergo est eius generis. Adde, quòd si posteriori modo tantùm viuens extenderetur, æqualiter secundum omnem dimensionem augeretur, æquè enim in omnibus partibus pori debēt reperiri. Tertiò si vera esset Zabarellæ sententia, non fieret accretio, nisi ex abundantia nutritionis, quod falsũ est. Nam aliquando adolescentes macrescunt, dum augentur, & aliquãdo etiam in febribus augmentum recipiunt, quamuis bene non nutriantur. Denique accretio est per se à natura instituta, ergo non tantùm ob replendos poros.

Ad argumentum Zab. respondeo

deo, per ipsam augmentationem formaliter reddi rarius, constipari tamen postea per nutritionem, per quam alimentū conuertitur in eius substantiam.

Dubitandi rationes explicantur.

AD primum, quamuis hoc argumentum videatur impugnare additionem tantùm, potest tamen etiam contra extensionem retorqueri, si enim quælibet pars extenditur, ergo necessariò videtur dicendum, quòd duplo maiorem locum occupet, quæ enim maior ratio, vt id sequatur in additione, & non in extensione? Respondetur quidquid sit de additione, quam ob alias etiam rationes constat fieri non posse secundum omnes partes, negandum esse, aliquid necessariò fieri duplo maius, si rarefiat secundum omnes partes, contrarium enim experimentis constat, vt dum aqua ebullit, & egreditur vas, à calore enim rarior fuit reddita secūdum omnes sui partes, quia non est maior ratio de vna, quā de altera, & tota est calefacta, neque tamen occupat duplo maiorem locum. Ratio quoq; suffragatur, quia cum quantitas sit diuisibilis in infinitum, potest quælibet pars ita rarefieri, vt occupet duplo maiorem locum, & etiam vt occupet tantū paulò maiorem.

Ad secundum respondeo, non sequi, vt totum diuidatur, quia inter vnam, & alteram partem nihil mediat.

Tertium argumentū nō est contra nos.

Ad quartum dico, vrgentissimis rationibus nos permoueri ad poros constituendos. Videmus enim, sudorem, & alia similia excremenia ex corporibus egredi, quod contingere non posset, nisi adessent meatus, & pori, qui nil aliud sunt, quàm foramina quædam, & cauitates licet perexiguæ. Idipsum ostēdit aer ambiens, quem aliquando corpus nostrum penetrare, & permeare sentimus, quod, nisi hi pori adessent, non contingeret, & vis caloris partes substantiæ resoluens idipsum etiam confirmat. Ad primam confirmationem dico, non esse in qualibet parte, nam, vt su pradiximus, inter duos poros oportet constitui aliquam partem illis carentem. Cur verò in hac parte potius sint, quàm in alia, oriri potest vel ex ipsa materia, cuius vna pars minùs erit, quàm alia densa, & constipata, vel ex calore, qui versus vnam partem magis, quàm aliam tendat. Ad secundam cōfirmationem resp. hos meatus nūquam propriè esse vacuos, sed plenos vel spirtu, vel alimento, vel excrementis, ita tamen vt facillimè id, quo pleni sunt, cedat, cum opus est; Probabile est etiam, aliquando esse nonnullos tātùm in actu primo, si .n. desit quo repleātur, partes propinquæ inuicem sibi adhærebunt, vt videmus, cum spongia comprimitur, sed adueniente corpore, quo replendi sunt, facillimè reserantur.

Ad quintum, nō desunt, qui affirment, vt refert Dand. aliquas partes augeri alijs non auctis, probabilius tamen videtur, simul omnes augeri, cum enim ab intrinseco calore prouenit hæc extensio, non possunt partes magis extrinsecæ augeri, nisi priùs magis intrinsecæ augeantur, vt quæ propinquiores sunt principio augmenti. Si etiam augentur partes intrinsecæ, oportet, vt augeantur, idest magis extendantur extrinsecæ, quia sine his non possunt

sunt illæ extendi.

Ad illud de planta dico, probabile esse, ramum augeri, non verò truncum, verùm non dicitur tunc tota arbor augeri, sed ramus tantũ, & se habent partes vnius plãtę, veluti plura viuentia simul vnita.

Quæres, cur viuentia magis augeantur secundum longitudinem, quàm secundum latitudinem, cum secũdum omnes partes augeãtur? quidam respondent, ex caloris natura, qui sursum tendit, hoc prouenire, quod non probo. Primò, quia tota augmentatio esset in longitudinem. Secundò, quia in brutis non potest habere locum, cum longitudo in his non respiciat sursum. Tertiò, quia si homo in lecto decumbat, adhuc magis augebitur secundum longitudinem, cum tamen calor non erga eam partem tendat. Naturæ igitur, siue animi virtuti hoc tribuendum est, sicuti etiam membrorum conformatio in generatione.

Quomodo forma in accretione augmentum recipiat

SECTIO II.

DVplici modo explicare possumus augmentum formæ, nimirum per nouam eductionem ipsius formæ à materia, & per extensionẽ eiusdẽ præexistentis formæ ad informandã illã materiam, quę per nutritionẽ est viuenti addita.

Hunc posteriorẽ modũ sequuti sunt nõ ignobiles Philosophi, Põp. lib. 1. de accretione, Zab. lib. eod. cap. 13. Philop. in lib. de gen. c. 5. Burl. tract. de intens. & remiss. c. 3. Probant hanc sententiam, quia si de noua particula carnis noua animę pars educeretur, nõ esset anima actus corporis eterogenei, illa n. particula est homogenea, & ex illa educitur anima, & eã primò informat, ergo est actus corporis homogenei. Et vrget difficultas, quia aĩa est tota in qualibet particula viuentis, cum sit indiuisibilis, ergo tota animæ essentia erit in particula homogenea. Secundò sequeretur, nullum esse in viuente præcipuũ membrum, siquidẽ illud dicitur esse præcipuum, in quo primò oritur anima, & exinde in omnes alias partes diffunditur, at si in omni parte anima oritur, nulla erit præcipua. Et confirmatur, quia res non pendet secundum conseruari, à quo nõ pendet secundũ produci, sed in hac parte ꝓducta est aĩa independẽter à corde, ergo ẽt independẽter cõseruatur, nullus est igitur cordis primatus. Tertiò sequeretur etiam, posse animã aliquandiu viuere in membro præciso, quia corruptio non potest fieri sine præuia alteratione, at hæc alteratio nõ potest fieri nisi in tempore, & in maiori, quàm sit illud, in quo membrum præciditur. Quartò, sequeretur, plures esse animas, & vnã tantùm aggregatione plurium, ac in singulis particulis viuentis esse animã propriam, quod confirmatur ex Arist. in lib. 3. de partib. animal. vbi ait, animal esse vnum propter animam vnam, & animam esse vnã propter vnum principium, quod est cor, ex quo exoritur, & in quo residet.

Denique non videretur differre accretio viuentiũ ab augmentatione nõ viuentiũ, verbi gratia ignis, nam in hac quoque fit additio nouæ materiæ, & nouæ formæ.

Secunda sententia est communis, quam sequitur Scotus in 4. d. 44. q. 1. Marsil. lib. 1. de gen. q. 12. Albertus de Saxonia q. 10. Toletus quæst. 9. & alij apud ipsum,

nouam scilicet animæ partem (anima rationali excepta, quæ est indiuisibilis) à noua materia educi. Probatur hæc sententia firmissimis rationibus. Prima est, quia anima, quæ dependet à materia, non potest migrare de subiecto in subiectum, atqui si anima non educeretur ex illa noua particula, sed ex veteri ad hanc transiret, migraret de subiecto in subiectum. Respondet Zabarella cap. 16. migrationem denegari formæ, quæ totum suum subiectum derelinquat, & ad aliud transeat, quòd verò ab vna parte ad aliam informandam transeat, nullum esse absurdũ, non rectè tamen philosophatur. Nam ratio, cur forma migrare non possit de subiecto in subiectũ, est, quia dependet à materia, in qua inest, si ergo depẽdet, ergo non potest esse illa, siue partialis, siue totalis sit. Confirmatur, quia si illa pars animę, quæ est in carne de nouo genita, ab ea non pendet, à quanam materia pendebit? ab alia materia, in qua non est? atqui hoc est omnino absurdum, formam pendere à materia, in qua non sit, quia penderet, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ materialis, nõ primum, quia materia nõ habet efficientiam; neque secundum, quia materia non potest exercere suam causalitatẽ extra se; relinquitur ergo, vt verè hæc forma à materia non pendeat.

Præterea sequeretur, quòd absque vlla additione anima, quæ est in minima planta, posset extendi ad occupandum infinitum spatiũ, & informandam infinitam materiam, quod est planè absurdum. Probatur consequentia, quoniam si rami ab aliqua planta præcidantur, alios produci videmus; si quis autem ramos præcisos plantet, iterum & ipsi alios ramos producent, & ex illis poterunt aliæ arbores deriuari, ergo absque vlla generatione, & additione formę poterit totus mundus arboribus repleri, nõ enim fit generatio formę, dum ramus ab arbore producitur, quia illa est accretio, neque verò dũ præciditur, quia per diuisionem non potest anima generari, neque dum terræ immittitur, quia conseruatur eadem anima, quæ erat prius. Ex quo deducitur etiam, verè animã totum vetus subiectum relicturã, nouum informaturam, quia ab illa prima planta in has alias transiit anima, quod pro inconuenienti habet etiam ipse Zabarella, quem optimo iure miratur Dãdinus huic opinioni adhæsisse, virum alioqui doctum, & grauem Philosophum.

Tertia sententia est Dandini digressione citata, animam nullo pacto augeri, nam inquit, aut id propterea diceretur, quòd ipsa esset accretionis terminus, aut subiectum; non potest dici terminus, quia hoc est proprium quantitatis: quòd neque sit subiectum, probat, quia subiectum motus debet esse partibile, at forma nec partibilis est, nec mobilis, nisi ex accidente. Præterea ex tex. 3.5. phys. forma nec mouere dicitur, nec moueri, & tex. 36. & 37. 2. de anima dicitur anima esse causa efficiens, finalis, & formalis, at materialis numquam, immo ex tex. 70. 5. phys. reliquę tres causę in vnam sæpe conueniunt, materialis numquam.

Verùm verbis tantùm dissentit Dandinus à sententia communi, cuius sensus non est, animam augeri per augmẽtationem, eò quòd sit vel quantitas, vel proprium subiectum quantitatis, in quo Dandinus

nus eam impugnat, sed eo pacto, quo dicitur augeri materia, & substantia viuentis, quamuis enim hæc augeatur per nutritionē propriè, & formaliter, & non per augmentationem, quia tamen per nutritionem non semper fit maior substantia, quàm sit illa, quæ per actionem caloris deperditur, & quando maior substantia acquiritur, comitari etiam solet accretio, idcirco dicit in accretione, prout complectitur etiam nutritionem, substantiam, & ipsam animam augeri. Si verò loquamur de accretione formaliter, sic dicendum est, eo pacto augeri formam materialem, quo augetur & ipsa materia, scilicet p extēsionē, nō q noua anima in materia addita nō generetur, sed quia non in hac generatione posita est formaliter accretio, sed in extensione sequenti, qua & materia, & forma, & quantitas extenduntur. quare si perfectè distinguere velimus accretiones, tres ad minimum erunt, non enim per eandem extensionem formaliter potest extendi materia, per quam extenditur forma, vel forma, & materia, per quam quātitas, & ratio est, quia, vt alibi probabimus, extensio nihil aliud est, quam modus rei, idem autem modus non potest esse in diuersis subiectis realiter, & sicuti forma est præsens, & existens per suam propriam præsentiam, & existentiam distinctam à præsentia, & existentia materiæ, & cuiuscunque alterius rei, ita etiam habet propriam extensionem, propriam, inquam, non quòd radicaliter eam non habeat à materia, sed quia formaliter eam habet per modum sibi proprium, & inhærētem, quia tamen hæc extensio ex eo solùm, quòd est coniuncta cum extensione quantitatis, est impenetrabilis, & physica, idcirco de sola extensione quantitatis fit mentio, & tamquam à præcipuo termino dicitur accretio habere pro termino quantitatem, idest modum ipsius.

Est tamen difficultas circa animam rationalem, quomodo possit extendi à parte viuentis, quam actu informat, ad informandam nouam materiam. Nam ex Aristotele lib. 1. de anima, non est anima per se mobilis, sed tantùm per accidens ad motum corporis; sola enim corpora esse per se mobilia, ostendit Aristoteles 6. phys. At si anima ab vna parte transit ad aliam, per se mouetur, quod est contra Aristotelem. Zabarel. cap. 16. in responsione ad secundum cum Ioan. Bauonio in d. 18. lib. 3. sent. respōdet, animam transire ab vna parte ad aliam, non per motum, sed modo quodam alio nobis occulto, & abscondito: re vera tamen negari non potest, illum esse verè motum, quia per illum fit anima præsens, vbi antea non erat, & nomen ipsū transitus, quo & Zabarella vtitur, idipsum demonstrat.

Dicendum est igitur, alium esse motum, quo vnus locus acquiritur, & alius amittitur, & dici potest motus localis, & integer, alium verò esse, quò nouus locus acquiritur absque eò qđ prior dimittatur, & dici potest motus partialis, & de prio ri intelligitur Aristoteles, non de posteriori. Adde, quòd quāuis interueniat hic motus localis, tamen anima non extenditur, vt occupet nouum locum, sed vt informet nouam materiam; quare motus localis est hic per accidens, & Aristoteles negat tantùm, animam moueri per se.

Ad primum argumentum Zaba

tellæ respondeo, animam esse actũ corporis eterogenei respectu totius corporis, quod informat, non verò respectu partis, alioquin nullam partem similarem posset informare anima, dicitur enim actus, nõ tantùm respectu materiæ, ex qua educitur, sed etiam respectu materiæ, quam informat, si igitur potest informare partem homogeneam, vt necessariò dicendum est, poterit etiam ab ea educi.

Ad secundum respõdeo, ad hoc vt cor dicatur præcipuum membrum, satis esse, quòd anima priùs ab ipso educatur saltem natura, & ab alijs partibus dependenter ab ipso, quamuis enim educatur etiã ab alijs partibus, non per hoc educitur independenter, quia si cor nõ adesset, non educeretur à cæteris partibus.

Ad tertium respondeo, verum esse consequens, quòd animæ diuisibiles, quales sũt omnes, rationali excepta, possent aliquandiu conseruari in parte præcisa, vt patet in animalibus imperfectis; in perfectis verò minùs apparet, quia habent operationem magis dependentem a præcipuis partibus.

Ad quartum negatur consequẽtia, sequitur enim tantùm, esse plures partes vnius animæ, non verò plures animas, quę partes sunt vnum, non aggregatione, sed vera, & perfecta vnione. Et Aristotelis dictum nobis fauet, quoniam non inficiatur Aristoteles, esse plures animæ partes, sed inquit, componere vnicam animam, quia dicũt omnes ordinem, & dependentiam à membro principali, quod est cor.

Ad quintum respondeo, nõ differre in hoc accretionem viuentiũ à non viuentium, quòd his addatur materia, & forma, illis autem materia tantùm, sed in alijs multis, vt quòd augeatur quælibet pars, quòd additio sit ab intrinseco, & potissimum quòd accretio viuentium sit per extensionem.

Quid per materiam, & formam intellexerit Aristoteles in tex. 35. 36. & 37.

SECTIO III.

EXplicata rei veritate, sequitur, vt mentem Aristotelis perscrutemur, quem non est credendum, ab ea discessisse, quamuis tam obscurè loquutus sit, vt Oedippo opus videatur, qui ænigmata soluat, nam in eo explicando plurima etiam ingenia desudarunt, & fortè frustra. Afferemus igitur varias eorum explicationes, & tandem nostram, sed priùs verba ipsius audiamus. Inquit igitur Aristoteles tex. 35. *Quamcunque igitur partem augmentari, & adueniente aliquo secundum formam quidem est possibile, secundum autẽ materiam nõ est, &c.*

Prima autem expositio, quæ legenti statim se offert, est, vt per materiam intelligamus materiã, quæ est pars compositi; & per formam ipsam formam substantialem, nam hæc est proprijssima horum nominum significatio. Hanc autẽ amplectuntur Zabarella cap. 21. Dandinus digressione citata, Auer. Philop. Albert. & alij, quamuis in reliquis verbis explicandis non conueniant. Zabarella enim existimat, materiæ partes non omnes augeri, quia augentur per additionem, nõ potest autem, vt supra probatum est, cuilibet parti aliquid addi, forma verò, inquit, crescit secundum omnes partes, quia extenduntur

omnes

omnes partes animę ad maiorem materiam, nec vlla considerari potest eius particula, quæ non extendatur. Verùm hæc sententia, vt supra ostendimus, falsa est, neque etiam expeditè Aristotelis mentē explicat. Nam inquit Aristoteles, aduenire aliquid secundum formam, ergo non sufficit, quòd extendatur. Adde, non esse credibile, materiam non extendi, dum forma, quæ ipsi inhæret, extenditur.

Hieronymus verò Dandinus (quamuis Aristotelis locum per obscurum explicans, nec ipse clarè loquatur) vult, additionem fieri secundum formam, nō secundum materiam, quia materia in nutritione mutatur, alia enim effluit, alia verò aduenit, quod autem mutatur, non potest dici augeri, forma verò semper eadem permanet, & idcirco secundum eam dicitur fieri accretio, quòd autem eadem forma maneat, in homine certum est, in reliquis verò fatetur quidem, formam etiam simul cum materia deperdi, sed inquit, se habere, ac si non mutaretur, nam eius mutatio non apparet, sed videtur semper eadem manere, tum quia mutatur quasi per accidens ad mutationem materiæ, tum etiam quia alimentum suam abijcit formam, & nouā viuentis induit, quæ eamdem habet figuram, & operationem, quas habebat antea quoque forma viuentis, & denique in specie saltem formæ vnitas conseruatur. Addit deinde, augeri formam secundum omnes partes, quia dum in alimento, noua accedente materia, & in omnibus eius partibus suscipitur, verè dicitur partibus omnibus augeri; quia nulla est tam parua, cui non aliqua materiæ, & quantitatis facta sit additio.

Verùm quàm parum firma sit hæc expositio, ostendunt primò tot rationes, quot ipse multiplicat, vt tueatur, eamdem formam permanere, quibus tamen nihil efficit, quia re vera forma non minus, quā materia deperditur. Præterea etiamsi noua forma non adderetur, vt ipse pro non addita haberi vult, esset maximè contra Aristotelem, qui ait, addi aliquid secundum formam. Ad hæc, non rectè explicat, quomodo fiat additio secundum aliquam partem in materia tātùm, ratione verò formæ fiat secundum omnes partes. Quòd enim ait, nullam esse tam paruam partem formæ, cui non fiat aliqua accretio, dici quoque potest de materia, vel si de hac dici non potest, neque de illa, cum ita sint copulatæ, vt vni non possit fieri additio, & non alteri.

Auerroes inquit, accretionem esse secundum formam, non verò secundum materiam, quia est effectiuè a forma, non verò à materia. At Aristoteles non hic loquitur de causa efficiente, sed de eo, quod augetur, quare non videtur ad rem hæc expositio.

Secunda expositio tribuitur S. Thomæ, & eam sequitur Toletus hic quæstione nona, & alij recentiores, qui dicunt, per materiam intelligi substantiam indiuiduam, per formam verò essentiam specificam, hæc dicitur manere, quoniam manet semper eadem species carnis, & ossis; illa nequaquam, quia non manet re vera hæc caro, & illud os. Verùm quamuis hæc expositio videatur tueri identitatem eius, quod augetur, non tangit tamen præcipuam difficultatem horum verborum, quomodo accretio fiat secun-

secundum omnes partes formæ, nã si per formam intelligant naturam, nulla ei videtur fieri accretio, quia essentia, et species immutata manet, & potius fit additio secundum materiam, idest secundum substantiam singularem. Adde, quòd Aristoteles tex. 40. videtur aperte hanc explicationem reiecisse, nam inquit ibi, vniuersalia non esse illa, quę generátur, & consequenter nec augentur, ergo dum inquit, accretionem fieri secundum formam, non potest intelligere secundum speciem, quia esset secundum vniuersale.

Tertia expositio est illa; quam refert Marsilius in quæst. 13. per formam intelligi partes illas, quæ humido, quod radicale dicitur, constant; per materiã verò partes illas, quę humidum nutrimẽtale continent, priores autem, inquit, conseruari semper, non autem posteriores, & hac ratione, illas augeri, non autem has.

Sed meritò à Toleto, & Dandino reijcitur hæc sentẽtia, nam neque Aristotelis verbis aptè accomodari potest, neque ostendit, quomodo viuens augeatur secundũ omnes partes formæ. Præterea inquit Aristoteles, addi aliquid secundum formã, at verò humido radicali, vt sic, nihil potest addi, quia si additur, ergo nõ est radicale.

Quarta expositio fuit Thomæ de Garbo in sua medicinali sũma quęstione 54. & concil. differentia 56. per formales partes intelligi eterogeneas, per materiales homogeneas; sed non opus est, multis eam refutare, cum Aristoteles apertissimè in partibus ipsis homogeneis formã, & materiã distinxerit.

Quinta expositio per formas accipit partes sensibiles, quæ per se cohęrere, & operari possunt, per materiam verò partes non sensibiles; quę neq; separatè existere, neq; p se cohærere possunt, ita Ægidius hic, sed neque est recipiẽda, patet enim, non esse ad mentem Aristotelis, qui dixit, omnes res constare materia, & forma, ergo etiam in partibus insensibilibus adest materia, & forma. Præterea partes sensibiles constant partibus insensibilibus, ergo si secũdum omnes suas partes augentur, etiã partes insensibiles augebuntur, quibus argumentis reijci quoque possent aliæ nonnullæ explicationes, quæ à Toleto, & Dandino referuntur, vt per materiam intelligi partes non porosas, per formam porosas: vel per materiam intelligi partes, per formam ipsum totum, non enim opus est, singillatim eas refutare.

Vltima ergo expositio, quam ego censeo verissimam, est, quam innuit Auerr. per formam scilicet intelligi illam, quæ ex terminis quantitatis oritur, & dicitur etiam figura; per materiam verò totam ipsam substantiam ex materia, & forma substantiali constantem. Probatur primò hęc expositio, quoniam ipsemet Aristoteles explicat, se per formam itelligere figurã, tex. enim 36. inquit, *figura autem, & forma cuicunque particula*, scilicet aduenire aliquid, vt quid igitur amplius ambigimus, per formam intelligi figuram, cum ipsemet Aristoteles id, quod supra asseruerat de forma, scilicet fieri additionem secundum omnes eius partes, hic dicat de figura, quã etiam ostendit pro eodẽ accipere, atque formam; Præterea loquebatur de augmentatione, cuius terminus est quantitas, ergo etiã de forma loqui debuit in ordine ad quantitatem, forma autem quantitatis, est ipsa figura, qua quantitas ter-

terminatur, & variè conformatur. Tertiò inquit tex. 37. formam remanere, esse magis manifestum in manu, & cęteris partibus eterogeneis quàm in homogeneis, hoc autem verum non est de forma substãtiali, nulla enim adest maior ratio, per quam dicamus, permansisse formam substantialem in partibus eterogeneis, & non in homogeneis, verissimũ autem est de figura, quia quãuis manus augeat̃, retinet semper eãdem figurã manus, quod ita clarè nõ appares in carne, quia non determinat sibi aliquã figuram. Et cõfirmat̃ ex verbis Aristotelis, quibus rationẽ reddit, cur hoc magis appareat in manu, est enim, inquit, quoniã proportionaliter aucta est, ex eo autem quòd aliquid proportionaliter augetur, efficitur, vt retineat eamdem figuram, vt retineat autem eamdem formam substantialem potius, quàm materiam, hoc nihil refert. Confirmatur præterea, quia concludit tandem, *secundum formam cuicunque accessit secundum materiam verò non*, *at supra dixit figura & forma cuicũque particula accedere*, cur ergo hic non infert conclusionem tum de forma, tum de figura, non verò de forma tantùm? Ratio profectò est, quia pro eodem sumit figuram, & formam. Non potest autem figura accipi pro forma substantiali, forma autem optimè accipitur pro figura quantitatis, nam & quarta species qualitatis ponitur forma, & figura, ergo per formam nil aliud verè intelligit, quã ipsam figuram.

Quartò idipsum colligi potest ab eius exemplo de aqua, quę per eamdem mensuram effluit, quid enim recipit aqua ab ipsa mensura, per quã transit? vtique non aliud, quàm figuram, si enim mensura illa sit figuræ circularis, cum eadem figura effluit etiam aqua. Patet igitur, sensum Aristotelis hunc esse, quòd sicuti aqua effluens per eamdem mensuram, retinet semper eamdem figuram, quamuis partes eius diuersę sint; ita in augmentatione quamuis substantia effluat, & adueniat, semper tamen remanet eadem figura manus, vel pedis, & cæterarum partium, quod de forma substantiali nullo modo dici potest:

Denique probatur hæc expositio quoniam iuxta eam verissima sunt omnia, quæ ait Aristot. & ea nõ admissa, impossibile est, veritati esse consentanea. Nam duo asserit Aristoteles, quę & per se difficilia sunt, & parum inter se cohærere videntur. Alterum est, fieri additionem secundum omnem partem formæ, nõ verò secundum omnem partem materiæ. Alterum, id, quod augetur, idem remanere secundum formã, non verò secundum materiam, quamuis enim hoc posterius non tã clarè asserat, ab omnibus tam eius interpretibus tamquam ab eo dictũ recipitur. Difficile autem est vtrunque dictum, & de forma substantiali intellectum inexplicabile, quia hæc ita est cum materia copulata, & ita ab ea pendet (loquor de materiali) vt neq; additionẽ sine ipsa recipere possit, neque cum ea non mutari. Neque videntur inter se aptè hæc duo cohærere, quia si materiæ minor additio fit, quàm formæ, ergo magis remanet eadem, quàm forma, quomodo ergo ait Aristoteles, formæ fieri additionem secundum omnem partem, & tamen quod augetur, magis remanere idem secundũ formã, q̃ secundũ materiã? hæ igitur difficultates tãsuetsos egerũt interpretes, & in varios errorũ scopulos impulerũt.

Ac

At iuxta nostram expositionē omnia plana sunt. Nam figura eius est naturæ, vt facillimè fieri possit maior secundum omnem sui partem, cum tamen eamdem formam retineat. Accipiamus enim circulum, & ex paruo efficiamus ipsum magnū; tunc ille circulus erit maior, quàm antea secundū omnem suam partē, quia nulla est particula ipsius circūferentiæ, quæ magis, quàm antea, à centro non distet, & tamen eadem omnino est figura, quæ etiam antea erat, quia circulus erat priùs, & circulus est etiam postea. Illud enim, quod additur, semper se accommodat figuræ, quam vel totū, vel quælibet partium postulat. Hoc est igitur, quod inquit Aristoteles, cū vīuēs augetur, fit maius secundū oēm partē formæ, & figuræ, quia fit maius, & secūdū lōgitudinē, & secūdū latitudinē, & secūdū profunditatē, & manus proportionaliter secundū omnes digitos augetur, quare figura tota facta est maior, & tamen eadem remansit, quia retinet eamdē proportionē inter partes; & manus, & pedes, & cætera membra eamdē habet, quam priùs figuram.

At verò secundum substantiam neque fit additio secundum omnē partē, vt ex ijs, quæ supradiximus, patet, neque omnino remanet idem viuens, quia partiū substantiæ alia fluit, & alia aduenit. Denique hæc omnia maximè cōgruunt cum ijs, quæ supradiximus, augmentationē formaliter positā esse in extensione ad maiores terminos quantitatis, ex quo sequitur, per eam formaliter figuram fieri maiorem secundum omnes suas partes, vt hic ait Aristoteles. Obijci tamen nōnulla possūt contra hanc nostram expositionem ex quorum solutione firmior manebit. Primò ait Aristoteles tex. 35. *dupliciter caro, & os dici quemadmodum & cætera, quæ in materia formam habent, materia enim & forma dicitur caro & os*, quibus verbis videt' planè, se loqui de forma substantiali, tum quia hac constare dicuntur res naturales, non verò figura; tum etiam quia caro, & os dici non possunt figura, cum hæc sit accidens, illa verò substantiæ.

Secundò figura est qualitas, ergo accretionis terminus esse non potest, sed magis ad alterationem pertinet. Si verò dicas, sumi, prout est idē cū quātitate, potius ipsa quātitas, quàm figura, dici debet augmentum recipere.

Tertiò, volebat Aristoteles explicare, quomodo in accretione idem semper maneret, & quomodo fieri posset accretio sine penetratione, at verò externa figura, neque penetrationē excludit, neque identitatē veram, & substātialem tueri potest, ergo nō de ea loquitur Aristoteles.

Quartò in mortuo magis videri eamdem esse carnem, quàm manū, ait Aristoteles, at si de figura esset sermo, magis videretur hæc idētitatē ostendere in manu, q̃ in carne, quia facilius eadem figura in illa, quàm in hac dignoscitur. Ad primū respondeo, ex illis verbis magis sententiam nostram confirmari. Nam inquit Aristoteles, carnē dupliciter dici, & pro materia, s. & pro forma, at si loquatur de materia prima, falsū oīno assereret, quia materia prima dici nō pōt caro, neq; os, cū sit indifferens ad quamcunque substantiā, forma quoq; substantialis nō solet appellari caro, aut os. At verò optimè iuxta sententiam nostram intelligitur Aristotelicum dictum. Nā caro, & os possunt sumi & accidendentaliter, & substantialiter, accidentaliter pro figura, & accidentibus,

bus, quæ eam consequuntur, substantialiter pro materia, & forma, quæ sub illa figura latent, quapropter dicebat Aristoteles, carnem hominis mortui esse æquiuocè carnem, idest habere accidentia, quibus appellatur caro, non tamen animam, à qua substantialis denominatio carnis, prout est pars animalis, desumitur, quare non dixit Aristoteles, naturalia constare materia, & forma, de quibus ipse loquebatur, sed asserit, dici dupliciter, & materiã, & formam, quia videlicet hominum sermone caro aliquando vsurpatur pro accidentibus, sicuti videmus etiam in statuis, & imaginibus distingui carnem, & cæteras partes; non quia habeant carnem substantialem, sed partem tantùm eius accidentium, & præcipuè figuram, quapropter meritò potuit Aristoteles asserere, carnem dici, & materiã, scilicet substantiã, & formã, s. figurã.

Ad secundum responsum est supra, ad figuram terminari augmentationem, quatenus est terminus quantitatis: Consequutionem verò, quòd quantitas ipsa dicatur recipere augmentum, non inuiti admittimus, neq; .n. est cõtra nos.

Ad tertium resp. optimè omnia, quæ intendebat Aristoteles, explicata fuisse per datam distinctionẽ, nam ex eo quòd additio non fit secundùm omnes partes substantiæ, sed secundum omnes partes formæ, idest figuræ, rectè intelligitur & idẽ manere, quia manẽt plures partes substãtiæ, & figura ipsa nõ mutatur, & nõ dari penetrationẽ, quæ vitari non posset, si quælibet pars substantialis augmentum recipere deberet, neq; tamen in omnem sui partem diuidi.

Ad quartum resp. rectè Aristotelem inferre, carnem videri magis carnem in mortuo, quàm manum, ex eo quòd figura magis in hac apparet, quoniam caro cum non determinet sibi figuram, quousque non corrumpitur substantialiter, semper pro carne habetur, at verò manus, cum figuram sibi determinet, & ad operandum sit ordinata, etiamsi substãtialiter nõ corrumpatur, si tantùm figuram amittit, vel saltem operari nõ possit, non amplius videtur esse manus, si verò esset sermo de forma substantiali, cum hæc eodem modo se habeat in manu, & in carne, nõ posset Aristotel. ex ea aliquod discrimen inter ipsas constituere, vt verè constituit. Quare cum & ea ipsa, quæ contra nostram explicationem afferuntur, ipsam magis confirmẽt, concludere possumus, esse verissimã; & ab Arist. mẽte ne latum quidem vnguem discedere.

An quod augetur, idem semper maneat ante, & post augmentationem.

QVÆSTIO XXXIV.

Non quærimus de identitate omnimoda, vt etiam accidẽtalem includit, clarum est .n. per accretionem diuersimode se habere viuens, atque antea, sicuti etiam post alterationem alio pacto se habet subiectũ, ac antea se habebat, sed quærimus de identitate substãtiali, & quæ sufficiat, vt subiectum dicatur idem numero, & loquimur, non de aliqua peculiari augmentatione, sed de ea, quæ fit per totam vitam; neque tandem de augmentatione, vt solam extensionem significat, sed vt etiam nutritionem includit.

Rationes dubitandi.

SECTIO I.

NOn idem permanere viuens, his potest argumentis suaderi. Primò, quoniam cuius pars essentialis mutatur, nō remanet idē, at per augmentationem mutantur partes essentiales viuētis, quæ sunt materia, & forma, ergo non remanet idem. Probatur minor primò ex Aristotele qui tex. 36. inquit, in augmentatione materiam se habere sicut aquam, quæ per aliquam mensuram transeat, per materiam autem vel intelligit, vt nos volumus, totam substantiam, vel, vt alij interpretantur, saltem materiam, quæ est pars essentialis compositi, ergo semper mutatur pars essentialis.

Deinde nutritio fit, vt reparetur substantia deperdita, ad quod opus est continua nutritione, ergo continuè substantia deperditur, & alia acquiritur, si ergo cōtinuè deperditur, ergo tota mutatur, quia nulla potest esse tam magna quantitas, à qua si continuè per plures annos aliquid detrahatur, non tandem deficiat. Sed esto, non tota deficiat, saltem maior pars deperdetur, ergo potius dici debet viuēs mutatum, quàm idem, tum quia congruum est, denominationem à maiori parte desumi, tum quia ad destruendū minus requiritur, quā ad construendum, ergo etiam si esset æqualiis materia, quæ remanet cum ea, quæ deperditur, hæc potentior esse deberet ad constiuendum diuersum suppositum, quàm illa ad conseruandum idem.

Tertiò probatur experientia, nā quando animal nascitur, & multò magis quando concipitur, est admodum paruum, deinde procedente tempore fit magnum; ergo totus huius magnitudinis excessus est illi superadditus, potius igitur ratione huius debet dici diuersum, quā ratione illius paruæ substātiæ, quā in conceptione habuit idem, præsertim cum & hæc magna ex parte sit deperdita. Augetur difficultas in plātis, in quibus euidentiùs apparet mutatio, nam minimum semen seritur, & tamen fit arbor magna, quis ergo neget, absque vlla proportione maiorem esse materiam superadditam, quàm illam veterem? ergo ratione illius dici pótius debet arbor diuersa, quàm huius eadem. Confirmatur, quia ab hac eadem planta possunt plures rami auelli, & plantari, & fieri arbores diuersæ, ergo etiam quando erant in arbore, materiam, & formam habebant diuersas, non igitur dici possunt esse eadem numero substantia.

Quartò constat experimentis, temperamenta, & complexiones mutari propter alimentum diuersum, ergo signum est, mutari substantiam, & non permanere eamdem numero, & refertur, pueros veleno nutritos naturam lætiferā imbuisse, ita vt sanguis ipsorum exitio esset animalibus, quæ ipsū degustassent. Patet igitur, totam ipsam substantiam mutari.

Quintò, comparat Aristoteles nutritionem mistioni aquæ cum vino, at vinum si ei longè maior quantitas aquæ infundatur, tandē fit aqueum, & desinit esse vinum, vt etiam fatetur Aristoteles hic tex. 42. ergo idem dicendum de viuentibus, quòd post nutritionē aliquorum annorum, tandem naturam mutent, & in nutrimentum vertantur.

De-

Denique nutritio est quædam generatio, sed quod generatur, nō est idem, ac erat ante generationem, quia per generationē acquiritur esse simpliciter, ergo neque quod nutritur, erit idem ante, & post nutritionem.

Pars affirmatiua statuitur.

SECTIO II.

Non sunt tamen supradictæ rationes tantifaciendæ, vt propter eas à communi sententia discedamus, quæ non solùm auctoritate Philosophorum, & communium etiam hominum communitur, sed etiam rationibus, & fide ipsa diuina.

Primò enim videmus, in hominibus, & animalibus etiam perfectis remanere post plurimos annos easdem cicatrices, næuos, & alias huiusmodi notas, ergo substantia ipsorum non est mutata, nam accidentia non migrant de subiecto in subiectum, cum igitur eadē accidentia appareant, dicendum est, eandem permansisse substantiam.

Secundò, senes recordātur multarum rerū, quas pueri didicerūt, ergo non sunt diuersi à seipsis pueris. Consequentia patet, quia nō potest aliquis recordari, quod alter didicerit, sed oportet, eum, qui recordatur, didicisse. Et confirmatur, quia hinc deducitur, remansisse easdem species, quòd si species, ergo & eadem substantia, in qua adhæserunt, nō igitur substātia deperditur. Confirmāt alij, qa canes post multos annos domisnos agnoscunt, sed non est valdē firmum argumētum, posset enim quis dicere, ex magna similitudine eos decipi.

Tertiò probatur, quia alioqui de medio tolleretur accretio, quod enim mutatur in aliud maius, non dicitur augeri, sicuti quando ex aqua fit aer, vtique apparet maior substantia, quàm prius, non dicitur tamen aqua recepisse augmentum, sed destructam esse, ergo etiā si viuens, dum augetur, desineret esse idem, non augeretur, sed corrumperetur, & aliud viuens maius generaretur.

Quartò, singulæ augmentationes partiales non mutant ipsum viuens, ergo neque omnes simul. Antecedens est euidens. Nam per augmentationem partialem minima fit substantiæ mutatio, quis dicat autē, ex eo quòd paululum cibi versum est in substantiā viuentis, viuens non amplius idem esse, quod erat. Consequentia probatur, quia omnes augmentationes simul sumptæ nō habent aliquem effectum diuersum ab eo, qui fit per singulas, cum igitur singulæ non mutent, neque omnes simul. Confirmatur, quia quæ sunt eadē vni tertio, sunt eadem inter se, sed viuens post primam accretionem est idem, ac erat ante, & post secundam est idem cum seipso ante ipsā secundam, & ita deinceps vsque ad vltimam, ergo etiam post vltimam erit idem, quod fuit ante primam.

Obijci tamen posset contra hāc rationem, non valere argumentū à distributiuis ad collectiuū. Nā, vt docent Theologi, euitare possumus singula peccata, non tamen omnia, & si quis pluries paruam quantitatem furetur, quamuis singula illa furta sint peccata venialia, omnia tamen simul sumpta vi-

dentur conficere vnum mortale, & alia multa similia exempla afferri possent. Respondetur, in moralibus non semper illam consequentiam à distributiuo ad collectiuũ, siue copulatũ valere ob rationes, quas hic importunum esset afferre. In physicis tamen non est neganda, præcipuè cum non agitur de pluribus causis partialibus ad eumdem effectum simul concurrentibus, sed de identitate, & diuersitate, vt patet in exemplo allato, vel de causis diuisim concurrentibus, tunc enim vel vltima causa effectum producit, sicuti quando vltima gutta cauat lapidẽ, vel si nulla seorsum ab alijs id efficere potest, neque ille effectus potest omnibus tribui. Quare in exemplis, quæ afferuntur contra hanc consequentiam, potius fit argumentum à distributiuo ad copulatiuum, quàm ad collectiuum, vt rectè aduertit Albertinus princip. 5. philosoph. quæst. 5.

Denique ex ijs, quæ Fides Catholica docet, idem colligitur. Nã certum est ex fide, eumdem Christum Dominum nostrum conceptũ in vtero Virginis, & iam virum factum à Iudæis pro mundi redemptione Cruci affixum, ergo per accretionem non mutatur viuens. Et confirmatur, quia apud Theologos pro certissimo habetur, numquam dimisisse Deum, quod semel assumpsit, ergo eã materiam, quam in incarnatione Deus sibi vniuit, eãdem in tota Christi vita retinuit, non igitur per nutritionem, seu augmentationem identitatem amisit.

Varij modi supradictam sententiam explicandi offeruntur.

SECTIO III.

Qvamuis Philosophi conueniãt in hac cõclusione, quòd idem numero sit viuens post accretionem, quod etiam ante ipsam fuerat, in modo tamen explicandi hanc identitatem, & in eius ratione non parum differunt.

Primus modus est, manere idẽ viuens, quia manet eadem forma, quamuis materia mutetur, tradit hunc modum Zabarella cap. 17. lib. de accretione consequenter ad sua dicta, existimabat enim, in accretione materiam tantùm nouã addi, formam verò semper eamdẽ manere. Et videmur huic sententiæ fauere S. Thom. 1. de genera. tex. 36. Ægid. in tex. 37. Venet. ibidem. Niphus 1. de generatione tex. 38. Pomponat. tract. de augmentatione, & Albert. summa de homine. Sed hæc sententia supra est impugnata, quare etiam ruit hoc eius corollariũ. Adde, quòd etiam esset insufficiens, quoniam ad hoc vt viuens dicatur idem, nõ solùm oportet, eamdem manere formam, sed etiam materiam, quia & ipsa est pars essentialis compositi.

Secundus modus est, viuentia omnia præter hominem manere eadem numero ratione figuræ, & per æquiualentiam, sicuti populus alicuius Ciuitatis dicitur semper idem, quamuis singuli homines sint mutati, & idẽ dicitur fluuius, quamuis aqua numquam sit eadẽ, & idem dicitur ignis, quamuis re vera flamma noua continuè veteri succedat, tribuitur hæc sen-

tentia

tentia Scoto in 4. dist. 44. q. 1. & alijs, nonnulli etiam ex Thomistis eam sequuntur, vt Soto in 2. libro sum. cap. de quantitate propositionis, & in cap. de differentia, & Bannes q. 5. & pro ea citatur S. Tho. 4. cotra gent. cap. 81. ad 4.

Verùm hæc identitas est maximè impropria, & non sufficit ad saluanda experimenta, & rationes, quæ pro identitate eius, quod augetur, supra retulimus, & quāuis ipsi dicant, in homine maiorem reperiri identitatem propter animā rationalem, quæ simul cum materia non fluit, tamen cum admittāt, materiam fluere, nec magis esse eādem, quàm aquam fluminis, sequitur, neq; hominem esse eumdem, quia ad hominis identitatem non solùm eadem forma, sed etiam eadem materia requiritur.

Tertius modus est dicentium, in viuente esse partes duplicis rationis: quędam dicuntur seminales, seu spermaticæ, & primigenię, & sunt illæ, quæ formātur ex semine, cum primùm viuens concipitur, vel oritur: aliæ dicuntur nutrimentales, siue alimentitiæ, & sunt illæ, quæ per nutrimenti conuersionem acquisitæ sunt, & longe plures quàm primigeniæ, cum viuentia ex paruo initio magnum capiant incrementum. Seminales igitur dicunt semper remanere, & ratione illarum viuens esse semper idem, nutrimentales verò cōtinua caloris actione deperdi, & restaurari. Sequitur hanc sententiam Tol. q. 9. in fine, & eamdem tribuit Auerroi. Alex. Philop. & Alberto. Sed neque hic modus est approbandus, nititur .n. fundamento falso, quòd partes spermaticæ non resoluantur, sed per totam vitam permaneant, cuius falsitas ostenditur, quia hæ partes sunt dissimiles inter se, cum aliæ sint calidę, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ siccæ, ergo inuicem agent, & consequenter corrumpētur, & fiet resolutio alicuius particulæ, non .n. aliter fit resolutio materiæ, nisi ex actione vnius partis in aliam. Præterea istæ partes spermaticæ sunt magis humidæ, & tenellę, vt patet in infātibus, ergo multò magis erunt corruptioni, & resolutioni obnoxiæ. Tertiò, istę partes ita per nutritionem augentur, vt dignosci nō possit, quænam pars fuerit primigenia, & quæ per nutritionem addita, ergo non erit maior ratio, cur vna pars potius deperdatur, quàm alia. Quartò, si istæ partes numquam resoluerentur, numquam moreretur homo, nam humidum radicale numquam deficeret, & partes vitales semper integræ, & illæsæ permanerēt, quāuis ergo deficerent partes nutrimentales, illæ priores sufficerent ad hominis, siue alterius viuentis naturam conseruandam.

Quartus modus est, manere in augmentatione idē subiectū, non quoad cōditiones indiuiduantes, quia nō manet eadē materia, neq; eadē forma saltem in multis nisi continuatione, sed quoad speciē, & essentiam, quæ est eadem in deperditis partibus, & in acquisitis, quē modū sequuntur Doct. Conimb. cap. 5. q. 12. in fine, & inquiunt, omnē effugere calumniā, nec falsò, nec .n. calumnijs, sed verissimis impugnationibus obnoxia est hæc sententia. Nā planè cōcedit, non esse viuens idem numero, sed tm̄ specie ante, & post accretionem, quod est & contra omnes Philosophos, & contra rationē, & experimenta, vt supra ostendimus.

Vera

Vera sententia explicatur.

VT hanc declaremus, determinandum est priùs, quid substantiæ deperdatur per actionem caloris, nam si verè tota substantia efflueret, dici non posset, idem individuum remanere, nisi per quādam æquiualentiam, sine continuationem, quod supra falsum esse, ostendimus; neque verò concedendum est, partes spermaticas totas permanere ob argumenta supra allata. Sed dicendū est, ex his partibus substantiam solidiorem, & ficciorem nunquā effluere, quod & argumentis, quibus probauimus idem individuum remanere, ostēditur, & alijs etiam. Nam calor nō agit nisi in contrarium, hoc autem est frigidū, & humidū, ergo partes siccæ non resoluentur ab ipso, sed semper conseruabuntur. Confirmatur, quia in omnibus alijs cōsumptionibus, siue corruptionib⁹ videmus, partes materiæ ficciores remanere. Sic ignis cōburit lignū, sed remanent cineres: sic in lucerna videmus ellychniū, postquam diu combustum est, euadere materiam quādam siccam, & adustam, quæ fungus dicitur, nec ab igne cōsumi potest, quod aliunde nō prouenit, quàm ex partibus olei ficcioribus ei adhærentibus, humidioribus ab igne consumptis. Præterea si igne ardentissimo comburatur homo, adhuc remanebunt partes quædam materiæ ficciores, veluti ossa, vel saltē cineres, multò minùs igitur poterit calor naturalis totam materiā hominis cōsumere, & hinc videmus, senes semper euadere ficciores, quia videlicet calor naturalis humidū cōsumpsit non autem siccum. Remanent igitur hæ partes toto vitæ tempore, tamquam primum, & præcipuum substantiæ viuentis fundamentum. Reliquæ vero partes, quæ per nutritionem adduntur, non tam quam aliquid diuersum adiunguntur, sed vt cum illis vnum constituant; imò vt in illarum naturam transeant, illas foueant, cōseruent, restaurent, & augeant, ac proinde non aliquid diuersum cōstituunt, sed illud idem, quod erat prius, maius facere dicuntur. His igitur duabus rationibus identitas viuentis fulcitur, & quòd scilicet partes solidiores, & ficciores semper remaneant, & quod illæ, quæ adiunguntur, sint tanquam additamentum quoddam aliarum, & in earum naturam transeant.

Rationibus dubitanti satisfit.

SECTIO IV.

EX dictis non erit difficilè, difficultates, quæ cōtra communem sententiam afferebantur, euacuare, quod breuiter nō tam necessitatis, quàm maioris claritatis gratia hic præstabimus.

Ad primū ex Aristot. autoritate deductum īndeo, non esse ipsius mentem, totā substantiam defflucre, sicuti effluit tota aqua, nō enim similitudines tam strictè oportet accipere, sed tantùm continuè substantiam secundum aliquam sui partem effluere, quod non sufficit, vt ostendimus, ad hoc vt viuens non dicatur idem.

Ad secundum respōdeo, quod quamuis continuè aliquid substantiæ deperdatur, nō tamen sēper ex primigenia detrahitur, sed plurimum ex illa eadē, quæ per nutritionem erat addita, consequenter illa

illa prior numquam tota deperditur.

Ad tertium respondeo, falsum esse, quòd maior pars materiæ primigeniæ deperdatur, sed etiam si hoc esset verum, non propter hoc viuens esset aliud, quia non tantũ debet considerari, quanta sit materia, quæ deperditur, quàm an sit præcipua, & magis ipsi indiuiduo intrinseca, quod vtique falsum est. Ad illud de plantis resp. in ipsis re vera minorem identitatem reperiri, quàm in animalibus, quia hæ sunt vnum actu, & potentia, plantæ verò sunt vnum actu, & plures potentia, vt inquit Aristoteles lib. de inuent. & senectute cap. 1. & hæc potentia reducitur ad actum per separationem, vt in argumento notatur, antequam tamen separentur, sicuti sunt vna planta, sic etiam idem indiuiduũ numero, quod erat ante augmentationem ob rationes in sententia nostra allatas, quæ hic quoque militant.

Ad quartum respondeo, mutari temperamentũ propter cibos quoad aliqua accidentia, non tamen qualia requiruntur ad indicandam diuersitatem substantialem, & indiuidualem. nam videmus, operationes esse semper valde similes, & variationem temperamenti esse intra latitudinem eiusdem speciei, immo, & indiuidui, alioqui etiam absque nutritione, quãdo quis ex calido fit frigidus, dici deberet nõ esse amplius idem.

Ad quintum resp. mistionem aquæ cum vino non in omnibus esse similem nutritioni, non enim aqua in vini substantiam conuertitur, vt diffusè infrà probabimus, quare nil mirum, si non fiat idem indiuiduum cum vino. Quòd si concedamus, conuerti, dicendum erit, semper vinum remanere idẽ, quoadusque ab aqua corrumpatur, sicuti etiam accidit in animalibus, quæ quamuis nutriantur, tandem tamen corrumpuntur, & amplius non sunt ea, quæ priùs.

Ad vltimum resp. argumentum tantùm probare id, quod verissimum est, quod generatur per nutritionem, non esse idem cum alimento, ex quo genitum est, nõ verò cum viuente, cui additur. Dices. Generans debet distingui realiter à genito, sed quod nutritur, est generans, caro autem, quæ fit per nutritionẽ, est genita, ergo non possunt coalescere in idem indiuiduum. Respondetur, in generatione totali generans esse totaliter diuersum à genito. Nutritio autem est generatio partialis, quę meritò dicitur aggeneratio, & idcirco sufficit, quòd generans distinguatur à genito partialiter, scilicet tamquam vna pars ab alia, quam distinctionẽ libenter admittimus inter substantiam per nutritionem acquisitam, & eam, quæ nutritioni præerat.

De terminis accretionis, & diminutionis tum in viuentibus, tũ in reliquis omnibus rebus naturalibus.

QVÆSTIO XXXV.

Video, nos terminos verę augmentationis excedere, hæc enim si propriè sumatur, in viuentibus tantùm reperitur, nos verò de rerum omnium terminis disputaturi sumus, quare accretionis, & diminutionis nomen largo modo sumimus, vt omnium terminos comprehendamus, quos doctrinæ

ratio postulat, vt non separemus.

Notandū aūt, hos terminos assignari posse intrinsecè, & extrinsecè. Terminus accretionis, siue magnitudinis intrinsecus appellari solet à philosophis maximū quod sic, idest quātitas maxima, sub qua aliquid esse potest, & nō sub maiori: terminus verò extrinsec⁹ dicitur minimū quod non, idest minima quantitas, sub qua non potest esse res, cū tamen possit esse sub minori, & est illa quantitas, cui proximè succedit maximū quod sic, & quāuis homo exempli causa non possit esse sub quantitate digitali, hæc tamen non dicitur minima quod nō, quia neque sub minori esse potest, & perinde est quidem parua quod non, non tamen minima, quia datur minor ea, sub qua neque potest existere viuens, quantitas autem illa maxima, sub qua non potest existere viuens, sed minori potest, dicitur minimum quod nō, quia si paululum diminuatur, iam erit quantitas congrua, & quamuis possit eadem eatenus diminui, vt amplius sub ea nequeat existere homo, attamen consideratur diminutio proximè sequens, & ratione illius dicitur minima quod non. Terminus autem paruitatis, siue decretionis intrinsecus dicitur minimum quod sic, quia sub eo potest res existere, non autem sub minori; terminus autem extrinsecus dicitur maximum quod non, quia quamuis supra maximū quod sic detur quantitas maior, sub qua nō potest existere, inter eas tamē, sub quibus ratione paruitatis res conseruari nō potest, hæc est maxima, & idcirco dicitur maximum quod non.

Nonnulla extra controuersiam posita à controuersis secernuntur.

SECTIO I.

Cum latissimè pateat huius quæstionis titulus, multa cōplectitur, quæ vel ex se patent, vel ex determinatis in alijs quæstionibus dubitatione carent, & idcirco secernenda videntur ab illis, de quibus erit hic disputandum.

Certum est igitur primò, quantitatem ex sua natura nullum terminū neque magnitudinis, neque paruitatis postulare, nō paruitatis, quia diuisibilis in infinitū, neque magnitudinis, quia nulla adest repugnantia, cur augeri non possit in infinitum.

Certum est secundò, respectu diuinæ omnipotentiæ nullum êt dari terminū neq; magnitudinis, neque paruitatis. Ratio est, quia quantitas non est de essentia rei, potest autem Deus omnia mutare, & tollere, quę nō sunt de essentia. Dices quamuis quantitas non sit de essentia, poterit tamen esse de essentia tanta substantia, nam de essentia hominis est, vt habeat corpus eterogeneum, non poterit igitur esse sub minima substantia, quæ huiusmodi partes excludat. Item Deus non potest supplere causalitatem formæ, ergo nō videtur efficere, vt forma actuet corpus quodlibet quātumuis magnū. Resp. ad primum, quamuis corpus eterogeneū sit de essentia hominis, tamen posse constitui in minori, & minori, non solùm quantitate, sed etiam substantia in infinitum, sicuti enim partes similares, ex quibus dissimilares componuntur, minui possunt vsque in infinitum, ita etiam per consequens dissimi-

militates. Ad secundum resp. posse Deum saltem replicare formam, & ita poterit informare quálibet magnam materiam.

Certũ est tertiò, de facto dari corpus maximũ positiuè, & minimũ negatiuè, immo & reliqua omnia esse quantitatis determinatę. Patet hoc dictum, quia corpus maximũ est primum cœlum, quod cætera omnia continet. Minimum etiam negatiuè dari, est æquè certum, quia non est progrediendum in infinitum in rebus paruis actu existẽtibus, ergo deueniendum erit ad aliquod, quo nõ datur minus. Dicimus autem, hoc esse minimum negatiuè, non positiuè, quia non repugnat, dari alia minima æquè parua. Tandem dicimus, omnia de facto habere determinatam quantitatem; quia repugnat, aliquid existere indeterminatum.

Certũ est quartò, nõ dari in vlla re minimum inexistens, siue in cõtinuo, ita vt exempli gratia hæc quantitas diuidatur in decẽ minima, quorum quodlibet nõ possit amplius diuidi. Nã si daretur hoc minimũ, non posset res diuidi in qualibet parte sine corruptione, sed opus esset, eam diuidere inter minima, alioqui si diuideretur, illius partes interirent.

Certum est quintò, elemẽta esse determinata extrinsecè quoad magnitudinem. Dico extrinsecè, nõ quòd habeãt terminũ extrinsecũ, sed q̃a ab extrinseco impediũtur ne amplius augeãtur. Nã cũ intra Cœli ambitũ contineantur, patet, nõ posse in infinitum augeri. Quæ igit disputanda reliquũtur, sunt.

Primò, An viuentia habeant terminum aliquẽ magnitudinis, siue intrinsecum, siue extrinsecum ex sua ipsorum natura, ita vt nõ possint esse in quantitate maiori. Secundò, an habeant terminum magnitudinis extrinsecum, siue minimum quod non. Tertiò, an determinent sibi aliquam magnitudinem, sub qua minori existere non possunt, quę erit minima quod sic. Quartò, an detur maximum quod non respectu ipsorum. Quæ omnia quæsita possunt etiam de non viuẽtibus proponi, loquimur autem de existentia permanente, nã de generatione supra dictum est.

An in viuentibus detur terminus quoad magnitudinem

SECTIO II.

Rationes dubitandi sunt. Prima, quoniam plantæ nullã videtur habere determinatam magnitudinem, vt patet in hedera, & in vite, præcipuè si per terram serpere sinantur. Secunda quoniam impossibile videtur assignare hũc terminũ, ponamus enim, esse hũc terminum respectu hominum decem cubitorum, quis dicere audeat, ne latum quidem vnguem, siue neque acus subtilissimam cuspidem amplius augeri illum hominem posse, vel si augeatur, statim interiturum? Confirmatur, quia poterit hic homo in aliqua parte per morbum intumescere, ergo vel tunc interibit, vel acquiret magnitudinem maiorem maxima, vtrumque autẽ est absurdum. Præterea dum viuentia augẽtur, acquirunt non tantùm materiam, sed etiam formam, vt supra probatum est, sicuti igitur ignis quia augetur per additionem materiæ, & formæ, potest augeri in infinitum, ita etiam poterit viuens. Quarta ratio dubitãdi, q̃a gigãtes

videntur excessisse maiorem quantitatem quàm natura sibi deposcat, ergo potest dari maius maximo. Quinta ratio, quia crocodrilus quamdiu viuit, semper crescit ergo nullum habet terminum suæ magnitudinis.

Sententia communis.

SEntentia tamen cõmunis, à qua non videtur discedendum, est, dari maximum quod sic in viuentibus, et hanc expresè docet Aristoteles Primò phys. tex.36.& secũdo de aia tex.41.&7.poli.cap.4. cuius verba refert Perer. lib.10. cap.23. à quo etiam hunc in modũ hæc sententia probatur. Augmentatio, per quam acquiritur quantitas viuentium, est determinata, tũ quia est motus naturalis, tũ quia est operatio proficiscens à virtute augmentatiua, quam sicut aliam quamlibet naturalem virtutem, oportet, determinatã esse. Verùm hæc ratio parum firma videtur, neque enim certius est, augmentationem esse determinatã, quam ipsum terminũ magnitudinis. Et confirmatur, quia si vim haberet hęc ratio, probaret quoque, in elementis dari determinatum terminum, quia de ipsis quoque dici poterit, & habere determinatam virtutem, & eorum augmentationem esse motum naturalẽ & consequenter determinatum.

Secũdò ꝓbatur ab eodẽ, & à Ruuio 1.phys.c.4.q.1.q. inquit, esse rationẽ euidẽtẽ, q̃ a omniũ instrumẽtorũ est definita magnitudo, & paruitas, non enim quantalibet secundum magnitudinem, & paruitatem aut serra, aut naui vti possumus ad secãdũ, vel ad nauigãdũ, idéque euenit in alijs instrumentis, sed corpora animata sunt instrumenta ipsius animæ, quæ idcirco definitur actus corporis organici, ergo debent habere determinatam magnitudinem, quæ ratio videtur fundamentum habere in Aristotele 7. polit. c.4. tamẽ meo iudicio neque hæc ratio perfectè concludit. Nam instrumenta tunc debent esse determinata, quando est determinatum agens, siue effectus, alioquin si hæc sint indeterminata, etiam ipsa instrumenta indeterminata erunt; nam instrumẽta debent proportionari agenti, & effectui, & ita videmus, membra culicis esse illi proportionata instrumenta, quamuis quãtitatis minimę, quæ tamen essent improportionata homini, & hac suppositione loquebatur Aristoteles, nisi igitur ponamus, animam, siue viuens esse determinatum, non poterimus supponere, instrumenta ipsius esse definita.

Alij, vt Sotus, afferũt ꝓ ratione, quia sicuti forma substantialis deposcit determinatas dispositiones in qualitatibus, ita etiam determinatam quantitatẽ. Verù m neque hæc ratio probabilitatem excedit, quia etiã forma ignis requirit dispositiones determinatas in qualitatibus, non tamen in quantitatę, vt dicemus.

Quartò, alij tandẽ, vt Ruu. loco supracitato, probant, quia virtus nutritiua, & augmentatiua animę sunt determinatæ quoad effectus suos, ergo etiam magnitudo, quę ab istis dependet, sed neque hæc ratio cõuincit, quia dici posset, esse determinatã intẽsiuè, non verò extẽsiuè: vel extẽsiuè augeri ꝑ augmẽtationẽ, sicut patet, augeri virtutem cõbustiuã ignis, quæ tamẽ est finita. Pręterea quãuis verũ sit,

in singulis indiuiduis esse determinatam virtutē, dicere tñ quis posset, in specie non esse determinatam, sed fieri posse maiorem, & maiorem vsque in infinitum, sicuti quælibet qualitas, quæ existit, est determinata, tamen ex natura sua non sibi vendicat determinatum terminum, sed potest esse intensior vsque in infinitum.

Vera ratio communis sententiæ.

VEra igitur ratio huius sententiæ oritur ex duobus capitibus. Prius est dependētia, quā habent omnes partes viuentis ab vna parte, quæ est præcipua. Nam in animalibus perfectis cor est mēbrum præcipuum, quod influit in cætera omnia membra, in plantis verò radix, & in animalibus imperfectis aliquid, quòd se tenet loco cordis. Alterum caput est determinata dispositio, quam in membris forma substantialis requirit; ex eo enim quòd cor debet in cætera membra influere, & ea calefacere, oportet, esse in debita distantia. Verùm quia posset quis dicere, cordis calorem augeri posse, & ita etiam agere in membra remotiora, additum est, requiri in corde dispositionem determinatam, nam si nimius sit calor in corde, corrumpet ipsum cor, & hinc apparet ratio, cur ignis, & cætera nō viuentia augeri possint in infinitū, quia videlicet non habent hanc dependētiam ab aliqua parte præcipua, & quia plantæ minorem hābent, idcirco etiam magis augeri possunt, & vitis si sæpius sub terra occludatur, non habebit accretionis terminū, quia palmites remotiores non amplius à prima radice dependebunt, sed ab ea, quam vitis sub terra proximè emisit, & per hæc patet responsio ad primū argumentum.

Ad secundum resp. nullum esse absurdum, hominem maximū ne hilum quidem posse crescere, alioqui si semper concedamus, aliquantulum augeri posse, nulla erit tam magna quantitas, ad quam paulatim pertingere non possit. Ad confirmationē respondet Ruuius, per tumefactionem corpora non fieri maiora, quia non acquirunt maiorem quantitatem, sed tantùm magis rarefiunt, quare nō habet pro inconuenienti, quod homo in quantitate maxima præditus sic intumesceret. Non tamen hæc responsio difficultatem euacuat. Nam idcirco homo non potest esse maior maximo, tum quia anima habet determinatam extensionem corporis, quam informare potest, tum etiam quia cor non potest influere, nisi in partes tam distantes, quæ rationes æquè locum habent in maiori extensione per rarefactionem, siue tumorem, ac in acquisitione maioris quantitatis. Præterea sicuti est determinata magnitudo, ita etiam raritas, & extensio, non enim potest homo ita extendi, vt fit, sicut mons, quāuis hoc fieri posset sine vlla quantitatis additione. Aliter igitur respond. dari hominem maximum, dupliciter intelligi posse, primò omnibus eius partibus in integra valetudine existentibus, & tunc ille tumor esset quidem possibilis, sed esset extra rem, de qua est sermo, quia non efficeret hominem maiorem maximo in eo genere, de quo loquimur, sed in alio genere, scilicet non inter homines integrè valentes, sed inter vnum bene valentem, & alterum morbo affe-

ctum. Secundò intelligi potest homo maximus, quacunque tandem ratione fieri possit maximus, non solùm per additionem substantiæ, & quantitatis, sed etiam per extensionem, & per tumorem, & tunc non posset amplius intumescere, quia supponimus, iam acquisiuisse omnē magnitudinē, nō tātùm suæ naturę consentaneā, sed ēt quacūque ratione possibilē, neque mirū, quòd intumescere nō possit, quia iā omnes eius partes extēsionē omnē, & tumorē possibilē pripuisset.

Ad tertiū resp. qd quāuis addatur in accretione materia, & forma, tñ depēdentiā semper habēt à forma priori, & ita nō possūt in infinitū augeri, q locū non habet in nō viuētibus, vt supra notauimus.

Ad quartū, vt huic argumento satisfaciant, disputant Doct. Connimb. 1. phys. q. 1. cap. 4. art. 3. ad primum, & Ruuius cap. 4. q. 1. An gigantes dici debeant monstra naturæ humanæ, affirmant autem illi, negat hic, cum quo mihi videtur sentiendum, non quidem ob eius rationem, quæ est, quia tali tempore, tali loco, & ex talium hominum cum talibus mulieribus coniunctione, homines longè maioris magnitudinis proueniebant, si enim hæc ratio sufficeret, nulla essent in mundo monstra, omnia enim oriuntur ex talium causarum naturalium coniunctione. Sed quoniā nullum erat vitiū in talibus hominibus, immo potius in fortitudine, & reliquis omnibus naturalibus dotibus reliquos homines excedebant, neque credibile est, ortos esse præter intentionē naturæ, quæ semper ad perfectius aspirat, & cæteris paribus negari non potest, magnitudinem maiorem dicere quādam maiorem perfectionem. Neque verū est, quod asserunt Connimb. fuisse illos gigantes extra naturalem constitutionem humanæ speciei, siue extra quantitatem competentem humanæ naturę ordinatè se habēti, quoniam si hoc verum esset, nō potuissent gigantes illi operationes naturales tā perfectè exercere, sicut alij homines, res enim non potest extra statum suum tam perfectè operari, quàm in recta sui cōstitutione, at verò gigantes illi perfectiùs operationes edebant, erant enim robustiores, & longioris vitæ, quàm reliqui homines. Vera tamen esset Collegij sententia de aliquo gigante, qui ob magnitudinem non perfectè suas operationes exerceret, vel pedibus non posset consistere, vt de quodam referunt Scalig. exerc. 263. & Perer. lib. 8. in Gen. Mediolani viso, qui ob immoderatam proceritatem, non poterat nisi decumbere. Sed hæc obiter dicta hactenus. Ad argumenti .n. solutionem sufficit dicere, huiusmodi gigantes non excessisse terminum maximū quoad magnitudinem, quia non agimus hic de termino naturæ congruenti, sed de termino possibili.

Ad quintum esto verum sit antecedens, de quo supra egimus, negatur consequentia, quia p mortē saltē terminatur eius accretio, & cum tempus eius vitæ non sit sine termino, neque erit accretio, quæ per totam vitam extenditur.

An iste terminus magnitudinis ab intrinseco sit assignandus, vel ab extrinseco.

SECTIO III.

Terminum ab extrinseco non intelligimus eum, qui à prohi-

habente extrinseco oritur, sicut do lium extrinsecè terminat vinum; sed illum, qui à viuente ex propria natura attingi nõ poteſt, exẽpli cauſa, poſito, quòd homo non poſſit eſſe maior decẽ cubitis, decẽ cubiti erũt terminus eius intrinſecus, vndecim verò cubiti terminus extrinſecus, quia vſque ad vndecim cubitos excluſiuè peruenire poteſt. Quod igitur hic quærimus, eſt an terminus magnitudinis viuẽtiũ debeat aſſignari intrinſecus, ita vt poſſimus dicere, hic eſt terminus vltimus, ſub quo poteſt exiſtere viuens, & ſub maiori nõ poteſt, vel debeat aſſignari extrinſecus, ita vt dicamus, ſub hac magnitudine non poteſt exiſtere viuens, poteſt tamen ſub minori proxima, quod eſt idem, ac quęrere, an detur in viuẽtibus maximũ quod ſic, vel minimũ quod non, vel vtrumque, quamuis autem videri poſſit dubium parui momenti, & nimia ſubtilitate refertum, ad acuenda tamen ingenia, & quia ab alijs iam reperimus in medium allatũ, viſũ eſt, ipſum nõ pręterire.

Prima igitur ſententia eſt Pauli Veneti 1. phyſ. cap. 5. qui negat viuentibus terminum intrinſecũ, & concedit tantùm extrinſecum. Mouetur ex quodam ſuppoſito, ꝙ viuẽtia definere nõ poſſint per vltimum ſui eſſe, tunc .n. cùm forma, quæ gignitur, incipiat etiã per primum ſui eſſe, vel duo inſtantia eſſent immediata, vel duæ oppoſitæ formæ ſimul in eadem materia, vel materia per aliquod inſtãs eſſet ſine forma. Hoc igitur ſuppoſito, qđ viuentia intereant per primũ ſui non eſſe, probat, non habere terminum intrinſecum, quia tunc definerent per vltimum ſui eſſe, non verò per primum ſui non eſſe. Probat conſequutionem, quia ſi viuens intereat per tumefactionem, erit aſſignare terminũ, in quo verum ſit dicere, nunc exiſtit viuens, & immediatè poſt non erit, nam ſi habet terminum intrinſecum, quando ad illum terminũ peruenit, verum eſt dicere, nunc exiſtit viuens; Suppoſito autem, quòd tumefactio continuetur, verum erit etiam dicere, immediatè poſt non erit, quia non poteſt eſſe in quantitate, quę ſit maior ſuo termino intrinſeco, ſed immediatè poſt terminum intrinſecum acquiſitum adueniet quãtitas maior illo termino, ergo in illa non poterit exiſtere viuens, quare habebit terminum intrinſecum ſuæ durationis, ſiue quod idem eſt, definet per vltimum ſui eſſe contra ſuppoſitum. Si verò dicamus, dari terminum extrinſecum tantùm, tunc tantùm definet, quando perueniet ad terminum extrinſecũ, immo cũ ad illũ peruenerit, iã corruptũ erit, quare nõ poterit aſſignari terminus intrinſecus ſuæ durationis, ſed tm̃ extrinſecus, ac proinde definet per primũ ſui nõ eſſe, non verò per vltimũ ſui eſſe.

Secũda ſentẽtia eſt Tol. 1. phyſ. q. 10 & Connimb 1. phyſ. c. 4. q. 1. ar. 2. q dicũt, viuẽtia quoad cõſeruationẽ in ſua cõſtitutione naturali vẽdicare ſibi terminũ internũ, nõ ſpectata aũt cõſtitutione naturali, extrinſecũ tm̃ terminũ habere. fundamẽtũ huius ſentẽtiæ eſt, quia in priori parte de cõſeruatione rei in ſua naturali cõſtitutione non habet locũ argumẽtũ Veneti, q̃a licet excedãt ſuã naturalẽ cõſtitutionẽ, nõ idcirco neceſſe ẽ, ea interire, & alioq̃ cũ habeãt virtutẽ, & pfectionẽ determinatã, vt̃ ẽt illis cõſtituẽd⁹ termin⁹ ĩtrinſec⁹ ſub

quo

quo existere possint. Posterioris verò partis fundamentum est argumentum Pauli Veneti, quia sequeretur, viuentia desinere posse per vltimum sui esse.

Tertia sententia potest esse, dari terminũ magnitudinis intrinsecũ, non verò extrinsecum. Ratio prioris partis est, quia cum debeat viuens existere in aliqua magnitudine, videtur necessariò deueniendum ad aliquam, sub qua maiori existere non possit, alioqui nullus dabitur terminus eius magnitudinis contra superius dicta. Hæc igitur erit terminus intrinsecus. Ratio posterioris est, quia vel quãtitas, quæ assignatur pro termino extrinseco, excedit quãtitatẽ, quę est terminus intrinsecus, vel non excedit, si non excedit, ergo in ea quoque esse potuit, si excedit, ergo per aliquam magnitudinem diuisibilem, auferatur igitur ab hac magnitudine medietas eius, vel adhuc excedit terminum intrinsecum, vel non, si affirmes, ergo quãtitas illa priùs designata non erat minimus terminus, sub quo existere poterat viuens, quia neque existere potest sub hoc minori, si neges, ergo minimum priùs assignatum non excedebat ratione totius illius magnitudinis maximum q̃d sic contra suppositum.

Quarta sententia est, habere viuentia terminum suæ magnitudinis tum intrinsecum, tum etiam extrinsecum, quam videntur supponere reliqui auctores, qui simpliciter dicunt, viuentia habere terminum suæ magnitudinis, nec nõ maximum quod sic, & minimum quod non; Videntur enim hæc duo mutuò se consequi. Si enim datur terminus intrinsecus, quem viuentia transilire non possunt, ergo etiam dabitur extrinsecus, ad quem peruenire non poterunt.

Quinta sententia est, dari quidem terminum intrinsecũ, & extrinsecum magnitudinis, & consequenter etiam maximũ quod sic, non tamen dari minimum quod non, & hanc existimo veram esse. Dari igitur terminum intrinsecũ, rectè probatum fuit in tertia sententia. Dari verò etiam extrinsecum, probatur, quia pugnat, dari vnum, & non alterum, si enim exẽpli causa decem cubiti sunt terminus intrinsecus hominis, ergo immediatè sequitur post decẽ cubitos, erit terminus extrinsecus. Et declarari, confirmarique poterit exemplo sphæræ actiuitatis agentium naturalium, hæc enim debet habere terminum intrinsecũ, quia datur vltimus locus, in quo repetitur eius effectus, verbi gratia lumen productum, alioqui neque ipsum lumen haberet terminũ intrinsecum, quod repugnat, & immediatè post aderit terminus extrinsecus. Potest enim designari linea, vsque ad quam perueniat actio, & vlterius non progrediatur, quòd si huic lineæ respondeãt duo corpora contigua, idem dicendum erit. Obijciet tamen quis. Partes continui copulantur vnico termino, & post illum terminum non datur prima pars sequens, ergo si ille terminus copulatiuus erit terminus intrinsecus actionis, non poterit assignari terminus extrinsecus, quia assignaretur etiã prima pars eum sequens. Respondetur, hanc obiectionem procedere ex falsa opinione de indiuisibilibus, quam supra impugnauimus, partes enim copulantur se ipsis, non medio aliquo termino communi, & post vltimum terminum vnius sequitur pri-

prima pars alterius, vt supra explicauimus. Præterea etiam si hoc concederetur, non haberet tamen locum in viuentibus, quorum termini se habent vt corpora contigua, non verò vt vnum continuū, quia cum viuens non possit excedere terminum intrinsecum, nec potest continuari cum extrinseco.

Non dari autem minimum qđ non, probatur, quia oporteret, hoc minimum tam parū excedere maximum quod sic, vt non posset minùs, at hoc dici non potest, quia cū quantitas sit diuisibilis in infinitū, & quod excedit, excedere debeat ratione quantitatis, repugnat, excedere in minima quantitate, qua non possit dari minor. Dices. Terminus extrinsecus videtur esse minimum quod non, nam sub termino extrinseco non potest esse viuens, & sub omni minori potest, ergo est minimum quod non. Præterea vel terminus extrinsecus excedit terminum intrinsecum, vel non excedit, si primum, redit argumentum contra minimum, quod non adductum, quia exceder per aliquam quātitatem diuisibilem, &c. Si non excedit, ergo non est ratio, cur non possit sub hoc existere, possit tamen sub illo. Pro responsione recolenda sunt, quæ diximus de indiuisibilibus, posse scilicet assignari primam, vel vltimā partem ab extrinseco, non verò ab intrinseco, quo supposito dico, terminum intrinsecum viuentis esse vltimam partem, vt assignabilem ab extrinseco illius summæ quantitatis, sub qua potest existere, terminum verò extrinsecum esse primam partem corporis magni, in quo existere nequit, ab extrinseco assignabilem. Hinc ad primum resp. terminum extrinsecum non esse minimum quod nō, quia hoc minimum concipitur tamquam corpus integrū, & ex vtraque parte assignabile, si enim assignetur ab vna tantùm parte, non potest dici minimum, quia non est determinatum, & ita patet, quomodo terminus extrinsecus non sit minimum quod non. Ad secundum resp. terminum extrinsecum, vt terminum, non excedere terminū intrinsecum, excedere tamen, vt partem. Cum subijcitur, si non excedit, ergo sub eo poterit esse viuens, negatur consequentia, & ratio est, quia non potest esse in eo, vt in termino, quin etiam sit in eo, vt in parte, at verò vt pars iam excedit terminū intrinsecnm, & consequenter etiam quantitatem, sub qua potest esse viuens. Vel dici etiam poterit, si concipiamus corpus in abstracto, vel velimus designare in alio continuo terminum intrinsecum, & extrinsecum, eumdem omnino esse, sed quatenus concipitur vt vltima pars quantitatis, sub qua potest esse viuens, erit terminus intrinsecus, vt verò concipitur vt prima pars quantitatis, sub qua non potest esse, erit terminus extrinsecus, prima enim pars vnius corporis cum vltima alterius, quatenus indiuisibiles sunt, possunt simul esse.

Ad argumentum primæ sententiæ resp. supponere varios modos incipiendi, & desinendi rerū, quos nos supra impugnauimus, & ostendimus, omnia incipere per primū sui esse, & per vltimum etiam sui esse desinere, quare non est contra nos: Qui tamen illos modos tueretur, posset etiam respondere, primò quidem illum casum esse impossibilem, quia ex tumore formaliter numquam sequitur mors, quòd

quòd si iam antea tam esset rarefacta, & tumida caro, vt non posset amplius sine interitu intumescere, credibile est potius, sedandum tumorem, quàm viuens interiturũ, vel desineret anima informare illã partẽ intumescentem, non verò totum corpus reliquum. Sed omnibus etiam, quæ in argumento supponuntur, admissis, dici posset, viuens interire simul cũ parte motus, & consequenter sicut motus definit per primum sui non esse, ita etiam desinere viuens. Dices, ergo etiam, sicuti non potest assignari terminus intrinsecus partiũ motus, ita neque poterit assignari terminus intrinsecus magnitudinis ipsius viuentis. Resp. posse assignari terminũ partium motus intrinsecum, quia possumus diuidere motum in plures partes aliquotas, & vnãq; determinatè assignare. Verùm neque hoc fortè concedẽt sectatores communis opinionis, & dicent, quamlibet illarum partiũ terminari extrinsecè, immeritò tamen, vt alias probauimus. Dici etiam posset, in hoc casu nullum esse incõueniens, quòd forma substantialis desinat per vltimum sui esse, quia forma adueniẽs incipiet per vltimum sui non esse, nõ enim reuera est maior ratio, cur successiuè desinere debeat hæc forma substantialis, quàm incipere illa. Sed hæc hactenus. Sufficit enim nobis, contra nostra principia non militare hoc argumentum, quibus libenter acceptum referimus, quòd ab huiusmodi tricis, & sentibus modorum incipiendi, & desinendi liberi sumus.

De terminis quoad paruitatem viuentium.

Ex his autem patet etiam, quid sit dicendum de terminis paruitatis viuẽtium, tũ extrinsecis, tũ intrinsecis, q̃a rationes eædẽ ꝓ ipsis, ac ꝓ terminis magnitudinis militant. Ratio tantùm, qua probauimus, viuentia habere terminũ suæ magnitudinis ex dependentia partium, nõ videtur habere locum in terminis quoad paruitatem. Nam verum est quidem, distantiam impedire dependentiam, quia agens non habet determinatam sphærã actiuitatis, at propinquitas videẽ potius adiuuare.

Dicendum tamen nihilominus videtur, etiam quoad paruitatem locum habere proportionaliter; quoniam inter partes viuentium debet dari actio, quæ difficillimè potest intelligi inter partes minimas, præcipuè cum debeant hæ dispositionibus determinatis prædite esse, & nõ possit minima extẽsio ꝑ intensionem compensari. fateor tamen, euidentiùs probare determinationem magnitudinis; immo in plantis, & fortè in viuentibus imperfectis, inter quorum partes non adest mutua actio, sed tantùm influxus vnius partis in aliam, immo neque hic est ita necessarius, vt sine ipso non possint partes aliquando diu conseruari, videmus enim ramos à trunco euulsos adhuc viuere, probabilissimũ censeo, non dari terminum paruitatis, saltem sub quo aliquandiu conseruari nõ possit.

De

De terminis non viuentium.

SECTIO IV.

NOn viuentium nomine intelligimus elementa, & mista, quæ sunt homogenea, eadem .n. est ratio de omnibus, sicuti à viuentibus quoque ratione partium dissimilarium differunt. Non loquimur tamen hic de forma cadaueris, quæ non est viuens, & tamen partes eterogeneas requirere videtur, quia existimamus, esse fictitiam, & quamuis ex se mortuam, argumentis etiam supra nos iugulauimus, & in nihilum, quantum in nobis fuit, redegimus. De non viuentibus igitur homogeneis.

Fuit prima sententia Flam. Nobilij t. de gen. cap. 2 q. 3. Idē in ipsis esse maximum, & minimū. Cū .n. homogenea, inquit, ad eā quātitatē peruenerint, in qua se possint conseruare, tunc habēt suum maximum, & minimum, quod habere possunt; cum aūt videtur augeri, non verè fiunt maiora, sed potius multiplicantur per additionē noui indiuidui. Quare concludit, minimā magnitudinē, sub qua potest conseruari, verbi gratia ignis, esse minimū quod sic ipsius ignis, & eādem esse maximū quod sic, sicut idem instans respectu eorum, quæ tm̄ per instans existunt, est primum, & vltimū sui esse. Probatur hæc sentētia, quoniā ille ignis, qui continet plura ex his minimis, potest diuidi in tot indiuidua, quot erant minima in igne, at hæc indiuidua non sunt genita per diuisionē, quia diuisio est apta corrumpere potius, quàm producere, ergo priùs erant in igne tot indiuidua, quot minima, nō igitur vnus ignis est maior alio, sed plura minima, idest plura indiuidua cōtinet, quare si compararentur singula indiuidua, vnum non erit maius altero, quodlibet igitur eorum maximū erit, & minimum. Confirmatur, quia ignis, & reliqua non viuentia non augentur per veram accretionē, & intrinsecè, sed per additionem extrinsecam, quod igitur additur, est indiuiduum diuersum ab eo, cui additur.

Secunda sententia est Iand. t. phys. q. 13. Ferr. 1. phys. & aliorum, in omnibus etiam non viuentibus dari maximum, & minimum absolutè, & intrinsecè, seu ex ipsorum natura. Probatur hæc sententia. Quoniam accidentia vel sequuntur formam substantialem, vel saltem ab ea determinantur, sed cunctæ res naturales habent formam determinatam, ergo etiā quantitatem; & reliqua accidentia. Secundò, intensio qualitatū saltem naturaliter est determinata, ergo etiā accretio quantitatis, non enim apparet maior ratio de vna, quàm de altera. Tertiò, datur minimum etiam in homogeneis ex 2. phys. tex. 148. ergo etiam maximum, quia si vnum contrariorum est in rerum natura, erit etiam alterum ex 2. de Cœlo tex. 18.

Tertia sententia est S. Thom. 1. p. q. 7. ar. 3. Auerr. 6. phys. com. 32. Duran. in 2. d. 18. q. 1. Doct. Connimb. lib. 1. phys. cap. 4. q. 1. ar. 4. & 7. Tol. 1. phys. q. 9. non habere non viuentia terminū vllum magnitudinis, habere tñ paruitatis. Probatur hæc sententia primò vnū quodque est propter suā operationē ex 2. de Cœlo c. 3. tex. 17. & 1. eth. c. 7. natura .n. nihil otiosū patit, atqui ad actionē necessaria est determinata quātitas, nā posset

esse tam paruus ignis, vt nullo modo possit agere, sicuti potest esse tã parua securis, vt non possit scindere, ergo vnumquodque ens requirit et quoad esse determinatã quãtitatem.

Secundò forma substantialis vt producatur, requirit certas, & determinatas dispositiones, actus enim actiuorum sunt in patiente disposito ex 2. de anima t. 24. sed inter alias dispositiones est etiã quãtitas, ergo hæc quoque esse debet certa, & determinata, ita vt si sit minor, non possit gigni, neque conseruari forma substantialis.

Tertiò idem docet experientia, quæ est philosophiæ parens, videmus enim, quòd si ignis in partes minutissimas diuidatur, illico extinguitur, quod signum est, ignem determinare sibi minimam quantitatem, sub qua minori existere non potest.

Quartò omne eterogeneum cõponit ex homogeneis, ergo si homogenea non haberent determinatam quãtitatem quoad paruitatẽ, neque habebunt eterogenea, non possũt enim hæc non diminui, si illa diminuãtur, at hoc est absurdũ, quia sequeretur, neque viuentia habere minimum, ergo.

Quintò ex Aristot. qui tex. 38. 1. phys. inquit, quòd si à minima carne aliquid esset separabile, daretur minus minimo, at caro est homogenea, ergo admittit Aristoteles minimum in homogeneis.

Quarta sententia est Scoti in 2. d. 2. q. 9. Perer. lib. 10. cap. 23. Dandini digress. 21. in 2. lib. de anima, & Ruuij 1. phys. c. 4. q. 1. Homogenea nullum habere determinatum terminum neque in continuo, neque extra, neque quoad magnitudinem, neq; quoad paruitatẽ, quę mihi quoque videtur omnium probabilissima. Continet autem tres partes, quarum prima aduersatur primæ sentẽtiæ, secunda secundã sententiam oppugnat, tertia opponitur tertiæ.

Probatur ergo prima pars cõtra primã sentẽtiã. Si minima esset determinata in ipsa quãtitate, sequeretur, homogeneũ nõ posse in qualibet parte diuidi sine corruptione, quod est absurdum. Probatur illatio, quoniã opotteret, ipsum diuidere inter minima, alioqui si diuideretur minimum, iam in partibus eius, cum essent minimo minores, non posset conseruari forma. Si dicas, illas medietates cum minimo sibi adhærente componere aliud indiuiduum, dabitur tunc in diuiduum maius maximo, & quod dicitur de hac parte minimi, dici poterit de ipso toto minimo. falsitas aũt cõsequentis experientia cõstat, patet enim, posse tabulam in qualibet parte secari.

Præterea probatur ex generatione ignis, siue alterius homogenei, quam videmus continuè fieri continuitate subiecti, ignis. n. paulatim, & continuè ligni partes depascitur, vt etiam supra probauimus, ergo non dantur huiusmodi minima, quia oporteret, etiam ignem per minima produci, alioqui esset in minori minimo.

Secunda pars contra secundam sententiam probatur firmissimis rationibus. Prima, quoniam ignis, & cætera homogenea, quò molem obtinent maiorem, eò magis operari possunt, & à contrarijs se tueri, ergo nulla magna quantitas illis repugnat, cum potius ea perficiat. Secunda, si daretur determinata quantitas ignis, sub qua maiori existere nõ pos-

posset, sequeretur, quòd maximo igni applicata stuppa, ab eo non cō bureret, qđ est ridiculum, & contra sacram scripturam, nam Prou. 30. habetur, quòd ignis numquā dicit sufficit, & idē argumentum fieri posset de aqua maxima, cui alia gutta aquę addi posset. Tertia, vna pars ignis non pendet ab altera, ergo quamuis detur maximus ignis, pars eius, quæ est versus orientem, ita poterit sibi adiūgere per generationē aliū nouū ignē, ac posset, si non esset coniuncta cū altera parte versus occidētē, quia per hanc coniunctionem neque redditur impotentior, neque aliquid ab ea recipit. Poterit ergo comburere stuppam, vel lignum, si apponatur, & cum eo igne recēter producto vniri, quod est, fieri ignem maiorem maximo. Denique ex Arist. 2. de anima tex. 41. vbi inquit *ignis augmentum in infinitum abit, quousque fuerit combustibile*, ex quo probat, esse non posse causam accretionis viuentium.

Tertia pars contra secundam, & tertiam sententiam probatur. Quoniam agens priùs agit in partes passi sibi propinquiores, quàm in remotas, sed in passo dantur propinquiores vsq; in infinitum, ergo non datur minima pars, in quam primò agat, ergò neque in quam primò inducat suam formā substantialē, quam rationem, inquit Ruuius, solā ex omnibus Scoti esse efficacem. Respond. aduersarij, agens quidem agere in partes sibi propinquiores, quoad productionem accidentium, non verò quoad introductionem formæ substantialis, quia ad hanc opus est determinata quantitate, quoad vsque igitur agens non disposuerit illā determinatā quantitatem, non poterit formā substantialem introducere. Hanc responsionē arguit Ruuius petitionis principij, sed meo iudicio immeritò, nā potest respondens, immo & debet vti suis principijs ad argumenta opposita soluenda, neque hoc vitio verti illi debet, è contra argumentans vti debet principijs ipsius respondentis, quare cum Ruuius sit argumentans, & velit, posse introduci formam ignis in quantitatem minorem minimo, ipse petitionem principij committit, non verò qui respondent, non posse introduci, quia est quantitas minimo minor. Est nihilominus improbabilis illa responsio, quia sequeretur, dari in aliqua parte materiæ omnes dispositiones alicuius formæ substantialis, verbi gratia summum calorem, summam siccitatem, & reliquas qualitates, neq; tamen adesse ignem, quamuis. n. confugiant ad quantitatē, quam dicunt deesse, tamen cogentur dicere, aliquam formam substantialem, exempli gratia aquæ, existere in materia cum omnibus dispositionibus oppositis, scilicet cū summo calore, summa siccitate, &c. quod est maximum in philosophia absurdum.

Melius posset ad illud argumētum responderi, aliud esse de minimo in generatione, aliud de minimo per se existente, & in generatione quidem non esse inconueniens, qđ non detur minimum, quia continuatur cum sequentib. partibus immediatè, at verò esse inconueniens in minimo per se existente. Verùm neque hæc responsio argumēti vim tollit, quia si non datur minimū in generatione, ergo signum est, formam ex natura sua non determinare sibi cer-

tam quantitatem, cum possit esse sub minori vsque in infinitum, si ergo minus minimo dari non potest separatum, hoc non prouenit ex natura ipsius formæ, sed ab ambiente contrario, quod illam corrumpat, hoc enim modo dari minimum, concedunt quartæ sententiæ sectatores.

Secundò probatur etiam à Scoto. Si daretur minimus ignis in vacuo, & diuideretur ab Angelo in duas partes, vel istæ conseruarentur, & daretur ignis minor minimo, vel in nihilum redigeretur, quod est absurdum. Sicuti enim solius Dei est creare, ita etiam in nihilum redigere. Ad hoc argumentum multas referunt responsiones Connimbricenses ad quartum, & mihi etiam non videtur habere maximam vim, quia admisso inconuenienti, quòd detur in vacuo hoc minimum, non mirum, si alia exinde sequantur.

Tertiò probatur à Perrerio, quia hæc paruitas non potest determinari à materia, quia cum hæc sit incorruptibilis, pendiuisionem nihil mali patietur, neque à quantitate, quia hæc est diuisibilis in infinitum, neque verò à forma substantiali, quia cum hæc sit immediatè in materia prima comes quantitatis, & primarum qualitatum, induit in hoc conditionem materiæ, & quantitatis. Quod confirmatur, quia qualitates non habent terminum paruitatis, neque quoad extensionem, neque quoad intensionem, quæ ratio probabilis quidem est, vergere tamen aduersarios non videtur, quoniam formam non determinare sibi quantitatem, ex eo quòd est comes materiæ, videtur infirma probatio.

Quartò magis efficaciter probatur ex ratione corporis homogenei. Nam homogenea sunt ea, quorum quælibet pars & essentiam, & denominationem totius æquè, ac totum ipsum possidet. Nam quælibet pars aquæ est aqua, & quælibet pars ignis est ignis. Sumamus ergo minimum ignis, quæro, an eius partes sint ignis, si negas, ergo ignis non est homogeneus, si affirmas, ergo in qualibet parte ipsius conseruatur tota forma, & effectus ignis, ergo forma ignis non determinat sibi certam quantitatem, sed esse potest in minori, & in minori vsque in infinitum. Et confirmatur, quia quamuis tota anima rationalis sit in digito, non tamen digitus dicitur homo, quia homo requirit plures partes, ergo si etiam ignis requireret determinatam magnitudinem, non posset in minori appellari ignis.

Dices, hoc argumento probari, ignem existentem non habere determinatam paruitatem, non verò ignem per se separatum. Respondetur, probari omnino, quoniam concluditur ex parte formæ, ignem non requirere terminum, ergo quantum est ex se, etiamsi sit separata illa particula minima, minor constabit verè forma ignis, & ignis erit. Quòd igitur illa particula non possit separata existere, ab extrinseco prouenire poterit, non verò ab ipsa formæ na-

natura, quod tantùm hic nos volumus. Et confirmatur, quia sicut digitus extra hominem non est homo, ita nec in ipso homine.

Neque est contemnendum argumentum, non dari terminum paruitatis, quia non datur magnitudinis, non enim est credibile, si forma illa requirit certam, & determinatam quantitatem quoad paruitatem, quòd non etiam requirat quoad magnitudinem, quia determinationi non minùs hæc indeterminatio, quàm illa repugnat, ergo vel est dicendum, omnino requirere determinatam, vel nullo modo, & si ei non repugnat, recipere additionem vsque in infinitum, neque repugnat, pati detractionem sine vllo termino, & si non compositio, neque diuisio. Denique idem videtur sentire Aristot.lib.de sensu, & sensili c. 3. vbi habet, homogenea non diuidi ad minimum.

Argumentis aliarum opinionum satisfit,

SECTIO V.

AD argumentum primæ sententiæ respondeo, ignem posse diuidi in plures alios ignes, sicuti etiam quantitas in partes in infinitum, neque isti ignes producuntur per diuisionem, sed tantùm separantur, ex quo fit, vt qui priùs erant partes, postea sint integra tota, non tamen aliquid formæ habent, quod priùs non haberent, & sic diuisio non eas generat, sed est tantùm conditio, vt sint diuersa indiuidua, alioquin oporteret ponere in quolibet igne infinita indiuidua, cum in infinita diuidi possit. Ad confirmationem respondeo, ignem, & cætera non viuentia augeri quidem extrinsecè, quod tamen additur, in consortium vnius, & eiusdē indiuidui recipitur, ex eo quòd vnitur cū præexistenti igne.

Ad primum pro secunda sententia respondeo, minorem distinguendam esse. Nam non viuentia habere formam determinatam, intelligi potest dupliciter, vel quoad essentiam, & concedimus, vel quoad extensionem, & negamus, Nam possunt extendi, & dilatari per quamlibet quantitatem materiæ.

Ad secundum negamus paritatem inter quantitatem, & qualitatem. Nam qualitas sequitur essentiam, & idcirco sicuti essentia est determinata, ita etiam qualitas, quantitas verò cōmēsuratur extēsioni ipsius formæ, quam diximus esse indeterminatā.

Ad tertiū resp. Tol.esse disparē

ratio:

rationem quoad magnitudinem, & quoad paruitatē, quia illa est ab extrinseco, hæc autem ab intrinseco, eò quòd omnis forma secundum se quantitatem petit, in qua operari possit. Verùm non euacuatur argumenti vis, sicuti enim accretio, ita etiā diminutio est in non viuentibus ab extrinseco, & non solùm paruitas, sed etiam magnitudo aliquando impedire potest operationes. Dicendum igit, neque minimam, neque maximā magnitudinem esse concedendā.

Ad primum pro tertia sententia respondet Ruuius, determinari nō viuentia ab extrinseco, ne tam parua sint, vt non possint suas operationes exercere. Patitur tamen hæc respōsio plures difficultates. Prima est, quia non apparet, quomodo possint ita non viuentia determinari ab extrinseco, corrumpuntur quidem ab extrinseco, si sint valde minima, sed determinari, nō video, à quo possint. Præterea si concedit, aliquam determinatam quantitatem requiri ad operationes exercendas, ergo signum est, etiam requiri ad essentiā, quia essentia cognoscitur per operationes, si ergo in hac parua quantitate non potest forma operari, signū est, neque esse posse.

Dicendum igitur, nullam esse tam paruam quantitatem, in qua non possit nōn viuens operari, si non adsit resistentia, nullus. n. erit tam paruus ignis, qui non calefaciat, dummodo non superetur ab ambiente frigore. Dices, ergo in actione vniformiter difformi dabitur processus in infinitū, quia nunquam deueniemus ad calorē, qui non possit producere alium calorem minorem. Si dicas, hoc non sequi propter resistentiam contrarij, accipiamus lumen, quod etiam vniformiter difformiter multiplicatur. Si nullum, ergo dabitur luminosum, quod producere lumen non possit, si aliquod, ergo multiplicabitur lumen vsque in infinitum. Respondetur, in actione difformi vniformiter non dari progressum in infinitum, nō quòd deueniatur ad aliquod minimum quantitatis, sed quia deuenitur ad tam remissum gradum qualitatis, qui nō potest vlterius agere. Quòd si concedamus, etiam aliquā quantitatem dari, in qua non possit forma operari, possumus respondere, hoc non esse inconueniens, quia sub illa quantitate quamuis sit forma in statu possibili, non tamen est in statu cōgruenti suæ naturæ. Et ad argumentum, quòd ex operatione dignosciur forma. Resp. ex operatione cognosci formam in specie, non autem semper in indiuiduo; sufficit igitur, vt forma ignis dignoscatur ex operatione in aliquo indiuiduo, non verò requiritur in omnibus. Si obijcias, ergo frustra erit in illa quantitate. Resp. non esse frustra, quia simul cū alio simili indiuiduo poterit agere. Ad argumentum, si non potest adesse operatio, ergo nec essentia, neganda est consequentia, quia esse, & operari est aliquid amplius, quàm esse tantùm.

Ad secundū negandum est in vniuersum, requiri determinatam quantitatē ad materiā disponendam pro qualibet forma, & ratio, cur requiratur determinata qualitas, nō aūt quantitas, est quia quātitas se tenet ex parte materię, qualitas verò ex parte formæ, quantitas est dispositio vniuersalis ad omnes formas, qualitas verò est particularis pro determinatis formis.

mis. Dices, ergo neque in viuentibus requireretur determinata quantitas. Respondetur, neque in viuentibus requiri tamquam dispositionem per se necessariam, sed tamquam cōditionem, ne impediatur dependētia, & operatio.

Ad tertium respondeo, ignem diuisum in plures partes minutas extingui ab ambientis actione, nō verò quia nō possit eius forma sub illa minima quantitate conseruari, nam & è contra videmus, lapides, & metalla in minutissimas partes diuidi, neq; tamen idcirco corrumpi.

Ad quartum resp. ob hoc argumentum nos supra valde probabile existimasse, neque in viuentibus esse determinatum terminum paruitatis, dicimus tamen, non esse omnino eamdem rationem in hoc de non viuentibus, & de viuentibus, quia hæc habent partes etero geneas, quæ mutuò debent agere, & contemperari, & insuper determinant sibi peculiares dispositiones, quare non mirum, si in his potius terminum paruitatis admittimus, quàm in illis.

Ad quintum resp. ibi loqui Aristotelem de viuētibus, & fortè secundum statum suæ naturæ congruentem, non possibilem, & secūdum ordinem vniuersi, secundum quem datur determinatus terminus paruitatis, sub quo minori existere non possunt, vel quia nō possunt amplius ab agente naturali diuidi, vel quia ab ambiēte corrumperentur. Et quamuis afferat exēplum carnis, quæ est homogenea, loquitur tamen de ea, tamquā de parte animalis, & idcirco ait, quòd habet terminum paruitatis, quia & ipsum animal habet.

An in Rarefactione acquiratur noua quantitas.

QVÆSTIO XXXVI.

CVm augmentatione magnam habet affinitatem rarefactio, neque sine ipsa perfectè intelligi potest, consequens est igitur, vt de ea agamus, nam etiā per se res est digna scitu, neq; vllum potest habere locum magis propriū, quàm in his libris, vbi de mutatione ad formam agitur. Ante omnia autem videndum est, quid sit raritas, & densitas, quæ sunt termini rarefactionis, & condensationis.

Quid sit Raritas, & Densitas.

SECTIO I.

REperiri raritatem, & densitatem saltem largo modo acceptas, experientia docet. Spongia enim, & pumex rariores sunt, quàm metalla, & lapides. Consistit autem hæc raritas in distantia, & quadam discontinuitate partiū inter se, quare si manu comprimatur spongia, non amplius est rara, vt priùs. Densitas verò posita erit in continuitate partium. Dubiū est autem, an præter hanc reperiatur alia raritas, ita vt posito, quòd nulla detur partium discontinuitas, an dici possit vnum corpus alio rarius. fuit enim opinio quorumdàm veterum Philosophorum, vt refert Aristoteles 4. phys. cap. 9. nullam aliam reperiri raritatem præter eam, quam modo explicauimus. Et verè difficile est explicare, quomodo vnum corpus esse possit modò rarius, modò densius, nisi per raritatem admittatur aliquid

quid vacui, (siue alio corpore sit plenum, siue non) in ipso, vt infra videbimus.

Dicendum tamen cum sententia philosophorũ communi aliam raritatem propriè dictã reperiri, quæ non in partium distantia, siue discontinuitate posita est, sed in quadam tenuitate substantiæ, & maiori constipatione partium.

Probatur autem multis experimentis. Primum est, quando quis mouetur per aerem, aër cedit, vel ergo condensatur, vel propellit alium aerẽ, vel implet locũ aliquẽ, qui prius fuerat vacuus, secundũ & tertium dici non possunt, ergo primũ, erit igitur aer modò rarior, & modò dẽsior. Probatur minor, quia si aer, qui cedit, propellit aliũ aerem, ergo & iste aer propulsus alium, & ita in infinitũ, quare dũ quis mouetur, totam aeris regionẽ propelleret. Adde, quòd aliquãdo post aerem, qui cedit, adest paries, vel aliud simile corpus obsistens; Non sufficit igitur hæc propulsio ad motum localem. Quòd neque repleatur vacuum patet, quia hoc non datur in rerum natura, vt suppono ex 4. phys. & ex omniũ philosophorum consensu.

Secundum experimentũ est de puluere sulphureo, qui in tormentis bellicis adhibetur, vnde enim oritur, quòd ille puluis accensus tanto cum impetu pilam æneam obtrudat, nisi quia per ignem rarefit, rarefactus indiget maiori loco, quã sit ille cubus ęneus? vt hũc igitur inueniat, ab eo, qua videmus vehementia, egreditur.

Tertium experimentum ex cucurbitulis vitreis desumi potest, in quibus videmus, carnem, cui illæ appositæ sunt, intumescere, & humores ad illam partem trahi, cuius rei nulla alia potest assignari ratio, præterquàm quòd ignis est substantiæ rarioris, quã sit aer, quando autem ignis in cucurbitula inclusus, in aerem vertitur, minorem locũ occupat, ac priùs, & quia non potest alius aer ingredi ad vacuum implendum, caro ipsa eleuatur, & exhalationes ab ea extrahũtur, ne vacuo locus relinquatur.

Quartum experimentum, dum aqua in olla apponitur igni, & ab eò calefit, ebullit & extra ipsum vas egreditur, maiorem ergo locum occupat, ac priùs, nulla tamen est ei addita aqua, neque aliud corpus in cacabo positum fuit, ergo dicendum est, maiorem occupare locum, quia per calefactionẽ reddita est rarior, sicut cõtrarium cernimus in aqua congelata, quæ minorem locum, ac priùs occupat.

Quintum experimentũ. Castaneæ si integræ igni apponantur, crepitant, & exiliunt, si verò cortex earum scindatur, nil tale sequitur, cuius rei non alia est ratio, nisi quia earum substantia, siue aer in ipsa inclusus per calorẽ attenuatur, & rarefit, quare indiget maiori loco, si igitur cortex laxetur, quiescit, si verò resistit, cũ impetu ipsum impellit, quare & crepitat, & exilit.


Sextum experimentũ est terræmotus, concutitur enim terra ab aere in visceribus eius incluso. Dices si potuit aer ingredi, cur etiam nõ poterit ibi permanere, vel egredi absque terræ concussione? Respondetur, illum aerem ibi genitum fuisse ab exhalationibus, cum quę ampliorem locum requirat, quàm corpus illud, ex quo genitum est, hinc efficitur, vt terram concutiat, & tandẽ alicubi apetiat vt possit exire, & locum maiorem


reperire

reperire.

Septimum experimentum ex Io. Bapt. Porta lib. 1. de transmut. aeris. cap. 16. quod etiam ferè verbis ijsdem referam. Assumatur vitreum receptaculū tumidi aluei, sed angustioris colli, & mergatur os eius in vas patuli oris aqua plenum, si ignis deinde ei apponatur, tunc aer calore extenuatus, & rarefactus, in ampliorem nitetur locum, & è superioris vasis ore erūpens, per os aqua mersum elabetur, ex quo fit, vt aqua tumultuosè in bullas intumescat, ac quodammodo ferueat, quemadmodum eueniret, si caua arundine sub aquis mersa insufflaremus, si autē postea ignem amoueamus, aer frigescens simul etiam condensabitur, quare ne detur vacuum, aqua ascendet, & non modicam eius partem occupabit.

Octauum experimentum, quod & ego feci. Accipiatur cannula vitrea crassior, ex superiori parte perforata, per quod foramen cannula alia subtilior transeat, sed reliquum foraminis cera perfectissimè occludatur, & in parte inferiori cannulę maioris adsit aqua, quā pertingat quoque cannula subtilior, tunc si quis manu calida complectatur cannulam crassiorem, videbit, per aliam minorem aquam paulatim ascendere, quod clariùs cernet, si aqua sit aliquo colore infecta, cuius rei causa alia nō est, nisi quia calore manus aer illius cannulæ rarefit, & locum maiorem occupat; aqua igitur, vt illi locum cedat, per cannulam subtiliorem ascendit; supponimus. n. nec aliam viam aquæ patere, & cannulam illam apertam esse ex parte superiori, vt aquæ ascendenti cedere possit aer: quo instrumēto facillimè comparantur, & discernūtur diuersi calores inter se, vel hominum, vel febrium, vel dierum. Nam nemine quoque ipsam cannulam complectente, iuxta proportionem caloris aeris, aqua cannulæ subtilioris, vel magis, vel minùs ascendit. Iconem ipsius apposuimus, vt faciliùs intelligi possit.





A Cannula subtilis desinens in inferiori pila.

B Pila ex superiori parte perforata per quam transit subtilior Canula.

C Cera Hispanica claudens os pilæ.

D Canula crassior, quæ vna cum pila superiori debet fieri.

E Pila inferior continens aquam colore infectam, vt per subtiliorem canulam possit facilius cerni.

F Principium basis, super quam facilè seruatur.

Laborans febre amplecti debet pilam superiorem, vt aqua ascendere possit.

His

His igitur,& alijs experimentis cõuincitur, dari in corporibus raritatem propriè dictam, ab ea diuersam, quæ oritur ex partium distantia,& discontinuitate. De hac igitur raritate propriè dicta quærimus, quid sit.

Prima sententia est Bonamici. lib.7. de motu cap.41. qui inquit, raritatem, & densitatem esse formaliter relationes, fundamentum est, quia rarum dicitur illud, quod in parua materia magnam habet amplitudinem. Contra verò densum, quod cum multam materiã contineat, in paruam amplitudinẽ extenditur, at magnum, & paruum, multum, & paucum sunt ad aliud, ergo etiam densitas, & raritas.

Secunda sententia est communis, raritatem,& densitatem esse qualitates. Tradunt inter alios hãc sententiam Burlæus 4. phys. text. 84. Doct. Connimb. in hoc 1. cap. 5. q. 17. Zabarella lib. de accretione, Tol. 4. phys. q. 12. & alij apud Collegium. Probatur ex Aristotele 3. phys. tex. 11. & 2. de partib. cap. 1. vbi raritatem,& densitatem inter qualitates tangibiles numerat. Præterea datur motus ad raritatem, ergo vel est quantitas, vel locus, vel qualitas, quia ad hęc tantùm tria prædicamenta datur motus, sed nõ est quantitas, quia ipsamet quantitas rarefit, & condensatur, neque locus, quia hic est extra corpus; raritas autem est in ipso corpore, ergo est qualitas. Præterea qualitas est, qua quales dicimur, sed per raritatem, aut densitatem quales nominamur, quærenti enim, qualis sit aqua, respondere possumus, esse densam magis, quàm aerem, igitur.

Tertia sententia est aliorum dicentium, raritatem formaliter, & in recto dicere magnam quantitatem, connotatiuè verò, & in obliquo paucam, seu paruam materiam; contra verò densitatem paucam quantitatem cum multa, seu magna materia. Probatur ex Aristotele 4. phys. text. 84. vbi confutata opinione antiquorum de dẽsitate,& raritate, docet, rarefactionem, idest motum ad raritatem, esse motum ex paruitate in magnitudinem; condensationem verò esse motũ ex magnitudine in paruitatem. Præterea si sub eadem quantitate modò adsit multa substantia, modò pauca, dicetur illa res modò densa, modò rara, ergo raritas, & densitas nil aliud sunt, quàm quantitas, connotando multitudinem, siue paruitatẽ materiæ.

Quarta sententia, & verior est Capreol. in 2. distinct. 19. q. 1. artic. 3. raritatem, & densitatem esse modos quãtitati superadditos, atque hac ratione ad quantitatem spectare, dici tamen etiam posse qualitates, quatenus sunt modi qualificantes, & afficientes quantitatem, determinando illam ad talem, vel talem extensionem. Et explicari hoc potest exemplo figuræ, quæ etiam est modus quidam quantitatis, nam ipsam terminat, & ponitur nihilominus in quarta specie qualitatis, quæ sententia nõ aduersatur communi, sed eam magis explicat. Hæc sententia ex dicendis magis probabitur, & simul reliquæ confutabuntur, præcipuè tertia; hic prima tantùm est reijcienda.

Non igitur esse relationem raritatem, facilè probatur, quoniã ad relationem non datur motus, neq; relatio fieri potest per se, sed ex fundamẽto posito cõsurgit, atqui

ad raritatẽ datur motus, qui dicitur rarefactio, & per se fit, non verò ex aliquo alio fundamento cõsurgit, ergo non est relatio.

Ad fundamentũ huius sententiæ respõdeo, non rectè definiri raritatem per magnã quantitatem cũ pauca materia, quia sequeretur, quantitatem acquiri per rarefactionem, quod est falsum, vt videbimus, & quamuis citetur Aristot. 4. phys. tex. 44. reuera tamen id ibi non asserit Aristot. sed tantùm, eãdem esse materiam pauci, & magni, idest rari, & densi. Nam si illud daremus, negari non posset, raritatem esse relationem, quãuis.n. dici posset cum tertia sententia, esse magnitudinem cũ connotatione paucę materiæ, tamen formaliter raritas consisteret in illa cõnotatione, quę est relatio, si.n. adueniat magna materia, quãtitate immobili permanente, non amplius adesset raritas, ex mutatione igitur termini mutaretur raritas, quod est proprium relationis, quia tamẽ communiter acceptũ videtur hoc dictum, quòd raritas sit magna quantitas, cum pauca substantia, siue materia, ita explicandũ est, vt pro quãtitate intelligatur extẽsio, pro substantia verò, siue materia subiectũ extensionis, tunc.n. non sequitur, raritatem esse relationẽ, quia extensio est modus quidam sui subiecti, quo ipsum subiectum est magis, vel minùs in se extensum, non verò ad aliud, ordo verò ad subiectum constituit quidẽ relationem transcendentalem, non autem prædicamentalem, de qua est hic sermo; & quamuis videatur etiam dicere ordinem ad locum, reuera tamen hic ordo sequitur extensionem, siuè rarefactionem, nõ verò ẽst formaliter ipsa raritas.

Prima Sententia, per Rarefactionem nouam quantitatem acquiri, affirmans.

SECTIO II.

Dupliciter intelligi potest, nouam quantitatẽ per rarefactionem acquiri, vel ita vt deperdatur tota præcedens quantitas, & alia de nouo producatur, vel vt retẽta veteri quantitate, noua pars ei addatur. Priorem modum sequuti sunt Gottif. quod. 2. q. 3. Marsil. in 4. quæst. 9. art. 2. & Pompon. lib. 2. de accretione cap. 13. Posteriorem verò Caietanus in 3. p. quęst. 77. artic. 5. Bassolis in 4. dist. 12. quæst. 3. artic. 2. tribuitur etiam Scoto in 4. d. 12. quæst. 4. sed immeritò, nam ad secundam rationẽ asserit, sententiam oppositam probabiliorem esse.

Potissimum argumentum huius sententiæ est, quoniam in rarefactione acquiritur proculdubio noua extensio, at extensio est ratio formalis quantitatis, vel eius passio, ergo etiam quantitas acquiritur.

Præterea intensio qualitatis non fit sine additione ipsiusmet qualitatis, ergo etiam extensio quantitatis, nulla enim apparet ratio diuersitatis.

Tertiò. Acquiritur per rarefactionem noua superficies, ergo etiã noua quantitas, consequentia patet, quoniam superficies est quantitatis species; antecedens quoq; est clarum, nam corpus, quod ante rarefactionem habebat superficiẽ palmarem, postea habebit bipalmarẽ, ergo superficies est addita. Augetur etiam difficultas de punctis. Nam hæc non possunt vllo pacto extendi, vel rarefieri, sunt autem plura

pluta puncta in superficie bipalmari extensa, quàm erant antea in palmari densa, ergo noua puncta sunt genita, consequenter noua quantitas, quia ad punctum per se non datur motus: Probatur, esse plura puncta in superficie bipalmari, quàm in palmari, quia si hæc superficies fuisset coextensa tabulæ, habuisset puncta punctis tabulæ respondentia, quando ergo erat palmaris, habebat puncta respondentia tabulæ palmari, quando verò facta est bipalmaris, habet puncta respondentia non solùm punctis illius palmaris tabulæ, sicuti priùs, sed etiam toti tabulæ bipalmari, ergo plura, quàm antea, & consequenter etiam maior quantitas, sine qua nō sunt puncta.

Quartò. Si noua quantitas non acquiritur in rarefactione, ergo saltem intenditur, quia negari nō potest, diuersimode eam se habere, ac priùs, vel ergo ipsa quantitas augmentum recipit, vel reddita fuit intensior, alioqui non se haberet diuersimode, ac priùs, neque diuersū effectū formalē tribueret.

Quintò. Si noua quantitas non acquiritur, ergo vel datur vacuū, vel penetratio corporum, hęc non sunt dicenda, ergo illud. Probatur maior. Dum fit rarefactio, partes quantitatis, quæ erant coniunctę, vel distare incipiunt, vel non, si affirmes, ergo dabitur vacuum, si neges, ergo non poterit quantitas esse magis extensa, quā erat antea, nisi ponamus, priùs vnā partē fuisse intra aliam, & per rarefactionē factā esse extra, quod esset, ipsas se ante rarefactionem penetrasse. Confirmatur, quia corpus se extendere, vel rarefieri, est, vnam partem elongari ab alia, nam ante extensionē inter primā, & vltimā partē erāt exēpli causa tres cubiti, post verò erunt quatuor, hæc autē elongatio non potest fieri inter partes remotas, nisi etiā fiat inter propinquas, si.n. secūda pars est ęquè propinqua primę, ac erat antea, & tertia secūdæ & tertiæ quartę, adhuc quarta erit æquè propinqua primæ, vt ergo fiat maior distantia inter partes remotas, oportet etiā, fieri inter propinquas, at si propinquę inceperint inuicem distare, vel daretur vacuum inter ipsas, vel aliquid aliud, quod priùs non erat; at vacuum dari non potest, ergo dicēdū, aliquid de nouo in medio fieri, hoc autem non poterit aliud esse, quàm quantitas, acquiritur ergo in rarefactione quantitas.

Sextò. Corpus est in loco ratione quantitatis, sed corpus rarius est in maiori loco, ergo etiam habet maiorem quantitatem.

Septimò. Sensibus ipsis videtur hoc euidens, quis enim neget, quātitatem bipedalem esse maiorem quantitate pedali? at per rarefactionē quātitas ex pedali redditur bipedalis, ergo facta est maior.

Quantitatem non acquiri in Rarefactione, verior sententia fert.

SECTIO III.

Communis est hæc sententia, præcipuè inter recētiores, eā amplectuntur S. Thom. in p. d. 13. q. 2. ar. 1. & p. 1. q. 77. ar. 2. Soncinas 8. metaph. q 17. & 27. Sotus in prędicam. de quātitate. Fōse. 1. metaph. c. 13. q. 1. sect. 4. ad tertiū Doctores Connimb. in hoc 1. c. 5. q. 27. & alij, quæ proculdubio vera est, quāuis ingentibus ipsa quoque prematur difficultatibus, vt in responsione ad argumēta patebit.

Funda-

Fundamentum pręcipuũ huius sententię est, quia quãtitas est passio materiæ, & illi coæua, non potest igitur acquiriri, vel omitti sine acquisitione, vel deperditione materiæ, at in rarefactione nulla acquiritur, siue deperditur materia, ergo neq; quantitas, quate etiã Tolet. fatetur secundũ eos, qui existimant, quantitatẽ esse coęuã materię, dicendũ, quantitatẽ in rarefactione nõ acquiri, quãuis autẽ ibi ipse velit (ibi inquã, nam in hoc libro, vt vidimus, sentẽtiã mutauit) quantitatem in composito inesse, idem etiam sequitur. Nam si inhęret composito, & est illius passio, ergo cum in rarefactione non mutetur substantia composita, neque ipsa quantitas mutari debebit.

Præterea si in cõdensatione deperditur aliqua quantitas (eadem .n. est ratio de acquisitione per rarefactionẽ, & de deperditione per condensationẽ) materia, in qua erat illa quãtitas, vel remanebit sine quantitate, vel alia noua quãtitate informabitur, vel quantitas, quæ erat in alia parte materię, transibit ad hanc etiam informãdam, quæ omnia sunt absurda. Primũ, quia si materia esset sine quantitate, ergo etiã sine reliquis accidentibus, & sine forma substantiali, quod dici non potest: Secundum, quia frustra corrupta esset præcedens quãtitas, si alia de nouo fuisset producenda. Tertiũ, quia accidẽs transmigraret de subiecto in subiectum, & duo subiecta eiusdem rationis afficeret.

Tertiò. Si in rarefactione noua quãtitas producitur, in quonã subiecto recipietur, vel in nõ habẽte quantitatẽ, vel in habẽte, si in habẽte, ergo dabitur penetratio corporũ, si in non habẽte, ergo vel ante rarefactionẽ dabitur substantia sine quãtitate, vel hoc subiectũ factũ est de nouo, vel vererẽ quãtitatẽ reliquit, vt nouã reciperet, q̃ omnia patet esse nõ parũ absurda.

Quartò. Si per rarefactionẽ producitur noua quantitas, vel simul cũ ea producuntur alia accidentia, vt color, sapor &c. vel non producuntur, si producuntur erit assignãdũ agẽs, quod ea producat, nã sępe rarefaciens non potest illas qualitates pducere, neq; alteri accepta referri possunt. si nõ producũtur, quomodo ergo tota illa quantitas illis accidentibus videtur affecta?

Quintò. In rarefactione nõ solũ coextendit̃ quãtitas maiori spatio, sed ẽt materia, et forma, at neq; materię neq; formę fit noua substãtialis additio. Nã Arist. 4. phys. tex. 84 apertè ait, eamdẽ esse materiã ante, & post rarefactionẽ, ergo idem dicendũ erit de quãtitate. Confirmatur, quia ꝙ fit rarius, à nemine censetur fieri maius, alioqui rem rariorem, vt ceram, vel oleum, liceret pluris vẽdere, quàm eamdẽ densam, quod est falsum.

Sextò. In rarefactione quęlibet pars subiecti rarefit, vel ergo ex qualibet particula educitur quãtitas, vel ex aliquibus tantùm; si ex qualibet, ergo vel erũt duę quãtitates ĩ materia, vel prior deperditur, & noua acquiritur, ꝙ, vt probabimus, est magnũ incõueniẽs, si de aliquibus tantũ; Cõtra, nõ est maior ratio de vna, quã de altera, & si aliquæ potuerũt rarefieri sine acq̃sitione quãtitatis, ergo ẽt reliquę.

Septimò. Accidens absolutum nũquã desinit esse, nisi à contrario corrumpatur, vel subiectum eius, aut causa conseruans intereat; sed quantitas contrario caret, neque indiget causa conseruante, quia absen-

absente causa ipsius efficiente, adhuc existit, neque subiectum corrumpitur in rarefactione, vel condensatione, ergo neque corrumpitur, neque generatur.

Quod etiā non deperdatur tota quantitas, peculiaribus potest argumētis concludi, primò.n. sequeretur, corrumpi etiā reliqua accidentia, quæ omnia media quantitate in materia fundantur, at post rarefactionē videmus, remanere eadē accidentia, quæ erāt priùs, ergo non sunt corrupta. Si dicas, de nouo genita esse, quærendū est, à quonam agente, & qua virtute; præcipuè cū aliquādo sint accidentia contraria ipsi rarefacienti, vt humiditas in aqua calori ignis, & siccitati.

Præterea frustra corrumperetur præcedens quantitas, cum alia quā titas similis sit producēda, sicut supra dicebamus de qualitate in alteratione. Omitto rationē deductā, ex eo quòd quantitas corrumperetur successiuè, quam non puto robur habere, quia sicut per motum localē semper successiuè mutatur locus, ita successiuè potest acquiri diuersa quantitas. Sicut & alias similes ab alijs recentioribus allatas rationes prætereo.

Denique est aperta sentētia Aristotelis nam 4. phys. tex. 84. de hac re agens concludit his verbis. *Quare, & magnitudo, & paruitas sensibilis molis non insuper accipiente aliquid materia extenditur.* en clarissimè inquit, fieri extensionem, nihil recipiente materia, ergo non recipit nouam quantitatem.

Fundamenta Prioris sententiæ euertuntur.

SECTIO IIII.

AD primum respondent Conimbr. acquiri quidē in rarefactione maiorem extensionem, & extensionem maiorem esse maiorē quantitatem, per rarefactionē igitur factam esse maiorem quantitatem, non tamen per additionē nouæ quantitatis, sed nouę cuiusdam perfectionis, quæ est eadem quantitas sub nouo modo. Verùm hæc responsio videtur esse inintelligibilis, nam si fatentur, acquiri nouam extensionem, & hāc nil aliud esse, quàm quantitatem, vtique negari non potest, acquiri etiam nouam quantitatem. Præterea non possunt explicare, quid sit illa noua perfectio, quā dicunt addi quātitati, nisi noua extensio, redit igitur argumentum prius: fieri etiam maiorem quantitatem absque additione nouę quantitatis, cōcipi nō potest, quantitatem enim esse sub nouo modo, non est, esse maiorem quantitatem.

Existimo igitur esse negandam minorem, quòd scilicet extensio sit quantitas, alioqui enim non poterit negari, quin noua quantitas acquiratur. Quid igitur erit extensio? Respondeo, esse modum quēdam non solùm quātitatis, sed etiā substantiæ, & accidentium materialium; quid est enim aliud, rem esse extensam, quàm habere partē extra partē? at vnā partem esse extra aliā, non significat aliud, quā modū se habendi partium; absque additione enim vllius entitatis potest vna pars, quæ erat intra aliam, fieri extra, quòd si est modus, non

potest igitur esse quãtitas, q̃ est entitas realiter distincta à materia, & forma. Confirmatur, quia quantitas habet partes, quæ possunt extendi, extensio autem est quid diuersum ab ipsis partibus, ergo non est idem cum partibus quantitatis, consequenter nec cum ipsa quantitate. Hinc etiam fit, vt materia, & forma non sint extensæ formaliter per quantitatem, quia non potest aliqua res modificari formaliter per modũ, qui non indentificatur realiter cum ipsa, non enim possum ego sedere per sessionem alterius. Præterea vna pars materiæ verè est extra aliam per suam entitatem formaliter, ergo non per quãtitatem, ex quo etiam efficitur, vt separata per diuinam potentiam quantitate à materia, non sit necesse ipsam materiã redigi in punctum, vt imaginantur, qui contrariam sententiam tuentur, & rediguntur ipsi in angustias puncto non latiores, quas hic prosequi, non est opportunum. Si quęras autem quid sit quantitas? Respõdeo, esse quãdam formam dantem corpoream molem, per quã res fit potens occupare locũ, & ab eodem loco aliam quantitatem expellere, quod per impenetrabilitatẽ explicari solet. Hinc nullo negotio argumẽtum dissoluimus, dicimus enim, acquiri quidem maiorẽ extensionem, non tamen maiorem quantitatem, quia extensio neque ratio formalis, neque propria passio est quantitatis, sed tãtùm modus quidam, quod falsi sunt etiam Conimb. dicentes, quantitatem per rarefactionem modum quemdam tantùm acquirere.

Ad secundũ. Omissa responsione Collegij, quæ cum ex ipsorum principijs procedat, non potest satisfacere argumento. Respondeo, per intensionem, qualitatem fieri maiorem, & idcirco non sine nouæ qualitatis additione; at verò per extensionem quantitas non fit maior, sed magis tantùm dilatatur, & idcirco non opus est noua additione. In augmentatione autem, in qua quantitas fit maior, concedimus addi nouã, vt supradiximus.

Ad tertiũ resp. Nõ fieri per rarefactionem maiorem superficiẽ, sed priorem magis extendi. Ad cõfirmationem de punctis respondẽt Connimb. tot esse puncta in quantitate palmari, quot in bipalmari, quod certè creditu est difficile, nã in bipalmari sunt ea omnia, quæ in palmari, & aliquot amplius, vel si nolint, concedere plura, saltem erunt aliqua, quæ priùs non erant, ex quo idem sequitur absurdum. Nobis autem, qui puncta non admittimus, negocium hoc argumentum non exhibet, in sententia verò eorum, qui ea admittunt, dicerem potius, per rarefactionẽ produci noua puncta, sicuti enim volũt, ea produci per diuisionẽ, quid mirum, si concedunt, produci etiam per rarefactionem, per quam plurimi censuerunt, produci etiam quantitatem ipsam? Neganda tamen erit cõsequentia, quòd etiam acquiratur quantitas, nam, vt patet, in diuisione possunt acquiri puncta, absque eo quòd noua quãtitas acquiratur. Video tamen, vrgeri adhuc posse argumentũ, quia si plura puncta continuantia, ergo & plures partes continuatę, ergo maior quantitas. Dicendum tamen, non esse plures partes, sed magis extensas, & idcirco indigere pluribus punctis, quę responsio neque perfectè satisfacit, sed relinquamus in his angustijs, qui pũcta admit-

admittunt, nos enim & ab his, & ab alijs multis liberi sumus, quia ea negamus.

Ad quartum facilis est responsio; Non factam esse quantitatem intensiorem, sed extensiorem, qđ sufficit, vt diuersimode se habeat ac prius.

Ad quintum, hoc verè difficillimum est, cui vt satisfaciāt nonnulli recentiores, concedunt, in condensatione dari penetrationē partium quantitatis. Dicunt autem, non esse inconueniens, quia illa sola penetratio quantitati repugnat, quæ fit per motum localem, at qđ accedente alteratione, scilicet frigefactione, aut calefactione, partes se penetrent, nullum esse absurdum. Hæc tamen responsio mihi non videtur admittēda, nam re vera tollit impenetrabilitatē à quantitate, quod enim aiunt, fieri hanc penetrationem media alteratione, non sufficit. Primò quia aliquando fieri per motum localem, necessariò faɛēdum est, dum enim quis mouetur, aer propinquus condensatur, vt supra notauimus, neque tamen adest vlla alteratio, & credibile est, idem accidere, dum manibus comprimimus ceram, vel quid simile. Cur enim quod potest calor, vel frigus, non poterit etiam virtus motiua, cum hic nō agatur, nisi de effectu in ordine ad locū? Et cur dicemus, maximum miraculum esse, duas quantitates se penetrare; cum hoc concedatur fieri posse per calorem, vel frigus?

Præterea vel omnes partes quantitatis se penetrant, vel aliquæ tantùm, si primum, ergo quantitas redigetur in punctum, si secundum, non est maior ratio de vna, quàm de altera, & præterea non fieret condensatio secundum omnes partes, quam tamen fieri, fatētur Philosophi. Ad hæc, si possunt duæ partes quantitatis se penetrare, ergo & omnes, non est enim maior ratio de aliquibus, quàm de reliquis, cum quantitas sit homogenea, poterit igitur saltem per alterationem præcedentem quantitas in punctum redigi naturaliter. Et Confirmatur exēplo Aristotelis 4 phys. tex. 53. qui inquit, quòd si duo corpora possunt esse in eodem loco, possunt etiam infinita.

Præterea impenetratio non erit effectus quantitatis, sed substantiæ. Nam à forma substantiali pendet maior, vel minor raritas rei. Ignis enim maximam raritatē requirit, terra minimam, &c. at quò res est rarior, minùs se partes penetrant, ergo quòd magis, vel minùs se penetrent, à forma substantiali prouenit, non verò à quantitate. Ad hæc, sequeretur etiam, corpora diuersa posse se penetrare, cur enim potius partes corporis, quàm corpora ipsa? Consequens autem est contra experientiam, ergo. Item in re æqualiter densa duę saltem quātitates in omni eius parte se penetrabunt, cum enim vbique sit æquè densa, non est maior ratio de vna, quàm de altera; si ergo fiat densior, tres quantitates se penetrantes concedendæ erunt, quòd si etiam densitas augeatur, erunt quatuor, vel quinque, & ita poterit condensari, vt etiam sint quantitates centū simul, quod portentum quis audebit admittere?

Amplius, penetrent se duæ partes, quarum altera sit alba, altera nigra, sed coloribus siccis, qui inuicem permisceri non possint, quisnam color apparebit? dicent

Tt fuscum.

fuscum. Iterum ergo rarefiant,& extendātur, videbuntur, vt priùs, altera alba, altera nigra. fuscum igitur per solam rarefactionem diuidi poterit in partem albam,& partem nigram, quod miraculi loco meritò haberetur.

Aliter igitur conandum est respondere huic argumento, conandum, inquam, quia re uera difficillimum est,& fortè impossibile explicare, in quo posita sit condensatio rei, negata penetratione, & vacuo. Dicendum igitur, condensationem esse quamdam constipationem partium maiorem, non verò penetrationem. Ad argumentum, quo quæritur, an partes magis distent. Respondetur, recolendum esse, quod supradiximus, quantitatem habere primam, & vltimam partem indiuisibilem ab extrinseco, diuisibilē tamen à parte interiori, quo posito, dico, partes propinquas non magis distare, quàm antea, quoad partem, siue latus indiuisibile ab extrinseco, & sic non datur vacuum, distare tamen magis quoad diuisibilitatem ipsarum, & ita saluari rarefactionē, quare partes, quæ priùs se tangebant, etiam post rarefactionem se tangent, quia se tangunt, quatenus indiuisibilitate terminātur; secundum tamen quamlibet aliam partem assignabilem magis, quàm antea, distant,& ratio est, quia non est rarefacta, quatenus indiuisibilis, quod enim est tale, rarefieri nō potest, sed quatenus diuisibilis, quare etiam quatenus indiuisibilis, non magis quàm antea distabit, quatenus verò diuisibilis, erit remotior. Si dicas, quæro de parte, quæ immediatè sequitur illum terminum indiuisibilem, an etiam sit æquè propinqua termino indiuisibili, vel non, & redibit argumentum prius. Respondetur, hāc partem non posse assignari, quia quantitas est diuisibilis in infinitū, consequenter non potest assignari pars prima nisi ab extrinseco, non autē ab intrinseco, sicuti in quæst. 23. de indiuisibilibus sect. 6. explicauimus. Et ad hanc responsionē confirmandam possunt afferri aliqua exempla. Primum est de motu locali, qui potest vtique esse velocior,& tardior, nihil autem est aliud, motum esse velociorē, quàm partes eius esse magis constipatas, & veluti densas, & minùs inter se distare tempore, quàm distarent, si motus esset tardus. In hac tamen cōstipatione partium motus nulla interuenit penetratio, quia non est assignare vllam partem, quæ sit simul tempore cum alia parte, neque in motu tardiori vlla datur interruptio, quamuis vna pars magis distet ab altera, quā distaret in motu velociori, ergo idem dicendū est de partibus quantitatis permanentis, quòd licet magis modò sint propinquæ, modò verò magis distantes, & extensæ, nulla tamen datur inter ipsas penetratio, neque vacuum. Secundum exemplum species intentionales nobis suppeditabunt. Nam magnus mons ita repręsentatur in speculo paruo, vt tamen eius partes omnes in eo repræsententur, quomodo igitur in tam paruo spatio continentur, nisi quia per virtutem specierum condensantur in speculo? En igitur condensationem maximam sine penetratione, nam si partes se penetrarent, vna vtique aliam tegeret, sed in speculo nulla tegitur, sed omnes æquè repręsentantur, neque est maior ratio, cur vna dicatur penetrata,

quàm

quàm alia, ergo verissimè condensatio datur absque vlla penetratione. Ex quo etiam deduci potest argumentum contra penetrationem supra impugnatũ, quoniam quando res condensatur, videmus, eam retinere eamdem figuram, easdem partes, eadem accidentia, ergo signum est, partes non se penetrare, si enim se penetrarent, oporteret, etiam eorum accidentia confundi, quare non eodem pacto, quo prius, se haberent.

Ad sextum respõdeo, si propriè loqui velimus, corpus non esse in loco ratione quantitatis, sed ratione suæ substantiæ, nam separata ẽt quantitate, remaneret in eodem loco, dicitur tamen esse in loco per quantitatem, quia ab ea habet, qđ possit tangere physicè locum, & ꝙ ipsum occupet, & ab eodem loco corpus aliud excludat. Si instes. Corpus rarefactum occupat maiorem locum, quàm prius, ergo habet maiorem quantitatem. Respondetur, negandam consequentiam, quia sicuti quantitas est extensa, ita etiam potentia occupandi locum. Sequitur ergo tantùm, occupationem loci esse magis extensam; Ex quo etiam deducitur argumentum pro nostra opinione, quia corpus rarefactum ita occupat maiorem locum, vt tamen minus, vt ita dicam, intensè occupet, nam longè faciliùs corpus rarum expellitur à loco, quàm densum, si autem multiplicata fuisset potentia occupandi locum, & non tantùm rarefacta, non haberet minorẽ vim, quàm antea ad expellẽdũ ab eodem loco copus.

Ad septimũ resp. corpus rarefactum dici maiorem quantitatem habere impropriè, prout quantitas significat longitudinem, vel latitudinem, aut profunditatẽ maiorem, quæ tamen magis ab extensione desumuntur, quàm à quantitate, si enim materia à quantitate separetur, ratione suæ propriæ extensionis has omnes dimensiones habebit, dicitur tamen, has à quantitate habere, q̃a habet, quatenus physicæ sunt, sine quãtitate enim non esset materia extensa physicè, idest ita vt posset tangi, vel diuidi, vel recipere vllam actionem physicam, neque etiam locum occuparet, quia esset penetrabilis, addita autem quantitate, potest hæc omnia, quoniam igitur Philosophi considerabant extensionem in ordine ad effectus physicos, neque illi veteres sciebant, per diuinam potentiam materiam separari posse à quãtitate, & consequenter sine ea habere extensionẽ propriã, non mirum, si aliquando dixerũt, à quantitate esse extensionem.

Nonnullarum dubitationum circa Rarefactionem enodatio.

SECTIO V.

VT perfectiùs rarefactionis, & condensationis natura teneatur, nonnullæ dubitationes erunt expediendæ, quarum prima sit.

An rarefactio distinguatur à motu locali, & quomodo. Videtur .n. distingui realiter, quia & motus localis dari potest sine rarefactione, vt patet, & rarefactio sine motu locali, quia potest efficere Deus, vt caro verbi gratia respondeat puncto, ac deinde, vt rarefiat in ordine ad se, nihil variata distantia, neque situ, in ordine ad locum, & spatium, siue verum, siue imaginariũ, & hanc partẽ sequi videntur Doc.

Connimbr. c. 5. huius libri, quęst. 17. ar. 5. E contra videtur, non debere distingui neque formaliter, quia rarefactio est motus partium ad alium locum, & sublato omni alio, & concepto tantùm motu locali partium ad maiorem distantiam inter se, absque tamen discõtinuitate, facta erit rarefactio. Ad hanc dubitationem duabus respõdeo conclusionibus.

Prior est. Neq; de facto, neq; de possibili distinguũtur realiter rarefactio, & motus localis, ꝓbať, quoniã termini horum motuum realiter non distinguuntur, ergo neque motus. Consequentia est euidens, antecedens ostenditur, quia per rarefactionem fit necessariò vna pars magis ab altera distans, per motum localẽ vna pars acquisiuit locũ distantẽ ab altera, sed idẽ est, aliquid esse distans, & aliquid esse in loco distãti, ergo terminus rarefactionis, & mot⁹ localis, qui in rarefactione interuenit, sũt idẽ. Qđ aũt raritas sit partiũ quędã maior distantia, probatur, quia hac posita, & omni alia rẽ separata, res intelligitur perfectè rarefacta, suppono tamen, adesse continuationẽ partium, quæ per rarefactionem nõ acquiritur. Præterea rarefactio & extensio sunt idem, vt dubio sequenti dicemus, extensio autem non potest esse sine motu locali, vt nomen ipsum ostendit, ergo neque rarefactio. Dices, ergo raritas nil aliud erit, quàm distantia, quare nõ spectabit ad quãtitatem, siue ad qualitatem. sed ad relationem, siue ad vbi. Præterea in corpore Christi re vera caro est rarior, quã sint ossa, & tamen in partibus carnis nulla datur distantia, ergo raritas non est distantia. Respondeo, realiter quidem raritatẽ esse quãdam distantiam partium, non significari tamen per modum distãtiæ, siue relationis, quia rarum dicitur tale in se, nõ in ordine ad aliud, & ratio est, quia distantia est inter partes, raritas vero dicitur respectu totius, quare concipitur potius esse tanquã quid consequens distantiã partiũ, non quidẽ prout hæc significat relationẽ, sed prout est fundamẽtũ relationis, idest modus, quo vna pars est ab alia distãs.

Ad secundũ resp. carnẽ Christi in sacramento Eucharistiæ esse tãtùm rariorem in actu primo, non autem in actu secundo, quod quoniam alicui poterit videri mirum, probatur. Vbi non adest extensio, non potest adesse maior extensio. Corpus Christi in sacramento nõ est extensum, ergo neque rarum, qđ nil aliud est, quàm esse magis extensum. Nã &, quod rarefit, dř extendi. Dicitur ergo caro Christi rarior in actu primo, quia postulat sibi maiorẽ raritatẽ, si suæ naturæ relinquať, nõ verò est talis in actu secundo in sacramento, sicuti et. ã brachiũ dicitur lõgius manu, nõ ꝙ re uera longius sit, sed quia habet quantitatẽ, quæ si suæ naturæ relinquatur, erit longior, q̃ manus.

At occurrunt Doctores Conim. Potest dari extensio in ordine ad totum sine extẽsione in ordine ad locum, ergo etiã caro Christi poterit esse extensa in ordine ad se, quamuis non desit in ea extensio in ordine ad locũ, ergo etiam dari poterit maior extensio. Resp. me nũquã potuisse capere, quomodo aliquid esse possit extensum in ordine ad se, & nõ in ordine ad locum. Nã esse extensum, est habere partẽ extra partẽ, nõ, n, sufficit, habere partes distinctas entitatiuè alioqui materia, & quãtitas sicut carere

rere nõ possunt partibus; ita neq; possent carere extẽsione. At vnã partem esse extra aliam, nil aliud est, quàm esse vnam in diuerso spatio, ac alteram, sed hoc est etiam esse extensas in ordine ad locum, ergo sunt idem. Confirmatur, quia si extensio non est, vnam partẽ esse in alio spatio, quid quæso erit? esse extra aliam, sed in eodem spatio? hoc repugnat, quia non datur alius modus, quo vna res sit intra aliam, quàm quòd sit in eodem spatio, alioqui posset vna res esse Mediolani, & altera Romæ, & tamen vna esset intra aliam, quod est ridiculum, si enim distare possunt, & esse in eodem loco, non apparet ratio, cur etiam non possint esse simul, & in diuersis locis. Præterea si Deus velit, vnam partem esse intra aliam, quid aliud quæso efficere poterit, quàm eas in eodẽ spatio collocare? fictitia est igitur hæc distinctio extensionis in ordine ad se, & in ordine ad locum, nisi dicamus, per extensionem in ordine ad se, siue ad totum, intelligi extensionem in actu primo, idest potentiam ad extensionem. Confirmatur etiam, quia si in Eucharistia quantitas esset extensa in ordine ad se, ergo etiam impenetrabilis, expelleret igitur à se aliam quantitatem, quare non posset esse simul cum quantitate panis.

Secunda conclusio, etiam si per diuinam potentiam fieri posset rarefactio sine motu locali, non tamen sequeretur, de facto non esse eundem motum realiter. Ratio huius cõclusionis est, quia quãuis ex separatione duarũ rerũ colligi soleat distinctio realis, debet tñ hoc intelligi de separatione rerũ indiuiduarum, non verò rerum in specie, idest quando duo separantur indiuidua, valet argumentum, illa duo realiter distingui, non verò etiam omnia indiuidua, quæ cũ illis sunt eadem specie, quia contingere potest, vt quamuis illa duo separentur, nõ tamen separari possint hæc duo. Ita non valet consecutio, anima sensitiua in leone distinguitur ab anima rationali hominis, ergo in vniuersum omnis anima sensitiua distinguit ab omni anima rationali, illa enim, quæ est in homine, ab anima rationali non distinguitur, quia non potest ab ea separari. Similiter extensio potest esse sine quantitate, nam vt supra diximus, materia habet propriam extensionem, quam sine quantitate etiam conseruaret, quantitas etiam esse potest sine extensione, vt patet in Sacramento Eucharistiæ, neque tamen hinc efficitur, vt quãtitas distinguatur realiter à sua extensione, quia hæc extensio quantitatis sine ea esse nequit. Ita ergo quãuis per diuinam potentiam posset fieri rarefactio sine motu locali, & motus localis esse posset sine rarefactione, non inde tamen efficeretur, vt semper motus localis, & rarefactio realiter distinguerentur.

Ad argumentum pro contraria opinione resp. carnem positam in puncto, nisi extendatur in ordine ad locum, non posse rarefieri, vt ex dictis patet.

Secundò dubitari potest, an rarefactio, & extensio sint idẽ. Conimb. q. 17. supra citata art. 6. ad 4. supponunt, esse diuersas, & in eadem sententia videntur esse Scotus in 4. d. 12. quæstione quarta, & Bassolis ibidem q. 3. art. 3. fundamentum esse potest, quia extensio est motus ad quantitatẽ, sumitur enim extensio, & pro motu

quo res extẽditur, & pro termino huius motus, rarefactio autem ad qualitatem, quare dicunt ijdem Doctores cum Capr. & Caiet. raritatem in genere causę efficientis præire extensionem, quia virtus actiua agentis per rarefactionẽ extendit materiam: Extensionem verò in genere causæ materialis antecedere raritatem, quatenus eam recipit.

Mihi verò videtur dicendum, extensionem, prout est motus rei diuisibiliter se habentis, idem omnino esse cum rarefactione. Dixi, prout est motus, quia sumitur etiã pro termino, vt diximus, & de hac paulò post dicemus, an sit à raritate diuersa. Dixi etiam rei diuisibiliter se habentis, quoniam dicuntur Angelus, & anima se extendere, cum è minori loco procedunt ad maiorem, quam extensionem patet non esse rarefactionem. Probatur conclusio. quia nõ sunt multiplicãda entia sine necessitate, sed nulla necessitas nos cogit ad distinguendam rarefactionem ab extensione, ergo nõ debemus eas distinguere. Probatur minor, quia per rarefactionem formaliter, præcisa omni alia entitate, res intelligitur extensa, ergo superfluus est omnis alius motus. Ad fundamentum aduersariorum respondetur, raritatem eamdem sub diuersa ratione spectare ad diuersa prædicamenta, nam quatenus est modus quidam quantitatis, sic pertinet ad quantitatem, quatenus verò concipitur quodammodo per modum qualitatis afficere subiectum, quia per eã intelligitur res minùs crassa, & tenuis, sic dicitur qualitas, extensio autem magis significat priorem respectum, raritas verò secundum, & idcirco illa dicitur spectare ad quantitatem, hæc ad qualitatem. Non semper tamen, quando res est extẽsa, dicitur rara, quia raritas non est quælibet extensio, sed extensio magna.

Quoniã tamen diximus, ratione differre extensionem à raritate, si quis quærat, quęnã potius dicẽda sit prior, placet mihi sẽtẽtia Scoti loco supra citato, priorem esse extensionem, tũ quia extensio respicit quantitatem, & rarefactio potius qualitatem, & illa est prior, quàm hæc, tum etiam quia raritas concipitur potius tamquã aliquid consequens extensionem, quàm præcedens, ex eo enim quòd res est magis extensa, & vna pars magis extra aliam, censetur rarior.

Tertiò dubitari potest, an dum aliquid secundum se totum rarefit, vel condensatur, omnes eius partes simul rarefiant, & condensentur, vel aliquæ tantùm. Ratio dubitandi est, tũ quia partes quantitatis sunt infinitæ saltem syncategorematicè, non videtur ergo possibile, quòd omnes extendantur, sicuti etiam quòd diuidantur, tum etiã quia si omnes partes extenderentur, numquam aliquid rarefieret, quia duplo maius spatiũ, quàm antea occuparet. Probatur consequentia, quoniam in tot partes potest diuidi spatium, in quot etiam corpus, quod rarefit, ergo cuilibet parti spatij correspondet sua pars quantitatis, si igitur quælibet pars extenditur, ergo debet quælibet occupare maius spatiũ, non potest autem tam paruum spatium occupare, quin sit duplũ, quã præcedẽs, nam si non est duplum, ergo aliqua pars remanet in eodẽ spatio, ac erat priùs, non igitur est extensa. Confirmatur, nam ponamus, extendi partem palmarem,

tem, & acquirere medietatem palmaris spatij, quæro, vel secundum omnes partes quantitas palmaris est in nouo spatio, & hoc non, quia quantitas palmaris non potest esse in medietate palmi; vel secundum medietatem tantùm, ergo non secundum se totam rarefacta est. Præterea si secundum omnes partes, ergo quælibet minima pars occupat maius spatiū, quàm antea, quæro ergo de illo spatio occupato de nouo, vel est æquale illi parti, & habemus intentum, nam simul cum præcedēte efficiet duplo maius spatium, vel est minus, ergo pars, quæ supponitur extensa, non est minima contra suppositum, quia sicuti spatium non est minimum illi respondens, ita neq; ipsa. Præterea quælibet pars signabilis est in maiori spatio, ergo est hoc duplo maius. Probatur consequentia, quoniam partes assignabiles conficiunt verbi gratia palmum, sed cuilibet parti assignabili respondet nouum spatium, ergo & nouum spatiū erit palmare.

At pro cōtraria parte afferri potest, quia in corpore, quod rarefit, omnes partes apparent æquè rarefactæ, Præterea non est maior ratio, cur vna pars rarefiat, quàm altera, ergo dicendum est, omnes rarefieri. Et ita opinantur Conimb. art. 3. & hæc pars videtur verior, & experientiæ magis consentanea, quamuis secundum argumentum non parum difficilem eam reddat.

Primum enim non videtur habere magnam vim, quoniam quāuis demus, partes infinitas esse in quantitate, dicimus tamen, non rarefieri vt partes diuisas, sed vt vnum sunt, & consequenter nihil earum numerum officere, sicuti etiam in motu locali partes omnes quantitatis ab vno termino pertranseunt ad alterum, quam muis eodem modo sint infinitæ.

Quoad secundū verò possumus in primis ostendere; non concludere experientiā. Nam potest in aliquo speculo repræsentari res maior, vel minor, quàm sit, neque tamē in dupla proportione, quàm uis omnes partes minores fiāt, vel maiores; ergo etiam in rarefactione, quāuis omnes partes rarefiāt, non est necesse, vt duplo maius fiat corpus rarefactū. Antecedens patet experiētia, reperiri enim huiusmodi specula, constat, quia ad hoc satis est, vt sint paulò minora, quàm facies illius, qui in speculo se intuetur, hinc etiā diminutionē fieri secundum omnes partes, patet, quia alioqui vna pars repræsētaretur maior, quàm altera, at verò speculum omnes æqualiter diminuit, & retinent omnes eamdem proportionem, quā extra habent. Consequentia est euidens, quia eadem omnino est ratio. Confirmatur etiam, quia in accretione naturali omnes partes æquè, & secundum proportionem sunt maiores, ergo omnes partes sunt extensæ, neque tamen animal factum est duplo maius. Similiter quando aqua in lebete rarefit, cum tota calefiat, & per calefactionem rarefiat, nō videtur negandum, totam rarescere, & tamen non occupat duplo maius spatium, quàm antea. Quomodo autem hoc cōtingat, libenter ab alijs audirem. Vt aliquid tamen afferam, Noto, spatium esse diuisibile in infinitum, consequēter non posse tam paruum spatiū de nouo acquiri, quin minus etiā acquiri possit. Noto secundò, partes omnes ita maius spatium occupare,

pare, vt tamen conueniat eis ratione totius, sicuti quando totū aliquid mouetur, si mouendæ essent singulæ partes per se, numquam finiretur motus, sed quia mouentur, quatenus sunt in toto, idcirco facile finitur motus. Ex his colligo, singulas quidem partes signabiles maius spatium occupare, sed cum hoc spatium possit esse minus & minus vsque in infinitum, non esse necesse, vt sit æquale spatio, qđ prius ab ea parte occupabatur.

Colligo secundò, non esse numerādas singulas omnino partes, quæ sunt in toto, quia hoc est impossibile, ac proinde etiam si omnes, vt sunt vnum quid cum toto, maius spatium occupent, nō tamē duplo maius, quā antea occupare.

Quartò Dubitari potest, an dum corpus rarefit, siue extenditur, magis, quàm prius cōsetuet prior extensio, & alia noua insuper addatur, vel tota præcedens deperdatur, & alia totalis, & noua generetur. Rationes dubitādi sunt difficultates illæ, quas proposuimus, & contra eos, qui dicebant, nouam quantitatem addi, & contra illos, qui asserebant, totam præcedentem deperdi, non enim minus videtur militare contra extēsionē, quàm contra quantitatē, si enim extensio tota deperditur, ergo & accidentia, quæ sine extensione esse non possunt, si non deperditur, vbi recipitur hæc noua extensio? vel in materia extēsa, & dabuntur duæ extensiones simul, vel in non extensa, & hæc nulla datur. Præterea extēsio est quidam motus localis, sed in motu locali non potest acquiri aliquod vbi, quin præcedens deperdatur, ergo & idem dicendū erit de termino extensionis, quæ est raritas. Confirmatur, quoniam non potest eadē numero quantitas secundum camdem partem esse in duobus locis, ergo, si partes corporis, quod rarēsit, locum nouum acquirunt, debent priorem amittere. Item è contra, si priorem amittunt, ergo mutant locum, non verò ampliorē acquirunt. Doctores Cōimb. art. 5. ad primum respondent simpliciter, raritatem, & extensionē præcedentem non deperdi. Mihi distinguendum videtur. Nam in extensione duo possumus considerare, alterum est negatiuū, vnam partem scilicet non esse intra aliā, & hoc proculdubio remanet, alterum est positiuum, modus scilicet, per quem vna pars est hic, & non alibi, & de hoc, sicuti de loco philosophandū est, si ergo tanta sit rarefactio, vt quælibet pars signabilis locum mutauerit, dicendum est mutasse etiā modum extensionis, si verò non totum locum, sed partem tantùm mutauit, idem etiam de ipso modo est affirmandum, & si quæ ampliorem locum tanummodo acquisiuit, modus quoque amplior redditus erit.

Ad argumentū contra deperditionem resp. licet deperdatur extensio quoad modum positiuum, non tamen deperdi reliqua accidentia, quia non fundantur in extensione, sed est extensio tantùm quædam conditio, sine qua non essent reliqua accidentia naturaliter, & hoc etiam non quatenus significat modum illum positiuum, sed vt est negatio vnius partis intra aliam, quæ negatio semper permanet.

Ad primum pro contraria parte resp. nouam extensionem recipi in materia extensa, neque hinc efficitur, duas extensiones esse simul,

Ad secundū resp. falsum esse, quod fieri non possit motus, quo acquiratur aliquis terminus, & non deperdatur alius, vt patet, cum Angelus a minori loco ad maiorem se extendit, vel anima rationalis concipitur de nouo informare partem ex alimento cōuersam in aliti substantiam. Ad confirmationē resp. quantitatem non esse in duobus locis, sed ex minori extendi ad maiorem, & sicut in loco sunt plures partes, ita etiam esse in quantitate. Dices, vel sunt plures, quàm erant ante rarefactionem, vel non, si plures, ergo per rarefactionem additæ sunt partes, si non plures, ergo non poterunt occupare maiorem locū, quàm antea, vel vna erit in duobus locis. Respondetur, partes non esse plures, sed magis extēsas, ex quo efficitur, vt possit esse in maiori loco, qui non tam entitati partium, quàm earū extensioni respondet.

Quintò dubitatur, an condensatio sit motus positiuus, vel negatiuus, idest an habeat pro termino ad quem aliquid positiuum. Connimbricenses videntur partem negantem tueri tum hic quęst. 17. supracitata art. 6 tum etiam 5. phys. q. 2. supponunt .n. per eam aliquid tantùm deperdi, nihil autem acquiri. Ego verò distinguendum puto. Nam vel partes in condensatione locum mutant, vel tantùm partem loci amittunt, si locum mutant, vt saltem de aliquibus necessariò dicendum est, vtique condensatio habebit terminum positiuum, scilicet locum illū, siue modum illum existendi in loco, si verò non mutant locum, sed tantùm partē ipsius amittunt, sicut quando anima ab informatione alicuius membri se retrahit, tunc dicendum, motum illū non esse positiuum, idest non termi nati ad aliquod positiuum per eum acquisitum.

Sextò dubitatur, an ex paruo fieri possit aliquod corpus magnum absque accessu nouæ materiæ, & absque rarefactione, quam dubitationem eruditè, & eleganter dissoluunt Doctores Connimb. in hoc 1. q. 18. cum quibus dicendum existimo. Dari etiam alium modum, quo potest per diuinam potentiā corpus crescere, scilicet per replicationem eiusdē corporis, vel partium ipsius, sicuti enim per replicationem potest idē corpus in duobus locis distinctis constitui, ita etiam in duobus propinquis, ita vt sibi ipsi vniatur.

Quòd verò probabiliter censent Connimb. posse Deum euoluere magis, idest extendere partes materiæ absque rarefactione, ego arbitror impossibile, nil enim aliud est rarefieri, quàm euolui magis, siue extendi ipsas partes. Posset tamen Deus in nihilum redigere aliquod corpus, ac denuo ipsum producere rarius quàm erat, tunc autem corpus esset maius sine additione nouæ materiæ, & etiam sine rarefactione formaliter. Adesset tamen rarefactio virtualiter in ipsa productione, neque propriè, & immediatè illud corpus ex paruo factum fuisset magnum, sed corruptum, ac denuo genitum, & omnino quamuis dici posset factum magnum sine rarefactione, nō tamen sine raritate. Extra hos casus autē non video, quomodo possit corpus ex paruo fieri magnum sine additione, vel rarefactione.

Vn SVM-

SVMMA TERTIA.
De Tactu, de ipso Agere, & Pati, & de Mistione.
Caput VI.

Proponitur sermo de elementorum generatione, ac de alijs, de quibus priùs agere necesse est.

Tex. 43 
Voniam autem oportet primùm de materia, & de vocatis elementis dicere, & si sunt, & si non, & vtrum sempiternum sit vnũquodque, aut generetur aliquo modo: &, si generetur, vtrum ex se inuicem generentur omnia eodem modo, aut aliquod primum eorum vnum sit, necesse est prius vtique dicere, de quibus indeterminatè dicitur nunc. Omnes enim, qui elementa generant, & qui ea, quæ ex elementis segregatione vtuntur, & congregatione, & ipso facere, & pati. Est autem congregatio mistio. Quomodo autem misceri dicimus, non est determinatum manifestè. Sed neque alterari possibile est, neque segregari, neque congregari, nullo faciente, neque patiente. Etenim plura elementa facientes generant, faciendo, & patiendo abinuicem, quamuis ex vno necesse sit dicere factionem. Et hoc rectè dicit Diogenes, quòd, si non essent ex vno omnia, non esset facere, & pati abinuicem, vt calidum infrigidari, & hoc calefieri rursus. non enim transmutantur caliditas, & frigiditas in seinuicem, sed manifestum est quod subiectum. Quapropter in quibus facere est, & pati, necesse est horum vnam esse subiectã naturam. omnia igitur talia esse dicere non verum est, sed in quibuscunque ipsum abinuicẽ est. Sed, si de ipso facere, & pati, & de mistione videndum sit, necesse est & de tactu. neque enim facere hæc, & pati possunt propriè, quæ non est possibile seinuicem tangere: neque non tangentia seinuicem aliqualiter, contingit misceri primũ. Quapropter de tribus his determinandum est, quid Tactus, & quid Mistio, & quid Factio. Principium autem accipiamus hoc. Necesse enim entium, quibuscunq; est mistio, esse hæc adinuicem tactiua, &, si aliquid facit, hoc autem patitur principaliter, & in his similiter: ideo primùm dicendum est de Tactu. Ferè igitur, vt & aliorum nominum vnumquodque dicitur multifariam, & hæc quidem æquiuocè; hæc autem altera ab alteris, & prioribus, sic se se habet & de tactu, sed tamen propriè dictum inexistit habentibus positionem: positio autem, quibus & locus. etenim mathematicis similiter reddẽdus est tactus, & locus, siue est separatum vnũquodque ab ipsis, siue alio modo. Si igitur est, vt determinatum est prius, Tangere vltima habere simul, hæc vtique tangent seinuicẽ quæcunque determinatas magnitudines, & positionem habentia, simul habent vltima. Quoniam autem positio quidem quibuscunque Tex. 44

* al. & ijs, ex vno necesse est.

que

que & locus inexistit: prima autem differentia loci sursum, & deorsum, & talia oppositorum: omnia seinuicem tangentia grauitatem vtique habebunt, aut leuitatem, aut ambo, aut alterum, talia autem passibilia, & actiua. Quapropter manifestū est, quòd hæc tangere nata sunt seinuicem, quorum distinctis magnitudinibus simul vltima sunt, existentibus motiuis, & mobilibus adinuicem.

tex 45. ¶ *Quoniam autem mouens non similiter mouet quod mouetur, sed hoc quidem necesse est motum & ipsum mouere, hoc autem immobile existens manifestum est, quòd in faciēte dicemus similiter. Etenim mouens facere aliquid inquiunt, & faciens mouere, sed tamen differunt, & oportet determinare. Non enim possibile est mouens omne facere, si faciens opponemus patienti. hoc autē, in quibus motus passio. passio autem est, secundum quod alteratur solùm, vt album, & calidum, sed mouere in plus est ipso facere. Illud igitur manifestum est, quòd est quidem vt mouentia mobilia tangant, est autem vt non. Sed determinatio ipsius tangere vniuersaliter quidem est positionem habentium, & huius quidem motiui, huius autem mobilis, adinuicem autem motiui, & mobilis, in quibus existit facere, & pati. est igitur vt plurimum tangens, id quod tangit, tangens: etenim mouent, mota omnia ferè, quæ coram sunt quibuscunque necesse, & apparet tangens tangere quod tangit. Est autem, vt aliquando inquimus, mouens tangere solùm id, quod mouetur, quod autem tangitur, non tāgere qđ tangit, sed quia mouent mota ea, quæ eiusdē generis necesse videtur esse, quod tangitur, tangere. Quapropter, si quid mouet, immobile existēs, illud quidem tanget ipsum mobile, illud autem nihil, inquimus enim aliquando tristantem* tangere nos, sed nos non enim. De tactu igitur, qui in naturalibus, determinatum sit hoc modo.*

Moue-re est in plus quàm agere.

PROPOSITIONES Ex Capite Sexto.

* ἀντε στάι. idest afficere.

1. *Nec alterari quippiam, nec segregari, vel congregari, nullo patiente, aut agente, potest.*
2. *Substantiam esse materiam his, quibus competit actio, necesse est.* Tex. 43
3. *Quæ se mutuò tāgere nequeunt, inuicem agere, aut pati, aut misceri propriè non possunt.*
4. *Ea se mutuò tangunt, quæ cum discretas magnitudines, situm que habeant, extrema simul habent.* Tex 44
5. *Situs omnibus, quibus & locus, competit.*
6. *Tactu physico ea dicuntur se tangere, quæ cum vicissim mobilia sint, atque motiua, extrema tamen habent simul.*
7. *Sicut ex mouentibus quædam immota manent, quædam verò mota, sic etiam ex agentibus, quædam agunt tantùm.*

8 *Mouere latius, quàm agere, patet.*

9 *Tertio modo dicitur tactus inter ea, quæ situm habent, & non tantum mouentia, & mobilia sunt, sed etiã actiua, & passiua.*

10 *Ex mouentibus quædam à mobilibus tanguntur quædam verò minimè.*

11 *Cum immobile aliquid mouet, illud tangit, non tamen ab ipso tangitur.*

12 *Eum, qui nos molestia afficit, tangere nos dicimus, non nos illum.*

NOTATIONES.

IN 1. propositionem. Falsa videtur hæc propositio quo ad secundam, & tertiam partem, nam multa congregantur, aut segregantur sine actione, & passione, vt grana tritici, siue hordei. Respondeti potest tripliciter, primò quòd Aristoteles largo modo sumpserit agere, & pati, prout includunt etiã mouere, & moueri, nondum enim ea distinxerat, sed inferius hoc præstitit. Secūdò, quòd loquutus sit de congregatione, & segregatione substantiali, qualis est, per quam vel resultat, vel dissoluitur mistū, hæc enim sine actione, & passione propriè dicta contingere nequit. Tertiò quòd loquatur ad mentem antiquorum, contra quos argumentabatur, hi enim existimabant, generationē nil aliud esse, quàm cōgregationem, corruptionem verò segregationem.

In 2. propositionem. Extra controuersiam est, si rerum naturas cōsulimus, at si potentiam Dei, nequaquam, secūdum quam duo certa sunt, alterum est, quòd si accidentia sint sine subiecto, sed tantū in quantitate, vt accidit in Eucharistiæ Sacramento, posse inuicem agere, & pati etiam sine nouo miraculo, quia quantitas vicem subiecti supplet. Alterum verò est, calorem, & frigus separata etiã à quantitate, per diuinam potentiam inuicem agere posse, & corrumpi. Dubium verò non paruum videtur, an calor, & frigus à subiecto, & quãtitate separata, & quoad actionem, & passionem suæ naturæ relicta inuicem agere possint, qua in re Doctores Conimbricenses cap. 4. huius primi quæst. 7. art. 2. negantem partem tuentur, eò quòd contactu carerent, sine quo actio, vel passio nequeūt esse, qua tamen ego ratione non moueor, quia etiam sine quantitate possent esse propinqua, vel etiam in eodem loco, ergo si nihil aliud obstaret, possent etiam agere, & pati: Sicuti ad hoc, vt agens spirituale agat in materiale, sufficit contactus virtualis, non verò requiritur quantitatiuus. Maiorem difficultatem ingerit, quia frigus non corrumpit calorem, nisi producendo frigus, at non posset extra subiectum producere, ergo neque destruere calorem, quòd si ponamus, Deum supplere causalitatem subiecti, etiam quoad effectum frigoris, tunc planè censerem, posse ab ipso corrumpi calorem, producendo frigus in eo loco, vbi antea calor aderat.

In 3. propositionem. Tertia propositio quæstionem non paruam exposcit, quare hic non est discutienda.

In 4. propositionem. Definit hæc tactum, qui dicitur mathematicus, cuius tres sunt conditiones, prima, vt sit inter magnitudines,

nes, secunda, vt hæ sint discontinuæ, tertia vt simul habeant vltima. Sed dicet quis, hanc vltimā conditionem solam esse sufficientem, cum priores duas necessariò includat, non enim extrema habent nisi corpora, & hæc non possunt non esse discontinua, quia si continua forent, haberent idem extremum, & continuarentur eodē termino communi. Respondeo, non omnia, quorum extrema sunt simul, esse corpora, quia possent etiam esse entia successiua, vt motus, & tempus, immo etiam lineæ, & superficies, si tamen hæ concedantur, loquitur autem Aristoteles more mathematicorum, non definiens, nū hæc extrema sint realiter in corporibus. Nam subdit *etenim in mathematicis similiter assignandus est locus, & tactus, &c.* Quoad secundam difficultatem resp. quòd quamuis, quæ sunt continua, dicantur copulari termino communi realiter, tamen ille terminus est duplex formaliter, ne ergo quis crederet illum loqui de istis terminis formalibus, addidit Aristoteles, ipsas magnitudines esse debere discretas, adde, quòd etsi vltima conditio supponeret alias, nullum foret absurdum, quia etiam differentia supponit genus, & simul nihilo minus in definitione cum eo ponitur, aliud est.n. supponere, aliud formaliter dicere.

In 5. propositionem. Contra hanc propositionem obijci potest, quòd Angeli, & anima rationalis locum habent, non tamen situm, cum partibus careant. Respondetur, Aristotelem loqui tantùm de rebus quantis, quibus per se competit esse in loco physicè.

In 6. propositionem. Tactus physicus videtur esse posse etiam inter partes eiusdem continui, quæ tamen non habent extrema simul, ergo non rectè tactus physicus fuit ab Aristotele definitus, probatur antecedens, quoniam inter partes eiusdem continui esse potest actio, & passio, si qualitatibus contrarijs sint affectæ, sed sine contactu esse nequit actio, vt hic ipsemet Aristoteles definiuit, ergo partes continui se tangunt, neque tamen extrema simul habent, quia non sunt separatæ. Resp. has partes continui quatenus quantas, esse continuas, sed quatenus qualitatibus affectæ sunt, posse dici contiguas, quia qualitates contrariæ non possunt continuari, sed habent extrema diuersa, & simul existentia ad modum contiguarum.

In 7. propositionem. Per mouentia immota communiter intelligentiæ accipiuntur, possunt tamen intelligi etiā illa corpora, quę mouent immota, vt magnes trahens ferrum.

In 8. propositionem. Probatur hæc propositio ab Aristotele, quoniam illud tantùm dicitur pati propriè, quod alteratur; ergo cum agens opponatur patienti, illud tantùm dicetur agere, qđ alterat, sed non omne, quod mouet, alterat, quia motus localis potest esse sine alteratione; ergo non omne mouens est agens.

In 9. proposit. Hæc tertia acceptio tactus est gradus supremi continentis tamquam gradus inferiores præcedentes duos modos, quāuis enim contactus virtualis inter agens, & patiens esse possit sine contactu mathematico, tamen hic tertius, de quo loquitur Aristoteles, est physicus, supponens contactum mathematicum, idcircò enim dixit, *quæ situm habent*, & virtualē

etiam,

etiam, quia est inter actiua, & passiua, quare minùs latè patet, vt Aristoteles notat.

In 10. proposit. Non intelligitur hæc propositio de tactu mathematico, sed de virtuali, secundum quẽ spiritualia tangere possunt corporea, non tamen ab ipsis tangi.

In 11. proposit. Intelligitur hęc propositio præcipuè de mouentibus incorporeis quæ tangunt & nõ tanguntur, vt diximus, habet tamẽ locum etiam in corporeis ratione tactus virtualis, vt de magnete, & ferro diximus, quia magnes trahẽs ferrum ab eo non tangitur, quòd si dicas, tangi à ferro propinquo. Respon. tunc non moueri ferrum à magnete, nisi & ipsa magnes moueatur.

In 12. proposit. Loquitur de tactu quodam metaphorico, quem, vt omnes nodos tactus recenseret, noluit prætermittere Aristoteles.

CAPVT VII.

Antiquorum opiniones, quæ sint ea, quæ agunt, & patiuntur, ac earum confutatio.

Tex 46 *DE ipso autem Facere, & pati dicendum consequenter. Suscepimus enim à prioribus subcontrarios adinuicem sermones. Multi enim concorditer hoc dicunt, quòd simile quidem à simili omne impassibile est, propter ea quòd non magis actiuum, quàm passiuum, sit alterum altero. omnia enim similiter existunt eadem similibus. Dissimilia autem, & differentia facere, & pati adinuicem nata sunt. etenim quando minor ignis à maiori corrumpitur, propter contrarietatem hoc inquiunt pati. contrariũ enim esse multum pauco.*

Simile non patitur à simili. Idẽ infra tex. c. 48. & primo cæ. com. 10.

Tex 47 Democritus. *Democritus autem vltra alios propriè dixit solus, inquit enim idẽ & simile esse faciens, & patiens, non enim contingere altera, & differentia pati abinuicem. Sed, si altera existentia faciunt aliquid adinuicem, non secundum quòd altera, sed secũdum quòd idem aliquid inexistit, sic accidere hoc eis. Quæ igitur dicuntur, hæc sunt.*

Tex. 48 *Videntur autem hoc modo dicentes subcontraria apparere dicere. Causa autem cõtrarij sermonis est, quoniam, cum oporteat aliquod totum inspicere, partem aliquam dicunt ambo. Simile enim, & omniquaque indifferens rationabile est non pati à simili aliquid. Cur enim magis alterum erit actiuum, quàm alterum? Atque, si à simili pati aliquid possibile est, & ipsum à seipso. Proinde, his ita se habentibus, nihil vtique erit, aut incorruptibile, aut immobile si simile, secundum quod simile, actiuum. ipsum enim seipsum mouebit omne.*

Si simile à simili pateretur, idẽ à seipso pa ti posset.

Tex. 49 *Et omnino alterum: & nullatenus idem, similiter nihil enim patietur albedo à linea, aut linea ab albedine, præterquam secũdum accidens: puta, si accidat albam, vel nigram esse lineam. non enim * extrudunt se ipsa à natura, quæ: vnque neque contraria, neque ex contrarijs sunt.*

Dissimile ab omnino dissimili nõ pati.

* a. l. se inuicẽ à natura immutant.

Quid

Quid sit ipsum Agere, & Pati. Quæ sint ea, quæ verè agunt, & patiuntur: Propter quid. Et quomodo.

Tex. 50 Necesse est patiens, et faciens idem genere esse, specie vero contraria. *Sed quoniam non quodcunque natum est pati & facere, sed quæcunque aut contraria sunt, aut contrarietatem habent, necesse est, & patiens & faciens genere quidem simile esse, & idem, specie autem dissimile, & contrarium. natum enim est corpus quidem à corpore, sapor autem à sapore, color vero à colore pati: omnino autem quod eiusdem generis ab eo, quod eiusdem generis.*

Tex. 51 *Huius autem causa est, quòd cõtraria in eodem genere sunt omnia. faciunt autem, & patiuntur contraria abinuicem, quapropter necesse est, aliquo quidem modo eadem esse & faciens, & patiens, aliquo autem modo altera, & dißimilia abinuicem. Quoniam autem faciẽs, & patiens genere quidem eadem, & similia, specie vero dissimilia, talia autem contraria sunt, manifesta est, quòd actiua, & passiuà adinuicem sunt contraria, & media. etenim omnino generatio, & corruptio in his. Ideo & rationabile iam ignem calefacere, & frigidum infrigidare, & omnino actiuum assimilare sibi ipsi patiens. faciens enim, & patiens contraria sunt: & generatio in contrarium. quapropter necesse est patiens in faciens transmutari. sic enim erit in contrarium generatio.*

Tex. 52 *Et secundum rationem quoque, non eadem dicentes ambos tamen est tangere naturam. Dicimus enim pati quandoq; quidam subiectum, vt sanari hominem, & calefieri, & infrigidari, & alia eodem modo: quandoque autem calefieri quidem frigidum, sanari autem laborans. ambo autem sunt vera. Eodem modo & de faciente. quandoque enim hominem calefacere inquimus, quandoq; autem calidum. est enim vt materia patitur, est autem vt contrarium. Ad illud igitur respicientes, idem oportere habere existimauerunt faciens, & patiens: ad alterum autem contrarium.*

Eandem quoque rationem existimandum est de ipso facere, & pati, quam & de ipso moueri, & mouere. Dupliciter enim dicitur, & mouens in quo enim est principiũ motus, videtur hoc mouere: (principium enim prima causarum est) & rursus vltimum ad id, quod mouetur, & generationem. Similiter autem & de faciẽte. etenim medicum sanare dicimus, & vinum. Primum igitur mouens nihil prohibet in motu quidem immobile esse, in quibusdam autem et necessarium: vltimũ autem semper mouere, motum. In actione autem primum quidem impossibile est, vltimum autem & ipsum patiens est. Quæcunque enim non habent eandem materiam, faciunt impassibilia existentia, vt Medicatiua. ipsa enim faciens sanitatem, nihil patitur ab eo, qui sanatur. cibus autem faciens & ipse patitur. aut enim calefit, aut infrigidatur, aut aliud quid patitur, simul faciens. Est autem Medicatiua quidem vt principium, cibus au- Tex. 53 Quæ non habent eandem materiã impassibilia faciunt.

tem

tem vltimum est, & tangens.

Tex.54 ¶ Quæcunque igitur actiuorum non in materia habent formam, hæc quidem impassibilia sunt: quæ cunque autem in materia, passibilia. Materiam enim dicimus similiter eãdem, vt ita dicam, esse cuilibet oppositorum, vt genus existens. potens autem calidum esse, præsente calefaciente, & approximante, necesse est calefieri. Ideo, quemadmodum dictum est, factiuorum hæc quidem impassibilia, hæc autem passibilia. Et quemadmodum in motu, eodem modo res sese habet, & in factiuis. illic enim primo mouens immobile est, & in factiuis primo faciẽs impassibile est.

Tex.55 ¶ Est enim effectiua causa, vt vnde principium motus: cuius autem gratia non effectiua. Ideo sanitas non est effectiua, nisi secundum translationem: etenim facientis cum inerit, generatur aliquid ipsum patiens. habitibus autem præsentibus non amplius generatur, sed est iam. formæ autem, & fines habitus quidam sunt: materia autem, secundum quòd materia, passiuum. Ignis igitur habet in materia caliditatem. si autem aliqua esset separata caliditas, hæc nihil vtique pateretur. Hanc igitur forsitan impossibile est separabilem esse. si autem sunt quædam talia, in illis vtique erit, quod dicitur, verum. Quid igitur sit facere, & pati, & quibus insit, & quare, & quo modo, determinatũ sit hoc modo.

Vide contr. Zim. Habitibus præsentib' non amplius generatur sed iam est.

PROPOSITIONES
Ex Capite Septimo.

1 Simile omnino nihil potest pati a simili. Tex.48
2 Quod prorsus diuersum est, nihil patitur à diuerso.
3 Actio, & passio inter ea tantum dantur, quæ vel contraria sunt, vel contraria habent. Tex.50
4 Agens, & patiens genere quidem similia sunt, specie autem dissimilia.
5 Contraria in eodem genere sunt omnia.
6 Tum contraria, tum quæ inter ea media sunt, inter se mutuò agũt, & patiuntur. Tex.51
7 Agens reddit patiens sibi simile.
8 Generatio in contrarium tendit.
9 Dicimus calefieri & hominem, & frigidum, & vtrumque verum est. Tex.52
10 Interdum quoque hominem, interdum calidum calefacere, dicimus.
11 Dupliciter potest aliquid pati, vel vt materia, vel vt contrarium.
12 Dupliciter potest quoque aliquid dici mouẽs, & agẽs, vel vt principium primum motus, vel vt principium immediatum, & vltimum. Tex.53
13 Sicut primum mouens potest esse immobile, ita etiam primum agens non repati sed vltimum mouetur, & repatitur.
14 Quæ eandem materiam non habent, ea citra passionem agunt, ceu medendi ars.
15 Immaterialia agunt, & non patiuntur. Tex.54
16 Oppositorum eadem est materia.
17 Calefactibile præsente calefactiuo incalescat necesse est.
18 Finis nõ est actiuus, nisi per trãslationem. Tex.55

19 Ha-

19 *Habitib⁹ pſentibus ceſſat effectus.*
20 *Si calor ſeparatus exiſteret, nihil pateretur.*

NOTATIONES.

In 1. propoſit. Huius veritas q. 47. lib. 1. examinatur, non eſt igitur, cur in ea immoremur.

In 2. propoſitionem. Non caret difficultate hęc propoſitio, nam humiditas, & denſitas ſunt prorſus diuerſæ à calore, & tamen ab eo patiuntur, item frigus eſt omnino diuerſum à luce, à qua tamen patitur, materia quoque à forma præſertim immateriali, à qua tamen accidentia multa recipit, & conſequenter patitur. Tripliciter tamen occurrere poſſumus, primò quòd exempla allata non ſint de omnino diuerſis, nam humiditas, & calor, & frigus, & lux ad idem prædicamentum qualitatis ſpectant. Secundò, quòd loquatur Ariſtoteles de actione vniuoca, & per ſe, non nō verò de ęquiuoca, vel per accidens, qualis eſt, quæ reperitur in allatis exemplis. Tertiò, quòd neq; in his intercedat actio ſine contrarijs propriè dictis, & conſequenter, quòd actio non ſit inter diuerſa. Nam calor non expellit denſitatē, niſi per raritatem, & lux expellit frigus producendo calorem.

In 3. propoſit. Quæ dicta ſunt circa duas præcedētes cōcluſiones, huic quoque applicari poſſunt.

In 4. propoſit. Per genus intelligunt multi materiam, quæ dicitur genus phyſicum. Verùm cum ipſe Ariſtoteles inferius dicat, contraria habere eamdem materiam, ſicut & idem genus, probabilius mihi videtur, hic eum de vero genere logicō fuiſſe loquutum, ſed per agens, & patiens nō intelligere ea, quorū vnum eſt tantùm agens, & alterum ſolùm patiens, ſed quæ mutuo agunt, & repatiuntur.

In 5. propoſit. Senſus huius patet ex ſupradictis.

In 6. propoſit. Duplex dubitatio occurrit circa hāc propoſitionem, prior eſt, quid intelligat Ariſtoteles per media inter contraria, nō enim videtur aliud poſſe intelligere, quàm tepidum inter calidū, & frigidum, & reliqua huiuſmodi, at tepiditas non eſt qualitas media, ſed conflata ex calore, & frigore. poſterior eſt, quia colores ſunt contrarij; neque tamen inuicem agūt, ergo nō omnia contraria ſunt actiua, & paſſiua. Ad priorē dicendū eſt, per media Ariſto. intelligere tepidum, & fuſcum, an aūt hoc medium ſit qualitas ſimplex, vel ſit quoddā compoſitum ex extremis, noluiſſe determinare, neque enim hic locus erat. Ad poſteriorē reſp. actionem, & paſſionē hic ſumptas eſſe largo modo, prout ſignificant expulſionem ab eodem ſubiecto, ſiue hoc contingat p verā actionē, ſiue per formalē repugnantiā tm̄.

In 7. pp. Hæc ppoſitio intelligi dēt, vt explicuimus alibi de ſimilitudine quoad formā, non quoad cōpoſitū, idcirco.n. reddit patiēs ſimile agenti, quia agēs in eo producit formā ſibi ſimilem; quòd ſi ex præcedēti diſpoſitione patiens per receptionem illius formę reddatur diſſimile, nil refert, quia ſufficit agētibus producere formā ſibi ſimilē, ita ignis licet ſit ſiccus, aliquādo humectat, & lux reflexa eſt maior, quā ſit directa, & in qualitatib⁹, q̄ p gradus homogeneos intēdūtur, ſimile pōt intēdere ſimile. Intelligenda eſt quoque hæc propoſitio de agentibus vniuocis, nō verò de æquiuocis, quamuis etiam in his dici poſſit, agēs reddere patiēs ſimile

suæ virtuti, siue adesse inter agens, & patiens similitudinem virtualem.

In 8. proposit. p generationē intelligit ꝓductionē siue substantię, siue accidentis, sed obijci potest, substantiæ nihil esse cōtrariū. Respondeo, vel substantias dici contrarias ratione accidētium, vel Aristotelem complecti etiam opposita priuatiua, nam ex contrario priuatiuo, scilicet ex priuatione, fit etiam forma substantialis, vt ex 1. physs. patet.

In 9. propositionem. Quamuis vtrumque verè dicatur, quod hic affirmat Aristoteles, non tamen in eodem sensu, quia hominem calefieri, est verum in sensu composito, quia homo fit calidus, at verò frigidum calefieri, est verum tantùm in sensu diuiso, quia frigidū remanens frigidum non posset calefieri, sed recedente frigido fit calidum, vel dicas, habere sensum materialem, quia frigus non calefit, sed subiectum, quod erat frigidū; & dici etiā potest, esse veram hāc propositionem specificatiuè, non reduplicatiuè, idest illud subiectū, quod erat frigidum, non verò quatenus frigidum.

In 10. propositionem. Similis est hæc præcedenti, est tamen notandum discrimen, quòd in præcedēti magis propriè dicebamus, hominem calefieri, quàm frigidum, hic autem melius dicitur, calidum calefacere, quàm hominem, ratio discriminis est, quia sicuti propriū est materiæ pati, ita formæ agere, quare dum de passione loquimur, hæc magis propriè subiecto tribuitur, cum verò de actione, formæ.

In 11. propositionem. Notanda est hæc propositio contra eos qui nolunt, passionem dici nisi de subiecto, cum hic contrarium Aristoteles expresse asserat, quare si corrumperetur forma extra subiectum, verè diceretur pati.

In 12. propositionem. Principium primum intelligi potest dupliciter, vel absolutè, & erit vnum tantùm, uel in aliquo ordine, & poterunt esse plura in diuersis ordinibus, hoc autem posteriori modo intelligit Aristoteles, mouens verò vltimum, & immediatum est, veluti instrumentum, quod etiam agit, & mouet, sed ab alio motum.

In 13. propositionem. Probat ipse Aristoteles, primum mouens esse posse immobile, quia primus motor, vt 8. phys. probatum est, immobilis est, idem autem locum habere in agentibus, probat exemplo medici, qui sanat ægrotum medio pharmaco, medicus enim ipse, qui est primum agens, nihil patitur ab ægroto, pharmacum autem, quod est vltimum, & alterat, & alteratur.

In 14. propositionem. Abutuntur hac propositione; qui volunt, Cœlorum materiam esse diuersam à materia horum inferiorum, eò quòd agat Cœlum, & non repatiatur, non enim ait Aristoteles, quòd quæ non repatiuntur, diuersam habent materiam; sed è conuerso qđ quæ non habent materiam eādē, non repatiuntur. Præterea exemplum, quod affert de arte, ostendit, ipsius mentem non esse loqui de materia prima Cœlorū, sed de subiecto, ars. n. est in anima ęgritudo verò in corpore.

In 15. propositionem. Intelligenda est de actione corruptiua, nam alioqui & ipsa immaterialia perficiūtur immaterialibus actionibus, immo etiam docente fide scimus,

mus, puros spiritus igne inferni vehementer cruciari.

In 16. propositionem. Quoad capacitatē intelligitur, nō quoad actum, nō enim opposita sunt semper simul, immo mutuò se expellunt ab eodē subiecto, sed in quo est vnum oppositum, potest esse alterum, intelligenda est autem propositio de veris oppositis physicis, rationale enim, & irrationale non habent eādem materiam, nisi per materiam intelligamus genus, rationem autem huius conclusionis innuit Aristoteles dicens, *sicut & genus*, cum enim spectent ad idem genus, & quæ materia differunt, non possint genere non differre, sequitur, vt materiam diuersam habere nequeant.

In 17. propositionem. Certissima est hæc propositio, quoniam agentia naturalia præsente subiecto, & non impedita, non possunt non agere, in liberis autem contrarium accidit, quæ positis requisitis ad agendum, possunt adhuc non agere.

In 18. propositionem. Obijcies contra hanc, ergo neque finis erit causa, nisi metaphoricè, quia eatenus est causa, quatenus agit. Respondeo, causam latiùs patere, quā agens, nam neque materia, neque forma agunt, & tamen sunt causæ: est igitur finis causa verè, & propriè, quia est id, cuius gratia aliquid fit, est autem agens metaphoricum tantùm.

In 19. prop. Per habitum intelligit Aristoteles id, quod est acquirendum per motum, veluti forma, & finis, vt ipse se explicat, sed non videtur hoc verum, nam acquisita forma indiget conseruatione, item potest magis perfici, ergo non statim debet cessare motus. Resp. Aristotelem non dicere, cessare actionem, aut motum, sed nihil amplius fieri, quod est, cessare effectionem, si autem perficiatur, vt accidit in forma accidentali, iam non erat acquisita totaliter forma.

In 20. prop. Examinauimus hāc propositionem cap. præcedēti propofit. 2.

Caput Octauum. Variæ adducuntur Antiquorum opiniones, quo pacto fiant Agere, & pati, earumque examinationes, ac confutationes.



Vomodo aūt potest hoc accidere, rursus dicamus. His igitur videtur pati vnumquodq; per quosdā meatus, ingrediente faciēte vltimo, & principalissimo: & hoc modo videre, & audire nos inquiunt, & secundū alios sensus sentire oēs. Amplius videri p aerē, & aquā, & p transparētia, quia meatus habēt, inuisibiles quidem propter paruitatē, spissos aūt, & secūdū ordinē: & magis habere trāsparentia magis. Hi igitur in quibusdā determinauerūt ita, quēadmodū & Empedocles, nō solū in patiētib⁹, & faciētibus, sed & misceri ea inquiūt quorūcunq; meatus ad inuicē sunt cōmensurati. Via aūt maxime & de omnibus vno sermone determinauerūt Leucippus, & Democritus, principiū cū fecerint secūdū naturā, qđ est. Quidā. n. Antiquorū opinati sūt ex necessitate ens vnū esse & immobile: vacuum enim esse non ens: moueri autem non posse, non existente vacuo Tex. 56 Empedocles. Tex. 57 Leucippus. Democritus.

separato, neque rursus multa esse non ex' stente segregante.*

* a.l.ad dit plenũ.n.so lũ ens.

Text. 58. *Hoc autem nihil differre, si quis existimet non continuum esse vniuersum, sed tangere diuisim ab eo, quod est dicere fore multa, & non vnum esse, & vacuum. Si enim omniquaque diuisibile, nihil esse vnũ quapropter neque multa, sed vacuum omne. Si autem tum quidem, tum autem non, figmento alicui hoc vtique assimilari. quousque enim, & propter quid ipsius totius hoc quidem ita se habet, & plenũ est, illud autem diuisum. Amplius similiter, dicere necessarium non esse motum. Ex his igitur rationibus, transcendentes sensum, & despicientes eum, ac si conueniat rationem sequi, ipsum omne esse vnum, & immobile, & infinitum quidem dicunt, finem enim finire vtique ad vacuum. Hi ergo ita, & propter has causas enunciauerunt de veritate.*

Text. 59. *Amplius autem in orationibus quidem videntur hæc contingere, in rebus autem dementiæ simile est opinari ita. nullum enim dementium egredi tantum, vt ignem vnũ esse existimet, & glaciẽ: sed solum bona, & apparentia propter assuetudinem, hæc quibusdam propter dementiam nihil videntur differre.*

T. 60. Leucippus. *Leucippus autem existimauit habere rationem, quæ ad sensum confessa dicentes, non destruent neque generationem, neque corruptionem, neque motum, & multitudinem entium. confessus autem hæc quidem apparentibus; constituentibus autem unum, ut non existat motus sine vacuo, vacuumque non ens, & entis nihil non ens inquit esse, quod enim propriè ens omniplenum existens. sed esse tale, non vnum, sed infinita multitudine, & indiuisibilia propter prauitatem molium. hæc autem in vacuo ferri, vacuum enim esse, & congregata quidem generationem facere, dissoluta autem corruptionem, facere autem, & pati, secundum quòd existunt tangentia. secũdum enim id non vnum esse, & composita, & circumplicata, generare.*

Ex vno autem secundum veritatem non vtique generari multitudinem, neque ex verè multis vnum: sed esse hoc impossibile. Sed vt Empedocles, & aliorum aliqui inquiũt pati per meatus. ita & omnẽ alterationem, & omne pati hoc modo generari per vacuum, factâ dissolutione, & corruptione. similiter autem & augmentatione, subintrantibus alijs.* Te. 61. Empedocles.

Ferè autẽ & Empedoclẽ necesse est dicere, vt & Leucippus inquit. esse enim quædam solida, sed indiuisibilia; nisi omniquaque meatus continui sint. hoc autem impossibile est: nullum enim aliud solidum erit præter meatus, sed vniuersum vacuum. Necesse est igitur, tangẽtia quidem esse indiuisibilia, intermedia autem eorum vacua, quos ille dicit meatus. Ita autem & Leucippus dicit de ipso facere & pati. Modi igitur, secundum quos hæc quidem faciunt, hæc autem patiuntur, ferè hi dicuntur, & de his quidẽ, & quo dicunt, manifestum est. Et ad eorũ positiones, quibus vtun- * a.l.solidis. Te. 62.

tur,

tur, ferè confesse videtur id, quod accidit, aliis autem minus, vt Empedocli quoniam modo erit generatio, & corruptio, & alteratio, non est manifestum. His enim sunt indiuisibilia prima corporũ, figura differentia solum, ex quibus primis cõponuntur, & in quæ vltima dissoluuntur. Empedocli autem alia quidem manifestum est quòd vsque ad elementa habent generationem, & corruptionem, ipsorum vero horũ quomodo generatur, et corrũpitur, & coaceruata magnitudo, nec manifestum est, nec cõtingit dicere ei, non dicẽti & ipsius ignis elementũ esse. similiter autem & aliorũ omnium, vt in Timæo scripsit Plato.

Text. 63. *Tantum enim differt, vt non eodem modo Leucippus dicat, quòd hic quidẽ solida, ille aũt plana dicit indiuisibilia. & hic quidẽ infinitis terminata esse figuris indiuisibiliũ solidorũ vnumquodque: ille autẽ terminatis. quoniã indiuisibilia vtrique dicunt, & terminata figuris. Ex his itaque generationes, & segregationes. Leucippo quidẽ duo vtique modi essent, & per vacuũ, & per tactum: ob hoc.n. diuisibile est vnumquodque. Platoni autem secundum solum tactum: vacuum enim non esse inquit. Et de indiuisibilibus quidẽ planitiebus diximus in prioribus sermonibus: de indiuisibilibus aũt solidis amplius cõsiderare, qđ accidit, relinquatur nunc.*

T. 64. *Vt autem parum egredientes dicamus necessarium est & impassibile vnumquodque dicere indiuisibilium (non enim possibile est pati, nisi per vacuum) & nullius effe-ctiuũ passionis. neque enim durum, neque frigidum possibile est esse.*

Quamuis hoc inconueniens sit, solum attribuere circulari figuræ calidum. necesse enim est & contrarium frigidum alij alicui congruere figurarum. Inconueniens autem est, & si hæc quidem insint. dico autem caliditas, & frigiditas, grauitas autẽ, & leuitas, & durities, & mollities non insint. T. 65

Sed tamen grauius, secundum excessum, dicit esse Democritus vnumquodque indiuisibilium quapropter & calidius. talia autem existentia non pati abinuicem impossibile est: vt à multum excellenti calido remisse calidum. T. 66. Democritus.

Atqui si durum, & molle. molle autem iam in patiendo aliquid dicitur, quod enim cedit, molle. T. 67.

Sed tamen inconueniens est, si nihil insit, nisi sola figura, & si insit, vna autem sola, vt hæc quidem dura, illa autem calida, nec enim vna aliqua esset natura eorum. Similiter autem impossibile est. & si plura vni, indiuisibile enim existens in eodẽ habebit passiones, quapropter & si patiatur, secundum quòd infrigidatur, secũdum id, & aliquid aliud faciet, aut patietur. Eodem autẽ modo & de passionibus alijs. T. 68.

Hoc enim & solida, & plana dicentibus indiuisibilia contingit eodem modo, neque enim rariora, neque densiora est possibile generari, vacuo non existente in indiuisibilibus. T. 69.

Amplius autem inconueniens est & parua quidẽ indiuisibilia esse, magna autẽ non nũc. n. rationa- T. 70.

bi-

biliter maiora magis franguntur, quàm parua, hæc enim dissoluuntur facilius, paruis scilicet magna: offendunt enim multis. Indiuisibilia autem penitus, quare magis, quàm magnis, inexistunt paruis?

Text. 71. *Amplius autem vtrum vna omnium sit natura illorum solidorũ, aut differũt altera ab alteris. quẽadmodum, si hæc quidem essent ignea, illa autem terrea mole? Si enim vna natura est omnium, quid est quod separauit? aut quare non fiunt, cum se tetigerint, vnum? quemadmodum aqua, aquam quando tetigerit. nihil enim differt posterior à priori. Si altera autem, qualia hæc sunt? Et manifestum est quod hæc ponendum est principia, & causas eorum, quæ contingunt magis, quam figuras.*

Text. 72. *Amplius autem differentia natura, & si fecerint & si passa fuerint tangentia adinuicem.*

Text. 73. *Amplius autem quid est, quod monet? si enim aliud, passiuum: si autem ipsum, seipsum vnũquodque, aut diuisibile erit, secundum aliud quidem mouens. secundum aliud autem motum, aut secundum idem contraria inerunt.*

Idem seipsũ mouere non potest.

Text. 74. *Et non solùm materia erit numero vna, sed & potentia.*

Text. 75. *Quicunque igitur per meatuum motum inquiunt passiones contingere, si quidem & plenis meatibus superfluunt meatus. Si enim patitur sic vniuersum, & si nón meatus habens, sed ipsum, continnum existens, patietur eodem modo.*

T. 76. *Amplius autem quomodo contingit de ipso respicere accidere, vt dicunt? neque enim secundum tactus contingit transire per transparentia, neque per meatus, si plenus sit vnusquisque. quid enim differret ab eo, quod est non meatus habere? omne enim sic esset plenum. Sed & si vacua quidem hæc sint, necesse autem sit corpora in se habere, idem continget rursum. Si autem tanta sint secundùm magnitudinem, vt non suscipiant corpus aliquod, ridiculum est paruum quidem existimare vacuum esse, magnum autem non, neque quantuncunque aut vacuum aliquid aliud existimare dicere præter regionem corporis. quapropter manifestum est, quod omni corpori mole æquale erit vacuum. Omnino autem meatus facere, superfluum. Si enim nihil facit secundum tactũ, neque per meatus transiens faciet. Si autem tangendo, & meatibus non existentibus, hæc quidem patientur, illa autem facient eorum, quæ adinuicẽ hoc modo nata sunt. Quòd ergo ita dicere meatus, vt quidam existimant, aut falsum, aut vanum sit, manifestum est ex his. diuisibilibus autẽ omniquaque corporibus existentibus, meatus facere, ridiculum est. secundum enim quòd diuisibilia sunt, possunt separari.*

PRO-

PROPOSITIONES.
Ex Capite Octauo.

Tex 57 1 *Dicere, aliquid non esse continuũ, est dicere, non esse vnum, sed multa.*

Tex. 59 2 *Sensum relinquere propter rationem, insania persimile existit.*

Tex. 65 3 *Cui calor, & frigus insunt, non possunt non adesse leuitas, aut grauitas, duritia, aut mollities.*

Tex. 67 4 *Molle dicitur, quod pati quippiã soleat, quod enim cedit, molle est.*

Tex. 70 5 *Maiora facilius, quàm minora frangi solent.*

Tex. 74 6 *Quod sese mouet, altera parte se mouet, altera mouetur.*

NOTATIONES.

In 1. propositionem. Intelligitur hæc propositio de corporibus. Nam spiritualia non sunt cõtinua, quia quantitate carẽt, neque tamen sequitur, non reperiri in eis vnitatem. Corpora verò si diuidantur, iam fiunt plura.

In 2. propositionem. Videtur falsa hæc propositio. Nam per rationem sæpe corrigimus sensum, hic enim iudicat, solem esse paruũ, ratio verò maximum, & hoc verius est. Respondetur, hic non relinqui sensum, quoniam ratio, qua colligimus, solem esse maximum, sensui innititur. Videmus enim, eãdem rem ex propinquo magnã, & ex longinquo paruam apparere, & ita etiam in cæteris euenit. Adde, sensum non falli positis illis tribus conditionibus, de quibus in libris de anima.

In 3. propositionem. Ratio huius propositionis non est, vt quidam existimant, eò quòd hæ secundæ qualitates ex illis primis oriantur, sed ex necessitate materię, quia si recipit calorem, & frigus, oportet esse elementarẽ, cõsequenter aut grauem, aut leuem, aut duram, aut mollem.

In 4. propositionem. Non de qualibet passione intelligenda est, sed de ea, quæ spectat ad motum localem, vt ipsemet Aristoteles se explicat dicens, *quod cedit, molle est.*

In 5. propositionem. Quamuis Aristoteles loquatur de quantitatibus minimis, quæ ferè sensum effugiunt, re uera tamen habet locũ etiam in alijs, si magnitudo sit tantùm in longitudine, & in profunditate sit ęqualitas, partes enim extremæ pondere suo diuisionem faciliorem reddunt.

In 6. propositionem. De hac diffusè agi solet in 8. phys. & nos etiã supra nonnulla tetigimus.

Caput Nonum. Quo pacto verè fiant Generatio, & Actio, & Passio.



Vo autem modo insit Generare entibus, & Facere, & pati dicamus, accipientes principium dictum sæpe. Tex. 77 *Si enim est hoc quidem potestate, hoc autem actu tale, natum autẽ est non tum quidem pati, tum autẽ non pati, sed omniquaque secundum quòd est tale. minus autem & magis, secundum quòd tale magis est, & minus: sic vtique meatus aliquis dicet magis inesse, vt in fodiendis metallis protendunt passibiles venæ continuæ. * Connatum igitur vnumquodque, & vnũ existens, impassibile est. Similiter autem* * a. l. aut vr Tex. 78

Ex hoc sumitur quod agens, & patiens distincta sunt loco, & subiecto. autem, & nõ tangẽtia neque seipsa, neq; alia, quæ facere nata sunt, & pati. Dico autem vt non solum tangens calefacit ignis, sed & si longe sit (aerem enim ignis, aer autem corpus calefacit) natus & facere, & pati.

Idem 4 physic. 48. & 8 phy. 30. Existimare autẽ tum pati, tum autem non, cùm determinauerimus in principio hoc dicendum. Si. n. non omniquaque diuisibilis sit magnitudo, sed est corpus indiuisibile, aut latitudo, non vtique erit omniquaque passibile, sed neque continuum vllum.

Tex. 79. Si autem hoc falsum, & omne corpus diuisibile, nihil refert diuisum quidem esse, tangere autem, aut diuisibile esse. Si enim segregari potest secundum tactus, vt aiunt quidam, & si nondũ fuerit diuisum, erit diuisum. possibile enim diuisum esse. fit enim nullum impossibile. Omnino autem hoc generari modo, scissis corporibus, inconueniens est. destruit enim hic sermo alterationem.

Tex. 80 Videmus enim idem corpus, cõtinuum existens, quandoque quidẽ humidum, quandoque autem congelatum, non diuisione, & compositione hoc patiẽs, nec versione, & tactu, sicut ait Democritus, neque enim * transductum, neque transpositum, neque mutatum secundũ naturam congelatum ex humido generatum est, neque nunc sunt dura, & congelata, indiuisibilia molibus, sed similiter omne humidum, quandoque autem durum, & congelatum est.

* a l. non habet hæc verba.

Tex. 81 ¶ Amplius autem neque augmentationem possibile esse, & diminutionem. non enim quodcunque erit factum maius, siquidẽ erit appositio, & non omne mutatum, aut misto aliquo, aut secundum se mutato. Quod igitur est generare, & facere, & generari, & pati adinuicem, & quomodo contingit, & quomodo inquiunt quidam. non contingit autem, determinatum sit hoc modo.

PROPOSITIONES. Ex Capite Nono.

1 Agere est entis in actu, pati verò entis in potentia. Tex. 77

2 Commnuum, & vnum existens passionis est expers.

3 Actio est inter ea, quæ se tangunt, vel mediatè, vel immediatè. Tex. 78

4 Vt aliquid altera parte sit passibile, altera verò nequaquam, est impossibile. Tex. 79

5 Indiuisibile, vel quantitas aliqua ex parte aliquid est indiuisibile, non potest pati.

NOTATIONES.

In primam propositionem. Per ens in potentia non intelligitur illud, quod est omnino in potentia; vel saltem non tantùm illud, sed etiam quod est respectu alicuius formæ in potentia, vt calefactibile: Per ens verò in actu intelligi debet id, quod actu habet illam formam, cuius similem producturum est, sed vel actu formali, vel virtuali. Ratio est, quia cum simile producatur à simili, oportet, agens habere illam formam, cui similẽ producere intendit.

In 2. propositionem. Nõ debet intelligi hæc propositio de quolibet continuo tantùm ratione quantita-

titatis, sed etiam ratione qualitatũ, idcirco enim addidit, & vnum existens, quia si quidquam habeat partes omnino similes, non poterit vna agere in aliam.

In 3. propositionem. Ea se dicuntur tangere mediatè, quę se tãgunt per aliqua corpora intermedia, vt cum ignis calefacit aerem, & per aerem hominem, qua de re in quæstione propria.

In 4 proposit. De partibus continuis, non verò de componentibus est intelligenda hæc propositio, quoniam homo constat tamquam ex partibus componentibus ex anima, & corpore, anima autem non est passibilis passione corruptiua, de qua hic est sermo, sed partes continuæ licet ratione qualitatum possint esse magis, vel minùs passibiles, nulla tamen esse potest omnino impassibilis.

In 5. propositionem. Non est parua concertatio inter Philosophos de hac propositione, quidam enim negant omnino, indiuisibilia alterari posse, vt Albertus de Saxonia quæstione 17. & Marsil. quæst. 20. quidam dicunt, indiuisibilia in continuo alterari posse, si verò darentur separata, nõ posse, vt Paul. Ven. cap. 24. in summa, & Tolet. q. 16. Ego hæc dicenda existimo. Primò, indiuisibilia, quatenus sunt in continuo, alterari posse. dixi (quatenus) quoniam sunt diuersæ opiniones circa indiuisibilia, quas hic examinare opus non est, sufficit enim nobis, quòd eo modo, quo sunt, alterari possũt. probatur clarissimè hoc dictum, quoniam constat, lumen esse tantũ in superficie, & non penetrare ipsum corpus. Præterea corpus calefactum ab igne vndique, & per omnes suas partes calidum est, ac si indiuisibilia non essent calida, nec iste calor posset esse continuus, neque aliquis calor sentiretur, tactus .n. fit in superficie, ergo si in ea non esset calor, non sentiretur à tangente corpus calidum. Dico secundò, indiuisibilia si à corpore separata existerent, adhuc alterationem subire possent Probatur, quia si alterati non possent, vel oriretur ex eo, quòd ipsa non essent capacia qualitatum, vel quòd agens non posset eas introducere. At non prius, quoniam neque in corpore possent recipere qualitates, quod est falsum. Præterea eo pacto, quo dantur indiuisibilia in quantitate, debent etiam concedi in qualitatibus, quia & ipsæ sunt extensæ, & diuisibiles in infinitum, & habent partes sibi copulatas, & reliqua omnia, ob quæ indiuisibilia in quantitate ponuntur. Confirmatur, quia nulla est ratio, quòd si indiuisibile separaretur à quantitate, non retineret eamdem qualitatem, quam etiam in continuo ipso habebat; quòd etiam agens posset ea alterare, probatur, quoniam poterunt esse illi propinqua, ergo poterit in ea agere. Solùm posset afferre difficultatem, quòd qualitates non possunt esse sine materia, at si indiuisibilia essent separata, materia carerent, ergo. Respondeo, indiuisibilia posse concipi separata, & cum materia, & sine materia, cum materia, quia eo pacto quo dantur indiuisibilia in quantitate, eodem etiam concedenda sunt in substantia materiali, sine materia verò per diuinam potentiam, vt accidit quantitati in Sacramento Eucharistiæ, priori modo nulla est difficultas,

vt patet, posteriori dicendum est, quòd sicuti Deus suppleret vim materiæ quoad sustentationem ipsorum indiuisibiliũ, ita etiã quoad receptionem aliorum accidentiũ, vt patet in ijsdem quoque speciebus sacramentalibus,

Quod spectat ad Aristotelem, non video, quomodo ab errore possimus ipsum tueri, nisi dicamus, ipsum indiuisibilia positiua nullo pacto admisisse, atque ad hoc probandum vsum esse deductione ad impossibile, quòd scilicet huiusmodi indiuisibilia non alterarentur, neque mouerentur, vt 6. phys. text. 86. dixerat, cum alioqui hoc etiam esset inconueniens. Portò indiuisibilia ipsum non admisisse, ex hoc textu colligitur, inquit enim, quòd si detur corpus, aut latitudo, hoc est superficies indiuisibilis, quòd non erit quidquam omni ex parte diuisibile, quod est absurdum, censet igitur, non solùm indiuisibile separatum, sed etiam in ipso continuo non posse alterari; & ex hoc deducit, hæc indiuisibilia non dari contra Platonem, & Democritum, & quamuis Platonem impugnet, quasi vellet, corpora componi ex superficiebus indiuisibilibus, tamen eius argumentum concludit, nullam omnino dari superficiem indiuisibilem, quia non inquit, si corpus componatur ex indiuisibilibus, alterari non poterit, sed si detur corpus, quod aliquam superficiem indiuisibilem habeat, hanc non fore alterabilem, & consequẽter corpus non omni ex parte passibile.

Cæterum difficultas adhuc superest, quomodo sit vera hęc consequentia, si daretur superficies indiuisibilis, esset inalterabilis. Resp. ad mentem Aristotelis ita esse deducendam hanc consequentiam, superficies si daretur indiuisibilis, non posset continuari cum aliquo corpore, neque ab aliquo tangi, ergo neq; alterari. Antecedẽs probatur, quoniam illa cõtinuãtur, quorum est idem extremum, illa verò se contingunt, quorũ extrema sunt simul, at indiuisibilia non habent extrema, ergo neque possunt continuari, neque tangi, consequentia patet, quia ad alterationem requiritur contactus. quod argumentũ contra aduersarios robur habet, simpliciter tamen non concludit, quia ad hoc, vt superficies, si daretur, tangeret aliquod corpus, non oporteret, vt haberet extremum, sed satis esset, quòd inter ipsam, & corpus nullum aliud spatium, aut corpus intercederet.

De Actione, & Passione.

Disputatio V.

AGit Aristoteles de actione, & passione in 3. phys. vt explicet, quomodo motus se habeat ad mouens, & ad mobile. Nam vt est actus mouẽtis, est actio, vt est actus mobilis, passio; hic autem de eisdem quatenus sine ipsis neque generatio, neque alteratio fieri possunt, quare magis per se de illis hoc loco agit, quàm in 3. physicorum, ibi enim agit de ipsis omnino per accidens, vt aliud explicet, hic verò per se, quamuis non primo, sed per se secũdo loco. Interpretes tamen communiter multa supponunt ex 3. phys. de actione, quæ à nobis enucleanda erunt, vt integram hic habeamus de actione disputationem, nec aliunde eam emendicare cogamur. Vt autem ab eius essentia exordiamur, quærimus primò.

An

An Actio sit modus ex natura rei distinctus à termino.

QVÆSTIO XXXVII.

PRo eodem sumimus esse modum, & distingui ex natura rei, quia existimamus hanc distinctionem, prout in scholis, nunc vsurpatur, & significat quamdã distinctionem præter opus intellectus à parte rei, sed minorẽ, quàm ea, quę reperitur inter rem, & rem, non posse intercedere, nisi inter modum, & rem, cuius est modus. Non esse autem actionem entitatem realem ab alijs rebus distinctam, iamquam clarissimum in dubium non reuoco, vt ex ijs, quæ infra dicemus, probari optimè poterit. Remanet igitur solùm inquirendum, an sit modus, vel prętet agens producens, & effectum productum, nihil omnino reale ab eis distinctum significet.

Prima sententia, Actionem, & motum à termino tamquam modum ex natura rei distinguens.

SECTIO I.

SEquuntur hanc sententiam multi recentiores, vt Connimbric. 3 phys. c. 3. quæst. 1. art. 2. Suarez disput. 18. in metaph. sect. 10. nu. 8. & alibi, quoad motum verò, quem videtur supponere, idem esse cum actione. Venetus 3. phys. cap. 3. Hispal. ibidem not. 1. Burlæus ibidem tex. ij. Argentina dist. 19. q. 1. Rutiius item 3. phys. cap. 3. quæst. 4. probabiliorem existimat, cuius fundamenta sunt.

Primum. Quæcunque ita se habent, vt vnum sine altero existere possit, distinguuntur saltem ex natura rei, actio, & motus ita se habẽt cum termino, quia terminus permanet etiam post transactam actionem, & motum, ergo ab eis differt saltem ex natura rei.

Secundum. Potest idẽ effectus nunc dependere ab vna causa, & postea ab altera. Nam potest Deus conseruare effectum se solo, quem conseruabat cum causa secunda, ergo variata est actio, neque tamen variatus est effectus, ergo à parte rei differunt actio, & effectus.

Tertium. Terminus actionis, & motus semel deperditus reparari potest, at actio, & motus nequaquam, ergo differunt inter se. Antecedens quoad priorem partem patet, nam eumdem locum numero, quem aliàs reliqueram, possum repetere. Similiter per diuinam potentiam potest calor semel corruptus reparari, quòd verò idem dici non possit de actione, patet, quia nemo vnquam dicet, eamdem esse actionem, siue motum, quo ego hesterna die locum aliquẽ acquisiui, & quo etiam hodie eumdem acquiro. Item licet Deus reparet calorem, etiam medio eodẽ agente, à quo primùm productus fuit, nemo tamen asseret, per eamdem actionem fuisse priùs, & postea productum, sed per diuersas, alioqui etiam sequeretur, me vnica deambulatione millies posse eũdem locum acquirere. Consequentia verò videtur euidens, quia si nullo pacto actio, & motus à termino distinguerentur, non posset hic acquiri sine illis.

Quartum. Per actionem dicitur effectus, & terminus produci,

ſed nihil producitur per ſeipſum, vt argumentatur S. Auguſt. ſuper illa verba Ioann. *Omnia per ipſum facta ſunt*. ex quibus contra Arium concludit, Verbum non eſſe factũ, quia eſſet factum per ſeipſum, ergo oportet, actionem, per quam res fit, eſſe aliquid ab ipſa re diuerſum.

Quintum. Actio eſt via ad terminum, & ſæpe ſucceſſiua, & modo velox, modò tarda, quorum nihil dici poteſt de termino, ergo ab eo ſaltem ex natura rei diſtinguitur.

Sextum. Datur relatio realis inter agens, & patiens, cuius fundamentum non aliud eſſe poteſt, quã actio, nam alioqui non eſſet ratio, cur potius Socrates diceretur pater Sophroniſci, quàm quiliber alius, ergo & ipſa actio eſt quid reale p̃ter agens & patiens.

Septimum. Effectus re uera pendet à cauſa, hæc igitur dependentia erit aliquis modus in effectu, nam ſi nihil ſupra effectum addat, nullum poterit aſſignari diſcrimen inter effectum depẽdentem, & independentem.

Octauum. Agens verè influit in effectum, hic autem influxus nihil aliud eſt, quàm actio, ergo actio eſt aliquid reale in ipſo effectu.

Nonum. Poſſunt à parte rei reperiri cauſa efficiens vt. gr. ignis, & effectus nempe calor, neque tamen aderit actio, ergo ad hoc, vt hæc detur, oportet, aliquid aliud ponere, hoc igitur, quod ponetur, cum ſuperadditur efficienti, & effectui, oportet, vt aliquid ſit ab ipſis diſtinctum. Confirmatur, quia alioqui ſequeretur, vt eſſet tantùm quædam relatio inter ſubſtantiam agentis, & entitatem effectus; ſi autem eſſet relatio, non poſſet poſitis terminis non conſurgere.

Decimũ, actio eſt, qua agens cõſtituit actu agens, cõſequenter cauſalitas agentis, ſed hæc cauſalitas nõ põt eſſe idẽ omnino cũ effectu, quia tunc idem eſſet ratio, qua ipſemet efficeretur, ergo debet eſſe aliquid ab eo diſtinctum.

Vndecimũ, actio eſt idẽ realiter cũ motu, at motus diſtinguit ex natura rei à termino, ergo & actio, minor probatur, quia negari non poteſt, hominem diuerſimode ſe habere, dum mouetur, ac dum quieſcit, aliàs enim non diſtingueretur motus à quiete, quod eſt contra ſenſum: Si verò diuerſimode ſe habet, ergo per diuerſum modum. Motus igitur, qui efficit, vt diuerſimode ſe habeat, erit modus ipſius.

Duodecimũ, motus eſt ſenſibile cõmune, terminus aũt vel non eſt ſenſibilis, vel eſt ſenſibile ꝓpriũ, ergo diſtinguuntur.

Decimũtertium, motus refertur ad terminum, & ab ipſo ſpecificatur. Terminus autẽ ad ſeipſum nõ refertur, neque à ſeipſo ſpecificatur, ergo ſunt diuerſi.

Decimũquartũ, pro motu locali eſt magnũ argumentũ, & peculiaris difficultas. Qm̃ ſi hic non eſſet mod⁹ quidã à terminis diſtinctus, ſequeretur, nullum diſcrimen eſſe inter motum, quo mobile pertranſit ab vno termino ad alium, & motum, quo termini ipſi, ſubiecto alioqui immobili perſiſtente, ſibi ſuccedunt. exempli cauſa idẽ erit, hominem tranſire ab A. ad B. atque ipſo homine immobili perſiſtente, variari circa hominem A. & B. ſicuti variatur aer circa turrim. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Probatur conſequentia, quia vtrobique eſt ſucceſſio inter ipſos terminos in eodẽ

subiecto, si ergo motus præter hanc successionem nihil significat in ipso mobili, nil refert, quod ipsum subiectum moueatur ad terminum, vel terminus ipse in mobili varietur. Absurditas autem consequentis videtur euidens, quia in priori euentu censetur homo verè moueri, in posteriori nequaquam; non enim mutatur turris, dum aer circa ipsam variatur. Confirmatur argumentum, quia in priori euentu homo calefit, & alias patitur alterationes, in posteriori autem nequaquam. Confirmatur secundò, quia possumus concipere, non solùm loca extrinseca, sed etiam vbi intrinseca mutari, absque eo quòd subiectum moueatur localiter, vt dum Christus fit præsens in altari in Sacrificio Missæ, si ponamus etiam, desinere esse in Cœlo, quod nullam repugnantiam inuoluit, tunc mutaret præsentias locales, siue vbi, & tamen non per motum localem, vt suppono ex veriori sententia Theologorum, & idem posset accidere in quolibet alio corpore, si à Deo replicaretur alibi, & in nihilum redigeretur in loco, vbi est, ergo motus localis præter successionem terminorum aliquid aliud significat in ipso mobili. Confirmatur tertiò, quia in communi motu locali non idcirco quis dicitur moueri, quia mutat locum, sed idcirco mutat locum, quia mouetur, ergo motus est aliquid prius, & veluti causa termini, ergo est verè aliquid præter ipsum.

Secunda Sententia actionem, & motum ratione tantum à suo termino distinguens.

SECTIO II.

QVoad motum multos habet sectatores hæc sententia Auerr. 3. physicorum, com. 4. & 9. S. Thom. 5. phys. ad tex. 9. Soncinat. 12. metaph. q. 4. Burid. 3. phys. q. 2. Albertum de Saxon. 3. phys. quæstione 4. & 5. Ferra. ibidem q. 2. Sotum quæstione 1. & 2. Toletum quæstione tertia, Pererius libro decimo, cap. decimo, & Collegium 5. phys. cap. 2. q. 3. art. 2. de actione verò idem videntur velle, quia non eam distinguunt à motu, quamuis expresè non asserant. Probatur hæc sententia.

Primò dependentia effectus à causa non distinguitur ex natura rei ab ipso effectu, ergo neque actio. Consequentia est certa, quoniam etiam aduersarij fatentur, actionem esse dependentiam, & meritò, quia si ponitur esse aliquid reale medium inter agens, & patiens, non potest concipi, quid aliud sit, quàm hæc dependentia. Probatur ergo antecedens. Effectum dependere ab agente, est recipere esse ab ipso, at effectus recipit totum suum esse, & nihil aliud ab agente, ergo dependentia identificatur cũ toto suo esse, & nihil aliud est. Confirmatur, quia receptio, & receptum non distinguuntur, sicuti neque distinguuntur

alia

alia concreta, & abstracta, vt albedo, & album; at dependentia nil aliud est, quàm receptio, ergo non differt à recepto, quod est effectus.

Secūdò, efficiens potest esse id, à quo aliquid pendet, absque eo quòd concipiamus aliquid in ipso à sua substantia distinctum, ergo etiam effectus poterit dependere per suam solam substantiam. Probatur consequentia, quia effectus ita pēdet ab hoc efficiente, vt non ab alio, at quidquid est in effectu, est indifferēs ad hoc, vt potius sit ab vno, quàm ab alio, ergo si ponendū est aliquid in effectu, vt dici possit esse ab alio; ita ēt aliquid in agente, vt effectus sit ab illo, cū ergo nihil ponatur diuersum in hoc, neque debet in illo poni.

Tertiò sequeretur, dependentiā non esse de essentia creaturæ, vt creatura est, sed hoc est falsum, ergo & antecedens. Probatur maior, quia quæ distinguuntur ex natura rei, distinguuntur etiam essentialiter, maior enim distinctio includit minorem, maior autem est distinctio ex natura rei, quàm essentialis, cum hæc à ratione pendeat, & reperiatur etiam inter relationem, & fundamentum, inter actionem, & passionem, & cætera huiusmodi, quæ ex natura rei non distinguuntur. Absurditas verò probatur, quia tunc creatura non penderet per se, & immediatè à Deo, & posset etiam priuari tota illa dependentia, quia inter quæ adest distinctio essentialis, & ex natura rei, potest vnum sine altero esse.

Quartò, idem non potest simpliciter esse prius, & posterius natura eodem: sed si actio esset quid distinctū ab effectu, esset ipso prior, & posterior, ergo. Probatur maior, quia qđ est prius simpliciter, non pendet à posteriori, & consequenter potest esse sine eo. Nam prius natura dicitur illud, à quo nō conuertitur subsistēdi consequentia, quod igitur est prius, non potest esse posterius, quia non penderet, & dependeret. Minor probatur, quoniam actio in ratione causæ efficientis est prior natura simpliciter effectu, effectus item in genere causæ materialis est prior simpliciter actione, ergo idem est prius, & posterius.

Quintò, vel actio pendet ab efficiente immediatè, vel mediante alia dependentia, si immediatè, ergo etiam effectus poterit seipso immediatè dependere, si mediatè, ergo dabitur processus in infinitum in dependentijs. Respond. aduersarij, dependentiam posse seipsa dependere, quia non tam est id, qđ depēdet, quàm id, quo aliquid dependet. Sed contra, quia etiam ipsa per se dependet. Nam potest esse effectus cum hac, vel illa depēdentia, ergo cum mutetur dependentia non mutato effectu, signum est, ipsam habere aliam dependentiam ab ipso effectu, nam si per eādem indiuisibilem dependentiam dependerent, non posset vnum destrui sine altero. Cōfirmatur, quia reuera actio est ab efficiente, ergo vel hoc esse ab significat aliquid, vel nihil superadditum, si aliquid, ergo ipsa actio etiam per hoc aliquid dependebit, si nihil, ergo & effectus sine alio superaddito dependere poterit. Præterea saltem negari non poterit, quin alij modi dependeant, tot igitur erunt dependentiæ, quot sunt modi, quare etiā sessio pendebit à sedente per modum à se distinctum, & vbi à locato, quod erit multiplicare infinitas entitates sine necessitate, & ponere mo-

modos modorum. Si dicas, hos modos indigere noua dependentia, quia sunt minimæ entitatis, & per se ipsos pendent. Contra, quò minorem habent entitatem, eò magis dependere debent, quòd si possunt se ipsis dependere, immeritò negatur, & effectum se ipso dependere non posse.

Sextò, vel actio, qua producitur homo est eiusdem rationis cum ea, qua producitur leo, vel diuersę. Illud dici non potest, quia ab actione eiusdem rationis debet effectus eiusdem rationis prouenire; Si dicatur hoc, quęro, per quid differat, vel per aliquid ab homine diuersũ, vel quia includat in sua essentia hominem, non prius, tum quia hoc diuersum explicari non potest, quid sit, tum etiam quia illa actio, per quam producitur homo, debet ita esse propria hominis, vt hominem tantùm producere possit, hoc autem esse non poterit, nisi in sua essentia includat ipsum hominem, quo dato, non differet actio ab ipso homine, quod nos intendimus.

Septimò, Actio est idem cũ motu, seu mutatione ex Aristotele 3. phys. tex. 18. & communi, sed hæc non distinguitur modaliter à termino, ergo neque actio. Minor probatur, quoniam alioqui sequeretur, non posse aliquid vnica mutatione mutari, sed semper duabus. Probatur consequentia, quia per motum semper acquiritur aliquis terminus, ergo quatenus acquiritur terminus, vnica adest mutatio, quatenus verò acquirit ipse motus, altera mutatio, ergo sunt duæ. Implicat enim, acquiri aliquid ab alio distinctum, & nõ per diuersam mutationem.

Octauò, generatio non differt à re generata, ergo neque reliqui motus à suis terminis, aut actio. Consequentia est euidens, quoniã si potest produci forma substantialis absque modo à se distincto; Id non est negandum de accidente, quòd enim acquiratur totum simul, vel per partes, non potest esse ratio huius distinctionis. Probatur ergo antecedens, quia nullum potest dari instans, in quo possit assignari hic modus in forma substantiali; inter non esse enim, & esse formæ substantialis nullum datur medium, quando autem forma non est, nõ potest dici habere hunc modum, vt patet, sed neque quando est, quia etiam genita est, ergo nunquam datur. Confirmatur, quia nõ potest aliqua res in eodem instanti incipere, & desinere, quia in eodem instanti esset, & non esset, acquireret, & deperderet esse, quare neque per diuinam potentiam potest aliquid in eo instãti, in quo producitur, amittere esse; At si generatio esset modus, in eodem instanti inciperet esse, & desineret, quia forma in instanti gignitur, & immediatè post non amplius gignitur, ergo generatio in eodem instanti & habuit esse, & etiam amisit.

Nonò, nullus motus videtur magis differre à suo termino, quã motus localis, neque vllus videtur magis esse modus, per eum enim, qui mouetur, videtur maximè diuersimode se habere, sed motus localis nihil est præter terminum, ergo multò magis cæteri. Probatur minor, quoniam motus localis nihil aliud est, quàm diuersa vbi sibi immediatè succedentia, hoc enim posito, & omni alio ablato, statim intelligitur motus localis. Confirmatur, quia si motus localis esset modus distinctus ab vbi, sequeretur,

retur, quòd mobile non moueretur, dum moueri perseueraret, quod est contradictio: Probatur sequela. Quod diuersimode non se habet, non mouetur, at quod continuè mouetur, diuersimode non se habet, quia semper retinet eumdem motum, ergo non mouetur, vel si mouetur, non mouetur ratione motus, sed ratione vbi, ergo ipsum vbi solum est sufficiens, vt mobile moueatur absque alio modo. Dicent aduersarij, in continuo motu semper diuersas partes sibi inuicem succedere, & consequenter ratione diuersarum partium motus diuersimode se habere. Verùm non potest explicari, in quo consistat hæc diuersitas partium, nisi in ordine ad diuersos terminos, ergo quatenus motus distinguitur à termino, nullam admittit diuersitatem. Confirmatur, quia motus localis non dicitur esse id, per quod vbi diuersimode se habeat, sed ipsum mobile, at verò in mobili nulla apparet diuersitas, nisi penes ipsum vbi. Præterea si motus esset modus, esset vtique modus diuersimode se habendi, hoc enim significat moueri, diuersimode se habere, at hic effectus formalis non potest tribui ab vnica forma, quia vna forma tribuit vnum modum se habendi, ergo tribuitur à diuersis formis sibi inuicem succedentibus, nam motus est transitus ab vna forma ad aliam, sed hæ diuersę formæ sunt termini ipsius motus, ergo ad hoc vt aliquid moueatur, nihil aliud requiritur, quàm successio diuersarum formarum, omne igitur aliud ab his distinctum, est superfluum.

10 Contrariorum eadem est ratio, si ergo motus erit modus, idē dicendum erit de quiete, sed hoc est falsum, quia acquisito termino non remanet aliquid in ipso mobili præter terminum, ergo neq; motus erit modus. Dicent, quietem opponi priuatiuè motui, & consequenter non esse necesse, vt quies sit modus, quamuis hoc de motu dicatur. Sed contra, quoniam hæc est natura modorum, vt carentia vnius modi non sit aliud, quàm alius modus, quantitas enim non potest amittere figuram circularem, nisi aliam acquirat. Similiter non potest quis sessione carere, nisi alium modum vel standi, vel iacendi recipiat, & ratio esse potest, quoniam non potest res nullo modo se habere, sed oportet, vt hoc, vel illo modo se habeat, si igitur vnum modum amittit, alium acquirat, necesse est, si igitur motus est modus, quo res mota modificatur, dū amplius non mouetur, alio modo modificabitur, qui erit quies.

11. Non sunt muliplicanda entia sine necessitate, at nulla apparet necessitas constituendi actionem tamquam aliquid distinctum ab ipsa re, quæ per eam fit, nam sicut dicunt aduersarij, ab ipso agente prodire actionem, ita dici potest, ab eodem prodire effectum, ergo non debemus nouas entitates comminisci.

12. Calefactio non potest esse producta nisi à calore, at calor non potest producere nisi calorem, ergo calefactio est calor. Confirmatur, quia vel differret specie, vel numero tantùm à calore, non specie, quia calor, siue ignis non habent virtutem producendi duo diuersa specie, neque calor videtur esse posse ab actione diuersæ rationis: neque numero, quia duo accidentia solo numero diuersa non possunt esse in eodem subiecto.

13. Po-

13. Potentia calefactiua in igne non differt vllo pacto à calore, ergo neque calefactio in calido differt vllo modo à calore, sicuti .n. se habet calor ignis ad calorem productum, ita virtus calefactiua ad calefactionem, ergo à permutata proportione, sicut virtus calefactiua ad calorem ignis, ita calefactio ad calorem productum.

14. Sequeretur, Deum non posse creare aliquod vnum tantùm, quia necessariò si creat aliquem effectum, oportet etiam creare dependentiam ergo creat duo, quod est contra ipsius libertatem, & omnipotentiam.

Denique ex Aristotele 3. phys. tex. 4. Motus non est præter res, ad quas est motus. Si dicas, intelligere non esse diuersam rem realem, esse tamen diuersam modaliter.

Contra, quia inde colligit Aristoteles, motum non constituere peculiare prædicamentum, at verò ex eo quòd motus non distingueretur tantùm realiter, non poterat recte hoc colligi q.a multa sunt prædicamenta, quæ realiter inter se nō distinguuntur, ergo vult, multò minùs distingui.

Propria sententia explicatur, & idem iudicium de actione, & motu non ferendum, ostenditur.

SECTIO III.

Ex propositis sententijs neutram difficultatibus non minimis carere, ego quidem arbitror, vt autem, quid mihi probabilius videatur, explicē. Noto priùs, non mihi videri eamdem esse rationem de motu, & de actione, vt cōmuniter existimari solet; nam actio includit formaliter dependentiam ab agente, quam non includit motus, diuersis igitur, & distinctis cōclusionibus tum de motu, tū de actione, quid nobis videatur dicendum, statuemus, quamuis enim nō sit pręsētis loci agere de motu, cōnexio tñ, quā habet cū actione, & argumenta superius allata, de ipso quoque nos verba facere cogunt. Pro motu igitur sit.

Prima conclusio. Motus adæquatè sumptus distinguitur realiter à termino, tāquam totum à parte. Pro intelligentia notandū est, motū non tantùm significare terminū ad quem, sed ēt terminum à quo, & subiectū, est .n. transitus subiecti à termino a quo ad terminū ad quem, consequēter cū hæc omnia includat, quæ non includuntur à termino, ratione ipsarū dicimus, ipsum differre ab ipso termino, sicut compositū differt à forma ratione materiæ. Dices, ad hoc satis esse, addere ipsi termino cōnotationem, per quā differat tm̄ ratione à seipso, erit igitur motus terminus ad quem, vt connotat præexistentiam termini à quo. Resp. nō sufficere cōnotationē, quoniā successio est de essentia motus, in successione aūt non tm̄ connotatiuè, sed formaliter includitur præexistentia termini a quo, siue subiecti sub termino à quo, quare ēt diximus supra, generationē nō esse mutationem, quia licet connotet terminū à quo, tñ id, qd generatur, non præexistit sub eo. Probatur ēt hæc cōclusio omnibus illis argumentis, quibus contēdebatur, motum distingui à termino, quæ hoc saltem conuincunt.

Secunda conclusio. Motus inadæquatè sumptus, quatenus scilicet identificatur cum termino ad quē, non differt ab eo modaliter,

ficuti neque modaliter differt à subiecto, quatenus est quid diuersũ à termino: Hanc autem partem de subiecto addimus, quia non potest natura motus perfectè explicari, nisi cognoscatur, quomodo se habeat ad subiectum, præcipuè in motu locali, in quo non terminus fluere videtur, sed ipsum mobile. Hæc conclusio sufficienter probata videtur argumentis pro secunda sententia, 7. scilicet, & sequentibus, & ex solutione argumentorum, quæ contra eam fieri solent, magis etiam confirmabitur, patebit enim, nullam esse necessitatem introducendi hanc distinctionem. Præterea probatur quoad priorem partem de termino, quia sequeretur, rem etiam moueri post motum, & ante motum, quod repugnantiam inuoluit. Nam transacto motu transit res ad quietem, sed motus nil aliud est, quàm transitus ab vno termino ad alium, ergo postquam concipimus, finitum esse motum, necessariò concedendum est, adhuc ipsam rem moueri, quia à motu transit ad quietem. Et quamuis dicas, hoc in eodem instanti contingere, nihil refert, quia nobis satis est, quòd etiam posterius natura, quàm desijt motus, res concipiatur moueri, sicut quãuis in eodem instanti res transeat à termino à quo ad terminum ad quem, tamen prius natura censetur relinquere terminum à quo, quàm acquirere terminum ad quem, & hoc locum habet etiam, quando terminus ad quem est quid negatiuum. Similiter motus inciperet ante motum, nam transiret mobile à quiete ad motum, ergo motus esset terminus ad quem alterius motus, contra Aristotelem, qui ait, ad motum non dari motum, alioqui dabitur processus in infinitum.

Dices, actio non indiget alia actione præcedente, ergo neque motus alio motu. Resp. disparem esse rationẽ de actione, & de motu, nam motus essentia consistit in quodam transitu, cum ergo in motu, verbi gratia in calefactione duplicem reperiamus transitum, alterum à frigore ad calorem, alterum à quiete ad motum, duplex quoq; motus erit admittendus, & cum termini sint diuersi, diuersus quoque erit motus. At verò actio cõsistit in quodam influxu, per quem optimè intelligitur & terminus, & ipsamet actio, cum vtrumque ab eodem agente proueniat. Adde, quòd actio, siue concipiatur vt fit, siue vt est actio, non potest termino alium effectum formalem, siue aliam denominationem tribuere, quàm quòd fiat, vnica ergo erit actio, at verò motus aliam denominationem tribuit subiecto, vt motus, aliam vt calefactio, vt motus, vt moueatur, vt calefactio, vt calefiat. Si ergo motus dicit aliquam aliam entitatem præter productam per calefactionem, dicet etiam alium motum, per quẽ acquiratur. Quare actio vnam rem tantùm dicit in subiecto, siue termino, scilicet dependere à tali agente, at verò motus duo dicit, scilicet & motum esse, cum prius quiesceret, & calefactum, cum prius esset frigidum, si ergo esse motum dicit entitatem diuersam à calore, necessariò quoque duplex erit mutatio ad motũ, & ad calorem.

Secundò, si motus localis est modus, vel producitur per seipsum, vel per alium motum, non per se, tum quia motus localis non habet vim aliquid producendi, tum quia terminatur ad locum, siue ad vbi,

motus autem nō est vbi, vel locus: neque per alium, quia tunc motus localis esset per se posterior alteratione cōtra Aristotelem in 8. phys.

Tertiò ad hominem, etiam contra eos, qui nolunt, motum significare aliquid diuersum ab actione nisi ratione, probatur, quia actio eatenus est modus, quatenus dicit dependentiam, sed motus non significat dependentiam, ergo non includit in essentia sua aliquem modum.

Quartò probatur, quia motus respectu termini nil aliud est, quàm incœptio ipsius, vel secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem, at nō potest aliquid incipere per aliquid à se diuersum, neque modaliter, quia tunc illud diuersum inciperet, & non ipsum, ergo verè motus non potest neque modaliter differre à termino.

Quoad posteriorem verò partē de subiecto est maior difficultas, præcipuè in motu locali, quæ nihilominus probatur, primò, quia si mobile in instāti pertrānsiret ab vno loco ad alium, nō diceremus, hunc transitum esse aliquem modum in ipso mobili, ergo neque si transeat in tempore. Antecedens probatur, quia tunc inter existentiam mobilis in termino à quo, & existentiam eiusdem in termino ad quem non daretur medium, sed nec vt existens in termino à quo, neque vt existens in termino ad quem, habere potest hunc modum, vt patet, ergo numquam habet. Probatur consequentia. primùm, quia etiam in transitu successiuo numquam datur medium inter existentiam mobilis in termino à quo, & eiusdem existentiam in termino ad quem, quamuis enim non simul relinquat totum terminum à quo, & acquirat totum terminum ad quem; tamen eo ipso, quo incipit moueri, & consequenter deserere terminū à quo, incipit etiam acquirere terminum ad quem, nullo interposito medio. Deinde probatur eadem consequentia, quia quò transitus est velocior, eò est perfectior transitus, ergo in instanti, qui est velocissimus, erit perfectissimus, quare si perfectissimus transitus nihil est præter terminos sibi inuicem succedentes, multò magis de imperfecto id asserendum erit. Præsertim cum non videatur admodum differre motus à multis instantaneis mutationibus sibi succedentibus.

Probatur 2. vel hic modus mobilis esset successiuus, vel pmanens, non permanens, quia hoc est contra rationem motus, ergo successiuus; at si successiuus, datur ergo transitus ab vna parte ipsius ad aliam, & tunc quæro, an per hunc transitū significetur nouus aliquis modus in mobili, si affirmes, iterū quæram, an hic modus sit permanens, vel successiuus, & sic in infinitum, si neges, ergo & transitus ipse inter terminos motus poterit esse absque vllo alio modo. Dices, at videtur verè se habere diuersimode subiectum, dum mouetur, ac dum quiescit, ergo per diuersū modum. Resp. se habere diuersimode, non per diuersum modum à terminis motus, sed per successionem diuersorum modorū, qui sunt termini motus, quando .n. quiescit, vnicum tantùm modum permanenter possidet, quando autem mouetur, plures modos sibi succedentes recipit,

De Actione quid dicendum.

SECTIO IV.

Tertia conclusio. Actio differt ex natura rei ab effectu, tamquam modus à re, cuius est modus. Probatur. Non potest denominatio realis mutari sine aliqua mutatione reali, siue intrinseca, siue extrinseca, nam vel relatio ipsa numquam deficit, vel mutatur, nisi fiat mutatio realis vel in fundamento, vel in termino, & ratio videtur euidens, quia si nulla facta est mutatio, res se habent omnino, sicut antea, ergo nulla est ratio, cur non tribuantur eis eadem prædicata realia, & non dependentia ab intellectu nostro, sicut & antea. Atqui effectus, qui modo pendet ab vna causa, potest dependere ab alia per diuinam potentiam, mutabit igitur denominationem realē, cuius assignanda erit aliqua mutatio, at nulla facta est mutatio in causis, nam hæ efficiendo non mutantur, neque in entitate effectus, quia supponimus, eumdem esse priùs ab vna causa, & deinde ab altera saltem quoad conseruationem, ergo oportet saltem dicere, mutatam esse actionem, & dependentiam, & hanc esse mutationem realem, & consequenter actionem esse quid à parte rei distinctum ab ipso effectu.

Præterea videtur etiam non paruum absurdum, quòd res dependens, vt talis, à parte rei non differat ab ea, quæ non dependet. Nam non dependere censetur maxima perfectio, dependere verò imperfectio. Nihil autem differre, sequitur ex contraria sententia, quia non admittit, dependentiam aliquid addere supra entitatem rei, vel ab ipsa aliquid demere. Confirmatur, quia si dependere nil aliud esset, quàm recipere esse, non posset assignari ratio, cur secunda, & tertia persona in diuinis non dependerent, cum à prima recipiant esse. At objiciunt nobis aduersarij; Independentia in Deo est ipsamet eius essentia, ergo idem dicendum erit de dependentia in eo, in quo est. Resp. negandam consequentiam, quoniam in Deo omnia sunt vnum, quæ in nobis distincta sunt, alioqui liceret etiam argumētari, in nobis nulla esse accidentia, quia neque in Deo sunt. Adde, qđ independentia negationem significat, quare non mirum, si per eam non concipiatur aliquid superaddi entitati rei.

Respondent quidam, posse variari realem denominationem absque vlla mutatione, nec in re denominata, neque etiam extra illam, & afferunt instantiam de creatione. Nam Angelus in primo instanti suæ existentiæ dicitur creari, & post illud instans absque vlla mutatione non amplius creatur, sed conseruatur. Verùm dupliciter possemus hanc responsionem reijcere. Primò si dicamus, creationem differre tantùm ratione à conseruatione, vt est communis sententia, tunc enim non mutatur aliqua denominatio realis, sed tantū rationis, quare non mirum, si neq; prærequiratur aliqua realis mutatio. At verò ex eo quòd effectus modò fit ab vna causa, & modò ab alia, mutat denominatio verè realis, & causæ quæ denominantur, sunt inter se realiter distinctæ, ergo oportet admittere aliquam mutationem realem præuiam. Confirmatur, quia alioqui non poterim*

assignare rationem, cur nūc potius, quàm antea, vel post incipiat hic effectus non conseruari ab hac causa, sed ab illa, quòd enim quidam respondent, esse voluntatem Dei, non sufficit, sicut enim ad hoc, vt ego sim albus, non sufficit, vt Deus velit, me esse album, nisi etiam det mihi albedinem, ita ad hoc vt effectus dicatur ab aliqua causa pendere, non sufficit, vt Deus velit, sed oportet etiam, vt à parte rei adsit ratio, per quam re vera depēdeat, eadem enim est ratio vtrobique. Secundò, & melius reijci potest illa responsio, quia supponit falsum, non mutari scilicet Angelum, dū non amplius creatur, sed conseruatur, habet enim durationem successiuam, vt alibi probabimus, ex quo sequitur, vt numquam simpliciter immutabilis perseueret, qđ ex eo nunc ostenditur, quia si aliquid crearetur æternum, numquā dici posset, nunc desijt creari, & incipit conseruari, sed semper crearetur, quia nullam variationē admitteret, sicuti etiam dicimus de Verbo æterno, quod semper generatur, quia videlicet nullam variationem admittit. Si ergo Angelus nunc creatur, & postea conseruatur, signum est, admittere in sua duratione successionem, quæ etiam ex multis alijs capitibus ostendi potest, vt quòd Deus priuare potest Angelum duratione crastina, si ipsum in nihilum redigat, nō potest autem hesterna, ergo hæc est alia ab illa. Si autem, vt plerique alij volunt, Angeli duratio esset tota simul, & indiuisibilis, non posset Angelus hac parte priuari, & non illa, sicuti eius substantia vel tota definit esse, vel tota conseruatur.

Argumēta cōtra motus cū termino identitatem diluuntur.

SECTIO V.

PRimum argumentum contra hanc identitatem, quod scilicet primo loco positū fuit pro prima sententia, erat. Pereunte motu remanet terminus, ergo distinguūtur, & confirmari potest argumento à nobis supra adducto, quia moueri, & non moueri sunt denominationes reales, ergo nō possunt de nouo alteri conuenire, nisi præcedat aliqua realis mutatio, in termino autem nulla adest præter hanc, ꝙ desijt motus, ergo desitio motus est vera, & realis mutatio, cōsequēter per illam desitionem aliquid reale deperdetur, nempe motus. Respondetur, perire motum remanente termino, quoniam de essentia motus est non tantùm terminus ad quem, sed etiam subiectum, & terminus à quo, & cōsequenter ad ipsius desitionem sufficere, quòd non amplius adsit terminus à quo, siue subiectum in quo. Et ita patet ēt ad confirmationē, quia dicimus res quidem nō amplius moueri, tā non sine mutatione reali, quia iam acquisitus est terminus, qui priùs non aderat. Si dicas, per acquisitionē termini, v. g. caloris, dicitur res calefacta, ergo hęc alia denominatio, quòd scilicet desierit moueri, debet fundari in alia mutatione reali. Resp. eamdem mutationem realem fundare posse diuersas denominationes secundum diuersas rationes. Obijcies ergo motus nō magis dicendus erit esse idē cū termino ad quem, quàm cū termino à quo, siue cū subiecto, cū hæc oīa æquè includat. Resp. motū quidē hæc omnia includere, dici tamen

potiùs

potius idem cum termino ad quē, tum quia ab eo speciem recipit, tū quia per aduentū eius mobile censetur moueri, eo enim ipso quòd subiectum recipit calorem, dicitur calefieri, quare calefactio vt motus non immeritò dicitur esse idem cū calore, quamuis alia ratione dici posset idem magis cum subiecto, quia nō est calor, qui mouetur, sed subiectum, quod à frigore pertrāsit ad calorem.

Ad secundum, quod erat ibi 3. deductum ex eo, quòd terminus potest denuo produci, non autem motus, resp. motum non reproduci, non propter aliquid reale distinctum, quod includat, quia nulla esset ratio, cur etiam hoc reale produci non posset. Sed quoniam inter alias conditiones, quæ requiruntur ad vnitatem motus, est tempus non interruptum, quod tempus reparari non potest. Ad confirmationem, quòd non possemus pluribus deambulationibus eumdem terminum acquirere. Respondetur, negandam consequentiam, sufficit enim distinctio rationis, ad hoc vt vna res dicatur multiplicari, & non alia, idem enim, & vnicum fundamentum potest habere plures relationes.

Ad tertium, quod erat ij. pro prima sententia, quòd scilicet subiectum diuersimode se habet, dum mouetur, ac dum quiescit, resp. diuersimode se habere, quoniam nil amplius deperdit, aut acquirit, non propterea tamen sequitur, motum esse aliquid diuersum ab eo, quod acquiritur, quoniam sine alia noua entitate optimè intelligitur mobile diuersimode se habere per solā mutationem, siue successionem termini à quo, & termini ad quem.

Ad quartum, quod erat 12. resp. motum dici sensibile commune, non quòd habeat aliquam propriā entitatem, sed quia sensus percipit illam variationem obiectorum. Percipit enim sensus successionem frigoris, & caloris, non quia ipsa successio sit aliquid à calore, vel frigore diuersum, sed quia vnum sequitur post alium.

Ad quintum, quod erat 13. respondent aliqui, alias proprietates conuenire termino in facto esse, alias eidem in fieri, motum autem esse idem cum termino in fieri, nō verò cū termino in facto esse, quare non mirum, si proprietates, & prædicata, quæ motui conueniunt, non competant termino in facto esse, sufficit enim, quòd de termino in fieri prædicentur. Verùm non omnino satisfacit hæc responsio argumento. Quæro enim, an terminus in fieri differat solùm ratione à termino in facto esse, vel etiam per aliquid reale: Si primum, ergo hæc differentia non sufficit, vt prędicata realia de vno dicantur, & non de alio; si secundum, ergo hoc reale, per quod differt terminus in fieri à se ipso in facto esse, erit motus, quod aduersarij intendunt.

Dicendum est igitur, multa cōuenire motui adæquatè sumpto, quæ non conueniunt termino, quoniam motus adęquatè sūptus includit etiam terminum à quo, & subiectum: Inadæquatè verò sumptus, prout significat terminum, negamus, aliquid realiter motui conuenire, quod non conueniat etiam termino, licet quatenus ratione distinguuntur, aliqua prædicata vni formaliter conuenire possint, quæ non alteri.

Ad sextum, quod erat 14. fateor, hoc argumentum magnam vim habere,

bere, parumq; abesse, vt mihi persuadeam, efficaciter concludere, quia tamen vna est veritas, & rationes, quas pro contraria sententia attulimus, videntur validiores, conandum est, huic occurrere. Respondeo ergo, posse dupliciter contingere, vt termini varientur circa subiectum, idest vel vt mutentur termini intrinseci, vel vt hi termini sint extrinseci, si de terminis intrinsecis loquamur, concedo consequentiam, & nego absurditatem consequentis, si de extrinsecis, negatur consequentia. Ad exempla igitur, si quæratur, an idem sit, hominem moueri ab A ad B, & A, & B variari circa hominem. Resp. idem nõ esse, quia A, & B sunt termini extrinseci, sicuti extrinsecè se habet aer ad turrim. Si autem ponantur esse termini intrinseci, scilicet præsentiæ locales, sic dico, impossibile esse, quòd A, & B varientur circa hominem, ipso immobili persistente. Nam moueri hominem localiter non aliud est, quàm mutare præsentias locales. Dices, non ne videtur magnum adesse discrimen inter motum localem, in quo mobile transit ab vno termino ad alium, & inter motum alterationis in quo termini ipsi, v. g. calor, & frigus, circa idem subiectum sibi succedunt? Respondetur, discrimen quidem adesse, non tamen eo quòd in motu locali motus sit quid diuersum à successione terminorum, sed ex varia natura terminorum. Nam successio terminorum motus localis hoc postulat, vt mobile transferatur ab vno ad alterum, non verò successio terminorum alterationis. Adde, quòd cum termini motus localis sint modi ipsius mobilis, termini verò calefactionis differant realiter à subiecto, illorum successio maiorem mutationem videtur importare subiecto, cum quo maiorem habent identitatem. Ad primam confirmationem respondeo, motum, etiam si poneretur esse modus, non posse ex se vim habere ad producendum calorem, tũ quia efficeret qualitatem nobiliorẽ se, tum quia semper esset causa caloris, videmus autẽ in aqua, & aere esse causam frigoris. Sequitur igitur calor ex conatu, quem homo adhibet, dum se mouet, & ex spirituũ diffusione, qui antea in partibus internis se continebant, ex pororum reseratione, per quos frigidæ exhalationes faciliùs euaporantur, & ex caloris virtualis excitatione. Ad secundam confirmationem resp. non intercedere in replicatione motum localem, quia hic requirit, vt sit idem omnino subiectum sub vtroque termino, in replicatione autem æquiualet subiectum duobus, quare etiam potest simul moueri contrarijs motibus, & sicuti si Deus hominem album in nihilum redigeret, & postea eumdem denuo crearet, sed nigrum, non diceretur iste homo alteratus, siue per alterationem factus esse niger, sed per nouam creationem, ita etiam cũ in replicatione quodammodo idem denuo producatur, non censetur moueri localiter, quamuis acquirat nouam præsentiam localẽ. Ad tertiam confirmationem resp. verè idem esse, hominem moueri localiter, & mutare localem pręsentiam, nec vnum esse causam alterius, videtur tamen prius esse moueri, quàm acquirere nouam præsentiam, quia in moueri includitur abiectio termini à quo, quæ est prior natura, quàm acquisitio termini ad quem. Posterius est etiã acquirere locum, quàm moueri,

quia locus est terminus extrinsecus motus localis, & consequenter præsupponit acquisitionem termini intrinseci, qui est præsentia localis, siue vbi.

Argumenta contra distinctionem actionis à suo termino dissoluuntur.

SECTIO VI.

AD primum, quod afferebatur contra hanc distinctionē pro secunda sententia resp. effectum quidem recipere totum suum esse ab agente, non tamen nihil aliud, nam vt omittam, posse recipere accidentia, saltem recipit modos, sine quibus esse nequit, qualis est ēt dependentia. Ad confirmationem resp. illam regulam de concretis, & abstractis (quicquid sit de veritate illius in cęteris rebus) saltē non esse veram in modis entis. Nā esse in loco, est quidam modus, & tamen substantia ipsa secundum se totam est in loco. Vnio etiam est modus, & tamen partes vniuntur secundum suam propriam substantiam. Sessio est modus, & tamen sedens proprijssimè dicitur de toto homine, ita etiam cum dependentia sit modus, afficit totum effectum, quamuis ab eo ex natura rei distinguatur.

Ad secundum respondeo, disparem esse rationem de agēte, & effectu, idcirco enim in agente non est necesse aliquid ponere, quia aliquid supponitur in effectu, si autē in effectu nihil insit, per quod sit ab agente, cum nec in agente sit aliquid de nouo, nullum aderit fundamētum, per quod dici possit hic effectus esse ab hoc agente. Ponimus autem aliquid de nouo potius in effectu, quàm in producente, quoniam effectus recipit esse, agēs verò nihil recipit, neque mutatur, dum agit, & sicut fundamentum per mutationem solius termini acquirit relationem, ita etiam efficiēs per dependentiam in effectu, quā negamus, non respicere suum determinatū efficiens, dicitur causa.

Ad tertium negatur maior, ad probationem negamus, quæ distinguuntur ex natura rei, distingui ēt semper essentialiter, quia non est necesse, vt sint duæ res, sed sufficit, vt vna se habeat vt modus, altera vt res modificata, sicuti ēt extensio est mod⁹ quātitatis, & saltē in actu primo est de essentia eius, & antiqui Philosophi existimabant, inhærentiam esse de essentia accidentis, quamuis hæc sit modus, consequenter negamus, distinctionem essentialem esse minorem distinctione modali, sed neque affirmamus, esse maiorem, sed diuersam, & ex vna non inferri alteram. Dicere etiam possumus, distingui essentialiter inadæquatè, quatenus actio non est terminus adæquatus, sed aliquid termini, sine quo essentia termini potest quidem inadæquatè concipi, non tamen adæquatè.

Ad quartū, si per esse prius simpliciter intelligatur esse prius in omni genere causæ, concedimus, idem non posse esse altero prius, & posterius; Si verò intelligatur in vno tantùm genere causæ, sic negamus, non enim repugnat, vt aliquid sit prius in aliquo genere causæ, & posterius in alio. Ad impugnationem, quòd scilicet potest existere sine posteriori id, quod est prius; Resp. secundum illam rationem posse prius existere, non tamen simpliciter. Nam & substantia

tia est prior omni accidente, & tamen non potest sine omni accidente existere, neque, vt ego existimo, per diuinā potentiā, nam saltē nō poterit carere oīno modo existēdi.

Ad quintum resp. vt ibi dictum est, actionem pendere se ipsa. Ad impugnationem resp. ex eo quòd effectus esse potest sine hac, vel illa dependētia, colligi quòd distinguatur ab ea, alioqui non posset eā mutare. Cum verò argumentantur, si per indiuisibilem dependentiam ambo dependerent, non posset vnum existere sine altero. Respond. verum esse, nisi adderetur alia dependentia, nam priori ablata, si alia non adueniret, effectus vtique permanere non posset. Ad confirmationem resp. esse ab significare aliquid, in effectu quidē ab ipso distinctum, in actione verò identificatum. Ad aliam impugnationem, quòd scilicet modi dependerent per dependentiam à se distinctam. Respondetur, si à subiectis tantùm dependeāt, se ipsis dependere, quia cum suū esse sit essentialiter modus subiecti, neq; concipi possint sine dependentia ab ipso subiecto, non videntur indigere nouo modo superaddito, at verò effectus quāuis essentialiter pendeat à Deo, non pendet tamen tamquā tale ens, sed tamquā creatura, nam homo vt homo si nō cōcipiatur ēt vt creatura, potest intelligi sine dependētia ab ipso Deo, at mod' nō pōt intelligi sine depēdētia à suo subiecto. Si verò sit sermo de depēdētia ab aliquo extrinseco, q̃ a hęc nō inuoluit tā intrinsecè in ipso modo, de ea cōcedimus, esse q̃d superadditū. Nec est incōueniens, dari modū modi, nā & figura quantitatis est modus, & habet alium modum, quo est præsens loco, extensa, &c.

Ad sextum resp. actionem, qua producitur homo, esse diuersæ rationis ab ea, qua producitur leo, vel aliquid aliud, & includere in sua essentia hominē, nō tamen in recto, sed in obliquo, ex quo non sequitur, vt sit idem cū homine nisi realiter, nō verò ēt ex natura rei.

Ad septimū negatur, actionē esse idem omnino cū motu, nam motus non significat dependentiam, quā significat actio, & ratione cui' differt modaliter à termino.

Ad octauum, quatenus procedit contra actionē, resp. in primo instanti, quo forma gignitur, habere hanc dependentiam à generante. Ad instantiā, quòd non potest aliqua res in eodē instanti incipere, & desinere, resp. verū hoc esse de re, quę habet propriam entitatem, nō verò de modo. Sicuti .n. duo corpora se contingunt, & vniūtur per vltimā partē indiuisibilē, ita ut ille cōctatus incipiat, & desinat in illa prima parte quatenus indiuisibili, & sicut idē instans concipitur incipere, & desinere simul, ita etiā hæc dependentia, cum sit tm̄ quidam modus, qui per se non fit, potest in eodē instanti fieri, & desinere, neque sequitur, idē simul esse, & non esse, sed tantùm esse, & immediatè post non esse. Neque ēt hinc sequitur, instans esse aliquid positiuū, quia hæc dependentia nō est in aliquo instanti indiuisibili, & separato, sed in prima parte durationis ipsius formæ, quatenus indiuisibilis est ab extrinseco, sicut diximus de contactu.

Ad nonū, & decimū non est, cur respōdeamus, probāt .n. id, q̃d nos cōcedim', motū localē nō distīgui à termino, vt sumit inadæquatè.

Ad vndecimum resp. nos iam osten-

ostendisse necessitatem distinguendi actionem ab effectu, quia effectus secundum entitatem suam nō dicit esse ab, sed per modum tantùm superadditum.

Ad duodecimum resp. calefactionem non esse propriè productam à calore, sed esse id, quo calor producit. Ad instantiam, an distinguatur numero, vel specie. Respondetur, & specie, & numero, specie, quia calefactio est in alio prædicamento, numero, quia quæ distinguuntur specie, etiam numero distinguuntur. Dum obijcitur, ergo à calore duo effectus specie distincti producuntur. Respondetur, actionem non esse effectum, sed modum effectus, quare non mirum, si possit simul cum effectu produci.

Ad decimumtertium negamus, eodem pacto se habere calefactionem ad calorem productum, quo se habet virtus calefactiua ad calorem producentem, nam hæc non potest à calore producente separari, illa autem à producto separatur.

Ad decimumquartum resp. effectum cum suo modo non esse propriè duo, sed vnum tantùm, neque est inconueniens, Deum non posse efficere aliquid sine hoc modo, immo est maxima perfectio Dei, vt nihil dari possit, quod ab eo non dependeat. Et confirmatur, quia non potest Deus efficere quantitatem extensam sine aliqua figura, quæ est modus quidam ipsius, supposita sententia communiori, quòd non possint effici infinita: Similiter non potest efficere rem sitam sine aliquo modo, per quem fit præsens alicui loco.

An actio sit quid respectiuum, vel absolutum, quidue tandem sit.

QVÆSTIO XXXVIII.

DVo in hac materia certa sunt apud omnes: alterum est, nō esse actionem relationem prædicamentalem; nam ab Aristotele apertissimè constituitur actio prædicamentum diuersum à relatione, & ratio est, quia vel nō respicit aliud, vel si respicit non tamquam purū terminum, sicuti relatio prædicamentalis. Alterum verò est, actionem esse fundamentum, siue rationem fundandi relationem prædicamentalem inter agens, & patiēs. Quod ergo in dubium vertitur, est an ipsa actio formaliter sit quoddam aliud genus relationis, vel saltem relationem includat.

Prima Sententia Scoti de relatione extrinsecus adueniente, & eius impugnatio.

SECTIO I.

SCotus in 4. sent. d. 13. quæst. 1. in principio duplex genus relationis excogitauit: alterum intrinsecus adueniens appellauit, & hoc dixit, constituere prædicamentum relationis: alterum verò extrinsecus adueniens, quod diuiditur in sex vltima prædicamenta. Relationem intrinsecus aduenientem illam appellat, quæ positis extremis statim consurgit virtute extremorum, nam positis duobus albis, statim consurgit relatio similitudinis; Respectum verò extrinsecus aduenientem illum vocat, qui positis extremis non simul actu insurgit

git virtute extremorum, sed requiritur aliquid aliud externũ, ad hoc vt insurgat relatio. Actio igitur secundum Scotum est quidem relatio, non tamen intrinsecus adueniens, quia spectaret ad quartum prædicamentum, sed extrinsecus adueniens, quia positis agente, & patiente, non statim consurgit, pos sunt enim in mundo adesse ignis, & combustibile lignum, & tamen potest nulla sequi combustio, vel actio, vel quia nõ sint propinqua, vel adsit impedimẽtũ, vel qa Deus subtrahat concursum suum, quod in relatione prædicamentali non contingit, quia neque per diuinã potentiam impediri potest.

Probat hanc suam sententiam Scotus. Quoniam actio non potest esse quid absolutum, ergo relatiuum, sed neq; potest esse aliquid relatiuum prædicamẽtale, & intrinsecus adueniens, ergo erit respectus extrinsecus adueniens. Probat, actionem non esse absolutum quid, quia sequerentur duo absurda. Alterum, quòd ad actionem esset actio, & iterum ad hanc actionem alia actio, & sic in infinitum contra Philosophum in 5. metaph. Cõsequentia probatur, quia si actio est quid absolutum, ergo est forma, hęc autem non potest esse à se, quia nihil gignit seipsum, neque à nihilo, ergo ab aliquo agente, & media aliqua actione. Alterum inconueniẽs est, quia nõ esset subiectum, in quo poneretur, non enim in agente, quia tunc agens in agendo mutaretur, quod est falsum, neque in patiente, quia non posset patiens recipere aliquã qualitatem, vel aliud genus entis, nisi prius mutaretur recipiendo actionem, quare numquam vnica mutatione mutari posset. Est igitur quid respectiuum actio: Quòd verò non sit relatio prędicamentalis, patet per Aristotelem, qui distinguit prædicamentum actionis à relatione.

Hanc autem sententiam præter Scotistas reliqui omnes impugnãt. ac primùm Thomistæ distinctionẽ illam relationum in extrinsecus, & intrinsecus aduenientiũ coarguũt, & meritò, quoniam res distinguuntur per suam essentiam, non verò per extrinseca principia, & in eodem genere, immo & in eadem specie est calor ignis, qui ab intrinseco prouenit, & calor aquæ, qui ab extrinseco ei communicatur, quòd igitur relatio aliqua intrinsecus, siue extrinsecus adueniat, nihil refert ad eius genus. At obijcit contra hanc rationem Suarez, quia videretur tunc tolli etiam distinctio inter relationes prædicamentales, & transcendentales. Sed facilis est responsio, transcendentales relationes nõ p hoc distingui à prædicamentalibus, quòd extrinsecus adueniant, sed alia ratione, vt quia non respiciunt terminum vt purũ terminum, vel alia simili, vt alibi latiùs explicandũ erit, alioqui malè distinguerentur à prędicamentalibus.

Melius posset defendi Scotus, si diceremus, non assignasse ipsum tamquam differentiam essentialẽ relationum, quòd intrinsecus, vel extrinsecus adueniant, sed attulisse tamquam signum, ex quo colligi possit, eas essentialiter distingui.

Præterea impugnat eãdem sententiam Suarez. disp. 48. sect. 1. primò, quòd non sit distinctio adæquata. Nam vnio secundum Scotum est relatio extrinsecus adueniens, & tamen nõ est in aliquo sex

sex prædicamentorum, sed reducitur ad prædicamentum formæ, quæ vnitur. Secundò, datur etiam relatio prædicamentalis, quæ non consurgit positis extremis, vt relatio propinquitatis, ad quam non sufficit, vt duo corpora existãt, sed oportet etiam, vt inuicem non distent. Tertiò, vel Scotus loquitur de relatione agentis ad passum, vel de respectu ipsiusmet actionis ad principium agendi, si primum, falsum est, illum respectum includi in actione, tantùm enim ex ipsa resultat; si secundum, non potest ille respectus actioni extrinsecus aduenire. Dicet tamen Scotus, se loqui de respectu agentis ad passum. Et qua facilitate, inquit Suarez, falsum esse, illum respectum includi in actione, affirmabit ipse, verum esse.

Impugnari præterea potest hæc sententia, quia relatio refert tantũ, & non potest esse ratio, vt aliquid producatur, per actionem omnia fiunt, quæcunque fiunt, igitur. Cõfirmatur, quia nulla relatio efficit, vel antecedit suum terminum, sed ipsum supponit, non enim similitudo parietis albi efficit alium parietem album, sed ex eo quòd ambo sunt albi, resultat similitudo, at actio sæpe efficit, & antecedit suũ terminum, ergo non est relatio. minor patet in actione creatiua, immo & in omni actione, qua fit aliquid de nouo, prior enim est actio, quàm suus terminus, ergo non potest esse relatio. Resp. Scotus, per relationem nihil produci formaliter, & similiter relationẽ producere terminum, vt patet in diuinis. Verùm maior patet ex terminis, relatio enim est ad aliud, productio verò est acquirere propriũ esse. Item relatio se habet vt forma, productio vt via. Præterea si extrinsecus aduenit, non producit suum fundamentum. Ad instantiam resp. relationes in diuinis esse subsistentes, & idcirco posse producere. In hanc autem sententiã puto descendisse Scotum, eò quòd non agnouerit modos; nam vidẽs illa sex vltima prædicamenta, & vnionem, & quædam alia non habere propriam, & integram entitatem, & etiam includere aliquando relationem transcendentalem, existimauit, posse rectè distingui ab entibus perfectis per hanc relationem extrinsecus aduenientem.

Ad primũ argumentũ Scoti respond. non indigere actionẽ alia actione, quoniam est ratio, qua cætera producũtur, vti diximus quæst. præcedenti. Adde, quod & ipse premitur eadem difficultate. Nam si relatio extrinsecus aduenit, ergo indiget agente, à quo producatur, neque enim est ex se, neque ex nihilo, neque resultat ex ipsis terminis, producetur igitur media alia actione, & sic in infinitum.

Ad secundũ quæstione sequenti respondendum erit.

Secunda sententia actionem ab omni respectu absoluens proponitur.

SECTIO II.

Sequuntur hanc sententiã Heruæus quol. 1. quæst. 9. & quol. 7. q. 14. & Iauellus 5. metaph. q. 3. dicunt. n. actionẽ verbi gratia calefaciendi nil aliud esse quàm calorẽ productum ab igne, à quo ipse ignis agens denominatur, quæ denominatio non desumitur à respectu, sed à quadam veluti informatione extrinseca.

Probari potest hæc sentẽtia primò.

mò. Actio est ratio fundandi relationem inter agens, & patiēs, ergo ipsa non est relatio, neque relationem essentialiter includit, alioqui relatio fundaretur in relatione, qđ est absurdū. Secūdò, Arist. 6. phys. tex. 19. ait, actionē esse motū, sed motus est quid absolutū, ergo & actio. Praeterea nulla est necessitas hāc relationē constituendi, optimè .n. intelligitur agens constitutū p actionē à se emanantē absque alia relatione, ergo frustra ponitur.

Haec tamen sentētia, vt rectè notat Suarez loco supra citato, vel falsa est, vel nō, satis rem declarat; falsa est, si intendit verè excludere relationem ab actione, quia non potest intelligi actio, quin & alicuius agentis sit actio, & aliquid per eā producatur, ergo dicit relationem vel ad ipsum agēs, vel ad terminū. Et cōfirmat, quia si actio nil aliud esset, quàm calor pductus, quādiu hic pseueraret, semper denominaret principiū, à quo processit agēs, qđ est falsum; nā saepe ignis est absens, & esto sit praesens, cū calor nō indigeat cōseruāte, nō amplius ab eo pendet, & tñ diceretur ignis agere; Si verò haec sentētia intēdat excludere tm̄ relationē pdicamentalem, & per ipsā denominationē extrinsecā intelligat relationē trāscēdētalē (qđ ipsi tñ nolle vidētur) tunc vera quidē erit, sed non rectè ab eius auctoribus proposita.

Ad primū pro hac sentētia resp. relationē transcendentalem, quoniā inuoluit aliquid absolutū, esse posse fundamentum alterius relationis praedicamentalis.

Ad secundū resp. actionem idē esse cū motu realiter, quatenus hic cum suo termino identificatur, nō tamen esse idem formaliter.

Ad tertium resp. actionē eatenus cōstituere agens, quatenus dicit ordinem ad effectum, nam si per eam nihil produceretur, non vtique agens appellari hoc nomine posset.

Tertia sententia ex absoluto, & respectiuo actionem constitui asserens,

SECTIO III.

Communis est haec sententia, quam sequuntur multi Thomistę, vt refert Suarez, & à qua nec ipse discedit, quamuis in modo explicandi differant eius sectatores. Quidam enim volunt, actionem includere relationem praedicamentalem, quos rectè reprehendit idē Suarez, quoniam non potest res vnius praedicamenti essentialiter constitui per aliud praedicamentū, tunc enim esset in duobus praedicamentis, & praedicamenta non essent impermixta, nec rectè diuisa.

Quoad absolutum verò, quod dicitur in actione includi, volunt nonnulli, esse motum. Nam Arist. 3 phys. tex. 22. ait, actionem, & passionem idem esse cum motu. Praeterea motus vt est à motore nil aliud esse potest, quàm actio, ergo actio, & motus non differunt. Verùm ex dictis quęst. pręcedenti patet, actionem nō esse motum, quia vel hic adaequatè sumitur, & includit etiam terminum à quo, vel inadaequatè, & non differt nisi ratione à termino. Praeterea aliquando fit actio sine motu, vt in creatione, ergo absolutum, quod essentialiter dicit actio, non potest esse motus.

Ad Aristotelem respondeo nil aliud sibi velle, quàm motum non esse sine actione, & aliqua ratione simul cum ipsa identificari realiter, non negat tamen ali-

aliquid dicere actionem, quod non includitur in motu formaliter.

Ad secundum respondeo, motũ, vt est à motore, esse vel actionem, vel passionem, sicuti etiam terminum, verùm motus non dicit formaliter esse ab aliquo, vel à quo est aliquid, sed diuersimodo se habere, à quo abstrahit actio, cũ possit etiam esse instantanea.

Alij, vt Suarez, dicunt, actionem in re ipsa esse dependentiam effectus ab agente, formaliter verò esse respectum transcendentalem ad ipsum agens. Non carent tamen difficultatibus, nam potius actio videtur esse id, à quo dependet effectus, quàm per quod dependet. Præterea etiam effectus, & passio dicunt ordinem ad agens transcendentalem, ab ipsis igitur non differret formaliter actio, quod est falsum, sed pluribus, & commodiùs nostram sententiam explicantes, hanc impugnabimus.

Propria sententia explicatur, & ostenditur, actionem, vt actionem, non dicere relationem ad agens, vt communiter asseritur, sed ad patiens.

SECTIO IV.

Conuenio ergo cum proximè explicata sententia, actionem constitui ex absoluto, & respectiuo: Ex absoluto quidem, quoniã si esset pura relatio, ad prædicamentum vtique relationis spectaret, Præterea relationes transcendentales semper identificantur cum aliquo absoluto, & idcirco dicuntur esse in diuersis prædicamentis. Non potest enim relatio esse sine fundamento, relatio autem transcendentalis non solùm identificatur realiter, sed etiam essentialiter cum illo, & consequenter quod essentialiter includit relationem transcendentalem, debet etiam includere aliquid absolutum, tãquã illius fundamentum. Non sufficit tamen absolutum ad constituendam actionem, quia in absoluto conuenit cum passione, & idcirco oportet, vt per aliquem respectum ab ea distinguatur.

Conuenio etiam in eo, quod asserunt recentiores, actionem in re ipsa non differre à dependentia, quam habet effectus à causa, quoniam si non esset hæc dependentia, oporteret alium nouum modum introducere, qui esset actio, non sunt autem multiplicandi tot modi sine necessitate. Præterea per actionem habet effectus esse dependens à causa, ergo verè actio est ipsius dependentia.

Dissentio tamen à recentiorum sententia in termino huius relationis, quam dicit actio, illi enim affirmant, esse agens, ego verò existimo, esse patiens, siue terminum: illi volunt, actionem dicere esse ab alio, ego verò, esse rationẽ, à qua, siue per quam sit aliud. Probatur hæc nostra sententia primò, quoniam actio se tenet ex parte agentis, est enim veluti forma ipsius, ipsum denominans, atque, vt fatetur Suarez, est vltimus actus potentiæ actiuæ, sed agens est id, à quo est aliquid, ergo & actio erit ratio, & forma, per quã ab eo est aliquid. Potentia actiua est virtus aliquid efficiendi, ergo actio, quę est actus ipsius, erit ratio aliquid efficiendi, & sicuti potentia actiua dicit respectum ad patiens, & ad effectum, nõ autem ad agens, ita etiam ad eumdem dicet respectum actio, in idẽ enim obiectum feruntur potentia,

&

& actus eius, potentia visiua fertur in colorem, & in eumdem fertur visio, quia potentiæ specificantur per suos actus; Si ergo potentia actiua dicit ordinem, vt patet, ad effectum, cur eius actio non dicet ordinem ad eumdem?

Præterea ab actione denominatur agens, ergo quod actio dicit in abstracto, dicere debet agens in cõcreto, si ergo actio dicit esse ab alio, agens quoque erit illud, quod est ab alio, quo nihil dici potest absurdius. Et confirmatur, quia agens tale appellatur, quia ab eo est effectus, ergo nisi velimus nominibus abuti, actio quoque significabit rationem, à qua est effectus, & sicuti agens est principium quod, ita actio erit principium quo, atqui principium quo non dicit relationem ad principium quod, sed ad effectum, ergo idem dicendum erit de actione.

Tertiò, actio se habet tamquam medium, & via inter agens, & patiens, vt autem respicit agens, est ab eo, vt patiens, est à quo ipsum est, at quis non videat, multò magis nomen actionis mereri, quatenus patiens est ab ea, quàm quatenus ipsa est ab agente? quatenus enim respicit agens, se tenet ex parte patiẽtis, & idcirco participat rationem ipsius, quæ est esse ab alio, & consequenter passio potius appellari debet, quàm actio; quatenus verò respicit patiens, se tenet ex parte agentis, & consequenter verè est actio, sicut tepiditas, quatenus comparatur cum calore, appellatur frigus, quatenus verò cũ frigore, appellatur calor. Confirmatur, quia idem accidit in omnibus alijs causis subordinatis, nam quando duæ formæ sunt in materia, prior respectu materiæ est forma, respectu verò alterius formæ est materia, quod verum est, non solùm in formis substantialibus, sed etiam in accidentalibus, nam quantitas est forma respectu materiæ, & se habet vt materia respectu albedinis: Idem accidit in causis finalibus. Nam finis, qui non est vltimus respectu vltimi est medium, sed respectu alterius medij erit finis. Diuitiæ enim sunt finis respectu mercaturæ, medium verò respectu illius rei, ob cuius acquisitionem expenduntur. Idem euenit in vniuersalibus. Nam species subalterna respectu generis superioris est species, sed respectu inferiorum est genus. Idem videmus in genere causæ efficientis, nã causæ secundæ sunt causæ respectu effectuum sublunarium, sed respectu causæ primæ non sunt causæ, sed potius effectus. Instrumentum quoque, vt comparatur cũ causa principali, est patiens motum, & effectus, vt verò cum effectu, est causa mouens, & agens. Idem ergo dicẽdum erit de actione, quòd collata cum agente sit effectus, cũ patiente verò sit actio.

Quartò, si vera esset contraria sententia, sequeretur, actionẽ mereri nomen actionis, etiamsi nullus effectus ex ea sequeretur, quod nõ minùs est absurdum, quàm dari causam sine effectu, nam si daretur actio, vtique denominaret agens, ac proinde si daretur actio sine effectu, sine eodẽ esset etiam agens. Consequentia verò probatur, quoniam priùs concipimus, actionem esse ab agente, quàm effectum esse ab actione, si ergo essentia actionis posita est in respectu ad agens, & de eius essentia non est respectus ad effectum, in illo priori erit verè actio, & nullus aderit effectus.

Quin-

Quintò, actio considerari etiam potest vt effectus agentis, eo pacto enim, quo est, oportet, vt habeat causam producentem; at non alia ratione dici potest effectus agentis, nisi quatenus est ab ipso, eadē igitur ratione erit & actio, & effectus, cum tamen hæ duæ rationes sint maximè oppositæ.

Sextò, si actio dicit tantùm esse ab agēte, quam denominationem, quæso, recipiet, dum consideratur effectus esse ab ipsa? an passionis? verùm passio denominat patiens, & significat receptionem, non verò influxum, à quo est effectus, relinquitur igitur, vt denominetur actio, ergo vt actio dicit relationē ad effectum. Confirmatur, quia cum actio sit medium quid inter agens, & patiens, ipsum patiens eatenus est ab agente, quatenus immediatiùs est ab actione, sed agens denominatur agens, quatenus ab ipso est effectus, ergo & actio dicetur actio, quia & ab ipsa effectus oritur, alioqui si esse ab actione nō sufficeret ad eam hoc nomine cohonestandam, multò minùs sufficeret ad agens, quia quod est remotius, ab eo, quod est immediatius, mensuratur.

Septimò, hæc est perspicua Aristotelis sententia 3. phys. tex. 20. & 22. vbi asserit, actionem *esse actum huius in hoc*, *passionem verò huius ab hoc*; quare non tribuit Aristoteles, vt solent recentiores (esse ab) actioni, sed passioni, actioni verò tribuit *esse huius in hoc*, id est esse actum agentis in passum, actus autem nūquā refertur ad id, cuius est actus, quis enim dicet, visionem videntis ad ipsum referri, & non ad obiectum, in quod tendit? aut paternitatem dicere ordinem ad patrem, & non potius ad filium? cum igitur actio sit actus agentis, non potest ad ipsum referri, & cum tendat in passū, ad ipsum verè referatur.

Obijcies, prius est, actionem esse ab agente, quàm ab ipsa esse passum, quid ergo erit in illo priori? si actio, habemus intentum; si effectus, ergo dabitur effectus sine actione, si passio, ergo erit passio ante actionem. Resp. habere rationem effectus. Ad impugnationem resp. effectum propriè dictū numquam esse sine actione, hunc autem impropriè dictum non indigere in illo priori alia actione. Et sic vt instrumentum priùs mouetur, quàm moueat, ita non mirū, si actio, quę est veluti instrumentum agentis, priùs censeatur ipsa produci, & habere rationem effectus, quàm per eam alia producantur. Adhuc tamen in illo priori habet respectum ad effectum, non vt pręsens, quia supponitur contrarium, sed vt futurum per ipsam, & per hunc respectum dicitur actio, quare verè numquam ita est ab agente, vt non ab ipsa quoque esse consideretur effectus.

Obijcies secundò, non potest relatio, vt nos Scoto obijciebam*, efficere, neque præcedere suum terminum, sed actio præcedit passū, immo & ipsum efficit, ergo nō potest ipsum respicere. Respondetur, actionem non efficere terminū suum tamquam relationem, sed ratione illius absoluti, quod includit. Scotus autem volebat, esse puram relationem. Quoad prioritatem etiam nullum est inconueniens, quòd relatio transcendentalis præcedat suum terminū quoad existētiam, quia potest etiam respicere terminum non existentem.

Obijcies tertiò, actio desumit vni-

vnitatem à principio agente, & sine ipso concipi non potest, & ab eo pendet, ergo dicit ordinem ad illud. Respondetur, hæc omnia probare tantum, actioné se tenere ex parte agentis, & esse actum illius, & veluti formam, non verò ipsum referri. Immo addo, quòd si per impossibile conciperemus, actionem non esse ab agente, & ab ea tamen esse effectum, adhuc dicendá esse actionem, quia non posset nomine magis proprio appellari.

Obijcies quartò, actio est in passo tamquam in subiecto, sed nullū accidens refertur ad suum subiectum; Ergo. Respondet, actioné quidem esse in passo, non tamen vt actionem, quia vt actio se tenet ex parte agentis, negamus præterea, relationem transcendentalem esse nō posse etiam ad subiectum, alioqui accidens non referretur ad substantiam, immo neque passio ad passum, in quo est; volunt autem aduersarij, passionem dicere ordinem ad patiens, actionem verò ad agens, cum nos è contra velimus, actionem dicere relationem ad patiens, passionem verò ad agens, nō negantes tamen, illum respectum dicere actionem ad agens, quem includit forma ad subiectum, quod denominat, quem respectum habet actio, non vt actio, sed vt accidens, nam & Aristoteles inquit, eá esse actum huius, idest agentis in hoc, idest in passum.

An actio transiens sit in agente, vel in passo.

QVÆSTIO XXXIX.

QVærimus de transeunti, nam immanens, vt nomen ipsum indicat, manet in agente, quamuis de hac possit proportionaliter quæstio intelligi an videlicet maneat in agente, quatenus agens est, vel in eodem, quatenus est passum. Dicitur autem actio transiens, non quòd transeat ab agente in passū; ita enim apud eos, qui ponunt actioné in agente, nulla esset actio transiens, & omnino cum sit accidens, non potest transire de subiecto in subiectum, sed quia concipitur à nobis se habere per modū transeuntis, & quia habet effectū extra ipsum agens, quidquid sit de subiecto ipsius actionis.

Prima opinio in agente eam collocans.

SECTIO I.

SCotus in 4. d. 13. q. 1. vt in quæs. præcedenti vidimus, hanc tuetur sententiam, & ibidem etiam retulimus eius fundamenta, eamdē sequitur etiam Caietanus in p. par. q. 25. ar. 2. non tamen propter eadē principia Scoti, sed propter autoritates quasdam S. Thom. qui & ibi inquit, actionem idētificari cū ipso Deo, & 2. contra gentes capite 9. ait, *actio, quæ non est substantia agentis inest ei, sicut accidens subiecto.* Probat etiam ratione, quoniá de actione loquendum est proportionaliter, sicuti etiam de passione, sed passio est in patiēte fundamentum relationis ad ipsum agens, ergo & actio debet esse in agente fundamentum ipsius relationis ad patiens.

Gabriel quoque Vasquez sequitur ex parte hanc sententiam in p. par. disp. 173. cap. 3. inquit enim num. 4. quòd actio, & passio, quæ sunt motus ex genere suo, sunt in passo, sed actio, quæ non est

motus est in agente. In annot. tamen ad ar. 1. q. 41. in actionibus creatis semper inquit in eodem subiecto esse actionem, & passionẽ, quia semper sunt cũ motu, iuxtaq; principia ipsius videretur dicẽdũ, actionem, qua aliquid creatur, esse in Deo (quod tamen ipse negat) quia creationem huiusmodi nil aliud esse vult, quàm relationem.

Probat hanc suam sententiam Vasq. quia actioni si desit motus, & transmutationis ratio, nil aliud videtur esse, quàm pura relatio, nec alio modo à nobis explicari, aut intelligi potest, relatio aũt est in termino, ergo etiam actio in agente.

Secundò, pductiones diuinarũ psonarũ nil aliud sũt, q̃ relationes ipsarum personarum, actiuę quidẽ in personis producentibus, passiuæ verò in personis productis, & nihilominus sunt veræ productiones, habentq; veram rationem influxus actiui, & passiui, seclusis solis imperfectionibus rerum creatarum, ergo eodem modo in creaturis potest intelligi vera ratio actionis, & passionis, atque influxus, etiã si re ipsa non sint, nisi relatio.

Tertiò, si actio esset in passo tãquam modus ipsius ex natura rei distinctus, posset per diuinam potẽtiam separari, at hoc est falsum, quia non põt esse creatura sine relatione ad Deũ tamquã ad creatorẽ.

Quartò, in vniuersum probari potest, actionem esse in agente. Actio, cum sit accidens, debet alteri inesse, at in illo priori, in quo pręcedit rem productam, non potest esse in passo, ergo erit in agente.

Quintò, forma, quæ denominat, debet esse in eo, quod denominat, sed actio denominat agens, ergo in eo esse debet, alioqui enim si esset in passo, denominaret passum, essetq; passum agens. Confirmatur, quia tribuit agenti suum effectum formalem, quia re uera facit esse agens, ergo verè est in ipso.

Sextò, actio est actus, & perfectio agentis, sed omnis perfectio est in eo, quod perficit, ergo actio erit in agente. Confirmatur, quia omnis actus secundus recipitur in primo, sed actio est actus secundus potentiæ actiuæ, ergo in ea etiam debet esse, eiusdem enim est actus, cuius est & potentia ex Aristotele cap. de somno, & vigilia.

Septimò, quando ab vnico igne plura ligna comburuntur, per vnicam actionem dicitur id efficere, ergo actio est in ipso, nam si esset in lignis, tot vtiq; essent actiones, quot ligna, quia nõ põt idẽ accidẽs numero esse in plurib⁹ subiectis.

Octauò, opposita non possunt esse simul, sed actio, & passio sunt opposita, ergo non possunt esse simul, cum ergo passio sit in passo, non poterit in eodem esse actio.

Nonò, agẽs est posterius forma, à qua denominatur agens, prior est enim forma, quàm suus effectus formalis, veluti albedo albo, at si actio esset in passo, esset actio eodẽ agente posterior, idem igitur esset prius, & posterius, qđ est absurdũ.

Decimò, si actio esset modus patientis, daretur motus ad actionẽ, & dum quis recipit formam, duplicem mutationem subiret, sicut supra nos argumentabamur de motu.

Vndecimò, eadem videtur esse sententia Aristotelis, nam 8. phys. nititur probare, mundum ab eterno conditum fuisse, quia alioqui Deus mutatus fuisset, cum ex non creatore factus esset creator, quæ consequentia nulla esset, nisi supponeret, per actionẽ mutari agens,

& consequenter in eodem ipso recipi. Praeterea secundo de Coelo tex. 17. inquit, vnumquodque esse propter operationem tamquam p bonum suum, at bonũ vniuscuiusque debet esse in ipso, cuius est bonum, ergo & actio, siue operatio in agente, & operante. Tertiò in secundo de anima tex. 29. docet, actum esse in eo, cuius actus, sed 3. phys. tex. 20. docet, actionem esse actum agentis, ergo erit in ipso 4. ex 5. metaph. tex. 20. vbi affirmat, actionem esse fundamentum relationis, quam habet agens ad patiens, sed fundamentum est in eo, in quo est relatio, ergo actio erit in agente.

Secunda sententia, actionem in patiente esse, proponitur, & probatur.

SECTIO II.

Communis est haec sententia, quam ex professo docet Aristoteles 3. phys. tex. 18. & sequentibus, & cum eo reliqui Peripatetici ferè omnes, vt referunt Doct. Conimb. 3. phys. cap. 3. q. 1. art. 2. & Peter. lib. 13. cap. 7. quare etiam Caietanus loco supra citato inquit, suam illã doctrinam latuisse Philosophos in 3. phys.

Primum ergo argumentum pro hac sententia est autoritas Aristotelis, & caeterorum Philosophorũ, cui ne videatur repugnare Caietanus, respondet, actionem propter perficiendum passum esse, & propterea dici perfectionem passi, & esse in passo. Verùm non satisfacit, quoniam Aristoteles probat, actionem non esse in agente, quia alioqui agens mutaretur, ergo loquitur de ipsa vera existentia actionis, non verò de ea sub ratione perfectionis. Praeterea actio est perfectio passi effectiua, formalis verò agentis, è contra verò perfectio passi formalis est passio, ergo hac ratione potius dicendum esset, in agente esse, quàm in passo.

Scotistae verò, vt Faber Theor. 42. cum Scoto dicunt, actionem posse sumi dupliciter, primò scilicet pro re acta includendo respectum ab alio. Secundò, magis propriè pro respectu extrinseco aduenіente agentis ad passum. Priori modo dicunt, esse in passo, & de eo locutum esse Aristotelem. Posteriori verò esse in agente. Verùm haec distinctio ad effugiendam tantùm argumenti vim excogitata facilè refellitur. Nam prior sensus actionis non conuenit actioni, sed patienti, actio enim non potest esse res acta, neque est respectus rei actae ad agens, quia hic supponit rem actam, & consequenter etiam actionem. Posterior verò sensus supra sufficienter est impugnatus.

Praeterea ratione probat Herueus 4. quolib. q. 4. hanc eamdem sententiam, quia si actio esset in agente, vel esset principium actiuũ agentis, vel relatio, vel aliquid de nouo, nullum autem horum esse potest, non principium actiuum, quia hoc est in agente, etiam quãdo non agit, actio verò nequaquã, non relatio, quia actio spectaret ad praedicamentum relationis, neque aliquid de nouo, quia agens agendo mutaretur, quod est falsum.

Probat eamdem Pererius, quia actio est motus, si ergo esset in agẽte, sequeretur, agens eodem motu moueri, quo mouet, quod est absurdum. Sequeretur etiam, mouens simul producere duos motus,

idest actionem, & passionem, & agens esse prius, & posterius actione, prius in ratione causæ efficientis, posterius in ratione materialis, & formalis, cum agens sit formaliter tale per actionem sibi inhærentem.

Doctores Connimb. eamdẽ cõfirmãt, quia actio est idem realiter cũ termino, at terminus est in passo, ergo & actio. Item quia alioqui nulla esset distinctio inter actionẽ immanentem, & transeuntem.

Ex his tamen rationibus nonnullæ petunt principium, vt quòd actio sit idem cum motu, vel termino: Aliæ concludunt tantùm supposito, quòd actio sit aliquid nouũ superadditum efficienti, tunc enim re vera non potest defendi, quin agens agendo mutetur, ex quo multa incommoda inferri possent. At cõtra eos, qui dicunt, actionem esse tantùm relationem, vt inquit Scotus, vel ipsum agens, quatenus ab eo est effectus, nullam vim habent.

Propria sententia explicatur.

SECTIO III.

Quamuis non mihi videatur à communi sententia discedẽdum, arbitror tamen, firmioribus rationibus eam esse stabiliendam, quibus non solùm veterum, sed etiam recentiorum opiniones contrarię eneruentur.

Dico ergo primò. Non idcirco actio est in passo, vel idem realiter cum termino, quia sit idem cũ motu. Hoc dictum est contra sententiã Vasquez. Probo autẽ, quoniam prius est, actionem non esse in agente, quàm identificari cum motu: sed quod est prius, nõ potest pendere à posteriori; igitur quòd actio non sit in agente, nõ pendet à motu. Maior probatur, quoniam si actio esset in agente, vtique esset prior motu, qui prodiret ab ipso agente, neque motus posset abstrahere actionem ab agente, & eã ponere in passo, ergo oportet, motum supponere, actionẽ non esse in agente, ad hoc vt possit eã sibi identificare. Prius est igitur, actionem non esse in agente, quàm esse identificatam cum motu. Cõfirmatur, quia etiamsi actio sit idem cũ motu, tamen ratione est prior, ergo nõ ex eo, quod est idem cum motu, non est in agente; quia etiam in illo priori in eodem non est.

Secundò, non alia ratione actio est idẽ cũ motu, nisi quia idem est terminus actionis, & motus, ergo actio nõ est idem cũ termino, quia sit idem cũ motu, sed è cõtra, quia identificatur cum termino, dicitur esse idem cũ motu. Cõsequẽtia per se clara est. Antecedens probatur, quia actioni conuenit essentialiter habere terminũ, at verò à motu abstrahit, neque ab eo formaliter includitur, neq; eum includit, ergo si est idẽ cum eo, est idẽ tantũ materialiter ratione subiecti, quod est terminus. Porro actionem abstrahere à motu, patet, tum quia multa agentia sine motu agunt, tũ ẽt quia ratio actionis est, à qua fit aliquid, motus verò, diuersimodè se habere, quæ sunt longè diuersa. Sequitur igit, vt tm̃ materialiter, quatenus sunt in termino, sint idem.

Tertiò, si aer in eodem instanti crearet, & illuminaret, fieret illa illuminatio sine motu & mutatione, vt ipse fatetur Vasquez; tunc autem quæro, an actio esset idem cum termino, & in passo nec ne? si

si affirmet, ergo et sine motu actio identificatur cũ termino, si neget, ergo etiam quando erit cum motu actio illuminationis, nõ erit idẽ cum termino. Nam sol quantum est ex parte sua, semper eodem pacto illuminat: Item sequeretur alioqui, quòd eadem actio cõtinua partim esset in agente, & partim in passo. Nam illuminet sol aerẽ, vt quatuor in primo instanti creationis, deinde immediatè intendat lumen successiuè vsque ad octauũ gradum, tunc illa prior illuminatio, quæ facta est in instanti, quatenus actio erit in agente, sequens verò illuminatio, quæ facta est successiuè, & cum priori continuatur, sicut linea cum puncto, erit in passo, quod asserere, valde ridiculũ, vel puerile esset.

Quartò, etiamsi actio nõ fiat cũ motu, effectus verè per eam fluit, & pendet ab agẽte, vel ergo hoc sufficit ad actionem constituendam in passo, vel non: si sufficit, ergo etiam si non adsit motus, actio erit in passo, quia adest sufficiens ratio in eo essendi, si non sufficit, ergo neque si motus adsit, in eo erit, quia munus actionis est, quod explicauimus; si ergo hoc præstare potest, etiam si sit in agente, nulla adest ratio eam in passo constituendi.

Quintò, etiamsi nõ adsit motus, semper passio est in patiente, ergo & actio, quæ cum passione realiter identificatur, neque enim dici potest, actionem eatenus tantùm esse idem cum passione, quatenus cum motu conueniunt, quoniam actio maiorem affinitatem habet cum passione, quàm cum motu. Præterea si actio ex propria natura esset à passione distincta, non posset per motum identificari, quia semper cum ea retineret eamdem oppositionem, & diuersitatem.

Sextò, etiam si actio sit sine motu, aliquid tamen significat, & addit præter agens, & patiens, vt supra probatum est, ergo etiam si sit sine motu, erit in patiente: Consequentia est clara, vt argumenta in confirmationem secundæ sententiæ adducta confirmant, quia alioqui agens mutaretur. Patet igitur, non rectè assignatam esse rationem à Vasquez, cur actio sit in passo.

Dico secundò, etiamsi actio nihil noui superadderet agenti, vel effectui, probabilissimum esse, in passo ipsam debere constitui. Hoc dictum quamuis sit consonum sententiæ communi, ab eius tamen sectatoribus non probatur, quia supponunt, actionẽ esse aliquid præter agens, & habet etiam hoc dictum peculiarem difficultatẽ, quia si actio nihil addit supra agens, vel patiens, ergo est tantùm quædam denominatio, quæ vel debet tribui illi subiecto, quod denominatur, vel nõ est ratio, cur potius in hoc, quàm in illo esse dicatur.

Probatur nihilominus nostrum dictum, quoniam agere est de natura sua denominatio ab extrinseco desumpta (loquimur enim hic tantùm de actionibus transeuntibus) quod enim agit, supponitur habere effectum extra se, ergo debet desumi ab extrinseca forma, alioqui erit denominatio ab intrinseco. Desumit autem denominationem ab actione, ergo hæc est forma extrinseca.

Secundò, si actio non poneretur in passo, nulla esset ratio, cur effectus eius dicẽdus esset poti⁹ in hoc, quàm in illo subiecto esse, vel hic, quàm alibi, effectus enim sequitur

actio-

actionem, si autem actio est in agente, nulla est ratio, cur potius effectus sit in vno, quàm in alio subiecto.

Dices; sicut modo determinatur actio à præsentia subiecti, vel à voluntate agentis, ita tunc ab ijsdem posset determinari effectus. Respondetur, non posse his determinari, alioqui per actionem etiam immanentem posset immutari subiectum externum. Præterea ab actione indeterminata non potest prouenire nisi indeterminatus effectus, qualis enim est actio, talis debet esse terminus ipsius, qui per ipsam habet esse, sed si actio sit in agente, erit indeterminata ad hoc, & ad illud subiectum, ergo etiam effectus ipse.

Tertiò, actio ex propria natura est via ad patiens, at de ratione viæ est contingere terminũ, ergo actioni, vt actio est, conuenit identificari cum termino.

Quartò, si actio poneretur in agente, aliud esse non posset, quàm relatio, quia non esset potentia actiua, neque substantia agentis, vt patet. Præterea si esset aliquid absolutum, posset conseruari sine patiente, ex duobus enim capitibus vnum esse nequit sine altero, aut quia sint idem realiter, aut quia vnum essentialiter respiciat alterum, si autem actio sit quid absolutũ, essentialiter nihil aliud respiciet, si in agente, non erit idem realiter cum patiente, vel effectu, poterit igitur conseruari actio per diuinam potentiam absque vllo effectu, quod repugnat. Quòd autem neque sit relatio, supra ostensum est, quia relatio supponit terminum, at actio efficit: relatio tantùm dicit esse ad aliud, & se habet per modum formæ permanentis; at verò actio est verus, & realis influxus, & cõcipitur p modũ viæ. Si dicas, vera hæc esse de relatione prędicamentali, non autem de transcendentali, occurram, quia relatio transcendentalis semper inuoluit aliquid absolutum, neque vnquã aduenit sola, idcirco enim non ponitur in prædicamento relationis, neque aliud prædicamentum peculiare constituit, quia identificatur cum absoluto, neque sine eo intelligi potest, quare non possumus cõcipere, aliquid fieri agens per aduentum tantùm relationis transcendentalis.

Quintò, si actio, etiam posito qd nihil noui superadderet siue agenti, siue effectui, non esset in passo, sed in agente, sequeretur, quòd necessariò semper esset in agente etiã, si diceret aliquid noui, vel quòd ei repugnaret aliquid noui significare. Sequela probatur, quoniam, vt supra contra Vasquez argumentabamur; Prius est, actionem non identificari cum agente, quàm idẽ esse cum motu, ergo etiam prius est, non identificari cum agente, quàm esse in passo, vel dicere aliquid noui, quoniam ante omnia concipitur actio esse ab agente, ergo si eius natura postularet, vt esset in agente, non posset per aliquid superueniens ab eo auelli, sed omne, quod eius existentiæ in agente repugnaret, respueret. Confirmatur, quia re vera non idcirco actio est in passo, q̃ dicat aliquid noui, sed potius idcirco aliquid noui dicit, quia est in passo, quamuis ex illo, tãquã à posteriori nos hic argumentemur. Nam & actio est modus quidam ipsius effectus, & consequenter prius est, identificari cum illo, quàm aliquid noui dicere, & si in eo non esset, nil noui

ui secum afferret. Præterea ex eo quod aliquid noui dicit, nō sequitur saltem à priori, vt sit in passo. Ponamus enim, aliquod agens nō posse agere, nisi mutetur, vt in agētibus naturalibus solet contingere, & etiam in agentibus liberis, si quando ex nolentibus fiunt volentes, licet ne tunc argumentari, Ad actionem requiritur aliqua noua mutatio, ergo hęc debet esse in passo, & non in agente? nequaquam, ergo eodem pacto si actio ex natura sua secum affert aliquid noui, non propter hoc debet esse in passo, nisi alioqui ei conueniat. Confirmatur exemplo de relatione. Nam quidam censent, relationem distingui à fundamento, & consequenter aliquid noui afferre, cum ei aduenit; at ex eo, qđ agens agit, acquirit relationem, dicemus ne igitur hac opinione posita, relationem esse in passo, quia aliquid noui secum affert? nequaquam, quia ex natura sua postulat, vt sit in agēte, ergo eodem pacto si actio ex natura sua postularet, vt esset in agēte, non ex eo, quòd aliquid noui secum afferret, esset ab eo excludenda, sed vel dicēdum, agens aliquid noui acquirere, vel actionem nihil noui significare sibi identificatum, sed tantùm aliquid noui extrinsecum.

Dicendum est igitur, actionem ex natura sua, siue aliquid noui dicat, siue non, siue cum motu coniuncta sit, siue ab eo separata, semper sibi vendicare existentiam in passo, quia est influxus quidam agentis in ipsum, ex quo deducitur, vt etiam in actionibus immanentibus actio sit quidem in agēte, non tamen quatenus agens est, sed quatenus patiens.

Ad rationem autem, quę contra hoc dictum afferebatur. Respond. quòd quamuis actio denominet agens, dat tamen quamdam denominationem ab extrinseco dependentem, & idcirco etiam forma ipsa debet esse extrinseca. Ad alterā partē, nihil scilicet referre, quòd in hoc subiecto, vel in illo ponatur, patet ex dictis, non deesse rationes, cur potius in passo sit collocanda, quàm in agente.

Argumenta primæ sententiæ diluuntur.

SECTIO IV.

Fundamenta Scoti supra iam euersa sunt, ostendimus enim, actionem non esse relationem extrinsecè aduenientem, vt ipse existimabat.

Ad fundamentum Caiet. quod spectat ad autoritates S. Thomæ. Resp. ipsum, vel loqui de actionibus immanētibus, vel dicere, agēs esse subiectum actionis quoad denominationem, & quia se teneta actio ex parte agentis, vt quæstione superiori explicauimus, alioqui.n. non desunt multa loca S. Thomæ, in quibus apertè affirmat, actionē esse in passo, quare & Thomistæ hanc sententiam frequentius sequuntur.

Ad argumētum ipsius negam⁹, in hoc adesse paritatem inter actionem, & passionē, & ratio est, quia actio, vt inquit Aristoteles, est act⁹ huius in hoc, idest agentis in passum, & consequenter debet esse in passo, at passio est act⁹ huius ab hoc, at esse ab hoc non dicit esse in illo, sed extra illum, & consequenter non debet passio poni in agente, sicut actio in passo.

Ad

Ad primum argumentū Vasq. negam*, actionem detracto motu nil aliud esse, quàm relationem, vel ad modum relationis concipi. Nam actio semper etiam sine motu significat aliquid, à quo fit aliud, Relatio vero esse ad aliud: relatio nullum dicit influxum, sed proprium esse relatiui ordinat ad aliud, actio vero dicit influxum, quo producitur aliquid aliud, quare mihi videntur toto cœlo diuersa, & numquam contrarium, vel imaginari potui.

Ad secundum negamus, productiones personarum in diuinis nil aliud esse, quàm relationes formaliter loquendo, non enim sunt minùs veræ productiones, quā creatæ, sed in creatis pater non generat filium per suam relationē, sed per verum, & realem influxum, ergo idem dicendum est in diuinis. Et confirmatur, quia pater per generationem communicat filio essentiam propriam, at hoc non potest intelligi fieri per relationem, quia relatio non est ratio identitatis, sed diuersitatis, & quatenus pater referiur ad filium, differt ab eo realiter, quatenus vero communicat illi suam propriam essentiam, idem est realiter cum illo, ergo cōmunicare essentiam, non est referri ad illum. Confirmatur ex productione actiua Spiritussancti, quæ non potest dici relatio, quia pater, & filius producunt Spiritumsanctum formaliter, vt constituti per suas proprias relationes, non verò vt constituti per relationem spirationis, quia sequeretur, spiratorem vel esse nouum suppositum in diuinis, vel saltem identicè tantùm conuenire Patri, & Filio, Spiritū-sanctum producere, quod est falsum. Cum igitur Pater, & Filius producant Spiritumsanctum, vt constituti per proprias relationes, sequitur, vt relatio spirationis actiuæ concipiatur posteriùs aduenire, & consequenter non sit ipsa formalis productio, sed de his latiùs suo loco.

Ad tertium resp. ad cognoscendam distinctionem alicuius modi, vel rei ab altera, non esse necesse, vt in omnibus rebus, in quibus reperiuntur, separari possint, sed satis est, quòd in aliquibus, ex illis enī possumus deinde argumentari, quid de reliquis sit dicendū, alioqui ad quid ratiocinatio nobis deseruit, si ea tantùm, quæ videmus, & tangimus, admittere volumus? numquid quia in angelis numquā separata fuit natura à subsistentia, negabimus earum distinctionem? vel si per impossibile non possit aliquis angelus moueri, idcirco negaremus, ipsum à loco differre, vel carere vbi, quo esset in loco? non essent hæc philosopho, vel theologo digna. Porro in aliquibus creaturam separari à modo creationis, ipsemet Vasquez fatetur, admittit enim, posse Deum creare formam materialem, & iterum eo modo eam priuare, quia potest efficere, vt à materia dependeat; potest igitur illa forma, & esse cum modo creationis, & sine eo, ergo creatio verè differt ex natura rei ab ipsa re creata, quod ipse negabat. At, inquit ipse, in Angelis non potest separari, ergo non erit modus ab eis distinctus. Sed neganda est consequentia, quoniam, vt supradiximus, ad cognoscendam distinctionem sufficit, quòd in aliquibus separetur, si enim creatio in aliqua forma est modus, ergo vbicunque erit modus, non enim differunt essentialiter creatio formæ

ma-

materialis, & angeli, & inauditum est, eamdem rem alicui esse modũ, alteri verò substantiam: Confirmatur, quia si creatio respectu Angeli nõ esset modus, ratio esset, quia angelica substantia talem productionem ex natura sua deposceret, ergo etiam in forma materiali eductio, siue generatio non esset modus, quia talem productionem ex natura sua postulat, cuius tamen contrariũ admittit Vasquez, quia per diuinam potentiam creari potest, quod ergo Angeli è materia educi non possint, non ex eo prouenit, quòd creatio sit identificata cũ ipsorum natura alioquì non haberent hoc à sua ipsorum essentia, sed naturæ creationis acceptum referrent, quod falsum est, cum non possе educi, ex natura suæ ipsorũ substantiæ immaterialis proueniat, ergo quod spectat ad creationem, im pertinens est, quòd possint, siue nõ possint educi.

Prætereà addo etiam, in ipsis Angelis creationem, siue conseruationem (idem enim sunt) mutari, quia successiuè conseruantur a Deo, & conseruatio hodierna est diuersa à conseruatione hesterna, quicquid alij dicant, nam post datam hesternam poterat Deus conferre, & non conferre hodiernam, si ergo est diuersa conseruatio, & tamen eadem substantia, ergo conseruatio mutatur, & est modus ipsius.

Ad quartum negat Suarez disp. 48. sect. 4 actionem habere subiectum inhæsionis, sufficere autem, quòd habeat adhæsionis, quia cõcipitur adhærere, & denominare agens, si quando autem habet, est ratione termini. Hæc tamen eius doctrina, quamuis probabilis sit, non videtur tamen Peripatetica, quia omnes Aristotelis discipuli reponunt actionem inter prædicamẽta accidẽtium, de quorum essentia est inhærentia saltem aptitudinalis, præsertim cum non tantũ sit accidens logicum, sed etiã physicum, quia re uera est extra substantiam rei, neque sufficit dicere, hoc illi conuenire ratione termini, quia tunc nõ magis poneretur inter accidentia, quàm in substantiæ prędicamento, cum possit habere pro termino etiam substantiam, neque esset per se accidens, sicut neque motus habet peculiare prædicamentum, quia sequitur naturam termini, & Aristoteles ait, actionẽ esse actum huius in hoc, quòd si in hoc, ergo habet subiectum, & quamuis non immeritò, vt actio, non dicatur habere subiectum, nõ tamen videtur ei tamquam accidẽti denegandum.

Aliter ergo responderem, actionem in omni instãti temporis esse in aliquo subiecto, scilicet in termino, in aliquo verò priori naturæ non esse necesse, vt sit actu in subiecto, sed satis esse, vt sit aptitudine, respiciatq́; subiectum, quia de essentia accidentis non est, inesse actu, sed habere ad hoc aptitudinẽ, quoniam igitur actio dicit in essentia sua ordinem ad effectum, in eo etiam priori instanti naturæ, in quo concipitur esse ab agente tantùm, non est quidem in subiecto, dicit tamen aptitudinem, & ordinem ad subiectum, & hoc sufficit.

Ad quintum respondeo, non omnem formam denominare subiectum, in quo est, secundum omnem rationem, sed posse secundum vnam rationem denominare subiectum, in quo est, & secundũ aliam aliud etiam subiectum, sic enim videmus, locum denominare

suum subiectum locans, corpus verò contentum locatum; quamuis in eo non sit, quare non mirum, si etiam actio secundum aliquam rationem denominet agens, in quo non est, & non passum. Ad confirmationem de effectu formali resp. eo pacto, quo actio est forma, tribuere etiam effectum formalem, porro respectu agentis est forma extrinseca, respectu verò passi forma intrinseca, quare non mirum, si passo quidem tribuit effectum formalem intrinsecum, qui est esse ab agente; agenti verò extrinsecum, qui est, esse à quo est aliquid. Dices, effectus formalis non potest separari à forma, esse à quo, separatur ab actione, quia conuenit alteri subiecto, ergo non est effectus eius formalis. Resp. à forma intrinseca non posse separari effectum formalem, posse tamen à forma extrinseca. Nam & habitus denominat habentem, & ei tribuit effectum formalem, cum tamen sit forma extrinseca, quia & ipsa forma tribuit se ipsam extrinsecè: qui tamen effectus melius diceretur denominatio extrinseca.

Ad sextum respondeo actionem esse perfectionem extrinsecam agentis, non enim per eam perficitur intrinsecè, sed dicitur extrinsecè perfici, quatenus videtur consequi finem, propter quem creatū e[illegible]. Ad confirmationem respondeo, actum secundum informantē recipi in primo, non verò actum tra[illegible]euntem. Concedimus etiam, actionem esse actum agentis, sed ad hoc sufficit, vt ab ipso procedat, & ex parte illius se teneat.

Ad [s]eptimum respondent Conim[illegible]ices ad quartum, tot verè esse actiones, quot sunt ligna, non tamen multiplicari agentia, quia vt concreta multiplicentur, non sufficit formarum multiplicatio, sed requiritur præterea suppositorum multitudo. Quæ responsio probabilis est, attamen communi modo loquendi solet dici vnica actio illa, quæ prouenit eodē tempore ab vnico agente, quoniam actio se tenet ex parte agentis, quę est vnum, & ita poterimus ēt dicere, vnicam esse actionem formaliter; quia egreditur ab agente vt vna, & quāuis recipiatur in pluribus subiectis, tñ dum consideratur recepta, iam videtur induere rationē passionis. Dices, at quomodo vna actio poterit respondere duabus passionibus? Resp. nullum esse inconueniens, quòd duæ passiones partiales respondeant vni actioni totali.

Ad octauum respondet Suarez, actionem, & passionem non esse formas oppositas, sed tantùm diuersas; reuera tamen si agens, & patiens opponuntur, videtur etiā concedendum, quòd actio, & passio opponantur. Resp. igitur, opponi, sed tantùm formaliter, non verò realiter, & idcirco esse non posse simul formaliter, posse tamen realiter, & ita sunt realiter in eodē subiecto, formaliter autē non sunt simul, quia actio denominat agēs, passio passum, neq; actio, vt actio, est in subiecto, sed est, à quo est subiectum.

Ad nonum respondeo, dictum Aristotelis in eo fundari, ꝙ existimabat, Deum agere ex necessitate naturæ, quod enim liberè non agit, fieri non potest ex non operāte operans sine mutatione vel subiecti, vel sui, ante creationem autem nulla poterat præcedere mutatio subiecti, ergo ponenda erat

in

in Deo, in quo tñ errauit valde Aristoteles. Deus enim, qui liberum condidit hominẽ, non potest non esse liber; vel existimauit falsè Aristoteles, in Deo futurã mutationẽ voluntatis, dũ voluit creare mundum, cum prius nollet, in quo tñ ẽt errauit, quia sine vlla mutatione ab æterno voluit Deus condere mundum, sed in tempore. Ad locum de cœlo dicimus, actionem esse bonum operantis, sed extrinsecum, si de operatione transeunte loquamur. Ad secundum de anima iam dictum est, debere intelligi de actu immanente, & informante. Ad locum ex 4. metaphi vbi dicitur, actionem esse fundamentum relationis. Resp. actionem non esse propriè fundamentum, sed rationem fundandi.

Ad decimum respondeo, nullũ esse inconueniens, quòd in diuerso genere idem sit prius, & posterius eodem. Agens igitur erit posterius actione in genere causæ materialis, erit prius in genere causæ efficientis. Quæres, an in illo priori in genere causæ efficientis, dum producit actionẽ, dici possit agẽs, videtur enim dici posse, quia verè agit; è contra, cum nondum adsit actio, non videtur dici posse. Respõdeo, nõ posse concipi agens sine actione, & licet dicatur esse prius in genere causæ efficientis, ista tamen non est prioritas in quo, sed à quo, idest nõ quòd possimus assignare aliquod instans, in quo concipiatur agens sine actione, sed quia actio est ab agente, sicuti etiã in diuinis dicitur Pater esse prior filio origine, non natura, idest esse prior à quo, non in quo. Si tamen concederemus, dari instans in quo, dicendum esset, in eo esse agens materialiter agens, non verò formaliter.

Ad vndecimum respondere primò potest, quòd sicut ad actionem non datur alia actio, ita neq; opus est motu. Secundò, & melius, re vera dari motum ad actionem, si enim supponamus, aliquod lumẽ conseruari nunc à Sole, ac deinde conseruari à Deo, dabitur mutatio in lumine, cuius terminus ad quem alius non erit, quàm actio, idest illa dependentia, quæ realiter est actio, quando tamen actio est simul cum termino, non opus est motu diuerso à motu termini, quia simul producuntur, neque terminus mutatur, quia non transit ab vno modo ad alium, neque etiam subiectum, quia actio non est modus subiecti, sed termini. Dices, ergo quod gignitur, immediatè post generationem mutabitur, nã in instanti generationis habet dependentiam ab agente immediatè, post non habet, quia pendet tantùm in fieri, & non in facto esse, ergo immediatè post mutatum est. Respond. mutatum esse, sed non posse assignari, quando primò mutatum sit, sicut dum vnum corpus aliud tangit, non potest assignari, quęnam pars corporis sit immediata post contactum.

Dices, si hoc argumentum non habet vim, ergo neque illud, quod nos fecimus contra motum. videtur enim esse par ratio de actione, & de motu. Resp. esse dispatem rationem, quia repugnantiam inuoluit, aliquid post motum mutari, at verò post actionem mutari, nullum est inconueniens.

Quid sit Passio, & quomodo ab actione distinguatur.

QVÆSTIO XL.

PAssionis nomen tripliciter vsur pari solet. Primò pro animi affectibus, amore, ira &c. Deinde pro quadam specie qualitatis, nã in tertia specie qualitatis ponuntur passio, & passibilis qualitas: Demum prout actioni respondet, & ponitur sextum prædicamentum, de qua etiam Aristoteles tum hic, tum etiam in 3. physicorum simul cum actione agit, & cum secuti cęteri philosophi, quare conueniũt omnes, de passione hoc tertio modo sumpta (de quã nos hic tantũ agimus) proportionaliter loquendum esse, sicut etiam de actione. Quare qui dicunt, actionem esse relationem extrinsecus aduenientem; idipsum asserunt de passione, & qui actionem differre tantùm ratione à termino, nihilo magis volũt differre passionem, quas sententias cum nos de actione refutauerimus, non erit pro passione contra easdem pugnandum. Remanet tamen inquirendum, quid formaliter sit passio, & quomodo se habeat ad actionem, & ad motum.



Communis sententia recentiorum de Passione explicatur.

SECTIO I.

IN aliquot dicta, vt facilius percipiatur, hanc communem sententiam redigemus. Primum autem est. Passionem formaliter dicere relationem ad passum, non autem ad agens, quam relationẽ explicant per esse in. Dicunt enim, actionem habere respectum ad agens per esse ab, & consequenter passionem ad passum per esse in. Ita Suarez disp. 49. sect. 1. & sequẽtibus. Tolet. q. 2. in 3. phys. Ruuius in 3 phys. q. 6. & alij.

Probat hanc sententiam Suarez sect. 2. nu. 7. Nam omnis actio actuans dicit habitudinem ad potentiam, cuius est actus: Sed passio est actus passi, vt passum est, ergo dicit habitudinem intrinsecam ad illud. Confirmatur, quia passio debet saltem ratione differre ab actione, ergo cum actio dicat ordinem ad agens, debet passio dicere habitudinem ad passum.

Secundum dictum est. Passionem esse receptionem formæ in subiecto. Probatur hoc dictum, quoniam pati idem est, quod recipere, ergo passio erit receptio, ita Ruuius. Secundò actio dicit actualẽ dependentiam ab agente, ergo & passio dicit actualem inhærentiam in passo, eatenus igitur est passio, quatenus recipitur in subiectũ, sicut eatenus actio est actio, quatenus ab agente fluit.

Hinc deducitur, quòd si à Deo producatur calor extra subiectum, in illa productione nullam fore passionem. Et confirmatur, quia terminus illius non patit, sed fit, subiectũ verò nõ adest, ergo nulla est passio, erit igitᷣ actio sine passione.

Tertium dictum, actio, & passio ratione tantũ distinguuntur, hoc dictum est receptissimũ, oẽs.n. qui actionem in patiente statuunt, illã à passione non distinguunt, & ante oẽs hoc apertissime docuit Aristoteles 3.phys.tex.21. illo exẽplo vtens, ꝙ eadem est via ab Athenis ad Thebas, & à Thebis ad Athenas. Probatur etiã, quia vel distinguerentur, vt duæ res, & hoc dici non põt, cum neutra earum sit res propriè sumpta, sed modus rei. Vel vt modi diuersarum rerũ, & neq; hoc dici potest, quia ambæ sunt in passo. Præterea ita actio, & passio coniunguntur in eadẽ mutatione, vt separari neq; per diuinã potentiã possint, ergo nullo pacto distinguuntur à parte rei. Antecedens probatur, quia repugnat, passionẽ fieri in aliquo subiecto, quin ab aliquo agente procedat, quia nõ põt esse effectus sine causa, hoc aũt ipso, ꝙ ab agente procedit, inuenitur in ea ratio actionis. E° conuerso etiã non potest esse actio ex subiecto, quin hoc ipso inferat passionẽ, nã si ex subiecto fit, ergo in subiectũ recipitur terminus eius, receptio autem est passio. Distingui verò saltem ratione ratiocinatæ, patet, quia sunt duo prædicamenta: & quia potentia actiua & passiua distinguuntur sæpe realiter, ergo eârum actus debent distingui saltem ratione ratiocinata.

Quartum dictum est: Passionẽ non distingui realiter, neque ex natura rei à motu, sed tantùm ratione. Probatur hoc dictũ, nã motus est actus mouentis, & mobilis: mouentis, nam efficiẽs definitur principium, à quo est motus: mobilis, quia motus ipse definit° actus entis in potentia, idest mobilis; at actio est actus mouentis. f. efficientis. passio aũt patientis, qđ idem est cum mobili, ergo hęc tria vnum sunt, & hæc videtur Aristotelis manifesta sententia in 3.phys.text.19. & seq.

Secũdò, si passio distingueretur à motu, cum ambo recipiantur in idem passum, sequeretur, quodcũque mobile semper moueri duobus, vel tribus motibus, quia duobus, vel tribus actib° distinctis moueretur, scilicet motu, passione, & actione.

Quòd verò distinguãtur ratione, probatur primò, quia habẽt diuersas definitiones. Secundò, quia actio, & passio constituunt diuersa prædicamenta, motus verò in nullo prædicamento reponitur.

De eadem aliorum sententia.

SECTIO II.

Svarez sect.2. difficile existimat, assignare hoc discrimen inter passionem & motum. Nam cũ tam passio, vt ait, q̃ motus dicant ordinẽ transcendentalẽ, & intrinsecũ ad terminũ, nulla videtur per hũc inter ipsa sumi posse differentia. De motu constat. De passione probat°, qm̃ passio est receptio formæ, nõ põt igitur intelligi sine ordine ad formã. Secundò est vtrique cõmune, distinguì à termino, tamquã modũ à re, cuius est mod°. Nã passio nihil aliud est, q̃ dependentia formæ à subiecto, & à principio agente, vna.n. & eadẽ est depẽdentia, qua ab vtrisque pendet. De motu verò quòd sit modus, concedunt ferè omnes in 3.phys. Tertiò conueniunt, inquit, motus, & passio, quia ab vtroque respicitur idẽ subiectũ sub eadẽ capacitate, seu potentialitate passiua; Nã motus est actus entis in potentia, neq; passio, vt supra dictũ est, esse põt sine subiecto. Præterea idẽ probat° ex definitione tũ mot°, tũ passionis

nam

nam motus definitur ab Aristotele 3. phys. tex. 16. *actus mobilis, quatenus mobile est*, & tex. 22. & 23. definit passionē esse *actum patientis, vt patiens*, at esse mobile, & esse receptiuum nullo pacto differunt, ergo neque passio, & motus. Quare concludit Suarez, passionem, & motum proptiè, & completè sumpta, neque ratione ratiocinata distingui, sed appellatione tantùm. Addit tamen, ne à sententia communi discedat, secundum aliquam præcisionem, aut abstractionē, siue connotationem distingui motum à passione, quam præcisionē, siue connotationem explicat simul cū sententia communi in tribus consistere. Primum est, quòd motus sit via ad terminum abstrahens ab eo, quòd sit in subiecto. Passio verò dicat necessarium ordinem ad subiectum. Secundum, quòd motus connotet terminum à quo. Passio nequaquam. Tertium, quòd motus fieri possit etiam per desitionē alicuius formæ. Passio verò dicat necessariò acquisitionem formæ, quamuis dicat Suarez, motum secundum primam rationem non esse verè, & propriè motum, secundū verò duas sequentes differentias non fieri comparationem inter passionem, & motū, prout sunt simul, sed secundum res diuersas.

Propria sententia explicatur.

QVamuis non libenter recedamus nos à communi sententia, nō possumus tamen ea omnia, quæ in ea proponuntur, approbare; rationes enim, & Aristotelis auctoritas, & principia à nobis supra posita ad id nos cogunt. Explicabimus igitur aliquot dictis sententiam nostram.

Dico primò. Passionem, vt passionem dicere ordinem transcendentalem ad agens, non verò ad patiens. Hoc dictum ex diametro dicto primo communis sententiæ opponitur. Probatur autem primò Aristotelis autoritate. Nam, vt supra etiam notauimus, apertissimè Aristoteles actionem, inquit, esse *actum huius in hoc*; *Passionem verò huius ad hoc* tex. 22. & tex. 3. 3. phys. At esse actū ad hoc, nihil aliud est, quàm dicere relationem ad agens, ergo hanc relationē includit passio. Præterea probari potest ijsdem rationibus, quibus supra ostendimus, actionem dicere ordinem ad patiens, non autem ad agens, proportionaliter intellectis, vt quòd idem obiectum respicitur ab actu, & eius potentia, at potentia passiua respicit agens à quo debet in actū reduci, ergo & passio.

Secundò, terminum, quem respicit forma in abstracto, respicit et eius concretum, & è conuerso; si enim albedo est similis alteri albedini, ergo etiam alba inter se similia erunt, at patiens secundum omnes dicit relationem ad agens, ergo etiam passio. Dices, potius igitur dicendum, dicere ordinē ad actionem. Respondetur, dicere ad actionem, & ad agens, sed hæc duo sumi vt vnum, quia dicit ad agens media actione.

Tertiò, passio potest cōsiderari, vt illata ab actione, quæro ergo, sub hac ratione ad quodnam prædicamentum spectet, an ad actionem? profectò nequaquam, quia actio non fit ab actione, neque ad actionem datur alia actio, neque ad aliquod aliud prædicamētum, ergo ad passionem, ergo ordo ad actionem, & ad agens est proprius passionis.

Quartò, ex contraria sententia se-

sequeretur, vt transacta actione remaneret passio, nam etiam præterita actione dicit forma ordinem ad subiectum, & ipsum afficit, ergo in ordine ad ipsum est passio. Si dicant, esse passionem tantùm, cum primùm fit, quia dum eā recipit, censetur subiectum pati, non verò postquam recepit. Contra, quia tunc actioni conseruationis nulla responderet passio, quia per eam nihil de nouo efficitur in subiecto, sed tantùm conseruatur forma præcedens, nisi igitur ponamus, ordinem ad agens esse de ratione passionis, vitare non poterimus, quin vel actio sit fine passione, vel passio sine actione.

Quintò, si passio dicitur passio pp ordinem ad patiens, ergo & patiēs tale dicitur pp ordinem ad passionem, alioqui dicatur, quamnam denominationem subeat passum, prout terminat relationem passionis? si ergo est passum in ordine ad passionem, ergo ab ea patitur, erit igitur passio actio, & nō passio, quoniam sicut à quo aliquid patitur, dicitur agens, ita forma, à qua patitur, dicetur actio.

Dicent, passum dicere ordinem ad passionem tamquam ad formā, per quam formaliter patitur; ad actionem verò, & ad agēs, per quæ effectiuè. Sed contra, quia hoc pacto patiens non respicit passionem vt passum, sed vt subiectum, quia hoc est commune omni subiecto, vt afficiatur à sua forma, & commune etiam omnibus accidentibus, vt subiectum afficiant, nos autem hic quærimus rationem formalem passionis, vt passio est. Confirmatur, quia pasſum non dicitur tale in ordine ad formam, sed in ordine ad agens, sicuti neque pater dicitur talis in ordine ad paternitatem, sed in ordine ad filium, ergo etiam passio non dicitur talis in ordine ad passum, sed ad agens, siue ad actionem.

Tādem, passio præter ordinem, quem dicit ad subiectum, vt accidens, habet etiam peculiarem ordinem vt passio, ergo præter habitudinem, quam habet ad subiectum, aliam etiam debet habere ad agens.

Dico secundò, passionem non esse receptionem formæ in subiecto contra secundum dictum sententiæ communis. Sequitur hoc dictum ex præcedenti. Nam si dicit ordinem ad agens, non autem ad patiens, non est receptio formæ, quia hæc vt sic, dicit ordinem tantùm ad subiectum, & quamuis receptio videatur dicere ordinem ad dans, & consequenter ad agens, tamen non hac ratione sumitur ab autoribus illius sententiæ. Præterea sequeretur ex hac sentētia, passionem differre realiter ab actione, & ab ipsius termino, quod & contra veritatem est, & contra autores huius sententiæ. Probatur sequela. Quoniam receptio formæ idētificatur cum subiecto recipiente, non verò cum forma recepta, at subiectum recipiens differt realiter à forma recepta, & ab actione, ergo etiam differet passio. Maior probatur primò, quia sicut passio est in eo, quod patitur, ita etiam receptio in eo, quod recipit; non enim receptio est forma denominās extrinsecè, sicut actio, quia non dicitur aliquid recipiēs, nisi in se recipiat, ergo verè receptio est in eo subiecto, quod recipit. Confirmatur, quia potentia receptiua est in subiecto, ergo etiā receptio, alioquin esset frustra, si non reciperet; In forma autem non adest hæc poten

tia

tia receptiua, ergo neque receptio. Confirmatur secundò, quia forma non dicitur recipere, dum fit in subiecto, sed afficere subiectum, & informare, sicuti ergo informatio se tenet ex parte formæ, ita etiam receptio ex parte subiecti. Confirmatur tertiò, quia receptio dicit ordinem ad receptum, ergo supponitur ab eo distincta, cū igitur forma sit recepta, non potest esse receptio.

Dicent fortè, dupliciter sumi posse receptionem, actiuè, & passiuè, & actiuè quidem esse idem cum subiecto, passiuè verò idem cūm forma recepta, & eatenus esse passionem. Verùm hoc consequenter dici non potest. Nam tunc passio non esset talis in ordine ad subiectum, sed potius in ordine ad formam, non enim, vt ipsi volunt, subiectum pateretur formaliter per formam, sed ipsa forma censeretur pati. Præterea esset receptio passiua respondens receptioni actiuæ subiecti, non verò actioni agentis contra rationem passionis ab Aristotele explicatam, & ab omnibus receptam.

Præterea corrolloarium, quod ex contrario huius dicti nostri sequitur; non videtur admittendū, quòd scilicet in productione caloris, siue alterius rei extra subiectū nulla interueniat passio; nam secundum omnes datur creatio actiua, & creatio passiua, quibus nominibus vtitur & ipse Suarez, at quid est creatio passiua, nisi passio? actio enim nō est, nec aliud prædicamētum, ergo est passio. Ad hæc Aristoteles, & cæteri veteres Philosophi tamquam certissimum, & necessarium existimarunt, numquam reperiri posse actionem sine passione, & quamuis de Aristotele dici possit, ipsum non agnouisse hanc actionem extra subiectum, tamen etiamsi agnouisset proportionaliter loqoutus fuisset tā de actione, quàm de passione, vel enim secundum ipsius principia negandū est, extra subiectum adesse actionem, vel concedendum, non esse sine passione.

Vlteriùs si passio idētificatur cū forma, & non cum subiecto, ergo vbicunque est forma, ibi poterit esse passio, quòd .n. ait Suarez, passionem dicere dependentiam à subiecto, videtur omnino extra rationem passionis, hæc enim dicit dependentiam ab agente, non verò à subiecto. Confirmatur, quia forma pendet à subiecto, tamquam à causa materiali, at depēdentia, quam dicit passio, est à causa efficienti, alioqui non responderet actioni, & causa, à qua esset passio, non esset causa efficiens, sed causa materialis, quæ omnia absurda sunt.

Præterea vbicunque potest esse motus, potest etiam esse passio, nā per sententiam communem differunt tantùm ratione hæc duo, & ne ratione quidem raciocinata per Suarez, at extra subiectum potest esse verissimus motus, vt si qualitas aliqua intenderetur à subiecto separata, vt accidere potest in accidentibus Sacramenti Eucharistiæ, ergo ibi non esset negandum, adesse passionem.

Amplius dependentia, quam habet forma à subiecto, est diuersa à parte rei ab ea, quam eadem forma habet ab agente, sed hæc per aduersarios est actio, illa autem passio, ergo actio, & passio differunt. Maior quamuis negetur à Suarez, videtur mihi certa, non solùm .n. termini sunt diuersi, à quibus huiusmodi dependentiæ specificari

so-

solent, ita vt per eamdem numero dependentiam non possit effectus modò ab hoc agente, modò ab illo dependere, sed ēt vna pōt separari ab altera, qñ n. forma generatur, pendet ab agente, & à materia, at post generationē nō pendet amplius ab agente, & tñ pendet à materia. Neq; est dicendū, φ dependētia à materia sit mutata, ergo sūt diuersæ. Si ēt loquamur de forma, quæ pendeat in conseruari ab efficiente, poterit Deus in ea mutare dependentiā ab agente, absque eo φ mutet eā, q̄ habet à materia, nulla. n. apparet in hoc repugnātia, & è conuerso poterit mutare dependentiā à materia, formā in alio subiecto cōstituendo, absq; eo φ mutet dependentiā agentis, cur. n. interrumpetur actio solis, qua cōseruat lumē, si Deus cōseruato lumine mutet ei tantū subiectū? quāuis. n. noua actione concurrat Deus ad illius cōseruationē, dū separat à subiecto, tñ ad hanc eādē nō cōcurrit Sol, sed ī priori sua perseuerat. Minor quoad actionem est certissima, vt supra vidimus; quoad passionē verò asseritur à Suarez, quāuis ipse velit, eādē esse depēdentiam, qua forma ab agente, & à subiecto pendet, & sequitur ēt ex dictis aduersariorum. Nā si passio non dicit ordinem ad agens, ergo nō est dependentia ab eo, si ēt dicit ordinē ad subiectum, & est modus quidā ipsius formæ, nil aliud esse pōt, q̄ vnio, siue depēdentia, siue informatio ipsius formæ, q̄ tandē idē sunt.

Præterea aliquando sunt diuersa agentia, quorum vnum formam producit, & alterum vnit eā materiæ, tunc ergo producenti formam tribuetur actio, vniēti verò passio, quod est absurdū. Probatur seque la; Nā primo agenti, clarū est, non esse tribuendā passionē, cum eius actio non terminetur ad subiectū; qd verò neq; secundo esset tribuēda actio, probatur, quia actio non pōt habere pro termino passionē, vtraque. n. dicūtur habere eūdem terminum, altera verò non dicitur terminus alterius, quia ab Arist. dr passio esse via, non terminus, at si vniens formam cum materia id efficeret per actionē, vtiq; hæc actio haberet pro termino receptionē, & vnionē formæ, sed receptio formæ per aduersarios est passio, passio igitur esset terminus actionis. Patet igitur, nō bene constare hęc duo dicta aduersariorū, φ. s. actio, & passio sint idē, & φ passio sit receptio formę in subiectū. Et in euētu supra allato dicēdū, vtrobiq; adesse actionē, & passionē. Dū. n. producit forma extra subiectū, & est actio, per q̄ agens efficit formam, & passio, per quā forma efficitur, quæ ratione tantùm differt ab actione. Dum verò vnitur subiecto, & est actio, per quam agens eam vnit, & passio, per quam vnitur, ipsa verò vnio formalis, siue receptio est terminus tum actionis, tū passionis, non verò passio.

Dico tertio, passionem nil aliud esse, q̄ depēdentiā termini ab agēte, & consequēter ratione rm ab actione differre. Hæc cōclusio ex sit prædictis facilè probata manet. Ostēdimus. n. passionē dicere ordinem ad agens, & non ad patiēs, nihil igit esse pōt aliud, nisi depēdētia ab ipso agente; Ex quo ēt clarè cōsequit, esse verè idē cū actione, qa actio est hæc eadē dependentia realiter, sed vt ab ea est termin⁹, & quaten⁹ se tenet ex parte agētis; passio verò est eadē depēdētia, vt respicit agēs, atq; vt se tenet ex parte patiētis, q̄ idētitas sicut optimè in nostra sententia intelligitur, ita in sententia cōī necessàrio corruit.

Dico quartò, passionem esse idē tantùm realiter cum motu, quatenus hic idētificatur cum termino, non verò ex natura rei, & multò minùs ratione ratiocinata. Vt hoc probetur, notandum est priùs, motum dupliciter posse sumi, vel scilicet vt est quidam transitus à termino à quo ad terminnm ad quē, vel vt est idem cum termino ad quem: priori modo re vera motus non est idem cum termino ad quē, quia cum sit transitus, nō est maior ratio, vt identificetur cum vno, quàm cum altero termino; posteriori verò modo propriè est idem cum termino ad quem, quatenus videlicet terminus ad quem aduenìens subiecto est ratio, vt subiectum moueri dicatur; per aduentum enim albedinis redditur subiectum ex non albo album, & per aduentum caloris redditur subiectū mutatum ex non calido in calidū, quatenus igitur terminus ad quem hanc mutationem patit, dicitur esse idem cum motu, & appellatur motus, qua etiam ratione dicitur ab Aristotele motus actus mobilis, quasi dicat, forma tribuens motū, & in hac acceptione crediderim, motum ab Aristotele fuisse definitum *actum entis in potentia, prout in potentia*, illā scilicet formam, quæ actuat subiectum, prout est in potentia, idest quæ reducit subiectū à potētia ad actum, & in eadem sumebat motum Auerroes, dum dicebat, motum esse formam ipsam fluentem. Prior tamen acceptio motus est magis vulgaris, & intellectu facilior. Hoc autem nostrū dictum probabimus de motu in vtroque sensu accepto.

Si ergo motus priori modo sumatur, patet, non esse idem cum passione, quia passio est modus, & dependentia; Motus verò non est aliqua dependentia, neque aliquis modus, sed tantùm successio vnius formæ post aliam, siue transitus ab vno termino ad alium, quæ nihil addunt supra ipsam formam, siue terminum, vt supra probatum est. Si verò motus posteriori modo sumatur, tunc est idem cum passione, quatenus identificatur cum termino, immo est ipse terminus, differt autē ex natura rei à passione, quia motus non est dependentia, neque modus termini, sed ipse terminus secundum suam entitatem. Nam secundum illam rationem terminus est motus, secundum quam est ratio, vt moueatur subiectum, sed hoc dicitur moueri secundum entitatem termini, nam dicitur vel calefieri, vel frigefieri, vel augeri iuxta naturam ipsius termini; Si autem terminus eatenus esset motus, quatenus haberet aliquem modum, tunc etiam motum, vt ita dicam, modalem tribueret subiecto, & semper eiusdem rationis. Quod optimè cernens Aristoteles dixit, motum non esse in aliquo prædicamento peculiari, quia tot sunt species motus, imò & genera, quot sunt ipsi termini, qui secundum propriam entitatem efficiunt, vt moueatur subiectum.

Non ita autem dicere possumus de passione; nam siue producatur calor, siue frigus, semper censetur eodem modo subiectum pati, & habere eumdem ordinem ad agens. Ex quibus patet, passionem nō tantùm differre ratione ratiocinata à motu etiam secundum hanc acceptionem, quia motus nō est depēdentia, neque respicit agens, vt passio, sed etiā ex natura rei, quia motus non differt ab ipsa termini entitate, cū tñ passio sit mod⁹ eius.

Ar-

Argumentis contra nostram sententiam satisfit.

SECTIO III.

ERat argumentum pro primo dicto communis sententiæ. Actus dicit habitudinem ad potentiam, cuius est actus, sed passio est actus passi, vt passum est, ergo. Respondetur, hanc habitudinem, quam dicit passio ad passum, non esse propriam passionis, sed conuenire cuilibet formæ, quæ dicit habitudinem ad subiectum, quod informat, nos autem hic loquimur de habitudine propria passionis, per quã distinguitur à cæteris formis, ac præcipuè ab actione. Confirmatur, quia passio prius debet esse passio in se, quàm actuet passũ, & illud tale denominet, ergo vt passio non dicit ordinem ad subiectum. Antecedens probatur. Quoniam forma concipitur dare illud esse subiecto, quod in se habet, nõ verò illud, quod acquirit, ex eo qđ recipiatur in subiectũ, calor enim idcirco facit subiectum calidum, quia secundum entitatem suam est calor; at passio tribuit esse passum subiecto, ergo non ex eo quòd in subiectũ recipitur, est passio, sed antequam concipiatur recipi, alioquin mutuò se causarent secundũ idem esse passio, & subiectum, nã subiectum esset ratio, vt passio esset pasfum, & hæc vt pasfum esset passum. Dices, at terminus motus localis non ante cõcipitur esse motus, quàm recipiatur in subiectũ, ergo idem dici poterit de passione. Respondetur, in motu locali termi num ad quem habere ex se, quòd inferat mutationem, non verò ex eo quòd recipiatur in subiectum, & neque terminus est motus formaliter, sicut passio est formaliter passio, quare instantia non est ad rem. Præterea. Passio non est immediatè actus subiecti, sed formæ, nam est modus ipsius formę, vt aduersatij concedunt, at modus est actus rei, cuius est modus, ergo passio est actus formæ, potius quàm subiecti, & idcirco quando forma sine subiecto producitur, dicitur modificari passione.

Pro secundo dicto hoc afferebatur argumentum. Pati est idem, ac recipere, ergo passio est idem, quod receptio. Respondetur, receptionem posse intelligi dupliciter, transitiuè, & intransitiuè: transitiuè est alicuius rei diuersę, & ita subiectum dicitur recipere accidens, quod est à se diuersum: intransitiuè est, quando quis dicitur recipere suum esse, quod cum ipso identificatur. Passio igitur sumi potest vtroq; modo, magis tamen propriè est receptio intransitiuè, quia identificatur cum re, quæ producitur. Sed receptio transitiuè sumpta dici ne poterit pasfio? Respondetur, posse, sed verè non erit eadem cum pasfione intransitiuè, quoniam, vt supra diximus, potest vna separari ab altera; Erit igitur receptio formæ pasfio, non tamen vt receptio formaliter in subiectũ, sed vt hęc receptio dicit dependentiam ab agente, quare non sequitur inconueniens, quod nos supra inferebamus, quòd daretur actio ad pasfionem, tamquam ad terminũ, quia licet detur actio ad receptionem, non tamen datur ad eam, vt ad pasfionem, quia vt talis dicit ordinem ad agens, & est via ad terminum, non verò terminus, sed ad eam, vt est vnio cum subiecto, & terminus tum actionis.

tum passionis.

Ad secundũ respõdeo, actionẽ propriè non dicere dependentiam ab agente, sed influxum in passum, passionem verò è contra dicere actualem dependentiam ab agenre, vt supra probatum est, quando autem supra diximus, actionem esse dependenriam, loqunti sumus de ipsius entitate reali, non verò de formali significatione.

Ad confirmationem, quòd terminus non patitur, sed fit. Resp. pati etiam intransitiuè, quamuis hic modus loquendi non fit in vsu, nam neque in vulgari sermone dicitur quis pati, dum perficitur, cũ tamen apud Philosophos censeatur pati, diuersimode igitur accipitur à Philosophis passionis nomen, atq; à populo, cõsequẽter nõ licet ab huius acceptione vulgari argumentari ad sigificationem illius philosophicam.

Primum argumẽtum pro quarto dicto erat, motus est actus mouentis, & mobilis, ergo est idem cum actione, & passione. Respondetur, quòd spectat ad mouens, motum esse actum eius materialiter, quo pacto etiam definitur efficiens principium motus, actio verò est actus eius formaliter, dicitur autẽ motus materialiter actus mouentis, quia denominatio formalis, quam tribuit motus, est moueri, siue aliter, & aliter se habere, nõ igitur formaliter conuenit mouenti, quod enim mouet, non aliter se habet, ac priùs. Si autem dicas, sumi motum actiuè, prout denominat mouens, sic dicendum erit, nil aliud re vera esse, quàm actionem, nõ tñ in hoc sensu vsurpatur mot⁹ communiter. Nam dicunt oẽs, differre saltem ratione ab actione, in in hoc sẽsu aũt nec ratione differt, vt pater, sicuti neque ratione differunt mouens, & efficiens, nisi quatenus efficiens est quid vniuersalius, & comprehẽdit sub se ẽt agentia sine motu. Quòd verò spectat ad alteram partẽ argumẽti, scilicet ꝙ motus est actus mobilis. Resp. verum hoc esse ẽt formaliter, attamen mobile differre formaliter à patiẽte. Nã patiẽs dicit ordinẽ, & relationẽ ad agens, mobile aũt nequaquã, sed tantũ ad ipsũ motũ, sufficit.n. ei, quod mouetur, ꝙ diuersimode se habeat, siue hoc ꝓueniat ei ab aliquo agente, siue non, cũ ergo differãt formaliter patiẽs, & mobile, nõ mirũ, si eorũ formę, scilicet motus, & passio differant inter se.

Notãdum prætèrea, cum passio dicitur actus passi; Passum dupliciter posse hoc nomen sibi vendicare, in ordine .s. ad agens, & in ordine ad formã. Ad agens patet, dicuntur.n. mutuo referri agens, & patiens, in ordine verò ad formã, qm̃ subiectũ, qđ aliquã formã recipit, dicit᷑ pati, idest affici illa forma, & recipere illius effectum formalẽ, quod verum est, etiã si nullum adesset agens, à quo illa forma producta fuisset, qđ confirmat᷑ ex eo, ꝙ in tertia specie qualitatis ponuntur passiones, & passibiles qualitates, illæ scilicet, quæ peculiariter dicunt᷑ inferre passionẽ; quatenus igit᷑ passũ hoc secũdo modo accipit᷑, actus ei⁹ est qualitas illa, quę passio, siue passibilis qualitas dicitur: quatenus verò refertur ad agens, actus eius est passio, de qua nunc agimus. Verùm hoc secundo modo accepta non est illa, de qua nos loquimur, hæc.n. respõdet necessariò actioni, & dicit ordinem ad agens.

Secundũ argumẽtũ erat. Si pas-

fio distingueretur à motu, sequeretur, subiectū duob⁹, vel trib⁹ motibus moueri. Respondetur, negandam consequentiam, & ratio est, quia passio, & actio sunt modus ipsius formæ, quando autem aliqua forma recipitur in subiectū, quamuis habeat diuersos modos ex natura rei à se distinctos, subiectū tamen, quia non recipit illos modos in se formaliter, non dicitur moueri secundum illos, sed tantùm secundū formam, cui modi conueniunt. Dices, ergo passum non erit formaliter passum, neque relationem ad agens formaliter habebit, quia subiectum non recipit effectum formalem modi, & formæ, sed tantū illius modi, à quo ipsum modificatur, nam corpus recipit animam rationalem inextensam, neq; tamen hinc sequitur, corpus esse inextensum, ergo eodem pacto, si passio est tantùm modus ipsius formę receptæ, non poterit subiectum per ipsam appellari passum. Respondetur, verum esse, quòd passum ratione suæ substantiæ appellari non potest passum, quia illam non recipit ab agēte, sed dicitur passum ratione formæ, quam recipit. Præterea duplex interuenit passio, dū forma educitur de potentia subiecti, altera, qua fit ipsa forma, altera verò, qua ipsa forma vnit, quāuis enim dicatur agens vnica actione producere formam, & eam subiecto vnire, intelligēdum tamen hoc est de vnica actione totali, nā re vera hæc actio habet duos terminos distinctos ex natura rei, vt supra probauimus, consequenter sunt re vera duæ passiones saltem partiales; quamuis ergo non dicetur subiectum passum ratione passionis, qua forma efficitur, dicetur tamen tale ratione passionis, qua forma recipitur, & illi vnitur dependenter ab efficiente. Tertiò dicitur subiectum passum, vt sup. retulimus, respectu formæ, quia ab ea formaliter patitur, mediatè igitur dicet etiam habitudinem ad agens, à quo producta fuit illa forma.

Ad primum argumentum Suarez resp. iuxta distinctionem superiùs traditā de motu, quòd motus prout est transitus, dicit quidē ordinem ad terminum, nō tamen est ipse terminus; prout verò fecit, subiectum aliter se habere, & est idē cum termino, non dicit ordinē ad ipsum terminum. Negamus etiā, passionem vt talem dicere ordinē ad terminū, nam etiā ostendimus, dicere ordinem ad agens, non verò ad terminum.

Ad secundum negamus, motum esse modum termini, vt patet ex supra dictis. Ad tertium patet ex dictis, et passionem non respicere subiectum, sed agens. Et ad quartum etiam supra respondimus.

An ad omnem actionem requiratur contactus, agentis, & patientis.

QVÆSTIO XLI.

SVb alijs titulis solet etiam agitari hæc quæstio, veluti an mouens, & motum debeāt esse simul, qua ratione de ea agit Aristoteles 7. phys. cap. 2. Item an agens possit agere in distans, & an ex operatione colligatur præsentia agentis, quo nomine tractatur à Theologis prima par. quæst. 8. & in prima parte, quæstione 52. & in secundo distinct. 2. quamuis hic titulus non videatur omnino cum nostro coincidere, vt infra notabimus.

Alij

Alij eamdem pertractant quærentes, an efficiens debeat esse propinquum passo. Nos sub nomine cōtactus eam proposuimus, quoniam occasione eorum, quæ ait hic Aristoteles de contactu loquens, eam proponimus. Pro ipsius autem intelligentia.

Notandum, non esse dubiū, qđ aliquando agens, & patiens se nō contingant immediatè, nam sol illuminat, & calefacit terram, à qua distat, sed debet quæstio intelligi de contactu, siue mediato, siue immediato, dicuntur autem duo corpora immediatè se taagere, quando contigua sunt, & habent extrema simul; mediatè verò, quando per aliqua corpora media, inter quæ adest contactus, se cōtinguūt.

Notandum secundò, hunc contactum esse posse quantitatiuum, & physicum, quantitatiuus, siue mathematicus est, quando duo corpora tantùm se tangunt, neque adest vlla actio inter ipsa: Physicus verò, quando etiam datur inter ipsa actio, & passio.

Notandum tertiò, posse præsentem quæstionem fieri non solùm de agentibus naturalibus, sed etiā de quocunque agente, sed tunc nomine contactus nō tantùm ille, qui fit per quantitatem, erit intelligēdus, sed ille quoque, qui sequitur ad præsentiam spiritualem, quod idem erit ac dicere, an agens, & patiens debeant esse propinqua, & indistantia, & hic contactus potest appellari substantialis, siue virtualis, quamquam virtualis propriè est, quando duo per virtutē se tangunt, & quamuis præsens tractatus non exigeret, vt de alijs, quàm de naturalibus agētibus dissererem, quia tamen eadē videtur ratio de omnibus, in vniuersum de omnib agentibus disputabimus. Erit igitur sensus quæstionis, an aliquod agens possit immediatè agere in patiens, quod nō sit sibi proximū, & indistans; Immediatè, inquam, quia si agat prius in aliquod sibi propinquū, & medio propinquo in distans, aget mediatè in distans, vt omnes concedūt, quod sub alijs terminis quidā dicunt, hanc quæstionem intelligendam esse de agente proximo, siue de agente immediatione suppositi.

Non requiri ad omnem actionem contactum, Sententia prima.

SECTIO I.

Tribuitur hæc sententia Auicennæ in suo lib. de an. sect. 4. cap. 4. à quo in eamdem sententiam citatur Hyppocrates, eamdē quoad potentiam Dei infinitam defendit Scotus in 1. dist. 37. naturalibus verò agētibus hoc non cōcedit absolutè, sed tantùm posito, quòd agant per vnam formam in corpus propinquum, tūc enim ait, posse etiam agere in distans per aliam formam, & ita Cœlum per lumen agere in corpora, sibi propinqua, per formam verò substantialem immediatè in visceribus terræ producere metalla, &c. Rationes autem, & experimenta pro hac sententia negante plurima possunt adduci, & nos præcipuas afferemus.

Primò ergo argumentatur Scotus. Voluntas potest æquè velle distans, ac propinquū, sed in Deo non est minùs potens eius virtus, quàm voluntas, immo agit ipse Deus per voluntatem, ergo posito quòd Deus non esset vbique, sicut posset aliquid velle distans, ita etiam operari.

Secun-

Secundò, non est Deus extra mũdum, non enim est Deus in vacuo, vel in spatio imaginario; & tamen ibi potest condere alium mũdum, ergo operatio nõ prærequirit præsentiã, siue contactũ. Et cõfirmari pót hoc argumẽtũ, q.a magis distat nõ ens ab ente, quàm quodlibet ens ab alio ente, sed potest Deus ex non ente aliquid efficere, ergo etiam ex ente distanti. Si dicas, in hoc adesse distantiam localem. Contra, hæc distantia localis non est quid positiuum, sed tantùm negatiuum, at inter ens, & non ens datur maxima distantia negatiua, quæ concipi possit, ergo si illa impedit, multò magis impediet hæc. Confirmatur, quoniam inter ens, & non ens non potest esse contactus, neq; propinquitas, sed distãtia localis nihil aliud est, quã negatio contactus, & propinquitatis, nam hac ablata nil deinde refert, quòd parum, vel multùm distet, ergo verè inter ens, & non ens datur distantia impediens. Si dicas, quod fit ex non ente, fieri præsens, ita ego quoque dicam, quòd sicut Deus ex non ente creat ens præsens, ita poterit ex distanti facere præsens, æqua igitur est proportio inter nõ ens, & distans, tam quoad terminum à quo, quàm ẽt quoad terminum ad quem.

Tertiò videmus, quòd quò agẽs est potentius, agit in remotius, ergo non est determinata eius virtus ad agendũ tantùm in propinquũ, absurdum enim videtur dicere, q. ita determinetur ad agendum in propinquum virtus maxima, & infinita, sicut etiam virtus minima, alioqui enim virtus infinita termi nis loci clauderetur, quod est contra rationem infinitatis.

Quartò, potest instrumentum Dei agere in distans, ergo multò magis ipse Deus. Probatur antecedens, quoniam Christus dominus noster sanabat ægrotos absentes, qua in re eius humanitas erat instrumentum Dei, & ignis inferni dicitur cõburere dæmones in hoc aere existentes. Consequentia est clara, quia quod potest Deus alteri tribuere, multò magis non est ipsi denegandum.

Quintò, potest Deus transferre corpus de loco ad locum absq; eo quòd mediũ pertranseat. Nam & dominus ingressus est in cœnaculũ ianuis clausis, & corp⁹ Christi præsens fit in altari, cum sit in cœlo, absque eo quòd media corpora pertranseat, & alia multa similia in sãctorũ vitis leguntur; Imò sententia multorum est, posse angelũ sua propria virtute transire ab extremo ad extremum sine medio, ergo etiam poterit aliquid virtute Dei transmittere virtutem suam in distans, absque eo quòd pertranseat medium.

Sextò si non potest agens agere immediatè in distans, ergo priùs aget in partem sibi propinquiorẽ, quàm in remotiorẽ, ex quo sequũtur plura absurda. Primò, nulla actio fieri poterit in instanti in pluribus partibus simul, priùs. n. illuminabitur pars propinquior, quare sol priùs illuminabit partẽ aeris cęlo propinquã, quã remotã, quod est contra experientiam. Secundò cũ patiens sit diuisibile in infinitũ, nulla poterit assignari prima pars, in qua primùm agat, siue dicendũ erit, agere primũ in aliquã superficiẽ indiuisibilẽ. Tertiò, non magis agens ageret in partem sibi ex directo oppositã, quã dextrorsum, vel sinistrorsum, quod falsũ esse, experientia docet. Probatur con-

sequentia, quoniā tangit remotum per corpus sibi propinquum, cum ergo habeat corpus vndique sibi propinquum, non erit maior ratio, cur in vnam partem, quàm in aliam maiorem actionem diffundat.

Septimò probatur multis experimentis rerum, quæ vel agunt in distans, non agendo in corpus intermedium, vel magis agunt in distās, quàm in propinquum, ex quo etiam sequitur, vt agant immediatè in distans, quia ille excessus virtutis non transit per medium, sed fit immediatè in distans.

Primò. Sol gignit in visceribus terræ mineralia, ergo agit in distans. Probatur antecedens, quia accidens non potest concurrere ad productionem substantię, ergo substantia ipsa solis immediatè influit.

Secundò. Imaginatio habet vim agēdi in distans, nam cum ipsa sit in capite, mouet tamen pedes, vel cor, quod ex variarum rerum imaginatione dilatatur, cōprimit, &c. immo etiam in aliena corpora affirmant multi vim habere, vt Auicenna loco supra citato ex Hyppocrate refert, & Medina de recta in Deum fide lib. 5.

Tertiò, Per solum oculorum intuitum res distantes alterantur, & labefactantur, vti dicitur de fascinatione, & de aliquarum fœminarum oculis, vt Aristoteles notat sect. 20. problem. in 34. Alex. lib. 2. probl. in 50. Albert. lib. 22. de animal. cap. 5. Marsil. Fiscin. lib. 13. de immortal. animæ. cap. 4.

Quartò, torpedo stupefacit piscatoris manum, nihil imprimendo in rete, vel in arundine.

Quintò, Echynis retinet naues, non retenta aqua.

Sextò, magnes trahit ferrum distans, non trahendo intermedia corpora.

Septimò, homicida præsens sine contactu ex vulneribus cadaueris sanguinem trahit.

Octauò, in cytharis vnisona fide pulsata mouetur alia vnisona in alia cythara, non moto aere intermedio, alioquin enim non esset ratio, cur hæc potius, quàm illa fides ad alterius sonum moueretur, præsertim nō motis propinquioribus.

Nonò, alio oscitante excitatur etiam in nobis appetitus oscitandi, & alio comedente comedendi cupiditas.

Decimò, Struthiocamelus aspectu oua fouet, & pullos excludit.

Vndecimò, galgalus si in icteritio morbo laborantem oculos defigat, dicitur ad se morbum attrahere, & infirmum liberare.

Duodecimò, icti à phalangijs Apulis, quæ tarātulæ vulgò appellantur, sono cytharæ commouentur, à quo tamen physicè non possunt tangi, & mortuo phalangio dicuntur ab eo icti conualescere, quod non eueniret, nisi etiam à distantibus vis aliqua immitteretur in semel percussos, quam immittere desinunt, dum moriuntur.

Decimotertiò, multæ arbores gaudent certarum plantarum vicinitate, & feraciores euadunt, vt de Punica, & Myrto asseruit Democritus, & testatur Ant. Mizald. lib. 1. arcanorum. aliæ è contra aliarū propinquitate læduntur, vt vitis, & brassica, ergo inter ipsas datur mutua actio sine contactu.

Decimoquartò, flos Heliotropij vertitur ad motum solis, sicut etiam de multis alijs plantis idipsum asseritur, quod cum oriri non possit ex cognitione illarum planta-

tarum, oportet, vt aliquid recipiāt à sole distanti, ratione cuius moueantur.

Decimoquintò, manus igni apposita in debita distantia semper vehementiùs calefit, quamuis aer intermedius mutet, ergo ignis immediatè in eā agit. Probatur consequētia, quia corpus intermediū, cum subinde mutetur, non potest recipere illam intensionē caloris, quam recipit manus, ergo immediatè ab igne in eam procedit.

Decimosextò, à viris fide dignissimis audiui, quemdam vulnera curate absentis, si tantùm pannū eius sanguine intinctum ei ostendissēt, cui dicebatur remedia tamquam si ægrotus adesset, apponere.

Decimoseptimò, serpentes solis verbis incantatorū immobiles redduntur, cum tamen illa verba nihil operentur in medium.

Decimo octauò, in lebete igni apposito aqua feruet, cum tamen fundus ipsius lebetis vel frigeat, vel vix sit calidus ex Aristot. sect. 24. probl. 5. & 8. ergo ignis immediatè in aquam agit.

Decimononò, gignitur aliquando fili⁹ patri dissimilis, sed similis auo, sicuti etiam aliquando morbi auorum transeūt in nepotes, & nō in filios, ergo datur actio in distās, absque eo quòd detur in medium.

Vigesimò, ignis, vel etiā candela inflammat stuppam distantem, non inflammato aere intermedio.

Vigesimoprimò, si radij Solis transeant per phialam vitream aqua plenam, ignem producunt in corpore post phialam, non verò in ipsa, ergo magis agunt in distans.

Vigesimosecundò, ceruus dicit halitu extrahere è cauernis serpentes, at verò halitus non potest tanta vi præditus esse, ergo ad actionem in distans recurrendum est.

Vigesimotertiò, si ab æneo tubo excutiatur vi ignis, ferreus globolus impetu maiori percutit, & vulnerat distantem, quàm proximum, siue contiguū, ergo actio in distans est concedenda.

Vigesimoquartò, Bufo aperto ore trahit ad se mustellam, quamuis reluctantem, & distantem.

Vigesimoquintò, datur actio in distans tempore, ergo multò magis in distans loco. Probatur antecedens in venenis, quæ dicuntur dari ad tempus. Item in quartanis febribus, nam causa, à qua prouenit febris, agit in quartum diem, absque eo quòd agat in secundū, & tertium.

Deniq; probatur ex Aristotele, qui in lib. de mundo ad Alexandrū asserit, Deum non esse vbique, sed in Cœlorum summo vertice, & veluti Regem in throno suo omnia hæc inferiora administrare, & gubernare, & idipsum videtur innuere 8. phys. tex. 84. & primo Cœli tex. 100. atqui constat, Deum agere immediatè in omnia, ergo per Aristotelē agit in distans. Et quāuis negent quidam, illum librū ad Alexandrum esse Aristotelis, affirmant tamen Iust. in orat. parænet. ad gentes Themist. & Bessar. Cardinalis, vt refert Ludouicus Viues in censura operum Aristotelis.

Cōmunis, & vera sententia ad actionem quamlibet prærequiri necessariò contactum, auctoritate, & à posteriori probatur.

SECTIO II.

TVentur hanc sententiam D. Thomas prima par. quæstione 8. art. 1. & lib. 3. contra gentes

Eee cap.

cap. 68 Caiet. & Ferrarienſis eiſdẽ in locis eam ſequuntur. Capreol. item in 1. diſt. 37. q. 1. Duran. in 1. d. 37. q. 1. Ægid. hic, & alij complures. Eſt hæc etiam Ariſtotelis aperta ſententia hic tex. 43. & 7. phyſ. tex. 10. & ſequentibus, vbi clarè docet, agens debere eſſe ſimul, ſiue coniunctum cum patiente, & 1. metheor. cap. 2 tradit, hæc inferiora debere eſſe coniuncta ſuperioribus lationibus, vt inde poſſint accipere influxus. fauet ẽt huic ſententiæ ſacra ſcriptura, nã pſal. 138. probauit Dauid, Deum eſſe vbiq; ex eius operatione, inquit. n. *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es, &c.* & rationem ſubdit. *Etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua.* Et S. Paul. Act. 7. eodem modo argumentatur ita loquens; *quamuis non longè ſit ab vnoquoq; noſtrum, in ipſo. n. viuimus, mouemur, & ſumus*, ob quas autoritates Molina in 1. p. nõ veretur dicere, hanc ſententiam eſſe de fide, qd ego tñ non arbitror. Nam exponi poſſunt hæ auctoritates multipliciter. Primò, vt procedant ex paritate rationis, ſi. n. vnum attributum in Deo eſt infinitũ, ergo & reliqua, ex eo igitur quòd Deus vbiq; operatur, poteſt ẽt colligi ꝙ vbique ſit, idest ex eius omnipotentia eius immenſitas. Secũdò, vt non reddant cauſam eius exiſtẽtiæ, ſed cognitionis noſtræ, quia ex eo ꝙ videmus, Deũ vbique operari, in eius cognitionem deuenimus, quæ expoſitio loco D. Pauli præcipuè accommodari poſſe videtur. Tertiò vt loquãtur ẽt de exiſtentia Dei in rebus, & & hanc affirment colligi ex operatione, non quòd neceſſariò ex ea colligatur, ſed vt facili ratione, & humano ingenio accommodata vtantur, ſicuti ſi diceremus, aerem vbiq; eſſe diffuſum, quia non tantùm per ipſum, ſed ẽt in ipſo viuimus. Quibus expoſitionibus fit quidẽ, vt non ſit de fide hæc ſententia, non tñ tollitur, quin illa loca ſcripturæ illi maximè faueant, quia hę explicationes re uera parum ſubſiſtunt. Prima quidẽ, quã recipit Vaſquez, quia ſi ex paritate rationis non licet argumentari in nobis ex operatione ad exiſtentiam, cur licebit in Deo? An quia potẽtia eius eſt infinita? ſed eò magis poterit agere in diſtans. An quia potentia infinita debet eſſe coniuncta cum immenſitate? Sed Propheta non loquitur de potentia infinita, ſed tñ de operatione, & loco determinato, neque ex potentia infinita magis, quàm ex bonitate, vel alio attributo infinito colligi poſſet immenſitas Dei. Adde, quòd operatio, de qua loquebatur Propheta, non erat infinita, ſicut neque de facto eſt infinita quoad locum, ergo neque ex paritate colligi poterat eius immenſitas. Secunda verò expoſitio detorquet manifeſtè ſcripturę ſenſum, quia apertè Propheta de exiſtentia loquitur, *etenim* inquit *tu illic es*, & non tantùm de cognitione. Tertia autem eſt indigna, vt ſcripturæ ſacræ accomodetur, vt etiam Vaſquez fatetur. Relinquitur igitur, vt fateamur, hãc ſententiam maximum habere fundamentum in ſcriptura ſacra, quod ſatis eſſe deberet, etiam ſi aliæ rationes non ſuppeterent, vt eam amplecteremur, ſed has quoque ſuppetere oſtendemus.

Probatur etiam à poſteriori (nã an à priori ꝓbari poſſit, infra videbimus) habent agentia naturalia determinatam actiuitatis ſphærã, ergo non poſſunt agere in diſtans. Probatur cõſequentia, quia ſi poſſent

sent agere in distans, uirtus eorum non diminueretur ratione distantiæ, ergo possent agere in quodcunque distans, & extra suã ipsorũ sphæram. Antecedens, scilicet nõ diminuendã esse virtutẽ ratione distantiæ, probatur, quia nunc nõ alia rõne diminui cõtingit, nisi quia oportet, vt virtus mediũ decurrat, quo fit, vt paulatim debilitetur.

Dices, quòd sicuti modò agens agit in distans mediatè, neque tñ sequitur, vt mediatè agere possit in quodcunque distãs, ita & si posset immediatè in distans agere, nõ sequi, vt possit agere in quodcunque distans, virtutemq; concedes diminui p distantiam, quãuis non possit omnino impediri. Verùm non satisfacit hæc solutio, quia si agens posset agere in distans, nulla esset ratio, cur p distantiã debilitaretur eius virtus, sicuti .n. partem, ita & totam virtutem posset in distans transferre.

Tertiò, si inter agens, & patiens sit mediũ interpositum ineptũ suscipere actionem agentis, non potest agens agere in passum, ergo signũ est, nõ posse agere mediatè in distans. Probatur consequentia, quoniã si medium non esset necessarium ad sustinendã, & quodammodo deferendã actionẽ agentis, nulla ratione impedite posset agẽs, ne in distans ageret, repugnat .n. aliquid agere immediatè, & tamen per medium impediri posse.

Quartò, ex repugnantia, quã habet natura cum vacuo, cuius rationem assignat Aristoteles, vt diximus, ne impediatur actio, & influxus Cœli in hæc inferiora, at influxus impediri potest per vacuum, ergo signum est, indigere medio, per quod quodammodo transeat ipsa virtus.

An possit reddi ratio à priori, cur agens non possit agere in distans.

SECTIO III.

Recentiores nonnulli cum Suarez disp. 18. in metaph. sect. 8. censent, huius rei non posse afferri rationem, sed aiunt, hunc esse connaturalem modum agendi rerum naturalium, vt agant per cõtactum, nã sæpe non possumus aliã reddere rationẽ multarum rerum, vt verbi gratia, cur obiectum visus solũ multiplicet species per lineã rectam, obiectum autẽ auditus & per lineam obliquam, & per quoscũque poros, cuius discriminis nũ potest reddi alia ratio, nisi quia talis proprietas consequitur naturã vtriusque sensibilis. Et confirmari potest hæc sententia, quia tandẽ necesse est deuenire ad aliquod primum, cui⁹ nulla ratio reddi possit, alioqui abiremus in infinitum, si semper esset reddenda ratio à priori cuiuslibet rei, siue affectionis. Et præterea confirmatur etiã, quoniam essentiæ rerum nos latent, quare non mirum, si primas earum proprietates probare non possim⁹, quia non possunt probari, nisi per ipsas essentias, quę latent, & in hoc genere videtur reponẽda hæc proprietas agentium, vt agere nõ possint, nisi per contactum, quibus tamen non obstantibus conãtur multi huius proprietatis rationem reddere, & nos & post aliquot aliorũ impugnatas, nostram afferemus.

Capreolus in p. d. 37. ad 8. ait, nõ posse agens operari in distans, ex eo quòd agens est quodammodo actus ipsius passi, & passum est quodammodo in potentia ad agens, actus

actus autem, & potentia ex sua ratione postulant esse indistantes, quam rationem approbat quoque Iauellus p.p.q.8.art.1.& de ea inquit Suarez, quòd quamuis ad cõuincendum intellectum proteruũ non sufficiat, propinquiùs tamen, quàm alias attingere, & indicare causam huius necessitatis. Mihi verò patũ, aut nihil probabilitatis habere videtur hæc ratio. Si.n.vim haberet, probaret etiam, agens nõ posse mediatè agere in distans, sicuti enim actus formalis non potest nec mediatè, nec immediatè informare materiam distantem, ita neque posset agens. Præterea sequeretur etiam, agens debere formaliter vniri passo, sicut forma vnitur materiæ; quòd si dicant, in his locum non habere hanc similitudinem, siue proportionem, frustra exigunt, vt locum habeat quoad indistantiam immediatam tantùm.

Alia ratio innuitur à Suarez nu. 20. ex imperfectione effectus, qui cum sit dependens à sua causa, postulat coniunctionem, & indistantiam ab illa, vt ab ea manare possit, sicut riuulus requirit cõiunctionem cum fonte, vt ab eo emanet. Sed neq; hæc ratio proficit quidquã, immo dici posset petitio principij, quia hoc est, de quo quærimus, cur effectus, ad hoc vt dependeat, requirat coniunctionem cum agente, satis enim videtur, quòd pendeat à virtute agentis, licet hoc sit absens. Præterea sequeretur, quando causa agit in effectum distantem per intermedium corpus, quòd effectus non penderet à causa, sed ab interposito corpore. Tertiò contra ipsummet Suarez non minùs locum haberet hęc ratio in Deo, quàm in agentibus creatis, cum hęc imperfectio in omnibus effectis repetiatur.

Tertia ratio à Ruuio affertur 7. phys. cap.2. q.1. quia scilicet agẽs debet contingere effectum saltem virtute, at nisi præsens sit, vel immittat per medium virtutem, non continget: igitur. Verum facilè eneruari potest hæc ratio, si aliud non addatur, dicet enim quis; virtutem quidem esse simul cum effectu, sed transmissam à distante agente.

Quarta ratio, quam sequutus est Gillius tract.9. suorum cõment. & mihi quoque quandoque placuit, quia existentia rei est necessaria, ad hoc vt efficiens agat, ergo ẽt existentia hoc loco erit necessaria, vt hoc loco agat. Probatᶠ sequela, quoniam quod hic nõ existit, respectu huius loci se habet, ac si nullo pacto existeret, sed quod nullo pacto existit, non potest agere, ergo neq; quod hic non existit, poterit hic agere. Confirmatur, quia sicuti se habet existentia ad actionem, ita existentia hoc loco ad actionem in hoc loco, sed existentia est simpliciter necessaria ad actionẽ, ergo etiam ad actionem in hoc loco.

Confirmatur secundò ex propositione, quam habet locus ad tempus, sicuti .n. ad hoc vt nunc agens aliquid agat, oportet, vt nunc existat, & non sufficit extitisse, vel futurum esse, ita etiam ad hoc vt agat hic, necesse est, vt hic existat, nã conditiones temporis, & loci semper comitantur actionẽ, & eã determinãt, & sicut ipsemet Deus quãuis sit omnipotẽs, si cõcipiatur existere in aliqua differẽtia tẽporis, & nõ in alia, nõ poterit in ea, in qua nõ existit, agere,

ita

ita licet sit omnipotens, si sit in aliquo loco definito, non poterit in alio loco distanti agere. Hæc autē omnia intelligenda sunt de existentia, vel per suam substantiam, vel per suam virtutem, sicut enim tribuitur agēti effectus, si existat eius virtus, quamuis non existat secundum substantiam, ita sufficit, quòd loco sit præsens secundum suam virtutem, & sicuti à principio non potest emittere virtutem, nisi existat, ita neque emittere etiam hic, nisi hic pariter existat.

Dices, adesse discrimen inter tēpus, & locū, quia quod non existit in hoc tempore, verè non existit, at quod non existit in hoc loco, verè existit, quamuis alibi, quod etiā confirmatur, quia quod est distās, potest actu influere in effectū per virtutem à se emissam, at quod prę teritum est, non potest amplius influere in effectum. Resp. hoc discrimen non eneruare hanc rationem, quoniam eatenus est verum dicere, quod præteritum est, nunc nō existit, quatenus nos loquimur tamquam existentes in alio tempore, & determinatè pro illo, at verum est etiā dicere de eo, quod alibi existit, hic non existere. Et confirmatur, quia non solùm quando causa præterita est, non potest agere, sed neq; quando est præsens, potest agere in futurū, vel præteritū, ergo hoc non oritur ex eo, quòd causa non existat, sed ex eo, quòd non existit, simul cum effectu, & sicut quòd causę, & effectus in eodem loco concipiātur, si tempore non sint simul, nihil refert; ita etiā quòd sint simul tēpore, si loco inuicē distent, nihil prodest. Ad confirmationem respondeo, quod est præteritum, non posse actu influere, quia esse actu est idem, ac esse nunc, ex eo tamen quòd actu influxit suo tempore, efficitur, vt media eius virtute effectus, qui nunc fit, ei tribuatur, & ita proportionaliter de loco philosophandum est, quia quod est distans, non potest hic influere, quamuis ex loco, in quo est, poterit emittere virtutem, qua mediante hic agat.

Confirmatur hæc ratio, quoniam vt agens agat, oportet, vt applicetur eius virtus. virtus enim actiua, non applicata non sufficit. Nam Deus potest creare infinitos mundos, quos nōn creat, quia virtutem non applicat, & licet ego possim mouere aliquod pondus, numquam tamen illud mouebo, nisi meam virtutem illi applicem, at distantia tollit hanc applicationem, quia quod distat, nō est huic magis, quàm alteri subiecto applicatum, quare etiam in volun-tate, & intellectu, in quibus locum non habet hæc distantia physica, quia ab obiecto physicè non patiuntur, requiritur indistantia, & applicatio intentionalis, quia intellectus non potest ferri in obiectum, nisi per se, vel per suam speciem sit præsens, neque voluntas amare potest obiectum non cognitum.

Hæc tamen ratio, quæ quidem, vt dixi, mihi quoque arrisit, nunc animum non implet, non quia mala sit, sed quia non sufficiens, quāuis n. rectè probet, non posse agēs producere hic, nisi hic sit virtute, vel supposito, non tamen affert rationem, cur ex loco distanti non possit agens emittere actionem, vel virtutem huc, & cur cum possit per mediū, non possit etiā absq; eo quòd pertranseat mediū. Nā siue virtus pertrāseat medium, siue nō, dummodo contingat patiens, semper

per dicetur agens esse simul cum passo virtute, quare non est sufficiens ratio reddita.

Quinta ratio desumitur ex ordine, & dependẽtia essentiali, quam habent inuicem partes spatij, ex quo efficitur, vt non possit virtus, siue actio agẽtis attingere distans, nisi per medium transeat. Porro habere partes spatij hunc ordinem essentialem, probatur ex motu corporis, quod non potest pertransire ab extremum sine medio, quod aliunde non potest oriri, quàm ex ordine, & dependentia partiũ spatij, non.n. orit̃ ex parua virtute mouentis; nã quãuis in eo fingamus maximã virtutẽ, numquã fingere poterimus, pertransire ab extremo ad extremum sine medio: Præterea si maximæ virtuti hoc posset tribui, magna virtus si non posset tantum spacium, quantũ virtus maxima, saltem posset minimum, nam respectu illius minimi spatij habet virtutem maximam, & experimur nos posse quidẽ aliquid mouere velociùs, & velociùs vsq; in infinitũ, nũquam tamẽ efficere, vt pertranseat ab extremo ad extremum sine medio. Neque hoc tantùm oritur ex diuisibilitate corporis, nam ex hac quidem oritur, vt non possit vna eius pars simul cum alia idem spatium pertransire, non verò vt non possit secundum eamdem partem transire ab extremo ad extremum sine medio. Item non potest Deus efficere, vt vna pars spatij sit intra aliam, ergo signum est, hunc ordinem, & dependentiam partiũ esse essentialem, & inseparabilem. Idem confirmatur ex proportione ad tempus, non enim licet pertransire ad tertium diem à primo, nisi per secundum, propter essentialẽ ordinẽ partiũ temporis, ergo idẽ dicendum est de partibus spatij.

Obijcit tamen Suarez, adesse disparitatem inter corpus, quod debet transire ab extremo ad extremum, & actionẽ, siue virtutẽ agentis, quia actio, inquit, non transit eadem numero ad rem distantem per medium, sicuti idem numero corpus transit ab vno loco ad aliũ. Verùm hæc disparitas nulla est, quia vis huius rationis non fundatur in entitate eius, quod pertrãsit, sed in ordine essentiali partium, qui in vtroque genere rerum locum habet. Præterea quòd sit eadem virtus, vel diuersa, nil refert; quoniam virtus, quæ aliquid efficit in loco distanti, reuera est ab agente, & magis est esse ab aliquo, vt à principio influente, quàm à principio tantùm terminatiuo, sed corpus non potest à principio terminatiuo transire ad alium terminum sine medio, ergo neque poterit illa virtus, quæ est à principio influente. tertiò ad hoc vt agens agat in distans, oportet, vt fiat præsens, vel per se, vel per aliquam virtutem, sed per se nõ potest fieri præsens, nisi pertranseat medium, ergo idem dicendum est de virtute ipsius, nam virtus nõ potest esse potentior suo principio. Et confirmatur, quia si agens posset transmittere virtutem in distans absque medio, cur etiam non posset transmittere se ipsum? Adde, quòd si transmitteret virtutem, eadem vere numero virtus ab extremo ad extremum sine medio transiret, quia tunc non essent plures virtutes, sed vna tantùm, idcirco enim multiplicantur virtutes, quia afficiunt varia subiecta in medio, at tunc vnicum tantùm subiectum afficeret distãs, etiam ergo vnica esset virtus, quæram igitur de hac

virtute

virtute, an emanauerit ab agente? si non emanauit, ergo non est virtus eius, si manauit, ergo pertransiuit ab extremo ad extremum sine medio. Confirmatur, quia si eadē virtute numero deberet agēs agere in medium, & in distans, non posset hæc transire ad distans sine medio, ergo etiamsi multiplicetur, quia multiplicatio oritur ex ipsius imperfectione, cum non possit eadem perseuerare per totum spatium, ergo hæc imperfectio non debet illi tribuere hanc maximam perfectionem, vt possit transire ad distans sine medio.

Hanc igitur, censeo, esse veram rationem, cur agens non possit agere in distans, nisi priùs agat per medium; sed vt magis completè quæsito huic quis respondeat, cōiungenda est cum quarta ratione. Nam agere in distans posset ex altero duorum capitum oriri, vel scilicet ex eo quòd agens transmitteret actionem suam, siue virtutem in distans, & huic occurrit ratio quinta, quæ ostendit, hoc fieri non posse: vel ex eo quòd agens absq; eo quòd actionem transmitteret, ageret, vbi non esset præsens, & huic occurrit ratio quarta ostendens, non posse causam alicubi agere, nisi ibi sit præsens, & existat vel supposito, vel virtute, cum igitur nō sit supposito, oportet, vt sit ibi eius virtus, non erit autem ibi, nisi ab aliquo constituatur, non potest autem constitui ab agente distanti, nisi ab eodem transmittatur, cum non possit agere, nisi vbi est, quare ex his duabus rationibus simul vnitis optima, & perfecta omnino redditur ratio huius sententiæ communis, & verissimæ.

An in Dei quoque actione locum habeat supradicta sententia communis.

SECTIO IIII.

Notandum est, aliud esse, An colligatur Dei præsentia in rebus ex eius operatione, aliud verò, An posito quòd Deus esset in aliquo loco definito, posset agere in distans, absque eo quòd in medium ageret. Hæc inquam, duo diuersa esse, patet. Nam ex operatione creaturæ non licet colligere, eam esse alicubi præsentem, imò neque in mundo existere, quia contingere potest, vt agat tantùm per virtutem à se relictam. In Deo ergo posset etiam quis concedere, locum habere hanc conditionem, quòd agere non possit in distans, non inde tamen sequi, vt ex eius operatione tamquam à priori eius præsentia colligatur, hoc igitur posteriore theologis relicto, de priori tantùm agemus, quod philosophiæ, & huius quæstionis finē egredi omnino non videtur.

Est ergo communis sententia authorum, quos supra pro secunda citauimus, etiam in Deo locum habere hanc conditionem, à qua non est discedendum. Probatur autem primò à Gillio cap. 4. quia non agere in distans, non potest prouenire ex limitata virtute, alioquin quæ habent maiorem virtutem, possent magis agere in distās, at tum quæ magnam, tum quæ paruam habent virtutem, in distans agere non possunt, ergo ex ratione agentis hoc prouenit, non verò ex limitata virtute. Confirmatur secundo, quia distantia vnius cubiti est verè finita, ergo non est ratio,

cur

cur ad eam superandam, si superari posset, requireretur virtus infinita, & absurdum est, æqualem virtutem scilicet infinitam requiri ad superãdam tam finitam, quam infinitam distantiam.

Verùm obijciunt aduersarij, vt ipsemet refert, Quãuis creatę causæ sint virtutis inæqualis, ex æquo tñ eis cõuenit nõ agere ex præsupposito subiecto, ergo etiamsi causæ secundæ sint inæqualis virtutis, ex æquo eis conuenire poterit, vt non agant in distans. Occurrit ipse, Agere nullo præsupposito subiecto non habere latitudinem, & idcirco si propterea conuenit Deo, quia infinitus est, nulli agenti finito conuenire poterit, at verò agere in distans habet maxiam latitudinem, & ideo cum minus sit agere in aliquod certum interuallum, & non vltra, quàm posse agere in quamuis distantiam maiorem vsque in infinitum, si hoc secundũ conuenit Deo, quia habet infinitã potentiam, non est ratio, cur illud primum, & longè minùs causę secundæ, & finitæ conuenire non possit. Reuera tamen non satisfacit, quia dicent aduersarij, quòd sicut in creatione duo sunt, terminus à quo scilicet ex non præsupposito subiecto, quod nõ suscipit magis, & minus, & terminus ad quem, scilicet res, quæ creatur, quæ potest esse magis, vel minùs perfecta. Ita in actione in distans, si consideremus actionem, vt significat agere in non pręsentem, non suscipere magis, & minùs: si verò in terminũ magis, vel minùs distantem, sic suscipere, quare verè esse eamdem rationem vtrobique.

Probatur ergò secundò, & meliùs, quoniã si quid obstaret, quominùs hæc conditio locum habe-ret in Deo, esset ex eo quòd habet infinitam potentiam, sed hoc non obstat, igitur. Probatur minor, quia sicut se habet agens infinitum ad infinitam distantiam, siue infinitam sphæram actiuitatis, ita etiam agens finitum ad suam finitam sphæram, nam vnicuique assignamus suum adęquatum obiectum, sed finitum agens non potest intra suam sphæram actiuitatis agere in distans, ergo neq; agens infinitum.

Sed multò magis etiam hæc sententia ex nostris principijs confirmatur. Nam ratio, propter quam negamus, agens agere posse in distans, æquè locum habet in Deo, atque in causis secundis, ergo etiã id, quod ex ea sequitur. Probatur antecedens, quoniam prima ratio ex necessitate existentiæ deducta conuenit apertissimè Deo, quia nõ minùs est conditio necessaria ad agendũ Deo, quàm nobis existentia ipsa. De secunda autem, scilicet essentiali ordine partium spatij, probatur primò ex eo quòd Deus nõ potest efficere, vt aliquod spatium maius sit minus, vel alio pacto ipsas spatij partes immutare. Secundò ex proportione ad temporis partes, quia non potest effici à Deo, vt quis à primo die transeat ad tertium, absque eo quòd pertranseat secundum, quamuis enim efficere possit, vt non sit quis secundo die, & sit deinde tertio, tamen tunc non transibit à primo ad tertium, sed desinet esse in primo, & denuò producetur in tertio. Dices, ergo idem efficere poterit respectu partium spatij, atque ita agere poterit in distans, absque eo quòd pertranseat medium. Respõdetur, id, quod de tempore diximus proportionaliter dicẽdum quoq; esse

de

de loco, siue spatio. Negamus tamen, hinc sequi, quod Deus agere possit in distans, quãuis enim possit creare virtutem in vno, & in altero extremo, absque eo quòd eam creet in medio, tunc tamen vtrumq; extremum erit simul cum Deo, & cõsequenter non aget in distans. Si autem supponeremus, ipsum Deũ esse in aliquo loco determinato, tunc non posset constituere virtutẽ in loco distãti, nisi etiam in medio constitueret, quia illa virtus in distanti dependeret à Deo existente in altero extremo, & idcirco oporteret, vt dependeret per medium. Posset hic obijci, Deum posse agere in distans, quia agit per voluntatem, sed de hoc in solutionibus argumentorum.

An quod agit in distans per medium, agat in distans per se ipsum: vel tota actio sit medio tamquam ipsius instrumento tribuenda.

SECTIO V.

EXemplo solis illuminantis aerem, & aquam optimè declarabitur proposita dubitatio, cũ enim aqua sit remotiorà sole, quàm aer, neq; sol illuminet aquam, nisi illuminando aerem intermedium, dupliciter contingere potest, vt sol illuminet aquam, vel illuminãdo simul tamquam vnicum patiens aerem, & aquam, quamuis priùs natura illuminet aerẽ, vel illuminando per se ipsum aerem tãtùm, imò neque hunc totum, sed sibi proximum, à quo deinde illuminatur alia pars aeris, & ita deinceps.

Est ergo prima sententia, Solem per se ipsum non posse illuminare aquam, siue partem aeris distantẽ, sed tantùm mediante corpore intermedio tamquam instrumento. Sequitur hanc sententiam Christophorus Gillius tract. 9. theolog. capit. 5. fundamentum ipsius est, quia virtus agentis debet esse, vbi efficitur effectus; at si effectus intermedij non sunt virtus, & instrumentum agentis, vis efficiens, à qua actio, & effectus emanare possit, non est hic, scilicet in loco distanti, ergo non poterit re uera hic producere effectum.

Contraria tamen sententia mihi videtur probabilior, quam etiã sequitur Suarez primò quidem dubitanter n. 21. postea verò absque vlla dubitatione num. 33. nõ quòd effectus intermedius nõ possit aliquando concurrere effectiuè ad effectum in distanti, sed quia hoc non fit semper necessarium. Probatur autem primò. Quoniam si lumen productũ esset principiũ productionis alterius luminis, æqualiter hoc produceretur in oẽm partẽ, non enim est maior ratio, cur in hanc, quàm in illã ipsum efficiat, at falsum hoc esse, experiẽtia cõstat, si enim in cubiculum vndiq; clausum ingrediatur per foramen paruum solis radius, illuminabit tantùm partem ex directo sibi oppositam, non verò reliquas, ergo huius illuminationis non est principium ipsum lumen, sed sol, cuius actioni peruium tantùm est spatium per lineam rectam.

Respondet ad hoc Gillius, hoc prouenire, non ex eo quòd sol se ipso agat, sed quia lumen ex subordinatione solis determinatur ad producendũ illud lumen per lineã rectam, non verò per obliquam. Confirmat hoc nonnullis exemplis. Primum est de calore naturali indito diuersis seminibus, Nam vt habet, inquit, probabilis senten-

tia, est eiusdem speciei cũ elementari, & tamẽ propter diuersam subordinationem ad viuentia, ex quibus semina deducuntur, in his disponit aliter materiam, atque in alijs, & reddit aptam formis distinctis specie. Præterea impulsus, quo corpora grauia mouentur violenter, est eiusdem speciei, & tamẽ si mobile dirigitur in vnam partẽ, nequit ab eo impulsu erigi in aliã, neque propterea dici potest, proijciens seipso mouere lapidem, sed medio impulsu, qui ita ipsum modificauit, vt nõ nisi illò impelleret lapidem, quò à motore dirigitur.

Verùm hæc responsio non satisfacit. Primùm enim, si esset vera, sequeretur, lumen huiusmodi illuminare non posse nisi per lineã rectam, videmus tamen, diffundi lumen etiam in partes laterales, alioqui radijs solis ingredientibus per fenestram in cubiculum, illa tãtùm pars cubiculi, quæ radijs eius esset exposita, illuminaretur, cæteræ verò penitus oscuræ remanerent, qđ est falsum, huius autem ratio est, quia in partes laterales lumen ipsum, quod est in aere, agit, in partem verò directè oppositam ipsemet sol; Quòd si, vt inquit Gillius, modificatum esset lumen ad agẽdum tantùm per rectam lineã, nullo pacto ageret per obliquam, tribuere autẽ ipsimet lumini hos duos diuersos modos agendi, est omnino improbabile. Præterea exempla ab ipso adducta non sunt ad rem, non prius, quia dispositio materiæ non est tribuenda calori tantùm seminis, sed virtualibus qualitatib⁹ in semine relictis, quomodo enim calor solus ex eo solũ quòd productus fuit ab homine, habere potest virtutem ad disponendam materiam ad formam humanis, cum esse productum ab homine nihil supra ipsius substantiã addat? certè videtur hoc inintelligibile, quamuis enim dicatur accidens in virtute substantiæ producere substantiam, absque eo quòd propterea ei aliquid superaddatur, tamen habet accidens ex propria natura, vt sit substantiæ instrumentum, calor verò non habet ex propria specie, vt sit instrumentum hominis. Secundum quoque deficit, nam virtus motiua ex natura sua debet respicere aliquem determinatum locum, non enim potest mouere lapidem in omnem loci differentiam; determinatur igitur ab ipso impellente, nam & à natura est ad hoc instituta, vt aliquò impellat mobile, at lumen nullum respicit determinatũ locum, & potest agere in omnem loci differentiam, immo neque à sole determinari potest, quia & ipse sol est indifferens ad agendum in omnem loci differentiam, quòd si in euentu illo de radio transeunte per fenestram agit tantùm per lineam rectam, est, quia impeditur agere in alias partes à corpore intermedio, ergo cum lumen ipsum non impediatur agere, debebit in omnem partem. Præterea si agens non per se ageret in distans, simul & in propinquum, sequeretur, neque mouens posse simul mouere propinquum, & distans, at hoc est falsum, igitur. Probatur minor primò, quoniam dum quis mouet, vel fert magna pondera, nisi omnia ipse per se ferret, vel moueret, non magis defatigaretur, quàm si proximum tantùm vel moueret, vel ferret; nam neque ipse moueret nisi proximũ, neq; præter proximum aliud pondere proprio eum premeret, non

enim

enim dici potest, quòd pondus distans aliquam grauitatem imprimat in propinquum, ratione cuius magis graue fiat. Praeterea dũ quis manu hastam tenens ipsam quatit, quis dicat, moueri tantùm ab ipso primam partem hastae, & ab ea moueri reliquas partes? omnes certè existimant, totam simul ab eodem homine moueri, non enim imprimit aliquam virtutem in primam eius partem, ratione cuius ipsa possit alias mouere, alioqui etiãsi abstraheret manum, illa prima pars moueretur, vt patet in proiectis, quod tamen constat esse falsum.

Tertiò, Agens non tantùm secundum vltimã partem passo propinquam agit, sed etiam secũdum omnes, ergo etiam non tantùm in primam eius partem, sed in omnes simul agit. Antecedens probatur, quoniam magnus ignis longè potentior est ad agẽdum, quã paruus, cuius ratio alia reddi nequit, nisi quia magnus agit secundũ omnes sui partes simul, quae sunt plures, quàm ignis parui, alioqui enim cũ tam intensa sit vltima pars, siue superficies vnius ignis, quã alterius, neq; partes posteriores possint intẽdere priorem, & propinquiorẽ, si simul & ipsae non agerent in passum, ita ageret pars propinquior, ac si nullae aliae partes adessent. Consequentia quoq; clara est, nam si pars ignis, quae à passo distat, potest in ipsum agere immediatè per se, ergò etiam pars illa ignis, quae propinqua est passo, poterit per se agere in partes passi distãtes, nulla est enim ratio, cur distantia non sit illi impedimẽto, sit autem huic. Dicendum est igitur, quòd sicut totus ignis agit simul, ita etiam totum passum simul patiatur, non verò pars remotior per propinquiorẽ.

Quarto, Si esset vera contraria sententia, Principale agens in primam tãtùm partem, siue in solam superficiẽ passi ageret, superficies verò in proximam partẽ, & haec in aliã. Hoc aũt esse incõueniens, probatur, quia daretur progressus in infinitum in agentibus subordinatis, sunt enim infinitae partes saltem syncategorematicè in cõtinuo, sed vnaquaeque pars est in agendo alteri subordinata, ergo datur infinitum in subordinatis: Est etiam inauditum, quòd superficies sit principium agendi, & quòd ignis maximus nõ possit per se calefacere, nisi superficiem corporis contigui.

Quintò, Sequeretur etiam, non maiorem esse sphaeram actiuitatis ignis maximi, quàm minimi, quia vterq; nõ posset agere vltra superficiem corporis sibi cõtigui. Dices, sphaeram illius esse maiorem, quia quamuis non per se, tamen per instrumentũ potest longinquiùs agere. Sed neq; effugitur difficultas, nã quaero, an ignis magnus tribuat maiorem calorem corpori contiguo, quàm minimus, si nõ maiorẽ, ergo nulla est ratio, cur hoc corp⁹, siue prima pars hui⁹ corporis agat magis in distãs, q a tota actio ipsius prouenit à calore sibi cõmunicato: Si dicas, tribuere, contra, quoniã in partẽ proximã tã potest agere minimus ignis, q̃ maximus, ergo aequalẽ calorẽ illi cõmunicabunt. Probatur antecedẽs, quia minimus ignis potest in partẽ proximam gignere ignẽ, ergo producere in ea calorẽ summũ, nõ potest igitur maximus ignis producere maiorẽ. Praeterea si ratione instrumenti dicitur ignis maximus maiorẽ actiuitatis sphaerã habere, ergo nullus ignis habebit determinatam sphaeram, quia eius instrumenta possunt deferri in

distás vsq; in infinitum, & in quocunque loco semper agent vt instrumenta illius, ergo non habebit determinatam sphæram.

Denique videmus, quòd ea, quæ per multiplicationem in distans se extédunt, tépus ad hoc requirunt; hæc est enim ratio, cur tardiùs sonus ad nos perueniat, quàm species coloris, quia multiplicatur per cõtinuas productiones, & idipsum videmus in circulis, qui iactu lapidis in aquam circa eum fiunt, ergo si etiam lumen per multiplicationem se extéderet à cælo in terram, probabile est, quòd non sine tempore fieret, quamuis enim non negemus, & per multiplicationem fieri posse in instanti, videtur tamen esse magis connaturale rerũ ordini, vt non in ipso instanti, in quo productæ sunt res, agant, & producãt sibi simile, sed aliquantulũ post, ex hoc ergo, ꝙ totus aer illuminatur in instãti, possumus conijcere, illuminari totum simul ab eodem agente.

Dices, immo videt non posse fieri in instanti, si tota immediatè à virtute solis oritur illuminatio, cũ enim non possit aliquid agere, nisi præsens sit vel supposito, vel virtute, oportet, vt virtus solis sit præsens toti aeri, at non potest pertransire totum aerem in instanti, sicuti neque posset lapis è cœlo cadens, ergo.

Respon. Quòd quando dicitur, agens debere esse simul cum passo, non ita est intelligendũ, quasi esse debeant in eodem loco, quia oporteret ea se penetrare, sed satis est, vt sint indistantia, cum enim agẽs agat actione transeunte, non oportet, vt actio recipiat in eodẽ loco, vbi ipsum est, quia esset immanẽs, sed in subiecto proximo, sufficit igitur, vt principiũ actionis sit immediatè cõiunctũ ipsi agenti, & sicuti per hanc coniunctionẽ est sufficienter præsens efficiens, ita illud dicitur esse præsens eius virtuti, siue actioni, quod est illi immediatũ, quare eo ipso quòd incipit sol illuminare primã partem aeris, secũda pars fit ei sufficiẽter præsens, quia est immediatè coniuncta primæ parti, vbi est virtus ipsius, & ita etiam deinceps, hoc autem totum fit in instanti, quia nulla adest resistentia, si n. possunt fieri plures productiones in instãti, vt aduersarij volunt, non est ratio, cur etiam in instanti non possit eadem actio continuari. Ad instantiam de lapide respondeo, hunc descendere successiuè, quia non potest esse in eodem instanti in pluribus locis simul, cum autem hæc actio, de qua nos loquimur, possit esse in pluribus locis, non mirũ, si fiat in instanti, ad cuius rei maiorẽ explicationẽ possumus adhibere aliqua exẽpla. Primum est, si centum lapides per rectam lineam dispositi se contingant, & vellit quis impellere primum, quis nesciat, quòd in eodem instãti impellet omnes? eius igitur actio, siue impulsus in instanti pertingit locum distantem. Secũdùm de visione, quæ in eodem instanti simul fertur in obiectum propinquũ, & in remotũ. Tertiùm (quãuis de hoc esse possit aliqua difficultas) cũ angelus se à minori loco ad maiorem extendit, absq; eo quòd priorem locum relinquat, id efficit secundum multos theologos in instanti, ergo idem poterit contingere in hac virtutis extensione.

Ad argumentum igitur Gillij, per hæc ipsa patet, quid sit respondẽdum, & quomodo in nostra sententia locum etiam habeat regula, quòd agens, & patiens sint simul.

Ex

Ex his quoque patet, falsam esse Scoti sententiam, quòd scilicet aliquod agens possit per vnam virtutem agere in propinquũ, & per alteram in distans, quoniam debet illa virtus esse præsens passo, à qua producitur effectus, non potest autem ex distanti fieri præsens, nisi transeat per medium, neque etiam iuuare potest, quòd transeat alia virtus eiusdem agentis, sicuti ad hoc vt brachio dextero aliqd moueatur, non sufficit, cum eo me habere coniunctum sinistrum, sed oportet, ipsum dexterum adesse.

Argumenta primæ sententiæ diluuntur.

SECTIO VI.

Ad primum resp. voluntatem nostram æquè velle posse aliquid distans, ac propinquum, at voluntatem diuinam non posse velle aliquid distans, quia est vbiq; quare non magis voluntas se extendit, quàm potentia. Si ponamus verò, Deum esse in aliquo loco definito, tunc voluntas posset quidem aliquid distans velle, non tamen posset efficere nisi per mediũ, ex quo non sequeretur, potentiam esse minorem voluntate, sed habere diuersum modum operandi, neque enim voluntas velle posset, omnipotentiam operari in distans, quia non potest velle impossibile, sicuti neque potest velle chimæram. Ad aliam partem, quòd Deus agit per volũtatem, respondeo, verùm hoc esse realiter, quia realiter eadẽ entitas sunt voluntas, intellectus, & omnipotentia in Deo, ratione tamen distinguuntur, & hoc sufficit, vt habeant diuersum modum operandi. Confirmatur responsio, quia voluntas diuina non minùs potest velle aliquid in tempore futuro, quàm in loco distanti, quis autem dicet, potentiam Dei nõ requirere obiecti præsentiam quoad tẽpus? ergo etiam quoad locum. Præterea æquiparantur voluntas & potentia, quòd sicut illa requirit obiectum coniunctum intentionaliter, scilicet per cognitionem, ita & hæc modo suo, coniunctum scilicet per localem præsentiam.

Ad secundum nos, qui admittimus, Deum esse in spatijs imaginarijs infinitis, facilè respondemus, Deum, vbi operatur, esse præsentẽ, corpori autem creando patet non esse præsentem, quando nõ existit, sufficit tamen, quòd non sit distans, nam distantia supponit extrema realiter existentia, & aliquid spatij esse inter illa, quod verò nõ existit, non potest hoc pacto distare ab existenti. Qui verò negant præsentiã Dei in spatijs imaginarijs, dicũt sufficere, quòd Deus sit præsens aptitudinaliter, ita Gillius cap. 6. Verùm non satisfacit hæc eius responsio, sicuti .n. non sufficit existentia aptitudinalis, ad hoc vt aliquid agat, ita neque sufficit existentia aptitudinalis hic, vt agat hic, ita enim ex eodem Gillio se habet existentia hic ad actionem hic, sicut existentia absolutè ad productionem absolutè.

Ad tertium respondeo, agens quò est potentius, agere in remotius, sed per medium, quòd verò tã agens potentissimum, quàm imbecillimum agere non possit in distans, ex eo prouenit, quòd ratio non agendi in distans non est imbecillitas virtutis, sed cõditio agentis, neque hinc fit, virtutem infinitam claudi terminis, quia po-

test agere in quodcunque distans, sed per medium.

Ad quartum concedunt quidā, vt Suarez 3. p. disp. 31. sect 5. & alij apud Ruuium q. 2. instrumentum per Dei virtutem agere posse in distans, & ad hoc sufficere, dicunt, quòd agens principale non sit distans. Verùm hoc non sufficere, mihi videtur clarum, quoniam sicut, vt agens principale agat per aliquod instrumentum, non sufficit actio agentis, sed oportet etiam, vt adsit actio instrumenti, ita ad hoc vt instrumētum agat hic, oportet, vt instrumenti virtus hic adsit. Dicendum igitur cum Molin. p. par. q. 8. art. 1. d. 2. neque instrumentum agere posse in distans, addita tamen hac limitatione, nisi Deus ipse replicet eius virtutem in loco distāti, sicut enim potest Deus efficere, vt aliquod corpus sit in duobus locis distantibus, absque eo quòd sit in medio, ita etiam potest replicare virtutem instrumenti, siue etiam alterius agentis, & ponere in duobus extremis, absque eo quòd sit in medio, & tunc dicetur instrumētum agere in distans, absque eo quòd agat in medium: Verùm hinc nihil infertur contra nostram sentētiam, quia nec effectus fit, vbi non adest virtus causæ, neque virtus transit ab vno extremo ad aliud sine medio.

Ad quintum resp. non posse corpus transferri ab extremo ad extremum sine medio, neque per diuinam potentiam ob essentialem ordinem, qui reperitur inter partes spatij supra explicatum. Ad primam instantiam respondeo, Corpus Dominicū post Resurrectionem penetrasse per portam quamuis clausam. Ad secundam resp. Corpus Christi fieri præsens in altari per replicationem, non verò per adductionem, & idem dicendum de alijs similibus exemplis, si possunt afferri.

Ad sextum resp. agens priùs natura agere in partem propinquiorem, quàm in remotiorem, non autem semper priùs tempore, ex quo nullum sequitur absurdum. Ad illud autem, quòd agens efficaciùs operatur per lineam rectam, dicendum est, hoc simpliciter falsum esse. Nam idcirco Philosophi spatium illud, ad quod potest se extēdere virtus agentis, appellant sphærā actiuitatis, quia in omnem partem pōtest æquè agere, sicut centrum ex omni parte distat à circūferentia, aliquando tamen magis agit per lineam rectam, vel quia impediatur agere in alias, vt cum Sol ingreditur cubiculum per fenestram: vel quia mouetur per illā, vt flamma; quæ magis comburit sursum existentia, quàm ad latus, vel quia per reflexionem virtus roboretur, vt dum Sol directè terrā radijs ferit, ex quibus nihil sequitur contra nos.

Experimentis pro eadem adductis satisfit.

SECTIO VII.

AD primum de Sole diximus iam supra, vel formas substātiales produci à Deo, vel ab accidentibus tamquam instrumentis substantię, consequenter non opus est, vt Sol agat in distans.

Ad secundum, de phantasia varias responsiones refert Suarez nu. 29. Vera est, appetitum moueri ab imaginatione, non physicè, sed obiectiuè, quia illi obijcit rem apprehensibilē, ad quod nō requiritur

tur indistantia, cum hæ potentiæ sint radicatæ in eadem anima, quę per vnam cognoscit, & per alterā appetit, vt suo loco latiùs dicendū erit. Ad aliam partem de efficacia imaginationis in alias res externas negāda sunt omnia experimēta, quæ ad hoc comprobandum afferuntur, imaginantur enim videre ipsi, quæ non sunt, qui talia se vidisse testantur. Vide Martinum Delrio disquisit. magicar. lib. 1. cap. 3. q. 3. qui luculenter, & copiosè de hac re differit.

Ad tertium de fascinatione respondeo, primò quidem non mihi admodum probabile videri, vera esse, quæ de ea dicuntur, te stem enim oculatū nūquā hac de re reperi, vel ergo fabulæ sunt, vel Dæmon ex pacto lædit eum, in quem oculi à fascinante cōjciuntur, vel hæc opinio orta est ex gentilium superstitione, qui pro malo omine habebant, si quando deformi obuiabant, ad quod alludens Iuuen. Satyr. 6. ait.

esses
Aethiopis fortasse pater, mox decolor hæres
Impleret tabulas nunquam tibi mane videndus.

SI tamen admittatur. Dicendū est cum D. Thoma pri. par. q. 117. ar. 3. ad 2. & 3. & alijs, non fieri actu ipso videndi, sed à spiritibus ab oculo emissis, & aliquà venifera qualitate infectis, vel quod est facilius, ab aere per respirationem emisso, vt indicat Aristoteles sect. 20. probl. in 34. Vel etiā trucem ipsum, & deformem vetularum quarumdam aspectum infantulis timorem incutere, quo excitati, & perturbati humores morbum gignere possunt.

Ad quartum est etiam communis responsio, & vera, torpedinem eamdem qualitatem in medium etiam immittere, per quam stupefacit manum, medium tamen non stupefieri, quia non est capax.

Ad quintum, multa eruditè, vt moris ipsorum est, afferunt Conimbr. 7. phys. cap. 7. q. 1. & in eā tandem sententiam descendunt, quæ Scaligero quoq; placuit exer. 218. & Vlysso Aldobrando lib. 3. de piscibus cap. 22 occultam scilicet qualitatem ab Echeneide in nauigium immitti, per quam sistatur. Verùm adhuc inquirendum remanet, quid sit hæc qualitas, & quomodo à tam paruo pisciculo tantæ virtutis qualitas immitti possit. Nā licet paruus magnes trahat ferrū, videmus tamen, non magno conatu ab homine retrahi, cur igitur tot remiges quot in triremibus reperiuntur, vni pisciculo resistere nequeunt? an quia impediantur remiges ab impellendo nauigiū per aliquam qualitatem, quæ torpētia reddat ipsorū brachia, vt de torpedine dicitur? at hoc non videtur dicendum, quia notatū fuisset ab ipsis scriptoribus, qui de remora loquuntur, ex quibus tamen potius dicitur contrarium.

Adde, quòd & si hominum brachia obtorpuissent ob eam qualitatem, non tamen cohibitus fuisset ventus, & ab eo impelli potuisset nauigium. Quæ mihi probabiliora videntur, sunt. Primùm quidē valde incertum esse hoc, quod de hoc pisciculo narratur, nam & de eo dubitat Scaliger exercit. 218. ad Card. & à Delrio disquisit. magic. lib. 1. cap. 3. q. 4. & ab alijs pro falso habetur, nec immeritò, cū post tot sæcula tam frequenti per omnia maria nauigatione, nihil ferè huiusmodi videri contingerit, cū

ta-

tamen Echeneidis species non defecerit. Refert quidem Aldobrandus, à Petro Melara narrari, nauem Francisci Turronensis Cardinalis, cum è Gallia in Italiam pergeret, à perexiguo pisciculo remoratam fuisse, sed remoratam, non omnino detentam ait, sicut etiam Plutarc. lib.2. sympos. probl 7. nec ob vnius testimonium tam mirares statim pro certa est habenda. Secundum, casu potuisse contingere, vt nauē ob aliam quamdam causam remorari, cōtigerit, & ibidem etiā casu adfuisse remoram, ex quo desumpserint homines occasionem illi hanc vim tribuendi; hoc enim magis placet, quàm remoram esse signum alterius causę, vt voluit Plutar. loco supracitato. Tertium, si modò id, quod de ea dicitur, verum est, & ad quasdam occultas qualitates iamquā ad sacram anchoram, sed omnibus perviam, recurrere nolimus, non aliam videri cōgruentiorem, quàm hanc, quia videlicet ex vna parte arctissimè nauigio, ex altera verò alicui scopulo affigatur remora, non enim tam exiguam, credendū est, eam esse, vt non possit simul & scopulum, & nauim attingere, qđ si detur, non tam mirum, vt nauim sistat, cum etiam paruulus clauus maximam molem simili ratione sistere possit. Et confirmatur, quia dicunt omnes, remotam esse piscē scopulis adhærentem, & quoniā ferè numquam accidit, vt nauis sit tam propinqua scopulo, vt ambobus possit coniungi Echineis, & quòd ibi etiam eadem reperiatur, idcirco rarissimè etiam contingit, ab ea remorari naues, quòd si sola id efficere posset, longè frequentiùs id accideret. Dices, at Plinius, & reliqui dicūt, esse piscē perexiguum. Respondeo, loqui respectiuè ad nauim, quā retinet, fateor tamen, non omnem adhuc difficultatem ablatam, si enim omnis exemptus fuisset scrupulus, nō tam admirabilis esset, nec in dubiū verteretur hæc remoræ virtus.

Ad sextum, de magnete multa reperies apud Doctor. Connimb. & plura etiam in Dandino 6. digress. in lib.1. de anima, qui tandē cōcludunt id, quod sine multa speculatione quilibet assequi posset, immittere magnetem qualitatem, per quam ad se trahit ferrum. Possumus tamen adhuc inquirere, an qualitas ista sit motiua, vel alteratiua, motiuam intelligo, qualis est impulsus, grauitas, & leuitas, quæ licet subiectum alterent, non sunt tamen ad alterationem ordinatæ, sed ad motum: Alteratiuam, qualis est calor, vel frigus, & vtrobiq; apparent difficultates; Si dicas.n. esse alteratiuam, nō apparet, quomodo hæc habeat vim mouendi: Pręterea remaneret in ferro, etiam absente magnete. Si dicas, esse motiuam, hæc est indifferens ad quodcunque subiectum, cur ergo alia non mouebit? Præterea imprimitur hæc per contactum, qui nullus hic adest. Tertiò non videretur posse communicari ferro. Quartò etiam impulsus remanet in proiecto, postquam à manu est separatum, ergo etiam aliquoties hæc virtus remaneret in ferro, cuius contrarium experimur. Adde, quòd quidam est magnes, qui ferrum expellit, & abigit. Quare mirabilis reuera est hæc virtus magnetis, nec à nobis satis explicari potest. Videtur tamen potius dicendum, esse virtutem quamdam motiuam, sed alterius generis, quā nostram. Cur autem potius ferrū, quàm

quàm aliam rem trahat, inde forsitan euenit, quòd cum ferro quodāmodo conglutinari potest, non verò cum alijs rebus, quare si ferrum allio illinatur, non amplius trahitur, cuius non apparet potior ratio, quàm quòd impediat hanc agglutinationem. Vtcunque sit, clarum est, hanc etiam actionem fieri per medium.

Ad septimum, cui testimonium perhibent etiā Iurisconsulti apud Maiolum Colleq. 1. phys. Quidam hoc referendum dicunt in prouidentiam Dei, quæ hoc non sine miraculo efficiat, vt detegatur interfector iuxta illud *vox sanguinis tui clamat ad me de terra*. Verū sicuti, quòd semel, aut bis hoc cōtigerit, prouidentiæ Dei acceptum referri potest, ita si semper accidat, non est probabile, id supernaturaliter fieri, nōn enim miracula semper præsto adsunt. Petrus Apponi in probl. 6. sect. 7. assignat hanc causam, qđ scilicet interfector spiritus inimicitiæ ira succensos impressit ei, quē interficiebat, qui spiritus præsente deinde interfectore ad illū mouentur, à quo pdierūt, quo motu agitatus sanguis p vulnus effundit. Verùm non est admodum probabilis hæc responsio, quomodo enim illi spiritus scire possunt, adesse interfectorem præsentem, vt ad illum reuertantur? neque etiam apparet, quomodo possint ad illum reuerti.

Alij volunt, causam esse, quòd tā in interfectore, quàm in eo, qui interficitur ex inimicitia, vel repēte exorta rixa, vehementer accenditur bilis, & sanguis, quo fit, vt si interfector ad interfectū accedat, paulò post calentibus adhuc spiritibus, ab eo hi spiritus exeant, & pertingentes ad vulnus interfecti, vbi etiam abundant spiritus, quoniam ad læsam corporis partē fouendam spiritus accurrunt, ibi ex sympathia hi spiritus vniantur, & commoueantur, quare etiam excitent sanguinem, vel alia ratione hi spiritus calentes adhuc sanguinem denuo calefaciant, & effluere cogant, quæ ratio, si qua potest in hoc euentu reperiri, videtur non contemnenda; Fortassis etiam casu aliquando accidit, vt efflueret præsente interfectore ex cadauere occisi sanguis, & inde occasio sumpta fuerit affirmādi, id semper cōtingere, quamuis hoc verum non sit.

Ad octauum respondeo, sonum non esse sine motu aeris, consequēter vnisonam cordam ab altera moueri medio aere, cur verò hæc, & non alia moueatur, ratio est dispositio ipsius maior ad recipiendum motum, & edendum sonum, vt erudite explicat Fracast. lib. de sympath. cap. ij.

Ad nonum respondeo, excitari in nobis appetitum oscitandi, vel comedendi non per actionem aliquam physicam, sed phantasiæ tantùm proposito obiecto, ex cuius cognitione sequitur appetit⁹ illi⁹ rei.

Ad decimū respondeo, falsum esse id, qđ de Struthiocamelo oua oculis fouente dicitur, in arena enim relinquit à Sole, & tellure excludenda, quòd si ea aspicit, vt arceat nocitura, aspicit, non vt vim aliquam afferat.

Ad vndecimū, si verum est id, quod de hac aue dicitur, quod non facilè crediderim, respōdeo nunica to vtriusq; halitu auem ex icteritio morbum haurire, infirmum verò ex aue salutem: Ad sympathiam, & similitudinem occultam occurrit Delrius loco supracitato, quam ego non excludo, sed modum,

quo ab ea effectus hic oriatur, explico.

Ad duodecimum respondeo, si intelligatur de morte naturali tarantulæ, non carere hoc experimẽtum verisimilitudine, quia fieri potest, vt quò longiùs à morte hoc animal distat, eò vim habeat acriorem ad venenum infundendum. Si verò de morte violenta, non videtur verum, quia nulla apparet probabilis causa, vt hoc contingere possit, quòd si aliquãdo visum est ita fieri, casu contigit.

Ad decimumtertium respõdeo, plantas posse ex aliarum propinquitate proficere, vel quia aliquã qualitatem inuicem communicẽt, præcipuè per radices, vel quia indigeant diuerso alimento, & quod vni prodest, alteri noceat, quare dum propinquæ sunt, & vnaquæque humorem illum trahit, quo delectatur, liberat alteram à cõtraria, & noxia qualitate, & proprium ei nutrimentum, quo gaudet, relinquit.

Ad decimumquartum respondeo, in eo casu minùs calefieri manum, quàm si aer numquam mutaretur, calefit tamen, quia non tam celeriter aer à vento mouetur, vt non celeriùs idem aer, & per aerẽ manus calefiat. Aer autem ille, per quem manus celerit, semper erit calidior, vel æquè calidus, ac manus, quamuis fortè non ita sentiatur calor ob subiecti tenuitatẽ.

Ad decimumquintum resp. flores ad Solis motum verti omnes, quia ab eius influentijs maximè pendent, quosdam verò magis apparenter, vel quia magis eius influentias participent, vel quia faciliores sunt ad motũ. Dandinus tñ videtur id tribuere aliquo principio ipsis floribus intrinseco, quo mouerẽtur ad Solem, sicut lapis ad centrum. Sed obstat, quoniam planta illa, quæ dicitur maxima, & maximè cum Sole circumagitur, definit moueri, cũ flos eius ob magnitudinem redditus est grauis; si aũt ab innata virtute hoc haberet, quò maior esset flos, eò maior reddita esset virtus, quare æquè ac prius & ẽt magis moueretur. Præterea ratio nostra est conformior alijs experimentis, nam videmus etiam, vapores, & exhalationes à Sole sursum eleuari. Tertiò si vera esset ratio Dandini, etiam in radicibus videremus huius rei aliquod vestigium. Quartò, natura est determinata ad vnum, non est igitur credibile, ꝙ habeant hi flores virtutem, vt se moueant ad diuersas partes iuxta Solis motum. Quintò, impugnat ipse Alexandrũ, qui motum ferri ad magnetem ipsi ferro tamquam principio attribuebat, ergo neq; hoc dicendum est de floribus. Sextò Luna, & Sol possunt mouere fluctus maris, quid mirum igitur, si moueant flores? Nam etiam idem Dandinus refert, quendã florem vocari lunitropium, quòd lunæ motum sequatur.

Ad decimumsextum resp. illas curationes esse non posse naturales, sed arte Dæmonum, quare nullo pacto esse permittendas, qua de re vide Delrium loco supracitato.

Ad decimũ septimũ resp. verba vt significantia, nullã habere posse vim physicam, quare si vt talia immobiles serpentes reddunt, id fieri arte Dæmonis, vel auxilio bonorũ Angelorum, & Dei. Dixi tñ, vt significãtia, quoniam vt aliquẽ sonum peculiarem habent, nõ excederet fidem, aliquid operari posse, sicuti & musicam contra tarantulæ

tulæ venenum plurimum prodesse constat.

Ad decimumoctauū respondeo ex duplici capite oriri, quòd fundus lebetis frigidior sit, quā aqua. Alterum est, quòd vapores calidi, ex ipso lebete in aquā transeant, à quā faciliùs ob eius raritatem recipiuntur. Alterum, ex eo quòd aqua calefacta sursum ascendit, frigidior verò descendit, & suā frigiditatem fundo cōmunicat, quæ pluribus explicant Conimb. ar. 7. & Suarez nu. 27.

Ad decimumnonum respondeo, auum non immittere aliquam virtutem immediatè in nepotem, per quam ei fiat similis, sed eam transire per illius patrem, contingere tamen aliquādo, vt in vno effectū non habeat propter aliquod impedimentū, vel temperamentū minùs dispositū, habeat verò in alio magis disposito. Potest ētiam hoc contingere ex influentijs Cœli, vel alijs causis; nam si aliquando nascūtur homines simillimi in diuersis regionibus, quid mirū, si in eadē familia nepos appareat auo similis?

Ad vigesimū resp. Suarez fortè ēt aerē intermediū inter ignem, & stuppā esse inflāmatū, licet non ita sentiatur propter eius raritatē. Ego tamen existimo, hoc non esse possibile, quia non potest concipi ignis, vbi non adest eius alimentū, nō est aūt aer alimentū igni congruū, alioqui cū ignis sit maximæ actiuitatis, & aer minimę resistentiæ, facilimè paruus ignis totum aerem cōbureret, & inflāmaret, eū saltem, qui in cubiculo existit, qd patet falsū esse. Dicēdū est igr, vel transmitti aliquā paruā scintillā ab igne, siue exhalationē inflammatam, quæ stuppā cōburat, vel calorē, à quo nō potest produci forma ignis in aere ob defectū aliarū dispositionū, posse ipsam in stuppa gignere, quia reliquæ dispositiones adsunt, quæ licet non essent omnino perfectę, tales saltē essēt, q formæ præsenti repugnarēt, vt explicat rectè Suarez, & nos ēt infra latiùs dicemus.

Ad vigesimūprimū resp. lumen non esse calorem formaliter, sed sed virtualiter, sicut ergo per Cœlū transiens ipsum non calefacit, & tamen calefacit aerem, quia hic est capax caloris, ita etiam per phialā aqua plenā trāsiens ab eius frigiditate, & humiditate impeditur, ne ignē producat, quod impedimentū in alio corpore nō reperiens ipsum cōburit: Adde, q extra phialā magis condensatur lumen, & vnitur, quare etiam vim maiorē possidet.

Ad vigesimumsecundū resp. de hac serpentum à ceruo attractione philosophandum esse, sicut etiā de attractione ferri ex magnete, & lōgè etiā faciliùs hoc fieri ab animato, quàm ab inanimi intelligimus, quia animal spiritū, & aerem attrahendo propinqua quoque, ne detur vacuum, attrahere posse videt.

Ad vigesimūtertium resp. referendā esse rationē huius experimēti in causam, qua motus violenti velociores sunt in medio, naturales verò in fine, qua de re in 2. libro de generatione agendum erit.

Ad vigesimūquartū, ex his, quæ diximus de magnete, & ceruo ad 22. & ad 6. patet responsio.

Ad vigesimūquintū negatur antecedens. Ad probationē quoad venena, resp. hæc nō agere in distans, quia quando dantur ad tempus, nō perit eorū substantia, vel virtus, sed remanet saltem vsque ad illud tempus, & paulatim operatur, siue

actuatur à calore naturali, vt operari possit, & ita post tempus eius effectus apparet. Quoad febres verò multa dicunt Medici. Nos pro instituti nostri ratione breuiter respondemus, causam quidem semper adesse, & permanere, non semper tamen eumdem habere effectum, vel quia aliquando vincit, aliquando vincitur à natura: vel quia materia non est semper æquè disposita: vel quia aggregatione indiget eiusdem qualitatis humorũ, qui non semper præstò sunt, & aliquando diffunduntur per totum corpus, & tũc apparet febris, aliquãdo se abdunt, & remittitur.

Ad Aristotelis auctoritatẽ, si modò eius est ille liber ad Alexandrũ, respondeo, iuxta eius doctrinam afferendum esse, Deũ non agere in omnia immediatè immediatione suppositi, sed agere per instrumenta diuersa, quare non sequitur, vt agat in distans. Quidam tamen conantur defendere Aristotelem, dicentes, fuisse ab eo collocatum Deum in supremo Cœlo, non tamquã in loco definito, sed tamquã in loco præcipuo, in quo præcipuè eius virtus refulgeat, & ita voluisse gubernari mundum per ministros, vt tamen & ipse immediatè concurreret, quæ dicta Theologiæ potius, & veritati, quàm Aristotelicæ doctrinæ reuera consentanea sunt.

An idem possit agere in seipsum.

QVÆSTIO XLII.

TRes conditiones solent ad agendum prærequiri, quarum prima est, vt agens non distet, siue vt sit simul cũ passo, de quã quæstione præcedente egimus. secunda, vt agens sit distinctũ à passo. tertia, vt sit dissimile, de hac tertia agemus quæstione sequenti, de secunda verò in præsenti, nomine autẽ actionis comprehendimus & motũ. Nã 8. phys. contendit Aristoteles, idem non posse mouere seipsũ, sed omne, quod mouetur, ab alio debere moueri. Idẽ autẽ non posse in seipsum agere, ait in hoc primo tex. 48.

Rationes dubitãdi, & variæ Authorum sententiæ.

SECTIO I.

QVòd idem non possit agere in se ipsum, præter Aristotelis auctoritatem, suadet etiã ratio ab ipso allata. Non enim potest idem esse in actu, & in potentia, de eodem enim verificari non possunt esse, & non esse, at quod est actu, verè est, quod est potentia, non est, sed quod agit, debet esse actu, quod autẽ patitur, debet esse potentia, ergo idẽ non potest esse agens, & patiens. Confirmatur etiam, quia idẽ non potest corrũmpere, neque producere seipsum, ergò neque alio pacto in se agere, nã alteratio & reliquæ actiones ad corruptionẽ ordinãtur. Tertiò sequeretur &c. qđ mouet seipsum, nũquã quiescere, nã quotiescunq; actiua, & passiuum sunt simul, semper sequitur actio, at si idẽ potest agere in seipsum, actiuum, & passiuum semper essent simul, ergo, &c. Similiter si agamus de intensione, poterit seipsum vsq; in infinitum intendere.

In oppositum autem multa quoque possunt adduci. Primum est motus grauium, & leuium, non

enim

enim apparet, à quonam moueri hæc possint, præterquam à seipsis. Secundum est motus animalium, hæc enim etiam à se ipsis mouentur. Tertium sunt passiones, quæ à subiectis emanant, & actus etiam interni, qui immanentes dicuntur, quorum idem est principium effectiuum, & subiectum. Quartum est lumen, quod se ipsum per reflexionem intendit, & aqua, & aer, qui se ad pristinum frigus reducunt. Sextum Antiperistasis, per quam ad contrarij præsentiam idem dicitur se ipsum intendere.

Hinc effectum est, vt quidam hanc conditionem ab Aristotele allatam reijciant cum Scoto in primo dist. 3. q. 7. & in 2. d. 2. q. 10. & Ant. And. 9. metaph. quæst. 1. quibus etiam fauet Auerr. 3. cœli com. 29.

Alij nihilominus mordicus eam tuentur, vt Capr. in 2. dist. 3. quęst. 3. Ægid. quolib. 3. quęst. 16. Suarez disp. 18. in metaph. sect. 7. Tolet. hic quæst. 14. Zabbarel. de motu grauium, & leuium. Alij verò distinguendum putant, & nos etiam putamus, vnica responsione non posse omnibus difficultatibus supra allatis satisfieri, proptereà singulas examinabimus, & tandem concludemus, quid dę ipsa regula Aristotelica sit dicendum. Tres igitur partes præcipuas cōtinebit hæc quæstio. Prima erit de actionibus ad motum localem spectantibus. Secunda de actionibus æquiuocorum agentium, quas etiam æquiuocas nominabimus. Tertia de actione vniuocorum, & in vnaquaq; plures earum difficultates sunt enucleandæ.

PRIMA PARS.

De motu locali.

A quonam moueantur grauia, & leuia.

SECTIO II.

GRauis, & magna censetur hęc difficultas apud cōplures philosopos propter Aristotelis auctoritatem, qui 8. phys. visus est negare, ea à se ipsis moueri, cum alioqui leuis valde mea sententia futura esset. Nam etiam vulgares homines, si interrogentur, dicēt omnes sine vlla hæsitatione, à se ipsis propter suam ipsorum propriam vel grauitatem, vel leuitatē leuia, & grauia moueri, supra quos dū multi scientia sese attollere contendunt, timeo, ne infra illos cadāt, dumque dedignātur idem sentire, quod vulgus, indignos se præbeāt, quibus assentiatur quilibet è vulgo.

Empedoclis, & aliorum quorumdam sententiæ reijciuntur.

EMpedocles, vt refert Aristoteles in calce lib. 2. de cœlo, dicebat, elementa ad sua loca moueri à cęlo, quòd motu suo rapidissimo illa pelleret à se, quo fit, aiebat, vt quò grauiora sunt, longiùs pellantur, & eodē cęli motu perseuerāte detineantur omnia in locis suis. Impugnatur autem hæc sententia ab Aristotele, & meritò, quoniam motus elementorum ad sua loca essent violenti contra omnium sententiam, & motus proiectorum è contra dicendi essent naturales. Quiescerent etiam in locis suis violenter, quod dici non potest, quia nullum violentum est perpetuum.

Prgterea quò lapis descendens magis à cælo distaret, eò minùs velociter moueretur, quia minùs impulsum cęli reciperet, cuius tamen cõtrarium videmus. Denique non apparet, quomodo cælum per suum motum circularem possit in directum lapides mouere deorsum, potius enim circulariter quoque eos moueret.

Secunda sententia fuit aliorum apud Zabarellã lib. 1. de motu grauium, & leuium cap. 2. Elementa à suis locis moueri, quoniã loca vim habent attractiuam, à qua ipsa trahuntur, sicuti à magnete trahitur ferrum. Impugnatur hæc sententia à Zabbarella, quoniam, inquit, si elementa sint in proprijs locis, iam non mouentur, sed quiescunt, si verò sint extra propria loca, attrahi nõ possunt, quia actio fit per contactum, facilis tamen esset responsio, adesse contactum virtualem, sicut per eumdem magnes ad se trahit ferrum, quamuis distans. Impugnatur igitur prætera, quia omne agens habet determinatam distantiam, vltra quam non potest agere, at quantumuis elementum distet à sua sphęra, semper ad eam mouetur, ergo non ab ea trahitur. Ad hæc, quid intelligũt per locum elementi? spatiumne, vel corpus, quod est in spatio? Si spatium. Cõtra, quia hoc cum nõ sit aliquid positiuum, non potest habere hanc virtutem trahẽdi; Si corpus, quod est in loco, quærã, per quid ipsummet corpus determinet sibi illum locum, quare tandem deueniendum erit ad aliquam aliam virtutẽ in corpore existentem, & non in loco, fortè tamen hi authores intellexerunt, trahi elementa ad propriã loca finaliter, nõ efficienter, quo in sensu nõ lõgè à veritate aberrarẽt.

Sententia communis, & varij modi eam explicandi.

Tertia sententia est, moueri grauia, & leuia ad propria loca à generante, videturque apertè sententia Aristotelis 8. phys. tex. 29. & & sequentibus, & 4. de cælo cap. 3. Nam & inquit, à se ipsis non moueri, quia possunt etiam se ipsa sistere, & tandem tex. 33. 8. phys. concludit, grauia, & leuia ab alio moueri, aut. s. ab eo, quod generauit, & fecit leue, & graue, aut ab eo, quod impedientia, & prohibentia soluit, & eamdem sequuntur omnes ferè eius interpretes, quamuis non omnes eodem modo explicẽt, cur hic motus generanti tribuatur.

Primus modus explicandi est, in ipso graui, & leui nullam esse intrinsecam virtutem actiuã motus, sed solùm naturalem potentiam passiuam, ratione cuius illis debeatur talis motus, qui effectiuè à generante prouenit. Hic tamen modus est inintelligibilis. Primùm quoniã sæpissimè generans est corruptum, vel saltem distans, ergo cũ non adsit supposito, debet saltem adesse media aliqua virtute. Præterea etiam si præsens esset, nõ posset mouere, nisi aliquam virtutem illis imprimeret, vt patebit ex ijs, quæ de motu proiectorum asseremus. Vlteriùs vel generans est eiusdem speciei cum generato graui, vel alteri*, si eiusdem, vt solet esse, vel habet virtutem ex se mouẽdi, siue impellẽdi graue deorsum, vel non habet, si habet, cum generans, & generatum sint eiusdem speciei, non poterit ea carere genitũ, quare non indigebit illa, quæ est in generante; si non habet, non apparet, quomodo possit ipsum genitum deorsum

deorsum impellere. Si verò dicatur esse diuersæ speciei, ergo habebit etiam diuersum motum, & diuersum locum, quare non poterit tribuere alteri motum, quē non habet, vel ad locum impellere, quò ipsum peruenire nequit. Potest etiā multis Aristotelis locis impugnari hæc sententia, quæ colligit Suarez disp. 18. sect. 7. nu. 23. vnus nobis nunc sufficiet, est autem tex. 25. 4. de cælo, vbi leue, & graue comparat ad corpus sanabile, dicens, sicut ad sanitatem hoc moueri, ita illa ad sua loca, subdens verò discrimē ait *Excipitur tamen hoc, hæc enim (graue scilicet, vt leue) in se ipsis mutationis principium habere videntur, illa verò non in se ipsis, sed foris, vt sanabile, & accrescibile.*

Secundus modus explicandi est recentiorū cōmunis, Suarez ibidē Connimbr. 5. phys. cap. 1. quæst. 1. Ruuij 8. phys. cap. 4 q. 2. habere quidem grauia, & leuia principiū sui motus intrinsecum, scilicet grauitatem, & leuitatē, hoc tamē esse principium instrumentale, & principale agens esse generans, sicuti quando mouentur proiecta, principium instrumentale est virtus impressa, principium verò principale est agens, quod eam impressit. Et eadē videtur esse sententia S. Tho. 3. contra gentes cap. 13. fundamentum huius sententiæ est, quia existere in suis locis respectu grauiū, & leuium est perfectio naturalis, & quæ conuenire potest rebus in eodem momento, quo esse incipiunt ex vi suæ generationis, ergo debet tribui generanti. Probatur consequentia, quia dans formam, dat cōsequentia formā, quare proprietates, & naturales dispositiones, quæ formā consequuntur dicuntur esse à generante, sed hic etiam motus consequitur formā, ergo tribui debet generanti. Et cōfirmatur, quia si grauia gignātur in loco proprio, dicuntur habere eum locum à generante, ergo etiam motus ad illū.

Impugnatur prædicta sententia.

QVamuis, vt Aristotelem tueantur, hæc excogitata à suis auctoribus ingeniosè fuerint, mihi tñ cōtra Aristotelē, & contra rationē videnť. Probať primò. Calefactio ignis nō pōt tribui hac ratione generāti, quia nō est perfectio ipsius rei genitæ, quod etiam fatētur aduersarij, at secundum Aristotelem, ita est tribuendus motus deorsum graui, sicut calefactio, siue combustio igni, ergo. Minor apertissimè est Aristotelis 8. phys. tex. 32. cuius hæc sunt verba *frigidum, potentia calidum est, cum autem fuerit mutatum, etiam ignis est, vrit autem, nisi quid impediat, & prohibeat. Similiter autem se habet, & circa graue, & leue: leue enim fit ex graui, vt ex aqua aer: hoc enim potentia primum etiam leue est, et operabitur cōfestim, nisi q̄d prohibeat.* Deinde affert exempla etiam in quantitate, & qualitate, & inquit *illud contemplatur sciens, nisi aliquid prohibeat: & ipsum quantum extenditur, nisi quid prohibeat,* & cōcludit, *Quod igitur nihil horum mouet se ipsum, manifestum est.* Præterea quando grauia mouētur, ex eo quòd prohibens remoueatur, non dicuntur moueri à generante per Aristotelem, dicerentur verò iuxtà principia, & doctrinam ab aduersarijs traditam, nam & ipsi apertè hoc fatentur, ergo eorum doctrina nō est Aristoteli conformis. Probatur maior, nam apertè Aristoteles inquit tex. 33. 8. phys. grauia, & leuia moueri vel à generante, vel à remo-

remouente prohibens, verba eius sunt. *Aut enim ab eo, quod generauit & fecit leue, & graue, mouentur, aut ab eo, quod impedientia, & prohibentia soluit*, quæ autem sub discrimine ponuntur, non debent simul esse, ergo quando leuia, & grauia mouentur à remouente prohibens, non vult Aristoteles, moueri à generãte. Mitto alia loca, in quibus à se ipsis moueri grauia, & leuia, asserit, Aristoteles, vel saltem innuit; vt 2. phys. tex. 84. 4. phys. tex. 86. 7. phys. tex. 10. & 4. de cęlo tex. 24. Pugnant igitur cum Aristotele, quem maximè se profitentur sequi aduersarij. Sed rationi quoque repugnant, nam actio, siue motus, qui prouenit à forma substantiali mobilis, non debet tribui generanti, sed motus grauium, & leuium ab ipsorum forma substantiali prouenit, ergo &c. Maior probatur, quia vel forma grauis, & leuis est instrumentum generantis, vel non, si non est, patet, eius motũ non illi tribuendum; si est, ergo omnis eius actio generanti tribuetur, quare quãdo etiã generabit aliud, hæc generatio erit generanti ascribenda, immo nec illi generanti, quia & ipsius forma genita fuit, sed illi, quod non habuit aliud generans, siue etiam Deo. Dicent, in aliquibus esse instrumentum generantis, & in aliquibus non, esse videlicet in actionibus, quæ tendunt ad perfectionem genito debitam, non verò in illis, quę sunt erga aliquod extrinsecum. Verùm non est hæc distinctio probabilis. Primũ enim naturalia vnicum tantùm modum operandi habent, sunt enim determinata ad vnum, quare etiã supradiximus non contradicente Suarez, accidentia, quia sunt naturaliter instrumenta substantię, semper operari vitalia, cum igitur forma substantialis grauium, & leuiũ semper naturaliter operetur, non poterit dici, quòd modò, vt agens principale, modò verò, vt instrumentum se habeat. Præterea accretio quoque spectat ad perfectionem intrinsecam viuentis, & multò magis nutritio, & tamen nõ tribuuntur generanti, ergo nec tribui debet motus deorsum. Respondent, accretionem nõ esse debitam pro eo instanti, in quo viuens gignitur. At contra, saltem potentia ad accretionem, sicuti etiam ad generationem est debita pro illo instanti, ergo hæc potentia erit tribuenda generanti, ergo etiam accretio, & generatio. Consequentia patet, quoniam eius est actus, cuius est potentia, sed potentia augmentandi, & generandi tribuitur generanti, ergo etiam augmentatio, & generatio. Et confirmatur, quia dicunt aduersarij, quòd si lapis descendens impellat aliud corpus, etiam hoc corpus dicendũ est moueri à generante, quia est motum per virtutem, quæ illi tribuitur à lapide, dum à generante mouetur, cum igitur potentia ad accretionẽ generanti tribuatur, actus eius non erit illi denegandus. Dices, ergo etiam, quia in omni opinione forma substantialis est generanti tribuenda, omnis eius motus, & actio ei accepta erit referenda. Respon. negãdam consequentiam, quia forma est substantia, & consequenter non est instrumentum generantis, sed principium per se; at verò potentia; de qua nos loquimur, est accidens, quod dicitur esse instrumentum eius, à quo producitur. Præterea non minùs conuenit genito nutritio pro eo instanti, quod genitum est, quàm motus, vel locus

cus grauis, nã nutritio est motus, qui conuenit semper ipsi viuenti, ergo etiam in eo instanti, in quo gignitur. Quòd si facias vim in instanti. Contra, quia neq; in codé instanti, in quo graue gignitur, poterit moueri. Ad hæc, sanitas negari nó potest, quin genito conueniat pro eo instanti etiam, in quo gignitur, & quin sit perfectio magis naturalis, & magis debita, quàm locus, quotiescunq; igitur animal reuocat se in pristinam sanitatem, vel eam in se conseruat, erit hoc tribuendum generanti, sed nutritio ad hoc præcipuè tendit, vt animal sanum conseruet, vel ab infirmitate liberet, ergo erit generanti tribuenda. Quis autẽ non derideatur, si dicat, à suo parente defuncto sanitaté sibi restitutã, & ab eadé cibos in sui substantiã conuerti per nutritionem? Præterea, quę nam est ratio, cur debeat omnis perfectio, quæ debetur genito pro eo instanti, generãti tribui, & non ea, quę debebitur ei pro reliquo tempore? an quia debet generans cõstituere genitum in statu perfecto? verùm si nequeat pro eo instanti, in quo gignit, cur ad hoc non tenebitur postea? an quia postea non poterit? verùm non minùs postea poterit, quàm tũc, quia tam actio posterior, quã prior est à forma geniti. An quia quæ rei conueniunt in eo instanti, generãti tribui debent? at si agat actione transeunte, concedunt aduersarij, illã actionem non esse generanti tribuendã, quamuis sit in eodem instanti generationis. Voluntariè igitur hæc potius, quàm alia perfectio generanti tribuitur.

Denique supponunt, perfectionem esse corporũ, in loco proprio consistere, at quamnam perfectionẽ acquirit graue, ex eo quòd deorsum manet? nullam omnino. Nam vt patet, nullum accidens, aut modũ adipiscitur, quo antea careret. Cur ergo, dices, deorsum tendit? ob vniuersi ordinem, & perfectionem, respondeo, nó verò ob ipsius commodũ. Si verò contendas, acquirere perfectioné extrinsecam. Dicã ego quoque, operari esse magnã perfectioné extrinsecam. Erit igitur & hæc generanti tribuenda.

Tertius modus hanc sententiam exponẽdi est Soncinatis 9. metaph. q. 8. Cai. Tienn. 8. phys. & Pauli Veneti summa de cælo c. 24. qui distinctione vtũtur, nã quando inquiũt, graue, postquã genitum est, immediatè incipit moueri deorsum, tũc immediatè mouetur a generante, ipso passiuè tantùm se habente, at verò si postea idem moueatur, non erit eius motus generanti tribuendus. Verùm nec hic modus recipiendus est, nam semper motus deorsum à grauitate prouenit, vel ergo grauitas est instrumentum generantis, & ita omnis motus deorsum erit illi tribuendus, vel nó est, & neque primus.

Aliorum sententia, simplicia à se ipsis moueri, in quo deficiat.

QVarta sententia est Scoti in 2. d. 2 q. 10. Greg. d. 6. q. 1. art. 3. Zab. lib. de motu grauiũ, & leuium c. 12. Perer. lib. 7. c. 16. Achill. lib. 3. de elementis q. 3. & aliorũ, moueri grauia, & leuia per se à sua forma tãquam à principio principali quo, à se ipsis verò tamquam à principio quod. Probat Scotus hanc sententiam, quia effectus actu debet habere causam actu, sed actu graue mouetur, & generans sæpe non existit, ergo non ab eo mouetur, quæ tamen ratio, sicut & aliæ, quas

ibi adducit, nullã vim habent contra secundum modum explicandi tertiæ sententię supra allatum, quę dicebat, grauitatem esse instrumentum generantis. Zabarella verò, quia forma grauium est natura, ergo debet esse principium motus. Sed neque hac ratione premuntur admodum contrarium sentientes, dicere enim possent, formam esse principium huius motus passiuũ, & actiuum esse respectu aliorum motuũ. Efficaciter tamen probatur hæc sententia argumentis, quibus iam ostendimus, à generante non posse moueri ipsa grauia, & leuia.

Vnica verò est difficultas contra hanc sentẽtiam, quia videtur apertissimè contra Aristotelem, & eius omnem discursum 8. phys. eneruare, nam ibi & clarè affirmat, omne, quod mouetur, ab alio moueri, & motum grauium tribuendum esse generanti, vel remouẽti prohibẽs; & ex hoc deducit deueniendum esse ad vnum primum motorem. Vt igitur Aristoteli satisfaciant, in varias partes se vertunt huius sententiæ sectatores.

Scotus plures respõsiones affert. Primò ait, Aristotelem per actum secundum leuis nõ intelligere motũ sursum, sed esse sursum, siue, vt ipse inquit, sursumitatem. Secundò ait, auctoritati Aristotelis non esse in hoc multùm innitendum, quia videtur variè loqui. Tertiò, Aristotelem velle tantùm probare, grauia, & leuia non se mouere per cognitionem, ex quò, inquit, sequitur philosophi intentio, deueniendum scilicet esse ad primum motorem, qui debet mouere per cognitionẽ. Quartò, quòd non dicuntur moueri per se, quia non se reducunt ad actum primum, ex quo etiã sequitur intentio philosophi, vt deueniendũ sit ad primũ motorẽ, q nec in eo motu, quo ipse mouet, neque in alio aliquo possit ab alio moueri.

Zabarella autem cap. 14. inquit, per hanc sententiã non euerti Aristotelis discursum, quia forma elementi dici non potest primus motor respectu sui motus, quoniã pendet à generãte, à quo est producta, & à quo talem hanc necessariã legẽ accepit, vt tali motu moueatur, & non alio. Verùm non satisfaciunt hæ responsiones, nec veritati, nec Aristotelis menti. Non veritati, quoniam ea ratione penderẽt etiam reliquæ omnes operationes à generante, quod est falsum. Item neque animalia dicerẽtur à se moueri, quia etiam ipsa hoc acceperũt à generante. Præterea daretur processus in infinitum in causis, à quibus effectus dependent, cum absq; numero sint huiusmodi generãtia sibi inuicem succedentia, præcipuè secundum Aristotelem, qui credebat, mundum esse æternum. Neque etiã est Aristoteli conformis, quoniam grauium, & leuium minima pars secundum Aristotelem est genita, reliquæ autem sunt æternæ, sicut etiam elementa secundum se tota. Si ergo eatenus tantùm excluderet, non moueri à se, quatenus mouentur à generante eo pacto, quo Scotus, & Zabarella explicant, non probaret simpliciter, omne, quod mouetur, ab alio moueri. Præterea, vt supra dicebamus, loquitur subdistĩctione de generante, & remouente prohibens, at siue adsit remouẽs prohibens, siue nõ, semper iuxta doctrinã Zabarellæ mouerẽtur grauia, & leuia ab ipso generante, non ergo est conformis Aristoteli, quibus etiam reiectę manent aliæ explicationes Scoti.

Pererius, grauia, & leuia, ait, nõ

moueri

moueri à se ipsis, eo modo scilicet, quo animalia, quæ vndecunque, quocunque, & quandocũque volunt, mouentur. Verùm non erat mens Aristotelis, distinguere grauia, & leuia ab animalibus, sed inuestigare primum motorem, ad qđ nil refert, quòd grauia, & leuia non moueantur, vt animalia, dum conceduntur, à se ipsis moueri. Præterea cum lippis, & tonsoribus pateat, grauia non moueri, sicuti animalia, nec dignum tanto philosopho, nec operæpretium erat, in hoc probando ipsum desudare.

Melior est alia responsio eiusdẽ Pererij, nõ moueri corpus simplex à se ipso, quia motum eius præcedit aliquid immutans ipsum, siue fuerit generans, siue remouẽs prohibens. Sed neque est sufficiens, nisi meliùs explicetur. Primùm, quia multò maior ratio est habenda de principio intrinseco, & coniuncto cum motu, quàm de eo, qđ præcedit motum, alioqui omnes actiones tribuendæ erunt rebus præcedentibus, & non ipsorũ principijs. Deinde impropriè dicitur immutari corpus simplex à generante, nec explicatur, cur potius motus grauis tribuatur generanti, quàm motus aliarum rerum, quos etiam necessariò præcedit generans.

Hieronymus Dandinus digress. 20. in lib. 2. de anima multa quoq; affert pro explicatione mentis Aristotelis, tandem concludit, voluisse Aristotelem, in quouis motu motorem aliquem à mobili distinctũ assignari posse, hunc autem in leuibus, & grauibus esse generans, & remouens prohibens, non quòd internum principium non habeãt, sed quòd præter illud reperiri quoque externũ possit, *Satis enim erat*, inquit, *ad primum motorem inuestigãdum, habere in omni motu separatum motorem, & si præter eum alius esset coniunctus, & continuatus cum eo, quod mouetur*. quibus videtur Dandinus proximè ad Aristotelis mentem accessisse, non tamen perfectè assecutum fuisse. Nam Aristoteles disertis verbis excludit principium intrinsecum, & negat, à se moueri, ergo non tantùm vult addere externum, sed etiam remouere internum. Præterea ex traditis à Dandino non rectè intulit Aristot. dari motorem primum. Primò quia si elementa habeant sufficiens principium motus intrinsecum, non est necesse, recurrere ad extrinsecum. Secundò, quia in animalibus datur principium eorum motus, & nullum extrinsecum, vt fatetur Dandinus, ergo ex ipsis non licet ascendere ad primum motorem.

Mens Aristotelis, & authoris sententia explicatur.

Tota difficultas in hac quæstione in Aristotelis mente explicanda posita est. Neminem enim crediderim dicturũ fuisse, grauia, & leuia à generante moueri, nisi arbitrati fuissent, hanc esse Aristotelis mentem, quã tamen, vt vidimus, minimè omniũ assecuti sunt. Vt autem eam nos explicemus.

Notandum est, institutum fuisse Aristotelis, probare æternitatẽ motus, quam hac ratiocinatione colligit. Quod mouetur, necesse est, vt existat, vel igit̃ fuit semper, vel aliquãdo est factum, si factum, ergo per aliquam mutationem, & ab aliquo alio, hoc ergo aliquid

aliud efficiens, ex non mouente factum est mouens, ergo per aliquã mutationẽ, alioqui enim si modò, vt antea, se habet, sicut priùs non mouebat, neque modò mouebit, oportet igitur reperire aliud mouens, cui hęc mutatio sit tribuẽda, & de hoc etiam quæretur, an semper mouerit, si annuas, ergo motus æternus, si abnuas, ergo ex non mouente factum est mouẽs ab aliquo extrinseco, ne igitur detur processus in infinitum, oportet deuenire ad aliquod, quod semper mouerit, & ipsum sit immobile. Si dicatur autem, mobile fuisse perpetuũ. Itẽ quæretur, cur cæptum sit moueri, & cum non possit ratio reddi, nisi per aliquam mutationem priorem. Iterum idem quæram de illa mutatione priori, quare etiam deueniendum erit ad motum æternum. Quæ ratiocinatio tota huic principio innititur. Quod ex quiescente, vel non mouente mouetur, oportet, vt moueatur ab extrinseco, alioqui semper quiescet. Videbat autem, contra hoc principiũ duo obiici posse. Primum, quòd animalia ex quiete transeunt ad motum ex se ipsis, nullo extrinsecus motore adhibito. Secundum, quòd grauia, & leuia se ipsis etiam ad loca sua feruntur, quibus occurrit, & ad pri.m inquit, animalia quidem moueri ex se, quoad principium efficiens, non tamen sine aliqua mutatione extrinseca præcedẽte, nisi.n. eis proponatur aliquod obiectum, quod moueat, numquã mouerentur, non enim mouentur, nisi præcedente cognitione, cognitio autem non fit sine externo obiecto. Ad posterius respondet, non moueri ex se, sed à generante, vel à remouente prohibens, non quòd neget, ea in se habere principium sui motus, sed quia non vult, ex quiete posse ex se transire ad motum, si enim lapis sit in centro, clarum est, quòd numquam ex se mouebitur. Cur igitur mouetur? vtique vel quia genitum est sursum, & tũc dicitur habere principium sui motus à generante; vel quia prohibebatur descendere, & aliquis remouit prohibens, quare concludit, grauia, & leuia, vel moueri à generante, vel à remouente prohibens, non quia ab illo recipiant aliquam virtutem, sicuti neque recipiunt ab hoc, sed quia ab illo habent aliquando, quòd sint extra suum locum. Dices, hac ratione debuisset etiam recensere ipsum proijciens, à quo lapis habet, vt sit sursum. Respondeo iam Aristotelem præmisisse, aliquando moueri violenter, & in his motibus clarum esse, à se grauia, & leuia non moueri, quare constabat, & motus violentos, & naturales, qui à violentis dependent, habere aliquod principium extrinsecum. Ex his autem omnia clara redduntur. Patet enim, cur dicat Aristoteles, moueri grauia, & leuia, aut à generante, aut à remouẽte prohibens sub disiunctione, quoniam ab altero horum est, nõ quidẽ motus simpliciter, sed ratio, vt ex quiete transeant ad motũ. Patet etiã, cur vtatur exẽplis alterationum, & augmentationũ, quoniam in his etiamsi quidpiã incipiat alterari, cũ priùs non alteraretur, oportet, pręcessisse aliquẽ motũ, vel quo alterans factum sit propinquum alterabili, vel aliud simile. Si quid ẽt incipiat augeri, cum priùs non augeretur, oportet, aliquid esse additum. Patet etiam hanc doctrinã optimè deseruire fini Aristotelis, qua intendebat probare æternitatem

tem motus, & primi motus. Et denique veritas, & resolutio huius quæstionis, quòd videlicet moueantur quidem grauia, & leuia ab intrinseco, non tamen habeant sui motus originem, & causam, nisi ab extrinseco.

Vnica tantùm videtur nobis dissoluenda obiectio ex dicto illo cōmuni. *Qui dat formam, dat consequentia formam*, cum enim motus sequatur formam elementorum, qui dat eis formam, videtur etiam tribuere motū. Respondeo, hanc propositionē non esse in eo sensu, in quo ab aduersarijs affertur, intelligendā; alioqui, vt rectè notat Dandinus, alterationes omnes, accretiones, generationes, & animalium incessus essent ei adscribendi, qui dedit formā, cū hæc omnia, ab eo oriantur. Intelligitur ergo, inquit idem author, de his rebus, quę eadem actione cū forma producuntur, suntq; cum forma necessariò connexæ eo tempore, quo producuntur, qualia sunt locus, & alij quidā modi, non aūt motus. Dubium aūt esse posset de proprietatibus, exēpli causa, de risibilitate, an essent tribuēdæ generāti, nā si affirmes, ergo ēt risus erit ei adscribendus, quia cui tribuitur potentia, eidem adscribendus est actus; si neges, videtur eneruari tota vis illius sententiæ. Resp. posse risibilitatem, vel aliā passionem cōparari cum forma, vel cū cōposito, si cū forma compararetur, nego, risibilitatē esse à generante, fluuit .n. ab ipsa forma; Si cū composito, cōcedo, dici posse esse à generāte; non tā quā à proximo efficiente; sed tamquā ab eo, quod produxit efficiens, quod .n. est causa causæ, dicitur causa causati; consequēter cum generans producat causam risibilitatis, dicitur etiā eiusdē causa. Dices, eadem ratione dici quoque poterit causa reliquarū actionū, quæ ab ipsa forma prodeunt. Resp. non esse parē rationem, quia generans non constituit formā in potentia proxima ad eas operationes, quia oporteret adesse patiēs, & fortè ēt alias conditiones, quòd si constituit in potentia proxima, vt dū ignis producit aliū ignem, dicetur generās esse causa etiā illius cōbustionis, siue calefactionis, nā etiā moraliter ita videmus, censeri causam combustionis illum, qui in potentia proxima constituit ignē ad comburendū; Ita tamen generanti hæ tribuuntur actiones, vt nō excludatur agens ipsum proximū, quòd si hac ratione vellent authores tertiæ sententiæ, generanti esse tribuendum motum grauium, & leuium, non cum ipsis contendendum esset, duo tn̄ ab eis essent vicissim nobis concedenda, alterū, eum tantùm motum, qui generationem statim consequitur, generanti tribuendum esse, alterum, non propterea negandum, ipsa grauia, & leuia à seipsis moueri.

De motu animalium.

SECTIO III.

Difficile redditur hoc quæsitū de animalium motu, non tā ex propria natura, quàm ex Aristotelis doctrina. Nam in primis docet Aristoteles septimo physicorum in principio *omne, quod mouetur, ab alio moueri*, & hoc vniuersaliter, saltem de corporibus, nā eius rationes probant, non tantùm inanima, sed etiam animalia non

non posse à se moueri. Ratio autē, qua id probat, est huiusmodi. Omne, quod mouetur, est diuisibile in partes, ergo ab alio mouebitur, & non à se. Probatur consequentia. Quoniam quod mouet se per se primò, nō desinit moueri, ex eo quòd aliud quiescat. Nam si alio quiescente quiescit, ergo ab eo dependet, non ergo per se primò se mouet. At quod habet partes, quiescente vna parte, vel quiescit totū, vel non, si primum, ergo quiescit ad alterius quietem, si nō quiescit totum, sic etiam sequitur, non se mouere per se primò, sed ab ea parte, à qua moueri dicitur, quiescente alia.

Præterea in 8. phys. tex. 27. aperte concedit, animalia à se ipsis moueri, quamuis tex. 28. asserat, in ipsis quoque distingui partem mouentem, & partem motam, sicut dum nauis mouetur, distinctus est nauta, qui mouet, à naui, quæ mouetur.

Rursus alia difficultas adest, quomodo ex hac ipsius doctrina colligatur, dari vnum motorem primum. Vt ergo hæc intelligantur, explicabimus priùs, quid secundum veritatem dicendum sit de motu animalium, postea verò Aristotelis mentem interpretabimur.

Quid secundum veritatem dicendum.

Quoad primum est sententia communis, animal moueri quidem à se, ita tamen vt vna pars eius alias moueat, quæ pars secundum Aristotelem, & Peripateticos est cor, secundum Galenum verò est cerebrum. Sed adhuc difficultas superest de ipsa prima parte, quæ mouet, an ab alia moueatur, vel moueat seipsam. Quidam ergo, quos referunt Doctores Conimb. lib. 7. c. 1. q. 1. art. 4. existimāt, fieri motum cordis ab aliqua diuiniori causa, puta intelligentia, sed facilè reijciuntur, quoniam animalium motus non est à forma assistente, sed ab informante, alioqui nec ipsa essent animata, nec motus esset vitalis, at intelligentia nō potest esse nisi forma assistens, quare S. Thom. opusc. 15. ridiculam hanc sententiam appellat.

Alij dicunt, hunc motum etiam esse à generante, quam opinionē impugnat Suarez num. 35. ex eo quòd est actus vitalis, cum sit ab anima, & ex absurdis, quæ inde sequerētur, vt quòd respiratio mea, & nutritio essent generanti tribuēda, sed & ex his, quæ de motu grauium, & leuium diximus, abundè reiecta manet hæc sententia.

Alij respondent, ab innato calore agitari, quos impugnant Conimbr. dicentes, à calore prodire alterationem, non verò motum localem; sed vtcunque sit, quærimus hic efficiens principale, non instrumentarium.

Alij asserunt, vnam cordis particulam reliquas mouere, verùm adhuc inquirēdum superest, à quo illa particula mouens moueatur, non enim datur processus in infinitum.

Aliorum est opinio apud Suarez, ab appetitu moueri neruum, & à neruo deinde alias partes, & ita distinguunt mouens à mobili, quoniam appetitus vel est in diuersa parte, vel se habet, vt motor quidam separatus. Innititur tamen fundamento falso hęc sententia, quia appetitus non est per se causa motus, sed media virtute motiua.

Est

Est igitur sententia vera, & cõmunis, animam ipsam per suam virtutem motuam cor mouere, & per ipsum reliquas partes. Dubitant tamen aliqui, an hic motus sit dicendus naturalis, pro parte affirmante adest ratio, quia prouenit ab anima, vt natura, pro negante, quòd componatur ex cõtrarijs, conficitur enim ex dilatatione, & constrictione, motus autẽ naturalis est determinatus ad vnum. Respondetur, si motus naturalis distinguatur à violento, siue à libero, vel spontaneo, hunc motum esse naturalẽ, quia fit ab intrinseco, nulla præcedente cognitione. Si verò motus naturalis sumatur, vt distinguitur à motu animalium, ita non esse naturalem, quòd autẽ dicitur, motum naturalem esse determinatum ad vnũ, intelligi deber de naturali hoc secundo modo. Si denique vt distinguitur à violento. Resp. respectũ animæ esse naturalem, respectu verò corporis, quòd graue est, esse violentum, sicut & motus progressiuus totius animalis; & hæc de prima difficultate.

Aristotelis mens elucidatur.

QVoad secundum, quod maiorem difficultatem continet, quomodo scilicet dicta Aristotelis locum habeant in hoc motu, præcipuè illud, quod mouetur, ab alio mouetur, sunt diuersæ responsiones:

Prima est, hunc motum esse à generante, quam superiùs retulimus, & impugnauimus.

Secunda sententia est, distingui etiam in hoc motu partem mouentem, & partem motam, quia mouẽs est anima, mota verò est materia, ita Connimbr. Non videtur tamen hæc responsio consona dictis Aristotelis, nam ipsum loqui de partibus integrantibus, non verò essentialibus, patet ex eius argumento. Inquit enim, omne diuisibile debere distingui in partem mouentẽ, & partem motam. Secundò, neque iuxta hanc doctrinã deueniendum esset ad primum motorem, siue ad æternitatẽ motus, quoniam in ipsa anima sistimus; quæ tamen non est primus, nec æternus motor. Tertiò, non esset necesse, in elementis recurrere ad generans, quod ea moueat, quia etiã dici poterit, in ipsis partem mouentem esse formam, motam verò materiam.

Tertia sententia est, non posse animal motum inchoare, quin aliqua pars ipsius animalis immota maneat, cui ipsum animal innitatur, illa ergo pars immota, & quiescens, dicetur mouens immotum, atque ita distinguemus partem mouentem ab ea, quæ mouetur, ipsa verò pars quiescens mouebitur per accidens ad motum alterius, quam responsionem post Alb. lib. 3. de an. tract. 4. cap. 8. attulit Suarez nu. 32. Non tamen satisfacere videtur. Primùm quoniam valde impropriè pars illa, cui animal innititur, dicetur esse mouens, sicuti neque mouens dicitur lapis, cui innitimur, vt aliquid aliud moueamus, fortassis etiam non est vera in omni motu animalis hęc doctrina, quãdo enim aues volant, non erit facile, assignare hanc partẽ quiescentem. Si dicas, potuisse assignari in principio motus, & hoc quoque est incertũ, quia aliquando in medio aere quiescunt, & inde mouentur, tunc autem non apparet, cui parti inni-

ti possint, dum motum incipiunt. Præterea in ipso volatu renouant sæpe motum, & se impellunt continuè, oporteret ergo etiam tunc assignare hanc partem immotam, quia non est maior ratio de principio motus, & de eius continuatione per nouum impulsum; Præterea neque etiam patet, quomodo ex hac doctrina colligatur æternitas, & vnitas motoris primi, immo potius videtur eneruari totus Aristotelis discursus. Nam si qd mouet alterum per se, potest ab eodem moueri per accidens, non est vlterius alius motor inquirendus.

Quarta sententia est eiusdem Suarez, qui existimat, nullum esse inconueniens, eamdem partem integralem esse mouentem, & motã, & Aristotelem solùm de motu totius animalis dixisse, fieri per motionem vnius partis in aliam. Non video tamen, quomodo hac responsione dicta Aristotelis nō cõuellantur, & quomodo idem Suarez infra num. 37. inferat ex dictis à se, satis inductione constare, omnem motum localem, ac physicũ requirere motorem, seu efficientẽ causam distinctam à moto. Nam vel loquitur de ijs, quæ mouentur secundum se tota, & sic patet, animalia à se ipsis moueri, vel etiam de partibus, & ipse etiam cõcedit, partem integralem totam esse mouentem, & motam.

Superest etiam difficultas circa rationem Aristotelis supra allatã, Galenus enim, & Auicenna contendunt, inefficacem esse, & sophisticam. Auerr. verò, & Thom. & reliqui expositores, eam defendere conantur, illorum autem impugnationes, & horum responsiones referre, non mihi videtur operæpretium. Notabo tantùm, sophisticam fuisse visam etiam Suarez nec mirum, nam illa Aristotelis illatio, *si quid quiescit quiescente alio, ergo non mouet se per se primò*, multas patitur instantias. Potest enim aliquid moueri per se, sed sequi motum alterius corporis præcedentis, quòd si hoc sistatur, necessariò etiam sequens quiescet, quamuis ab eo non moueretur. Præterea si sermo sit de parte quiescente, desinet quidem totum moueri secundum omnem sui partem, non quia totum non se moueret per se primò, sed quia qui dicunt totum, dicunt omnes partes, & consequenter repugnat, moueri totum, si aliqua eius pars quiescat.

Pro mea sententia explicanda recolendum est, quod supradiximus de motu grauium, & leuium, Aristotelem scilicet non loqui propriè de efficiente motum, sed de causa inchoandi motum, quam possumus appellare causam determinantem, & in hoc sensu loquutum fuisse in 8. phys. ex ipso contextu patet, nō aliam autem ei fuisse mentem in 7. phys. inde videtur concludi posse, quoniam, vt omnes fatentur, 7. physicor. præparatio quædam fuit ad 8. Non igitur in alio sensu illam propositionem. *Omne, quod mouetur, ab alio mouetur*, in 7. retulit, ac in 8. Hoc posito dico, veram esse hanc sententiam Aristotelis etiam in animalibus, quoniam ad hoc vt moueãtur, oportet, moueri, siue allici ab externo, vt supra etiã notauimus. Et ad hoc probandum videtur ẽt sufficiens ratio Aristotelis, quia quod ex se totalis est ratio sui motus, & ad inchoandum motum se determinat, non potest quiescere ad quietem alterius. Dum q; obijcit

cit Suarez. Si duo lapides deorsum moueantur, vnus post alium, & superior detineatur, impediet etiam alium, ne descendat, non quia illum ante moueret, sed quia resistit motioni, qua ipse se mouebat. Resp. hoc sufficere, vt prior lapis non dicatur moueri à se, nam si denuo lapis prior remoueatur, posterior lapis descendet, eius igitur motus initium fuit ab extrinseco, quare dicebat Aristoteles, aliquando grauia moueri à remouente prohibens, idest ab eo habere sui motus initium. Dum etiam obijcitur. Si totum quiescit quiescente parte, non sequitur, vt moueatur ab ea, sed tantùm vt nō moueatur secundum eam, vel vt eam impediat motum alterius. Resp. optimè sequi id, quod Aristoteles intendebat, scilicet motum totius determinari ab ea parte, alioqui non posset esse ratio, vt nō amplius moueretur.

An substantiæ spirituales moueri possint à seipsis.

SECTIO IV.

Res spirituales, scilicet Angelos, moueri ex se, nemo catholicorū negat. Nam & constat, moueri, & non indigere extrinseco motore, & quamuis demus, virtutem motiuam ab ipsorum substantia realiter distingui, vt multi volunt, de qua alibi agēdum erit, saltem constat, agens principale esse ipsum Angelum, quare non distinguuntur mouens, & motum nisi ratione, neque possumus recurrere ad partem mouentem, & partem motam. Quare ne dicamus, Aristotelem in re tam certa hallucinatum fuisse, dicunt quidam, ipsum loquutum fuisse de motu physico tantùm, non verò de motu Angelorum, nam de illo procedit eius ratio tantùm, quæ desumitur ex diuisibilitate mobilis.

Verùm si consideremus, quid probare intendat Aristoteles in 8. phys. videbimus, etiam de motu spirituum, seu intelligentiarum ipsum fuisse loquutum. Nam, vt supra etiam notauimus, institutum eius erat, probare æternitatem motus, totaq; eius pbatio in hoc præcipuè nitebatur, quòd aliquid ex non mouente non poterat fieri mouēs, nisi mutaret, neq; poterat mutari, nisi aliunde, & extrinsecus determinaret, quare vel dicēdū erat, res omnes ab æterno quieuisse, & quiescere, vel vnum esse motorem ab æterno immobilem, qui semper moueat, quia si hic non semper mouet, ergo oportuit, eum ab aliquo alio determinatum fuisse ad mouendum nunc, & non antea, & de hoc alio iterum quæram, vtrum determinauerit modò, & non antea, oportebit enim, ipsius determinationis aliquam aliam causam extrinsecam reperiri, & ita in infinitum, ne detur igitur processus in infinitum, concedendus erit motus æternus, & immobilis. Si ergo nos concedamus, intelligentiam posse se ipsam mouere, ruet totus Aristotelis discursus, non enim necesse erat, motum fuisse ab æterno, si cū antea motor non moueret, potuit ex se incipere motum.

Dicendum est igitur in Aristot.

doctrina, verissimam omnino esse in omnibus entibus illam propositionem, *omne, quod mouetur, ab alio mouetur*, & quamuis in 7. phys. probauerit eã tantùm in corporibus; in 8. tamen contendit, esse veram etiam de primo motore. Si quæras autem, quomodo secundum Aristotelem possimus concipere, intelligentiam moueri ab extrinseco. Resp. eo pacto, quo ipse dixit, moueri animalia, scilicet obiectiuè. credidit .n. Aristoteles, non posse intelligentiam ex non mouente fieri mouentem, nisi ab aliquo extrinseco saltem obiectiuè moueretur, quia scilicet videret, nunc bonum esse mouere, cùm antea non esset bonum, vel aliquid modò cognosceret, quod antea nõ cognoscebat. Voluit igitur, etiã in Angelis esse veram hanc sententiã Aristoteles, sed per moueri ab alio, non intellexit id, quod hucusque crediderunt eius interpretes, moueri effectiuè, sed determinari quoad principiũ siue inchoationem motus, quod ex dictis iam, satis, supetq; patere potest.

Si quæras autem, an sit vera hęc Aristotelis sententia. Respondeo, nedum in Angelis falsam esse, sed etiam in hominibus, cùm enim liberi sint vtrique, absque eo quòd extrinsecus determinentur, possunt se determinare, & ex non mouentibus mouentes fieri, & multò magis absque mutatione etiam voluntatis potuit Deus statuere mundum condere, sed tamen pro tali tantùm tempore. Quare valde probabile est, Aristotelem existimasse, primum motorem mouere ex necessitate naturæ, non autem liberè, quo posito optimè concludit eius discursus, quia quod nõ potest se per libertatem determinare, oportet, vt ab aliquo alio determinetur.

Conclusio totius huius primæ partis.

EX his patet, necessariam non esse distinctionem realẽ mouentis, & mobilis, sed idem posse mouere seipsum, neque contrariũ Aristotelem docuisse, sed longè aliam eius fuisse mentem, dum dixit, omne, quod mouetur, ab alio mouetur.

Ad fundamentum cõtrariæ sententiæ, quòd idem esset in actu, & in potentia. Respondeo, nullum esse inconueniens, cum actus, & potentia non eodem pacto sumantur, poterit enim idem esse in actu virtuali, & in potentia formali, sicut de Angelis necessariò fatendũ est.

Secunda quæstionis pars de Agente Aequiuoco.

CAusa æquiuoca dicitur illa, quæ non producit effectum sibi similem formaliter, quare dicitur, virtute tantùm continere effectum. Huiusmodi autem sunt non solùm causæ vniuersales, vt Sol, & Cœlum, sed etiam multæ particulares, vt anima respectu suarum potentiarum, potentiæ respectu actuum, & omnes illæ causæ, quæ dicuntur virtualiter tantùm continere effectum, vt vinum, & piper, quæ dicuntur virtualiter calida, & aqua, quæ quando est formaliter calida, adhuc virtualiter est frigida. Sed causas vniuersales, clarissimum est, in seipsas non agere. Potentias autem sicuti ab anima emanare, certum est, ita controuersum est, an generanti hæc ema-

emanatio tribui debeat, vel ipsi formę, de qua tñ nihil vlteriùs dicēdum occurrit, nam de motu grauium, & leuium agentes ostendimus, quæ à forma substantiali eueniunt, non esse generanti tribuenda. Ad tria capita igitur reducet præsens quæstio, quarum præcipuum est.

Quomodo aqua calefacta ad pristinum frigus reducatur.

SECTIO V.

PRima sententia est Burlæi ad initium lib. 2. huius operis, qui corpori ambienti hanc reductionem tribuit. Impugnant hãc Doctor. Connimb. 7. phys. c. 1. q. 1. art. 3. quoniam, inquiunt, experientia testatur, amoto calefaciente, & conseruante calorē, aquam plus frigoris habere, quàm in ambiente sit. Ego tamen existimo, experientiam esse cōtra Connimb. nã si posset aqua maius frigus acquirere, quàm sit ambientis, nulla esset ratio, cur in æstate nõn se reduceret aqua apud nos ad summũ frigus, vel enim hoc oriretur ex impotentia aquæ, vel ex aliquo impedimento extrinseco, non primũ, quia aquæ substantia continet virtute summũ frigus, vt ex tractatu de elementis suppono, neque verò ex aliquo impedimento, quoniam si ab aqua non admodũ frigida superatur, ita vt non possit eã impedire, ne maius frigus acquirat, vtique quò magis est frigida, poterit etiam magis superare, & minùs impedietur.

Dices. Non valet hæc argumentandi forma, nam intensus calor non potest quidem existere cũ intenso frigore, potest tamen cũ remisso, quare non valet illatio, hic calor intensus expulit intensũ frigus, ergo etiã poterit remisũ, quia cũ remisso se cōpatiuntur, ita igitur dici poterit calor aeris pati quidē, vt aqua vsque ad certũ gradũ frigefiat, non tamen sequi, vt non impediat acquisitionē summi frigoris. Resp. antecedens verũ esse, qa calor habet oppositionē cũ intenso frigore, nō habet autem cum remisso, & ideo in eodē subiecto se cōpatiuntur, quod ex eo oritur, quòd calor, & frigus habent gradus eterogeneos, vt supra notauimus, at non est eadem ratio de cōsequenti, quia cum aqua fit frigidior aere, reuera frigus ab aqua acquisitum est contrarium calori aeris, frigus enim aquæ exempli causa erit vt sex, calor aũt aeris etiam vt sex, qui gradus non se compatiuntur, alioqui .n. si gradus hi se compaterentur, posset etiã aer recipere illud idē frigus, absque eo quòd remitteretur illius calor, qđ patet impossibile. Cum igitur nō obstante repugnantia aeris calidi, aqua fiat frigidior, neque poterit idem calor aeris impedire summũ frigus aquæ, quia iam aquæ frigus est potētius, & aeris calor non magis huic, quàm priori frigori repugnat.

Præterea si aqua sit magis frigida, quàm aer, cum sint contigua, inuicem agent, vel ergo aqua superabit aerem, & illi communicabit suum frigus, vel superabitur, & recipiet eius calorem, vel contemperabitur frigus vnius cum alterius calore, & ita semper ad æqualitatem reducentur.

Tertiò, idem constat experien-

tia. Aqua enim, quæ diebus æstiuis noctu est frigida, quò magis procedenti die aer fit calidus, & ipsa calefit, & cũ aeris calor vesperi remittitur, idem contingere apparet in aqua, reuera igitur aqua non fit frigidior, quàm ambiens, quãuis eius frigus magis sentiatur propter eius densitatem, & humiditatem.

Impugnant prætereа Doctores Connimb. Burlæi opinionem, ꝙ nequaquam verisimile sit, in vacuo aquam ad suum frigus non redituram, cum ea reditio fiat gratia propriæ conseruationis, quàm etiã in vacuo expeteret, procuraretq; Sed ab aduersarijs qua facilitate hoc dicitur, eadem etiam, illis negaretur.

Aliter igitur probatur, non esse sufficientem illam rationem, quoniam si aqua reducitur ad pristinum frigus ab ambiente, à quo reducetur ipsum ambiens? diebus enim æstiuis, meridie totus aer est calidus, vespere verò refrigescit, à quo autem dicemus recipere hoc frigus? an ab alio aere frigido? sed vt hunc aerem reperiamus, oportebit, nos in longinquas regiones abire, vel in altissimum montẽ ascẽdere, non est autem probabile, tam cito ab aere valde remoto aerem nostrum recipere frigus, ergo se ipsum reducit ad pristinam frigiditatem. Confirmatur, quia hoc idem accidit in cubiculis optimè clausis, in quibus aer nisi continuè calefiat, ex se refrigescit, ergo verè non alteri, quàm ipsi tribuenda est hæc frigefactio, quòd si hoc aeri conceditur, non est, cur denegetur aquæ.

Item si aqua calida bibatur, refrigerat viscera, ergo non ab ipsis ad suam pristinam frigiditatem reuocatur, sed se ipsa.

Præterea idem probatur ratione, quoniam si aqua non posset se ad pristinum frigus reducere, si ponamus etiam, non adesse agens extrinsecum, à quo reducatur, sequetur, aquam posse perpetuò manere calidam, absque eo qđ nullum agens calorem conseruaret, quod esse inconueniens, ex eo probatur, quia & calor perpetuò esset in subiecto sibi contrario, & aqua semper esset in statu violento, quod vtrumque est contra illud axioma. *Nullum violentum perpetuum.*

Tertiò, natura tribuit virtutes motiuas elemẽtis, quibus possunt loca sibi connaturalia acquirere; ergo non est probabile, non illis tribuisse id, quod magis necessarium erat, vt scilicet se possent ad pristinum statum quoad qualitates actiuas reducere.

Quartò, cum primùm gignitur aquę forma, secum affert suas passiones, nam passiones cuiuscunque rei ab eius forma emanant, inter has autem potissima est frigiditas, hæc ergo ab ea emanat, si ergo potuit, cum primùm aqua producta est, frigus ab ea emanare, poterit etiam, si eo ab extrinseco priuetur, quia non est minùs potens post aliquod tempus suæ productionis, quàm in ipso instanti, in quo producitur.

Secunda sententia Auerr. 2. de anima comm. 1. tribuitur, & probabilis à Caiet. p.p. q. 34. art. 3. censetur, in aqua calida remanere partes aliquas frigidiores, quæ se interius abdunt, quarum postea beneficio tota aqua natiuum frigus recipiat. Rejci tamen debet, quoniam est contra experientiam tactus, qui vbique in aqua eumdẽ gradum sentit, & cõtra rationem, quia

quia aqua cũ sit homogenea, nulla est ratio, cur vna pars eius magis, q̃ altera, patiatur à calore, & dato etiam ꝙ magis pateretur, cum istæ partes cum alijs sint commixtæ, inuicem agerent, & se ad æqualitatẽ frigoris reducerent. Præterea illæ partes aquæ frigidiores dum agerent in calidas, separarentur, non possent igitur retinere summum frigus, quare nec alijs communicare, numquam igitur poterit aqua totum suum pristinum frigus recuperare.

Tertia sententia est communis Connimb. lib. 7. cap. 1. q. 1. art. 3. & aliorum apud ipsos, Ruuij 8. phys. cap. 4. q. 1. Suarez disp. 18. sect. 7. formam quidem substãtialem esse principiũ, quo aqua totũ pristinũ frigus acquirat; Principale tamen agens, cui hæc actio tribui debet, esse generãs. Sed hęc sentẽtia ex su pradictis de motu grauiũ, & leuiũ, facilè impugnari potest; Si enim motus lapidis deorsum tribui non debet generanti, ergo neque recuperatio frigoris in aqua. Eadem enim est ratio vtrobique.

Dicendum est igitur, à propria forma substantiali reuocari aquam ad pristinũ frigus, & hãc esse agẽs principale vt quo, agens verò vt quod esse ipsammet aquam; quod nullum esse inconueniens, ex his, quæ supradiximus, patet. Addendum est autem, non parum aquam adiuuari, vel impediri ab ambiente, quoniam, vt probauimus, non recuperat aqua intensius frigus, quàm sit illud, quod est in ambiente. An autem ad hoc vtatur aqua aliqua qualitate virtuali, tamquam instrumento, vel immediatè hoc efficiat per seipsam, in lib. 2. videbimus. Et per hæc patet etiam, quid sit dicẽdũ de reliquis emanationibus, omnes scilicet ipsi formæ esse tribuendas.

Quid de agentibus, quæ virtualiter tantùm continent effectus, vt vino, pipere, &c. sit dicendum.

SECTIO VI.

Adest peculiaris ratio dubitandi in his, quoniam si possent agere in se, numquam carerent illo effectu, quẽ producere possunt; Videmus autem, carere. Nam vinum est sæpè formaliter frigidum, & idem de pipere, & reliquis experimur. E contra verò si potest vinum producere calorem, & potest recipere, cur non poterit producere etiam in seipso? An quia actus virtualis non potest reducere ad actum potentiam formalem, cum qua identificatur? sed hoc vel esset verum vniuersaliter, & tunc neque aqua posset se reducere ad pristinum frigus, nec graue se mouere deorsum, immo neque Angelus se mouere, neque tandem intellectus intelligere, quia antequam intelligat, est in actu virtuali intelligendi, & in potentia formali. ꝙ si in istis conceditur, ergo ꝙ vinum non se calefaciat, non prouenit ex eo, quòd potentia eius formalis nõ possit in actũ reduci ab actu virtuali, sed ex aliquo alio impedimẽtõ.

Antonius Ruuius 8. phys. cap. 8. q. 1. inquit, vinum, & cætera huius modi nõ se alterare per qualitates virtuales, quia talis qualitas nõn est data corpori à natura ad agendum in se, sed in alia. Verùm hæc ratio nõ sufficit; quia cũ sit deducta ex fine, nõ explicat ex parte ipsius efficiẽtis, cur nõ possit agere in se, q̃uis enim natura intẽdat finẽ per se,

non

non tamen sine medijs in illũ tendit. Et sicuti si quæramus, cur lapis tendat deorsum, non sufficit dicere, quia natura voluit, ipsum esse infra aerem, & aquam, sed oportet etiam in ipso lapide ponere grauitatem, quæ hunc naturæ finem assequatur; Ita non sufficit dicere, vinum non agere in se, quia virtus eius non est ad hoc instituta, sed oportet ostendere, quo impediatur calor virtualis vini, ne vinũ ipsum calefaciat, cum sit agens naturale, quod ob naturæ legem non potest continere actionem suã, nisi aliunde impediatur.

Suarez disp. 18. sect. 7. num. 16. duas reddit rationes, quarũ prior est insufficiens, posterior verò sufficiens, & vera. Prior est, huiusmodi agentia virtualia tale habere temperamẽtum, & dispositionem naturalem, vt resistat, & impediat, ne illa qualitas virtualis suam formalem actionem in eadem parte exerceat. Non inquam, hæc est sufficiens. Nam temperamentum illud non potest impedire actionem alterius qualitatis, vinum enim & ab igne, & à sole calefieri potest, ergo neque posset impedire actionẽ ipsius vini; si verè virtutem ad ipsam sufficientem haberet. Præterea quãdo vinum calefacit stomachũ, calefacit simul etiam se ipsum, ergo illius temperamentum non est illi impedimento. Ad hæc, si non posset in eadem parte, posset saltẽ in parte cõtigua, cuius oppositum videmus.

Est igitur altera responsio melior, huiusmodi agentia non habere totalem, seu integram virtutem calefaciendi, nisi aliunde iuuentur. Non solùm enim nõ possunt in se, sed neq; in aliud, nisi per aliquod extrinsecum ad potentiam proximam reducantur, nam si manui vel piper, vel vinum apponas, nullum calorem ab eis percipies, quando autem ab extrinseco adiuta alia calefaciunt, poterunt etiam calorem in se ipsis producere.

De actibus Immanentibus quid sit dicendum.

SECTIO VII.

NVlla videtur dubitatio superesse posse, ratione horũ actuũ idem esse agens, & patiens, nam & constat, vt nomen ipsum demonstrat, manere in ipso agente, à quo producuntur, & clarum est, nõ posse generanti tribui, cum sint actus vitales, & sæpe etiam liberi. Solùm difficultas esse posset, quia non videntur recipi in eadem parte essentiali. Nam actus exempli causa visionis elicitur ab anima, & tamẽ recipitur in materia. Est enim visio actus, qui recipitur in organum, quare Suarez disp. 18. sect. 7. num. 46. inquit, in his actionibus distingui principiũ quo agendi, & principium quo recipiendi. Ego tamen existimo, hos actus, sicut recipiunt in organum, ita etiam produci ab anima medio organo; Nam & nomen organi, quod instrumentum significat, id ostendit, instrumentũ enim datur ad operandum, non verò ad recipiendum, & nisi producerentur medio organo, immeritò appellarẽtur materiales, anima enim, quæ est rationalis, non posset se sola producere actum materialem. Ab anima verò materiali si possent hi actus tamquam à totali principio prodire, deberemus etiam dicere, ipsam animam non dependere à materia, & consequenter esse immortalem. Præterea sicuti res

se habet ad esse, ita ad operari, cũ igitur anima secundum suam substantiam informet corpus, etiã operatio eius erit medio corpore. Denique nomen ipsum actionis immanentis demonstrat, debere manere in agente, à quo producitur, si ergo ab anima sola produceretur, ab ea etiam sola reciperetur.

Disputat hic quoque Suarez, an idem sit principium proximũ accidentale producendi, & recipiendi hos actus, quod ex eo pendet, an cum potentia, quæ eos elicit, concurrat aliquod aliud agens, & ipse quidem, cum intellectu, arbitratur, concurrere effectiue speciem intentionalem, cum appetitu verò non concurrere obiectum cognitum efficienter, ego autem censeo, nec obiectum cum appetitu, neque speciem cum potentia cognoscente concurrere vllo pacto efficienter. Verùm hæc in tertium librum de anima remittenda sunt.

TERTIA PARS.

De Agente vniuoco.

An in vniuersum agens vniuocum possit agere in se ipsum.

SECTIO VIII.

Agens vniuocum dicitur illud, quod producit effectum sibi similem formaliter, siue in essentia, vt cum homo producit hominem; siue in qualitate, vt dum calidum communicat alteri calorẽ, quare requiritur ad agens vniuocum, vt ante actionem contineat formaliter effectum, quem productiuum est.

Posse hoc agere in se ipsum, rationibus suadetur & experimentis.

Ex his, quæ hactenus dicta sũt, desumitur primò argumentum pro hac parte, quoniã potest agens virtuale, & æquiuocum agere in se ipsum, sed non est minoris virtutis agens formale, & vniuocum, ergo etiam poterit agere in seipsum. Confirmatur, quia habet potentiam producendi effectũ sibi similem, & habet etiam potentiam recipiendi, nam potest ipsum recipere ab alio agente, ergo nulla est ratio, cur non possit in se ipso eumdem effectum producere.

Secundò, lumen per reflexionẽ intendit seipsum, vt patet, dum soli opponitur speculum, & tamen lumen est agens vniuocum respectu alterius luminis, ergo.

Tertiò, lapis dum descẽdit deorsum, intendit proprium motũ, quia semper velociùs descẽdit, ergo intendit etiam virtutem illam, per quam fit motus.

Quartò, Aqua putealis hyeme est calidior per antiperistasim, idest circum obsistentiam contrarij frigoris, non recipit autem hunc calorem à frigore, vt patet, ergo recipit à se ipsa, quia videlicet per calorẽ, quem priùs in se habebat, intendit suum calorem. Et eadem ratione æstiuo tempore eadem aqua est frigidior, sicut etiam docent medici, ventriculum nostrum æstate frigidiorem, & debiliorem esse, hyeme verò calidiorem, & robustiorem ex Hippocr. aphor. 15.

Quintò, Calx iniecta aqua ita calescit, vt ferueat, non potest autem hic calor aquæ tribui, ergo ab ipsa calce prodit, quę suum calorem intendit.

Sextò,

Sextò, Aqua tepida, nisi adsit conseruans calorem, reducit se ad pristinum frigus, ergo cum erit remissè frigida, producet in se saltem gradum frigoris, quare vniuocè agit in se.

Septimò, Fimus Columbinus impedita traspiratione, ita aliquando incalescit, vt flammam cõcipiat, vt testatur Galen. lib. 3. de temperam. cap. 2. & idē accidit in fœno adhuc humido, si constipetur, & recludatur, non potest autem hic effectus ab extrinseco prodire, ergo in se ipsa huiusmodi agentia agunt.

Octauò, Per nutritionem, & augmētationem vtiq; producitur aliquid simile, alioqui enim non nutriremur, neque nutritio esset partialis generatio. At animal per virtutem propriam seipsum nutrit, & accrescit, ergo.

Nonò, Pepones ad solem expositi per aliquod tempus magis frigescunt, scilicet ad præsentiam contrarij se frigore intendente, & alia multa huiusmodi afferri possunt, quæ fiunt per antiperistasim; nam & manus niue calefiunt, & fulgura in nubibus accenduntur, &c.

Opposita sententia quibus nitatur argumentis.

IDem nõ posse agere in se ipsum saltem actione vniuoca, qua producatur effectus similis agenti, experientia conuinci videtur. Nam alioqui calidum vt 4. posset se intendere vsque ad summũ calorem, nullaq; qualitas reperiretur in rerum natura in gradu remisso, quod est manifestē falsum. Secundò sequeretur etiam, idē posse seipsum corrumpere; Mista enim, quæ gradum caloris remissum postulant, si calorem in se possent intendere, vtique se corrumperet. Tertiò sequeretur, idē esse in actu, & in potētia, neque enim hic valet euasio, quòd posset aliquid esse in actu virtuali, & in potentia formali; quoniam supponimus, agens habere actum formalem, alioqui non erit agens vniuocum; Si dicas, calidum vt 4. erit in actu formali caloris, vt 4. sed in potentia formali caloris, vt quinque, quare non erit respectus eiusdem in actu, & in potētia. Respon. calidum vt 4. non posse producere, nisi 4. gradus caloris, vel ergo hos poterit etiam recipere, & sic erit in actu, & in potentia respectu eiusdem, vel non poterit, & tunc idem non agit in se ipsum, quòd enim possit ab alio recipere quintum gradum caloris, nihil refert.

Denique hæc videtur expressa Aristotelis sententia. Probat enim hic, simile non posse agere in simile, quia etiam idem posset agere in se ipsum, loquitur igitur de actionē, qua agens intendit sibi assimilare passum, quæ est vniuoca, sicut enim quando agens virtuale producit aliquam qualitatē in passum, non dicitur simile agere in simile, sed solùm quando calidum agit in calidum; ita mens Aristotelis non fuit, excludere actionem virtualem eiusdem in se ipsum, sed solùm eã, per quam intenderetur qualitas, quæ in eo formaliter reperitur. Et hæc videtur communis sententia omnium Peripateticorum; Nam Scotus, & alij nonnulli, qui concedunt, idem agere posse in seipsum, innituntur illi distinctioni de actu virtuali, & formali, quę cum hic locum nõ habeat, credendum est, ab hac sententia eos non discessuros.

Difficultatis resolutio.

PRæmittenda est distinctio de qualitatibus, quæ intenduntur. Nam, vt supra probauimus, quædam intenduntur per gradus eterogeneos, vt primæ qualitates, & reliquæ, quæ contrarium habẽt, & esse permanenti fulciũtur: quædam verò aliæ intenduntur per gradus homogeneos, vt lumen, & virtus impressa, quæ etiam sunt in duplici differentia. Nam quædã non habent esse vllo pacto permanens, indigent enim continuo influxu agentis, vt conseruentur, & huius generis sunt lumen, & species intentionales, quædam verò habẽt esse ad interitũ quidẽ decurrens, verũ nõ statim, sed paulatim, vt virtus impressa. Quibus positis.

Dico primò, ratione qualitatũ, quæ habent gradus eterogeneos, idem non potest agere in seipsum. Patet hoc dictum experientia in secunda sententia allata, ratio est, quia calidum vt quatuor non potest producere nisi calorem vt quatuor, at hic calor non potest intendere calorem similem, quia in calore fit intensio per gradus eterogeneos, ergo non poterit calidũ vt quatuor intendere seipsum, calor enim, qui producere potest, nõ sufficit ad intensionem, & qui sufficeret, non potest ab eo produci. Et de his loquebatur Aristoteles, quia nõ agebat de qualibet actione, sed de ea tantùm, quæ ordinatur ad generationem, quæ est corruptiua, & fit inter contraria.

Dico secũdò, ratione qualitatũ, quæ non habent esse permanens, quamuis augeantur per gradus homogeneos, non potest actione directa idem intendere seipsum, potest tamen actione reflexa. Prior pars probatur tum experiẽtia, quia alioqui candela intenderet suum lumen in infinitum; tum etiam ratione, quia luminosum totã suã vim impendit in conseruando lumine, quod semel produxit, non potest igitur ipsum intendere, & declaratur magis, quia conseruatio nil aliud est, quàm continuata quædam productio, luminosum igitur vt quatuor nil aliud potest efficere, quàm continuè producere lumen vt quatuor, ex quo, si lumen esset permanens, sequeret̃, vt maximè intenderet̃, quia quatuor gradus luminis nunc producti adderentur alijs quatuor paulò ante productis, at quia non habet esse permanens eo modo, quo explicauimus, quatuor gradus luminis priùs producti se habent, ac si iã defecissent, neque possunt simul cum his, qui nunc producuntur, cõponere lumen maius, sed cũ illis identificãtur, vt pseuerare possint. Posterior pars huius dicti probatur, quia lumen seipsum intendit per reflexionem, quod aliunde non oritur, quàm ex eo quòd lumen in eadem parte multiplicatur, vt paulò infra latiùs explicabimus, & simul aliorum sententias de hac reflexione reijciemus.

Dico tertiò, ratione qualitatũ, q̃ habẽt esse aliquo pacto permanẽs, & augentur per gradus homogeneos, idẽ potest agere in seipsum, & propriam qualitatem intendere. Probatur hoc dictum experientia, nõ n. alia ratione graue quò magis descẽdit, velociùs mouet̃, & proiectũ violenter velociùs in medio motu, nisi q̃a multiplicat̃, & auget̃ ipsa virt⁹ impressa à seipsa, vt sup. de gradib⁹ homogeneis annotauim⁹, & inferius ẽt latiùs explicabimus. Cõfirmat̃ ẽt, q̃a dũ q̃s currit

 dum:

dummodo suppetant vires æquales, potest semper suum motum augere, & velociorem efficere, & hinc est, quòd qui magnum volũt edere saltum, retrocedunt priùs, & è loco distanti incipiunt cursum, vt impetu maiori saliant.

De intensione per reflexionem.

SECTIO IX.

DVo sunt in hac quæstione, q̃ maiori indigent explicatione, & vberiori disputatione. Reflexio, & antiperistasis. De priori nunc agimus, quid sit autem, actionem, vel qualitatem reflecti, potest ex corporis reflexione intelligi, sicut enim pila in pariet ẽ proiecta regreditur, ita reflecti dicitur actio, dum à corpore resistẽte quodammodo reuerberatur. Differũt tamen, quia pila, quæ reflectitur, est eadem numero semper, at verò qualitas est diuersa numero, quia non potest idem accidens esse in diuersis subiectis; Quærimus igitur primò.

Quænam sint qualitates, quæ per reflexionem augentur.

QVidam existimant, non tantùm lumen, sed etiam calorẽ, & cæteras qualitates per reflexionem augeri. De lumine dubium non est, de calore probatur. Quoniam ignis longè maiorẽ calorem producet in medio, si adsit aliqđ corpus, à quo reflectatur eius calor, quàm si nullum adsit, ergo per reflexionem augetur. Ego tamen existimo, nullo pactò calorem augeri per reflexionem. Ratio à priori est, quia corpus non potest reflectere intensiorem calorem, quàm sit ille, quem recipit, sed calor non fit maior, nisi per intensionem calorẽ, quia augetur per gradus eterogeneos, ergo per reflexionem non potest intendi. Præterea probatur, quia sequeretur, per reflexionem posse produci ignem in medio, quoniam per actionem directam aderunt in medio sex gradus caloris, ergo si duo augeantur per reflexionem, iam aderunt octo gradus caloris, qui sunt dispositio sufficiens ad ignẽ producendũ, cuius tamen oppositum cernimus. Tertiò, si calor intenderetur per reflexionem, in eodem instanti, in quo opponitur igni corpus reflectens, maior calor in medio sentiretur, quia statim reflecteretur, at experimur, hoc nõ statim accidere, ergo signum est, nõ reflecti. Quartò sequeretur, idem posse intendere seipsum per reflexionem in calore, & similibus, quod tamen experimur esse falsum. Quamuis enim calor naturalis à vestibus videatur intendi per quamdã reflexionẽ, re vera tamen nulla fit reflexio, vel si fit, est ratione vaporũ, & exhalationum calidarum, non verò caloris. Defendunt autem vestes à frigore externo, & conseruant calorem internum, & ita dicuntur calefacere. Ad experientiam in cõtrarium allatam respondeo, calorem non augeri per reflexionem in medio, sed à corpore, quod videtur reflectere calorem, impediri contrarium, à quo calor diminueretur. Præterea aer facillimè diffluit, & ob suam raritatem quamuis maximè calidus, non magnam infert passionem. Si igitur inter ignem, & corpus opacum intercludatur, cum impediatur eius effluxus, longè facilius & calefiet, & calorem conseruabit. Corpus etiam

etiam ipsum opacum ob eius densitatem calorē tenaciùs retinet, & aptius est ad calefaciendum, quàm aer, quoad lumen igitur, quod certum est, fieri maius per reflexionē, quærimus primùm.

A quonam producatur lumen reflexum.

SECTIO X.

QVidam cum Suarez disp. 18. sect. 9. nu. 34 dicunt, produci ab eo corpore, à quo reflectitur, quia qualitas directa in eo corpore recepta actiuior redditur, quàm esset in medio, non quia sit intensior in eo corpore, quàm in medio, sed quia est in materia magis densa, & consequenter magis est potens ad agendum, quia virtus vnita est fortior. Hæc tamen sententia nec vera est, neque vero nititur fundamento: Non est vera, quia corpus opacum, à quo reflectitur lumen, non potest dici producens ipsum lumen reflexum, sed tantùm se habet tamquam vehiculum deferens lumen. Vel. n. hanc virtutem producendi lumen haberet ex se, vel à lumine, non ex se, quia tenebrosum est, neque verò ex lumine, quoniam, vt supra ostendimus, lumen in medio non est principium producendi aliud lumen directum, & remotius, sed hoc producitur ab ipso corpore luminoso, ergo idem dicendum de lumine in corpore terminato, quia non est maior ratio de vno, quàm de altero, quòd enim sit magis densum, vel tersum, vt inquit Suarez, posset quidem esse ratio, vt magis ageret, nō tamen vt ageret simpliciter. Confirmatur, quia per lumen reflexum à speculo videtur Sol, ergo à Sole tamquam à proxima causa oritur, nō. n. lumen, aut species intētionalis repræsentat aliud, quàm obiectum, siue causam propriam. Præterea si corpus reflectens lumen ageret, vt verum principium ipsius luminis, non esset ratio, cur magis illuminaret partem oppositam corpori luminoso, quàm reliquas, quo argumēto motus est Suarez supra ad dicendum, lumen in medio non esse principiū producendi aliud lumen.

Concedi tamen potest, aliquid luminis esse quoque à speculo tamquam à proximo principio, sicuti etiam supra dicebamus, lumen illud, quod ad latera radiorum solis diffunditur, esse ab ipso lumine, quod est in medio, tamquā à principio proximo; Ratio autem, quę pro hac sententia affertur, quòd scilicet virtus in materia densa possit intensiùs agere, quàm in rara, longiùs etiam distat à vero, vt videbimus quæstione sequenti. Nūc hoc argumento contenti erimus, quia sequeretur, per reflexionem intendi lumen vsque in infinitū; Nam lumen in medio quò est intensius, magis etiam illuminat corpus obiectum, quod supponimus reflectere lumen, hoc autem corpus iterum intendit lumen in medio, ergo etiam medium magis illuminabit corpus reflectens, & cōsequenter à corpore reflectente magis etiam illuminabitur mediū, & ita procedet intensio vsque in infinitum: Dices, hoc argumentum non magis esse contra hanc sententiam, quàm contra omnes, qui admittunt, lumen per reflexionem intendi, quia semper poterimus dicere, lumen intensiùs in medio magis illuminare speculū, & consequenter maius lumen

à speculo reflecti. Respondetur, hoc argumentum non militare cōtra nos, qui volumus, illuminationem tam directā, quàm reflexam esse à corpore luminoso, verbi gratia à Sole, quamuis enim intendatur lumen in medio per reflexionem, non potest tñ hoc lumen intensius magis illuminare speculū, quia non est instrumentum Solis nisi ad agendum in eam partē, ad quam dirigitur, vt verò est reflexum, nō dirigitur ad illuminādum speculum.

Obijcitur tamen contra nostrā sententiam. Si lumen reflexum producitur à corpore luminoso, in quodcunque obstaculū lumen ipsius impingat, æquale lumen semper per reflexionem producet, qd tamen est falsum, vt patet, maius enim lumen ex speculo reflectit̄, quàm ex pariete, maius ex albo, quàm ex nigro, & maius ex polito, & terso, quàm ex aspero, & inæquali. Resp. hoc argumentum posse retorqueri contra aduersarios. Nā speculum non habet ex propria virtute, quòd lumen producat, sed ab ipso lumine, ergo cum ipsum lumen æquè repetiatur in pariete, ac in speculo, cur eamdem virtutē reflectendi vtrique non tribuit? Dicendum est igitur, ad reflexionē non tantùm requiri corpus impediens actionem directam, sed ēt corpus aptum ad huiusmodi reflexionem. Nā pila quoque si proijciatur in parietem, resilit, si in lanā, nequaquam, neque tamen dici potest, pilam resilientem à pariete vim aliquam recipere, sed eodem impulsu, quo ferebatur directè in parietem, fertur deinde in proijcientem. Eodem igitur pacto lumen reflectitur in speculo, non quòd accipiat aliquam vim à speculo, sed quia speculū aptum est, vt ab eo quodāmodo resiliat lumen. Concedimus igitur, esse quidem hoc corpus magis, quàm aliud, causam reflexionis, non tamen luminis reflexi.

An maius sit lumen in corpore reflectente, quàm in medio aere, saltem quò non pertingit reflexio.

SECTIO XI.

AFfirmant nonnulli, & rationē reddunt, quia potest agens magis agere in distans, quando distans est magis dispositum ad recipiendum effectum, quàm propinquū, quod etiam videtur approbare Suarez nu. 38. Mihi tñ hoc nō probatur, quia cum agens eatenus tantùm agat in distans, quantum agit in medium, nō poterit magis in distans agere, quàm in medium, quia excessus illius actionis, qui est in corpore distanti, vtique non esset per medium. Verum est quidem, quòd potest diuersum effectum habere in corpore distanti, ac in medio, non tamen eumdem magis intensum in distanti, & ratio est, quia quādo est diuersus effectus, adest quidem virtus, qua producitur effectus in distanti, & in medio, at non pducit in eo effectū, q̄a non est capax, quare licet nō adsit formaliter in medio, adest tñ virtualiter, qd sufficit, at si pducit̄ idē effectus in medio, & in distanti, cū tota virtus pducēdi effectū in distanti sit effectus, qui est in medio, effectus, qui reperit̄ in distāti, nō præcessisset in medio. Non n. potest dici, præcessisse virtualiter, quia videmus, agens agere per qualitatem formalem, quæ cū re-

reperiatur in subiecto capaci, quæ est in medio, vtique illi communicatet maiorem effectum, si talem virtutem haberet.

Præterea falsum est, aerem esse minùs dispositum, quàm corpus opacum, quoniam cum lumen non habeat contrarium, non potest esse aer magis, vel minùs dispositus, potest quidem esse magis, vel minùs peruius luci, ad recipiendum autem lumen, quod per ipsum quodammodo transit, numquam esse potest magis, vel minùs dispositus. Dicendum est igitur, maius lumen esse in aere corpori luminoso propinquo, quam in corpore reflectente, quàuis non ita appareat, quia non terminat oculorũ nostrorum obtutum. Excipio tamen, nisi in corpore reflectente multiplicetur lumen in eadem parte, vt contingit in phiala aquæ plena.

Quomodo possit intendi lumen per reflexionem.

SECTIO XII.

RAtio dubitationis est, quia intensius non potest augeri à minùs intenso, at lumen in aere est intensius, quàm in speculo, & quã sit illud, quod à speculo producitur, ergo non poterit ab eo intendi.

Primus modus respõdendi, quẽ probabilẽ existimat Suarez disp. 18. sect. 10. nu. 32. est, Agens ex eo quòd agit in minori sphæra, intensius operari, quàm si actio eius ad maiorem sphæram diffunderetur; nam virtus finita ad plures applicata minor est in singulis, ergo è contrario collecta ad pauciora, fortiùs aget. Hic tamen modus mihi nequaquam probatur. Primùm, quoniam loquitur de agente naturali tãquam de libero, de hoc enim verum est, quòd si pluribus applicetur, virtutem suam in singula diuidat, at de agente naturali nequaquam, quia semper agit eodẽ modo, & priùs natura agit in propinquũ, quàm in distans, ergo effectus propinquus non potest pendere à remoto, sed quidquid fit de remoto, semper propinquus eodem modo se habebit. Præterea non tollit difficultatem, quia adhuc explicandum erit, cur vnum corpus magis, quàm alterum sit causa maioris intensionis luminis in medio, verbi gratia speculum, quàm paries, cũ tñ æquè vtráque sphæram actiuitatis terminet. Præterea si illo modo tantùm fieret reflexio, æqua proportione deberet fieri per totam sphæram, qd tñ est falsum, quia lumen est intensius in partibus propinquioribus corpori, à quo fit reflexio, q̃ in partibus remoris. Quare Suarez nu. 35. & 36. post multas allatas responsiones, & reiectas, cõcludit, & fatetur, alterum horũ admittẽdum esse, vel qualitatem intẽdi ab alia simili qualitate solùm ob maiorem multitudinem materiæ, qd nos volumus, & repugnat eius opinioni, ꝙ in omnibus qualitatibus fiat intensio p gradus eterogeneos: Vel primũ agens intensiùs illuminare rem distantem, quã propinquam propter dispositionẽ eius, & hunc posteriorem modum ipse libentiùs recipit. Verùm & supponit falsum, & difficultatem non euadit, falsum supponit; imò duo falsa, alterum est, quòd corpus luminosum magis illuminet corpus distans, quàm propinquum, & quòd corpus reflexum sit principium, & partiale agens illuminans medium, quæ vtraque supra refutauimus. Præterea nec difficultatẽ

euadit, quia adhuc corpus reflexũ non producit lumen intensius, quã sit lumen directum à corpore lumi noso productum, ergo etiam non poterit ipsum intendere, & omnino non poterunt ambo simul efficere maius lumen, quàm esset alterum eorum tantũ, nisi ponamus, lumen augeri, & intendi ẽt per gradus homogeneos, Qđ ẽt addit Suarez, qualitatẽ illã non se sola intendere sibi similem, sed in virtute, & cũ consortio principalis agentis, & nihil eũ iuuat, & falsum est, non iuuat, nam quidquid fit de efficiẽte, sufficit nobis, quòd formaliter qualitas ipsa intẽdatur à simili. Falsum est etiã, quoniam sequeretur, quò agens agit in distantius, perfectiorem effectũ producere. Nã ad effectum proximũ concurrit agẽs principale solũ, ad minus propinquum, & agens concurrit, & effectus ab eo productus & ad effectũ magis distantẽ plures etiã effectus, ergo semper ꝓducetur perfectior, quia semper agens erit maioris virtutis. Præterea si agens principale simul cũ lumine à se producto posset intensius lumen producere, intenderet etiã lumen primò productũ, quia augmentũ, quod tribuit eius effectui, poterit ẽt ipsi tribuere. Si dicas, totã vim suam iã exercuisse in eo producendo, ergo, dicã, non habet aliam virtutẽ, quàm lumen ipsum productum, consequenter non potest ex virtute ipsius, & ex lumine producto conflari quoddam tertium maius.

Respondeo igitur, illos, qui existimant, omnem intensionem fieri per gradus eterogeneos, non posse hanc difficultatem enodare, nos autem, qui censemus, lumen intendi per gradus homogeneos, nullã patimur difficultatem, quia ad maiorem ipsius intensionem sufficit multiplicatio graduum, non autem requiritur, vt isti gradus sint magis intensi, quàm illi, quibus adduntur.

4 Quæritur, an lumẽ reflexum, & directum sit idem numero lumen? videtur enim esse idem, quia sunt in eodem subiecto, non possunt autem in eodem subiecto esse plura accidentia diuersa tã ũm nu mero. Secundò, quia non efficerent vnum lumen intensius. E' contra, potest lumen directum conseruari, cum tamen intereat lumen reflexum, si paululum in aliam partẽ speculum deflectatur, ergo sunt diuersa. Præterea habent diuersos effectus, nam directum lumen tendit in corpus reflexum, reflexũ verò in oppositam partẽ, quare etiã in oppositas partes vmbras iaciẽt, ergo sunt diuersa. Respond. esse diuersa numero incompletè, idest tamquã duas partes vniusmet indiuidui. Argumenta igitur pro parte affirmante probant tantùm, componere vnicum lumen totale. Argumenta verò pro negante differre incompletè tamquam duas partes.

5. Quæritur, an per reflexionem intendatur tantùm lumen in medio, vel etiã ipsum corpus luminosum intendi possit. Doctores Conimbr. cap. 9. q. 1. artic. 1. affirmant, nisi fortè, inquiunt, luminosum obtineret lucem summè intensam, qua non posset esse maior per naturam, qualis est in solari corpore, tunc. n. quantumlibet ad ipsum reflexio pertingeret, nequaquam aliunde lumen mutuaretur. Ego tamen existimo, naturaliter quidẽ non posse dari lumen solari maius, nõ quia repugnet lumini, sed quia non datur agens, quod possit ipsũ pro-

producere, quare si verè reflexio vsque ad solem pertingeret, crederem, non minùs ipsius lumen, quã aliud quodlibet auctũ iri. Verũ est quidem, hoc augmẽtum in corpore luminoso nõ cognosci, vel quia reflexio ad ipsum nõ peruenit, vel quia si peruenit, cum magis etiã illuminentur partes ei propinquæ, minùs quodãmodo refulget; non enim esse potest dubiũ, magis splẽdescere lumẽ in tenebris, quàm in aere luminoso. Si quis tamen contendat, non intendi, quod non est improbabile, fateatur etiã, oportebit, diuersæ speciei esse lumen corporis luminosi ab eo, quod producitur in medio, de quo quæstione sequenti.

De Antiperistasi.

SECTIO XIII.

PEr antiperistasim, qualitatem aliquàm intẽdi, id est ex eo qđ vndique cõtrario cingatur, & obsideatur, ex multis experientijs supra allatis clarè constat. Frustra. n. quidam ea conantur eludere dicentes, non verè fieri maiorem aliquã qualitatem per antiperistasim, sed videri iuxta illud *Opposita iuxta se posita magis elucescunt*, quare dicũt, aquam putealem in hyeme non esse quidem calidiorem, sed videri, quia nos frigidiores sumus, in æstate verò videri frigidiorem, quia calemus nos, sed, vt dicebam, frustra, tum quia magna est differentia, vt non possit meritò in nostrã dispositionem referri, cũ simile discrimen non repetiamus in cæteris rebus. tũ etiam quia non possunt hoc pacto eludi multa alia experimenta, vt de ventriculis nostris hyeme magis robustis, & alijs supra positis. Explicandum est igitur, quomodo per antiperistasim possit aliqua qualitas intendi.

Aliorum variæ explicationes.

PRima ergo sentẽtia est Marsilij in hoc 1. quæst. 18. Pauli Veneti 1. meteor. ca. 3. & aliorum, qui aiũt, à qualitate obsessa species intentionales emitti, quæ in contrarium obsistens impingẽtes, in suũ principium reuerberantur, atque ita illud intendunt. Sed meritò hæc sententia ab omnibus iã reijcitur. Nam has species intentionales excogitauit sine sufficienti fundamẽto, quia cũ primæ qualitates, (inter quas solet esse antiperistasis) multiplicentur realiter per productionem similium qualitatum, nulla est necessitas introducẽdi has species. Secundò, istæ species cum sint intentionales, non possunt realiter intendere qualitatem materialem. Tertiò, quia aliquando contrariũ obsistens est proximum qualitati, quæ intenditur, & contiguum, ergo non potest hoc fieri per emissionem, & reflexionem specierum. Quartò, si possunt hoc, dum reflectuntur, multò magis idem præstarent, dum in directum producuntur, quod falsum experimur. Suarez alia quoque ratione impugnat hanc sententiã, quòd videlicet fingat has species euntes, & redeũtes, ac si corpora essent. Verùm ex hoc capite non est reprehendenda hæc sententia, quia species reflecti, patet clarissimè in speculo, non quòd eadem species, vt supra etiam dicebamus de lumine, ad modum corporis eat, & reuertatur, sed quatenus idem agens per eãdem actionem, & per eamdem virtutem producit species vsque ad corpus reflectens,

ctens,& à corpore reflectente vsq; ad terminum reflexionis.

Secunda sententia Niphi 1. de gener. tex. suo 95. in recognit. dub. 2. qualitatẽ obsessam habere vim ad agendum per aliquam sphærã, & quia à contrario obsistente impeditur, ne diffundat illam extra se, eam in se conuertere, & ita se intẽdere. Hanc sententiã nititur euertere Suarez, parum tamen videtur proficere. Primò enim inquit, Iam hanc sententiam admittere, agens intendere posse se ipsum, quod est absurdum. Secundò, vel illa qualitas habet vim naturalem ad efficiẽdam illam actionem, vel nõ; Si primum, ergo etiam si nõ obstet contrarium, efficiet, si non habet, ergo non efficiet, etiam si contrarium vrgeat. Tertiò, vel illa maior intensio est naturalis, vel non, si primũ, ergo habebit illam semper, si secũdum, ergo non poterit ab intrinseco ex ipsamet qualitate prouenire. Quartò, vel perseuerat illa maior intensio, ablato contrario, vel non; si primùm, ergo signum est, fuisse naturalem, & futuram absque occasione contrarij agentis; si nõ perseuerat, ergo numquam potuit ab intrinseco fieri; Nam perfectio, quæ ab intrinseco manat, non tollitur absque extrinseco agente. Quintò, non ex eo quòd agens cessat ab actione in aliud, fit capax actionis in se, vel maioris intensionis, aliàs res existens in vacuo hoc ipso se intenderet, quòd nõ posset agere in aliud. Deniq; illa effectio maioris intẽsionis superat propriã virtutem, ergo non potest effici.

Verùm hæc parum obesse opinioni prædictæ, ostenditur primò ex eo quòd iam probauimus, lumẽ posse se ipsum intendere per reflexionem suæ propriæ actionis, & cõtra hanc reflexionem nõ minùs pugnant argumenta Suarez, quàm cõtra Antiperistasim eo modo explicatam, constat autem, quòd illã nõ tollunt, ergo neque hanc. Præterea quia facilè possunt eius argumenta dissolui. Ad primum dici potest, nullum esse inconueniens, quòd idem in se ipsum agat actione reflexa. Nam hoc ipsum intendit hęc sententia. Ad secundum dico, adesse virtutem sufficientem ad illam actionem, sed requiri tamquam conditionem, quòd cõtrarium obsistat. Ad tertium respondeo, non esse naturalem, posse tamen ab intrinseco qualitatis prouenire per accidens, quatenus à contrario in eã reflectitur. Ad quartum respondeo, si passum contrariam qualitatem non postulet, nec adsit contrarium, perseuerare, si verò sit in subiecto non connaturali, non perseuerare, at ex neutro capite sequitur vllum inconueniens; Non ex priori, quia non sequitur, aliquid est cõnaturale, idest conforme naturæ alicuius, ergo sẽper est in illo, aquæ enim connaturale est summum frigus, neque tamen est semper summè frigida. Si hæc igitur per antiperistasim fiat frigidior, retinebit eam frigiditatem, quamuis antea non haberet. Ad impugnationem alterius capitis, si non perseuerat, ergo signum est, non prouenisse ab intrinseco. Respondeo, probare tantùm, non prouenisse ab intrinseco per se, non verò per accidens. Ad quintum respondeo, non ex eo quòd agens cessat agere, sed ex eo quòd eius actio reflectitur, qualitatem intendi. Ad vltimum negatur, illam maiorem intensionem excedere propriam virtutem productiuam, quia de facto ab ea producitur.

Aliter

Aliter igitur est impugnanda hæc sententia, ac primò quia ex ea sequeretur, per antiperistasim aliquid posse se in infinitum intédere. Probatur consequentia, quoniam per actionem reflexam frigus vt quatuor factum est vt quinque, ergo iam hoc frigus vt quinque aget fortiùs, quàm antea, poterit igitur per actionem reflexam intendere se vt sex, & iterum fortiùs agere, & vsque ad summum se intendere, hoc autem de corpore luminoso, siue de lumine dici non potest, & ratio est, quia lumen non habet esse permanés, sed semper est in fieri, ac proinde non potest esse ratio, vt producatur maius lumen, neq; potest per productioné noui luminis intendi, ita vt fit principium producendi aliud lumen. Confirmatur, quia quatenus etiam reflectitur, est ab ipso agente principali, atque vt etiam recipitur in ipsum luminosum corpus, pendet ab eodem vt principio, quare non potest esse ratio, vt denuo intendatur actio directa, quia semper se habet vt reflexum, etiamsi ab ipsomet corpore luminoso denuo reflecteretur.

Secundò, & est ratio à priori. Hæ qualitates primæ intenduntur per gradus eterogeneos, ergo non possunt intendi per reflexionem. Probatur consequentia, quia qualitas, quæ fit per reflexionem, erit necessariò eiusdem rationis cum qualitate, quæ est principiū illius, non enim qualitas reflexa potest esse perfectior, quàm sit illa, à qua prouenit, ergo non poterit eam intendere.

Tertiò, contingit etiam, qualitatem fieri per antiperistasim intensiorem, quando eius actio recipitur in propinquum corpus; Nā in æstate aqua putealis aerem sibi propinquū frigidioré reddit, quā remotū, ergo signū est, eius actionem recipi in aeré, ergo reflectitur ad eam, & tamen fit frigidior per antiperistasim.

Quartò, per antiperistasim nō solùm aquæ calor, vel frigus intenditur, sed et ex frigida simpliciter fit calida, nam in æstate est aqua summè frigida, & per antiperistasim fit in hyeme calida, ergo hoc non contingit per actionem reflexam, quia ab aqua frigida, qualis erat in æstate, non poterat prouenire, nisi frigefactio, quæ si reflecteretur, magis etiam frigefecisset aquam, vnde ergo illi calor?

Tertia sententia est, partes qualitatis obsessæ ad præsentiam contrarij, quod naturaliter fugiūt, magis inter se vniri, & constipari, & quia virtus vnita fortior, cōsequēter ipsam qualitatem intendi. Sic guttæ aquę in terram decidentes in globum se contrahunt, & halitus, qui in æstate vix apparet, quia dissipatur, in hyeme, quia à circūobsistente frigore obsidetur, constringitur, & facilè videtur. Impugnat hanc sententiam Suarez quā cū secunda cōfundit, primò, quia vel hæc cōdésatio est naturalis, vel nō, neutrū aūt dici potest, vt supra impugnabat secūdam sententiam. Verùm parum roboris habet hoc argumentum. Dicent enim aduersarij, esse naturalem non simpliciter, sed posito contrario, sicut naturale est lapidi descendere deorsum, posito quòd sit sursum, si aūt sit in suo loco naturali, non opus est, vt moueatur deorsum. Secūdò impugnat, & meliùs, quia non experimur in rebus, quæ à cōtrario obsidentur, hos motus,

 nec

nec apparet, aquam ob circumstās contrarium magis condensari.

Præterea impugnatur, quia per hunc modum posset tantùm aqua ex frigida fieri frigidior, at verò, vt contra tertiam etiā dicebamus, fit etiam ex calida frigida, & ex frigida calida, ergo hoc non potest tribui condensationi. Neque dici potest, quòd aqua condensata propter calorem obsistentem, magis deinde cōdensetur propter frigus, quia deberet etiam iterum condēsari propter alium calorem superuenientem, & sic condensaretur in infinitum. Si dicant, ad præsentiam frigoris rarefieri, & caloris condensari, vel è conuerso. Obstat huic responsioni, quòd contrarium obsistens cum sit fortius, non cedet locum contrario obsesso, & consequenter hoc rarefieri non poterit. Præterea nec rarefactio potest esse sufficiens, vt magis intendatur calor, aut frigus, immo efficiet, vt minùs vtrumque sentiatur. Quāuis ergo possit cōcedi, aliquādo huiusmodi cōdensationem interuenire, & adiuuare antiperistasim, non est tamen ratio, quæ sola sufficiat.

Quarta sententia est Doctorum Connimbr. cap. 9. q. 1. art. 2. formam obsessam seipsam intendere. Nam cum vnumquodque, vt inquiunt, ingenitam habeat propensionem ad se conseruandum, si à contrario obsideatur, consueuit forma quodam naturæ instinctu ex se fundere qualitatem vicino hosti, à quo impeditur contrarium, vt his armis se illi opponat, eiusque potentiæ resistat, & seipsa ab interitu vendicet. Verùm improbabilis est hęc opinio. Primò, quia agens naturale semper eodē modo agit, & toto conatu, nō ergo ex eo quòd contrarium sit præsens, potest intensiùs agere, quia ab eo nihil recipit, neque excitari potest. Præterea posset in infinitum se intendere, si enim calidum vt quatuor ad præsentiam contrarij potest fieri calidum vt quinque, ergo calidum vt quinque fiet calidum vt sex; illud igitur, quod priùs erat calidum vt quatuor, postquā redditum est calidum vt quinque, poterit seipsum intendere vsque ad sex, & ita deinceps. Ad hæc, argumenta illa, quæ obijciebat Suarez contra secundā sententiam, longè veriùs contra hanc militant. Non enim potest dici, quòd ille excessus sit naturalis, vel præternaturalis, neq; quòd oriatur per accidens ad præsentiā contrarij, quia contrarium non potest à contrario reddi validius. Diuersa autem ratio erat de reflexione actionis, quia in hac dicitur agens semper eodem modo agere; sed eius actionem reflecti à contrario, quod non est adeo mirum, cū id videamus in lumine, in motu locali, & alijs. Sed iam afferamus veros modos, quibus per antiperistasim aliquid intendi potest.

Quomodo verè fiat intensio per Antiperistasim.

SECTIO XIIII.

PRimus modus colligitur ex Aristotele sect. 1. problem. q. 29. & ex Gal. in aph. 15. Hypp. Intendi scilicet contrarium per antiperistasim, vel etiam alterari, quia per contrarij obsidionem non effluunt partes aliquæ, siue exhalationes, à quibus prouenit illa alteratio. exemplis res magis declarabitur. in hyeme aqua putei est calidior, quia exhalationes calidæ in

in cauernis terræ genitæ à circumobsistēte aere frigido, & crasso impediuntur, ne sursum ascendant, quare in aqua remanentes illam calefaciunt. Ita etiam in hyeme venter est calidior, quia frigus poros constringit, atque idcirco spiritus animales intus detinentur, ex quibus calor ille oritur; In æstate verò iijdem spiritus facillimè effluūt, quare redditur languidior; sicut etiam ab aqua puteali in æstate vapores faciliùs exhalant. Est tamen difficultas circa hunc modum præter eas, quas affert, & dissoluit Suarez loco supra citato, qa huiusmodi exhalationes, quāuis per accidens sint aliquando calidæ, tamen naturaliter sunt frigidæ, quare in media aeris regione ad suam naturam redeuntes frigescunt, & in pluuiam, vel grandinē, vel ventos, &c. conuertuntur; ergo multò minùs poterunt conseruari calidæ in aqua, vbi & à Sole sunt remotiores, & à contrario oppugnantur. Responderi tamen potest, quasdam exhalationes esse ē natura sua calidas, vt illæ, ex quib' impressiones igneæ generantur, & à Sole non minùs conseruari posse sub terra, quàm in aere, quia terra cum sit densior, faciliùs retinet conceptum calorem, quàm aer. Præterea quamuis demus, frigescere, non deerunt aliæ calidæ, quæ illis descendentibus, ascendent.

Secundus modus est præcedenti non dissimilis, quia scilicet occasione contrarij obsistentis recedit extraneum corrumpens, & itares se ad suum naturalem statum reuocat, & hac ratione etiam dicere possumus, aquam frigidiorē esse in æstate, quia tunc recedunt ab aqua, & sursum ascendunt calidi vapores, qui in ea retinebantur, quibus aqua liberata pristinum, & naturale suum frigus recuperat, & hac ratione etiam dici potest, pepones Soli expositos primùm frigēsieri, quia scilicet euocantur ab eis vapores calidi, postea tamen calesiunt superante calore ambientis illorum natiuum frigus, & etiā aqua Soli exposita hac ratione initio magis frigesit, quia euocantur à calore Solis calidi vapores, qui in ea existebant.

Tertius mod'. ex eo q̄ aliquādo partes contrarij obsessi magis cōdensantur inuicem, varij modi antiperistasis oriuntur. Primus est, quia dum partes ad circumferentiam tendunt, se inuicem expellūt, & atteruntur quodammodo, atque ita potest in eis gigni calor, qua ratione fulgura ipsa accenduntur, quamuis in illis contingat attritio non tantùm ob condensationem, sed etiam ob agitationem exhalationum contrarium fugientium. Secūdus, quia fieri potest, vt in ipso toto quædam sint partes minùs intensæ, quæ ab alijs magis intensis dum vniuntur, arctiùs, quàm antea intendantur. Tertius, quia eiusdem constipationis occasione quasdam partes contrarias, & obsidenti contrario similes faciliùs expellant, sicq; in pristinum suum naturalem statum minori negotio cęteræ restituantur.

Quartus modus viuentium proprius, parti, quę à contrario oppugnatur, submittuntur veluti copiæ auxiliares spiritus abundantiores, ex quo fit, vt ad contrarij pręsentiā roboretur, & hac ratione manus ob niuis tractationem calefiunt, quia ad eas plures spiritus vitales, & calidi concurrunt.

His igitur explicatis, iam non erit difficile, argumenta, quæ ini-

tio contra nostram sententiam afferebantur, diluere.

Argumenta pro actione agentis vniuoci in se ipsum superius allata enucleantur.

SECTIO XVI.

NOn omnia argumẽta ibi proposita contra nos militant, ea igitur tantùm soluemus, quæ sententiam nostram labefactare videntur.

Ad primum respondeo, disparẽ esse rationem de agente virtuali; & formali, nam illud nõ habet formam, quam potest producere, qua re nil mirum, si eamdem in se producat; Hoc autem habet eam formam, quam producere potest, & idcirco non potest amplius in se ipsum agere. Ad confirmationem respondeo, non habere potentiam ad recipiendum nec à se, neque ab alio effectum, quem idem potest in aliud subiectum producere. Exempli causa calidũ vt quatuor neque a se, neque ab alio efficiente potest recipere calorem vt quatuor, sed tantùm calorem intensiorem, qui non potest ab ipso produci.

Ad secundum, & tertium, quia sunt pro nobis, nil occurrit dicendum. Quartum explicatum est modò, cum de antiperistasi ageremus.

Ad quintum, Doctor. Connimbricenses sequuti D. Augustinum lib. 21. de Ciuit. Dei capit. 4. & Fracastorium lib. de vini temperatura, existimant, in calce etiam frigida adesse ignem actuatum, sed consopitum, cuius particulæ iniectæ aqua hincinde interceptæ cõ-stipentur: tumq; ob antiperistasim frigidi humoris, quasi reuiuiscant, & se prodant. Non est tamen admodum probabilis hæc sententia, quoniam calx ab aqua seiũcta est frigida, vt patet sensibus, si autem haberet ignem actualem, non posset hic non sentiri. Præterea ignis non potest conseruari sine pabulo, at in calce non habet pabulum sibi congruum, vel si haberet, modico tempore calcem totam dissolueret, ergo dicendũ est, re vera non adesse, neque crediderim, hoc voluisse S. Augustinum; sed loquutum fuisse de calore, & igne virtuali; Sicuti enim simpliciter dicimus, vinum esse calidũ, quamuis sit frigidum formaliter, ob eius calorem virtualẽ, ita ignis dicitur adesse in calce, non quòd actu sit, sed quia virtute ibi continetur, dum autem calx ab humiditate attenuatur, & rarefit, excitatur quodammodo calor virtualis, & subiectum disponitur, vt possit calorem formalem recipere, qui à virtuali excitato producitur.

Ad sextum respondeo, quamuis aqua frigida suum frigus intendat, tamen non id efficere per frigus formale, quod habet, sed per virtuale, quare firmum stat nostrum dictum, agens formale non agere in se, quia aqua dum frigus suum intendit, non est agens formale, sed virtuale, producit enim frigus alterius rationis, idest eterogeneum, vt alibi explicauimus, à frigore, quod possidet.

Ad septimum respondeo, fimum columbinum, & fœnum viride continere plures exhalationes calidas, quæ si traspitare prohibeantur, mutuo atteruntur, & agi-

tantur, dum exitum quaerunt, quare non mirum, si tandem etiam ignescant. Adiuuat etiam ipsa putredo, quia cum dispositiones ad formam praesentem corrumpantur, neque adsit agens externum, quod nouam formam introducat, illa consequitur ex naturae consequutione, siue à causa vniuersali, ad quam minùs est indisposita materia, quare licet non adessent octo gradus caloris, quia tamen adessent tot, vt magis disponerent ad formam ignis, quàm ad aliam, idcirco ignis forma producitur.

Ad octauum respondeo, per nutritionem viuens non agere in se ipsum, sed in alimentum; in augmentatione verò non fieri ab agente vniuoco, sed ab aequiuoco, calor enim est, qui rarefacit, & extendit quantitatem, qui cum ipsa extensione non habet vniuocationem.

Ad nonum patet ex varijs modis, quibus antiperistasim explicauimus.

Quomodo tandem sit intelligendum, idem agere non posse in se ipsum; Quidue senserit Aristoteles.

SECTIO XVI.

Patet ex dictis, nec vniuersaliter veram esse hanc regulam, quòd idem non possit agere in se ipsum, neque vniuersaliter falsam. Vt igitur perfectè eius sensum teneamus, & quid per eam sibi voluerit Aristoteles, intelligamus, aliquas conclusiones statuemus.

Prima Conclusio. Quoad motum localem falsa est illa propositio simpliciter. Patet, quia tum animalia se ipsa mouent, tum etiá grauia, & leuia, vt supra explicauimus.

Secunda Conclusio. Agens virtuale potest in se ipsum agere, patet etiam ex dictis.

Tertia Conclusio. Agens formale non potest agere in se ipsum actione directa, & secundum eamdem partem. Dixi, actione directa, quia reflexa, vidimus, luminosum posse se ipsum intendere. Dixi etiam secúdum eamdem partem, quia vnam partem agere in aliam, experimur in nobis, hac n. ratione corrumpitur homo, quia vnum membrum agit in aliud.

Dubitari tamen potest, an idem secundum eamdem partem, ratione diuersarum qualitatum possit agere in se ipsum. Exempli causa, an aqua per humiditatem possit expellere calorem, vel aliquid aliud, & an per calorem possit expellere humiditatẽ, videtur enim posse, quia se habebit in eiusmodi actione, veluti agens virtuale. E contra non videtur calor efficienter agere posse, nisi in subiectum extrinsecum, formaliter autem non potest expellere humiditatẽ. Existimo tamen, veriorem esse partem affirmantem, & confirmari potest, quia calor naturalis exsiccat in nobis omnia membra. Item potest exsicare aliud subiectum, cur ergo non etiam proprium? Dices, in nullo ergo subiecto naturaliter reperiri poterunt calor, & humiditas, quia natura postulabit dispositiones contrarias, & saltem in rebus homogeneis, quas videmus non corrumpi ab intrinseco. Respondeo, negandam consequentiam, neque esse vllum in-

inconueniens, quòd aliqua forma requirat dispositiones aliquo pacto repugnantes, licet tamen compatibiles, hinc enim oritur rerum corruptio. Præterea non quemlibet calorem cuilibet humiditati repugnare dicimus, sicuti enim potest calor remissus esse simul cum frigore remisso, ita etiam cum humiditate præsertim remissa, & ita mixta homogenea tali calore, & humiditate prædita erunt, quę se inuicem non patiantur. An autem hæc expulsio sit dicenda formalis, vel effectiua, videtur quæstio de nomine, & idcirco in medio eam relinquimus. Esset tamen hic difficultas de aere, qui à multis censetur esse summè calidus, & humidus, sed de hac in tractatu proprio de elementis agendum erit.

Quoad Aristotelē quatuor præcipuè loci afferuntur negantes idē agere in seipsum. Primus est ex 7. & 8. phys. vbi probat, *omne, quod mouetur, ab alio moueri*, de quo supra sufficienter diximus. Secundus est 7. metaph. tex. 17. & 9. metaph. tex. 2. vbi definit, *potentiam actiuam esse principium transmutationis in alio, prout aliud est, & potentiam passiuam esse principium patiendi ab alio, in quantum aliud est*. Tertius est in hoc primo cap. 7. vbi tamquam absurdum infert, quod *idem ageret in se ipsum*, sicuti etiam 1. metaph. cap. 3. hoc ponit principium. *Neque id, quod subijcitur, suam ipsius mutationem efficit*. Quartus in 3. de anima tex. 17. docens intellectum agentem distingui à possibili, quia nihil potest agere in se.

Ad has authoritates quidam respondent agens totale, vt complectitur omnia agentia, differre à patiente, saltem ratione alicuius agētis, quia semp prima causa differt à materia, ita Marsilius quæstione supra citata, sed hoc quamuis sit verum, non est tamen ad mentem Aristotelis, quia ex hoc non sequitur, simile non posse agere in simile, quod ipse hic intendebat, quoniam in hac actione quoque, primum agens quoad actionem similis concurrit, non erit simile.

Secunda responsio est, loqui Aristotelem de actionibus physicis, quæ per actionem transeuntem fiunt, ita Suarez nu. 56. Verùm hoc pacto nugaretur Aristoteles, idem est enim, actionem esse transeuntem, & patiens esse distinctum ab agente, illa est enim actio transiēs, quę transmutat subiectum extrinsecum, quòd si per actionem extrinsecam eam intelligit, quæ potest etiam ferri in extrinsecum, iā ostendimus, in his non esse vniuersaliter veram hanc regulam.

Tertiò respondent alij, loqui Aristotelem de actione corruptiua, non autem de perfectiua, verū neque hæc videtur sufficiēs. Nam simpliciter negat, simile agere in simile actione etiam perfectiua, ergo idem dicendum de actione eiusdē in se ipsum, quia ex vno deducit Aristoteles alterum. Præterea intellectus actio non est corruptiua, & tamen existimat Aristoteles, debere in ea distingui agens, & patiens.

Quartò respondent alij, loqui Aristotelē de distinctione rationis, sed neque hæc sufficit, quia nō rectè inferret Aristoteles, ex eo ꝙ idem nō potest agere in se ipsum, neque simile agere posse in simile, dicet enim quis, quòd sicuti ad actionem in seipsum sufficit distinctio rationis, ita etiam ad actionē, quia simile ageret in simile.

Ego

Ego igitur existimo, Aristotelē, dum negat in hoc libro, idem non posse agere in se, loqui de actione vniuoca & directa, hac enim ostē dimus, idem nō posse agere in se, & patet ex ipsius contextu, quoniā censet, esse eamdem rationem de actione in se, & de actione similis in simile, ergo de illa actione loquitur, per quam patiens redditur simile agenti, quia de ea, per quam nō redditur simile, qualis est æquiuoca, nulla est ratio, cur simile non possit agere in simile.

Ad loca metaphys. in quibus definit potentiam tum actiuam, tum passiuam, respondeo, vel loqui de potentijs distinctis realiter ab essentia, quia probabile est, actiones immanentes prodire immediatè à forma substantiali, nō verò media aliqua potentia; vel de potentiā, quæ dicit ordinem ad actionem physicam, & corruptiuam. Ad authoritatem ex 3. de anima respondeo, vel supponere Aristotelē aliam quamdam actionem inter intellectum agentem, & patientē, quæ non sit intellectio, & requirat distinctionem realem harum potentiarum, vel loqui tātùm de distinctione rationis, vtrum autem sit verius, ibi Deo fauente videbimus.

Objicies. Inter agens, & patiēs datur relatio realis, ergo & ipsa debent realiter distingui. Respondet Suarez, relationem realem esse inter agens, & ipsius effectum, non verò inter agens, & patiens. Dicere etiam possumus, dari realem relationem inter agens, & patiens, quando sunt realiter distincta, nō verò quando ratione tantùm, quia vna ex conditionib' relationis realis est, vt termini realiter distinguātur. Nisi fortè etiam velimus dicere, sufficere ad relationem realē, quòd realiter distinguantur fundamenta.

Argumentis in principio quæstionis propositis satisfit.

SECTIO XVII.

AD primum respondeo, idem esse posse in actu virtuali, & & in potentia formali. Ad confirmationem, quòd idem possit corrumpere se ipsum, respondeo, naturam sui ipsius conseruationem amare, & idcirco nulli enti dedisse hanc virtutem, vt per se interimeret seipsum, quāuis enim hoc in animali accidat, hoc tamen est præter intentionem naturæ, & ex necessaria consequentia, neque idem secundum idem destruit se ipsum, sed vna pars agit in aliam, & eam corrumpit. Ad aliam partem de productione respondeo, idem non posse habere actum virtualem producendi se ipsum, quia quod non est, non potest habere aliquam virtutem.

Ad tertium, quòd numquā cessaret actio, vel motus, respondeo, cessare, cum adest impedimētum, vel acquisitus est terminus, ad quē illa potētia est ordinata, qui in motu elementorum erit proprius locus, in potentia verò virtuali qualitas proportionata naturæ. Omitto animalia, & homines, qui cum spontaneè, vel liberè moueantur, ab intrinseco determinare se possunt, & ab obiecto extrinseco etiā sæpe, præcipuè autem animalia determinantur.

Argumenta, quæ fiebant contra actionē eiusdē in se ipsum, quoad actionem vniuocam sunt pro nobis, solùm contra actionem luminosi

nosi videntur aliquatenus pugnare, sed facilis est responsio, cur .n. lumen non intendatur vsq; ad summum, iam explicatum est.

Ad id verò, quòd esset simul in actu, & in potentia, rectè ibi respõsum est, non esse respectu eiusdẽ, quia est in actu respectu luminis remissi, est verò in potentia respectu intensi, ex quo non sequitur, posse intensum directè producere, quia totum simul, quod potest, producit.

An simile possit agere in simile.

QVÆSTIO XLIII.

AD actionem, aliquam similitudinem prærequiri inter agens, & patiens, certum est, oportet enim, vt sint similia in genere, quia frigidum non agit in album, sed in calidum, actio enim est inter contraria; hæc autem ad idem genus spectant. Requirunt alij, vt adsit etiam similitudo in materia prima, sed hi duo falsa supponunt. Alterum est, posse dari plures materias primas, quæ inter se differãt specie. Cum enim materia sit infimum ens, & expers omnium formarum, neque potest contrahi per diuersas specificas differentias, neque potest dari forma, cuius ipsa non sit capax, sed de hoc alibi. Alterum est, Cœlum non agere in hæc inferiora, cuius oppositum cernimus. Nec Cœlum igitur diuersam habet materiam à materia horum inferiorum, neque si habeat, hac ratione dicendum erit, impediri eius actionem in sublunaria.

Præterea notandum, cum quærimus, an simile possit agere in simile, non quærere de hoc formaliter tantùm, sed etiam materialiter, nam certum est, simile non corrũpere simile, quod esset, agere in ipsum formaliter, sed dubium est, an simile possit intendere simile, scilicet an calidum vt quatuor possit agere in calidum vt quatuor, non quidem illud corrũpendo, sed intendendo, & corrumpendo contrarium frigus.

Notandum tertiò, similitudinẽ posse attendi & penes gradus formæ, & penes alias etiam circumstãtias, ex quibus solet adiuuari actio, quales sunt densitas materiæ, multitudo formæ, siccitas, vel humiditas, &c. & hoc est præcipuũ, quod in quæstionem vertitur, an similia in gradu, vel dissimilia in densitate, vel alia simili conditione possint inuicem agere.

Pars affirmans argumentis roboratur.

SECTIO I.

POsse simile agere in aliud simile saltem materialiter, & argumentis, & experimentis suaderi potest primò. Vbi sunt contraria, ibi potest adesse actio, sed inter similia adest etiam contrarietas, ergo & actio. Probatur minor, quoniam calidum vt quatuor habet etiam quatuor gradus frigoris, aget igitur in aliud calidum vt quatuor, non quidem per quatuor gradus caloris, quos habet, sed p quatuor gradus frigoris.

Secundò, potest debilius agens agere in fortius, & ipsum intendere, vel remittere, ergo etiam poterit in æquale. Consequentia patet, quoniam si nequit agere in simile, est, quia eius virtutem non excedit, atqui multò minùs excedit se potentius, & tamen in ipsum agit,

agit, igitur. Antecedens probatur, quoniam ferrum ignitum etsi non habeat formam ignis, neque sit calidum vt octo, potest producere ignem, ergo producit aliquid maius se, imo agit etiam in simile; quia in materiā, quam cōburit, introducit paulatim gradus caloris, ergo priùs introducit sex gradus, quales & ipsum habet, ac deinde intendit vsque ad octo, ergo agit in simile. Confirmatur, quia quando calidum vt sex agit in calidum vt tres, datur reactio, ergo calidū vt tres agit in calidum vt sex, multò magis igitur poterit agere in aliud calidum vt tres.

Tertiò, potest idē agere in seipsum, vt supra ostēdimus, ergo etiā poterit agere in simile, quia nihil est similius, quàm idē met sibi ipsi.

Quartò, afferri possunt multa experimenta. Nā phiala vitrea frangit aliam similē phialam. Si dicas, hoc euenire, quia vna alteram impellit: Contra, quia possunt esse similes etiā in hoc impulsu, possunt enim ambæ à diuersis moueri æquali impulsu, & sibi inuicem obijci, & frangi. Vnum etiam speculū immittit species in aliud speculū simile, & ab eo species similes recipit. Si dicas, non esse sermonem de actione intentionali, afferenda est ratio, cur similia in virtute intentionali possint inuicem agere, non autem in reali. Tertiò, lumen augetur ab alio simili lumine, & corpus luminosum ab alio corpore luminoso, ergo simile potest intendere simile.

Quintò, vbi adest agens, qd potest formam producere, & patiens, quod potest recipere, & debita propinquitas, necessariò sequitur actio; sed calidū vt quatuor potest producere quatuor gradus caloris, aliud calidū vt quatuor potest etiā recipere quatuor gradus caloris, ergo si hæc duo sint propinqua, poterunt inuicē agere, qd enim quidā inquiunt, posse quidē calidū vt quatuor recipere quatuor gradus, nō tamen ab hoc alio calido vt quatuor, ridiculum videtur, & gratis confictum; nam gradus caloris, qui ab hoc calido producuntur, sunt prorsus eiusdem rationis, immo etiā ijdē numero esse possūt, ac quatuor gradus, qui producerentur ab alio agente, ergo semper eos recipiet, vel nūquā. Non enim quòd sint ab hoc agente, addit aliquid, ratione cuius recipi non possint, vel subiectū, quia cognoscit esse à simili, eos reijcit; & idem argumentū fieri potest de agente. Potest .n. producere hos quatuor gradus caloris in alio subiecto, & ex se semper est in actu proximo ad eos producendos, dūmodo adsit subiectum capax, at calidū vt quatuor est subiectū verè capax, ergo in ipso ꝓducet, nō .n. agit p cognitionē, vt possit sibi determinare hoc, vel illud subiectū.

Sextò, vbi minor est resistentia, ibi faciliùs sequitur actio, sed in simili minor est resistentia, ergo faciliùs actionem alterius similis recipiet.

Septimò, minor est in hyeme frigiditas aeris, quàm aquæ, & tamen ab aere congelatur aqua, ergo si minùs frigidū agere pōtest in magis, poterit etiam in æquale.

Octauò, quod habet maiorem vim agēdi, potest agere in illud, quod habet minorē, sed calidū vt quatuor in materia densiori habet maiorē vim calefaciēdi, quā aliud calidum in materia rariori, ergo illud poterit in hoc quamuis simile in gradu agere. Maior probatur

ex illo axiomate Philosophorum, omnis actio est à proportione maioris inæqualitatis, hoc est à superante in virtute agendi.

Confirmatur, quia non potest negari, quin calidum vt quatuor in materia magis densa, siue maiori, non agat magis in distans, & habeat maiorem sphæram actiuitatis, ergo etiam aget intensiùs. Probatur consequentia, quia agit vniformiter difformiter, ita vt plus semper caloris producat in parte propinquiori, quàm in remotiori, ergo eo ipso quòd calefacit ad maiorem distantiam, calefacit etiam intensiùs.

Nonò, flamma maior absumit minorem, vt patet experientia, & docet Aristoteles lib. de long. & breuit. vitæ cap. 20. & sect. 3. Problem. 23. & sect. 33. q. 2. sed flamma maior, & minor sunt omnino similes in intensione, ergo simile agit in simile.

Decimò, mixta omnia sunt ab intrinseco corruptibilia, sed multa sunt homogenea, quorum partes sunt omnino similes, ergo non obstante hac similitudine vna aget in aliam, alioqui non posset ab intrinseco corrumpi.

Oppositam sententiam à suis sectatoribus parum firmiter probari.

SECTIO II.

Sententia, quæ negat, simile agere posse in simile, præcipuè si sermo sit de omnimoda similitudine, idest non solùm in gradibus, sed etiam in densitate, & cæteris conditionibus adiuuãtibus actionem, communissima est, & eam tradit Aristoteles hic tex. 57. & colligitur etiam ex 5. metaph. tex. 17. & 9. metaph. tex. 2. vbi definitur potentia actiua, *principium transmutandi aliud, quatenus aliud est*, idest non quatenus simile. Si tamen rationes, quibus hæc sententia confirmari solet, inspicias, non tam efficaces reperies, vt meritò omnium Philosophorum consensum elicere deberent, vt hoc clarũ sit, eas examinabimus.

Prima ratio admodum communis est, omnis actio physica vnius in alterum fundatur in victoria, & excessu agentis supra passum, sed quæ sunt omnino similia, non se excedunt, neque vincunt, ergo inter ea non potest dari actio. Verùm respondere quis poterit, falsam esse maiorem, & minorem, vel non probè intellectas, & denique neque hoc argumentum, quamuis efficax esset, sufficienter probare conclusionem. Non videtur vera maior, quia alioqui non daretur reactio; Nam si illud tantùm agit, quod vincit, illud, quod patitur, cũ vincatur, non poterit reagere. Præterea si necessarius est hic excess⁹, est supra resistentiam passi, non supra eius virtutem agendi, at calidum vt quatuor minimè resistit calido alteri vt quatuor, ergo poterunt inuicem agere. Si dicas, resistere frigus, quod est in calido vt quatuor. Contra. In calido vt quatuor sunt tantùm quatuor gradus frigoris, sed frigus in eodem gradu non potest resistere calori etiam in eodem gradu, alioqui calidum vt octo non ageret in frigidum vt octo, ergo verè calidum vt quatuor superat frigus vt quatuor, poterit igitur illud expellere ab alio calido vt quatuor. Item hoc argumento non probaretur, calidum vt quatuor densius non posse

posse agere in calidum vt quatuor rarius. Minorem etiam, ex dictis patet, nō esse omnino veram, quia quamuis calida vt quatuor non se excedant, vt calida, se excedunt tamen, vt vnum est calidum, & alterum frigidum, ergo hac ratione poterunt in se mutuo agere. Denique in corporibus luminosis, & in motu locali, & in cæteris, quæ non agunt in contraria, non attenditur hic excessus. Hæc igitur prima ratio non videtur sufficiens.

Secunda ratio est, agens agit, quatenus est in actu, & passum patitur, quatenus est in potentia, sed id, quod est in potentia, est dissimile ei, quod est in actu, ergo simile non potest agere in simile, & hac ratione vtitur Suarez disp. 18. sect. 9. num. 8. quæ tamen probat tantùm, simile non agere in simile formaliter, vt verbum illud quatenus demonstrat, nō verò materialiter, quo pacto intelligitur conclusio, alioqui poterit calidū vt quatuor intendere calidum vt quatuor, nō enim agit in ipsum, quatenus habet actu quatuor gradus caloris, sed quatenus est in potentia ad alios recipiendos, quod esset, totam hanc sententiam, & regulam euertere.

Tertia ratio, agens intendit assimilare sibi passum, ergo quando reperit simile, non est, cur agat, & quia natura nihil frustra facit, dicendum est simpliciter, non agere. Verùm in multis deficit hæc ratio. Primò, quoniam rationem desumit tantùm ex fine, nullam rationē assignando ex parte efficientis, quasi natura per cognitionem agat, & videns se non posse assequi finem, cohibeat actionem, quo pacto si liceret argumentari, nullum monstrum vnquam nasceretur, neque aliquid fieret, quod suum finem tandem non consequeretur. Dicēdum quoque esset, quando graue naturaliter descendit, numquam à terra resilire in aerem, quia recederet à fine, propter quem data illi fuit grauitas. Neque virtus nutritiua actuaret venenum, quia data est animali ob eius conseruationē, non verò ob eius destructionem, neque ignis vas ligneum aqua plenum cōbureret, quia ab aqua, quæ est in eo, extingueretur, neque vir concurret ad productionem fœminæ, quia intendit tantùm sibi omnino simile. Hæc, & alia multa similia ridicula, & absurda inferri possent, si liceret in naturalibus argumentari à fine tantùm. Ita igitur licet argumentari à fine, vt tamen causam ex parte efficientis et inuestigemus, quia natura ordinatè procedit, & per debita media. Si igitur noluit, simile agere in simile, aliquod impedimentum physicum, & reale opposuit, non verò ex eo tantùm quòd agens suum finem non assequeretur, actionem inhibuit.

Præterea, quod dicitur, agens debere assimilare sibi passum, est intelligendum de assimilatione, quæ oritur ex actione agentis, non verò aliunde. Sicuti quando causæ partiales concurrunt ad producendum eumdem effectum, vnaquæque intendit assimilare sibi passū non simpliciter, quia nulla hoc potest efficere, sed quatenus ab ipsa recipit effectum, & idcirco quamuis ille effectus, vel passum, excedat perfectionem ipsius causæ partialis, non idcirco frustraretur suo fine, quia non excedit, neque est dissimile per id, quod ab ipsa causa recepit, immo p hoc est simile, sed excedit per illud, quod aliunde

de recepit, quod causæ non obest, ita igitur quamuis calidum vt quatuor habeat aliunde quatuor gradus caloris, sufficit tamen, quòd ratione illorum quatuor graduum, quos ab hoc agente recepit, sit illi simile, sicuti si ab hoc primo quatuor gradus caloris recepisset, licet deinde ab alio alios quatuor gradus reciperet, adhuc quoad illos quatuor gradus priores retineret similitudinem cum priori agente.

Ad hæc, sufficit quòd passum sit simile virtuti agentis, non verò ei formæ, alioqui tollerentur omnes actiones agentium virtualium. At calidum vt quatuor potest producere octo gradus caloris in diuersis subiectis, qui si simul ponantur, efficient subiectum calidum vt octo, ergo si aliud calidum vt quatuor recipiat ab eo quatuor gradus caloris, quamuis inde incipiat habere octo gradus caloris, & sit dissimile formaliter, erit tamen simile virtualiter, quia habebit illos gradus, quos potest ille calor producere. Confirmatur, quia etiam forma habet pro fine communicare suum esse subiecto, & efficere illud sibi simile, hoc autem perfectè consequi censetur, dum subiectum est simile ratione effectus, quem ab illa recipit; Si verò sit dissimile aliunde, nihil refert, & vrgetur argumentum, quia etiã forma non potest recipi in subiecto, in quo sit alia forma similis, non. n. forma hominis recipi potest in materia, vbi sit alia similis forma; Non minùs igitur repugnat similitudo informationi formæ, quàm actioni agentis. At calidũ vt quatuor potest recipere alios quatuor gradus caloris, vt aduersarij concedunt, ergo & poterit pati, & eos recipere ab agẽte calido vt quatuor.

Quarta ratio aliorum est, ad actionem requiri resistentiam, at in similibus nulla datur resistentia, igitur. Verùm dupliciter peccat hæc ratio. Primò, quia falsum est, requiri resistentiam ad actionem, vt patet in illuminatione. Secundò, in similibus non adesse resistentiam, quamuis. n. calidum vt quatuor vt calidũ non resistat alij calido vt quatuor, resistit tñ ratione frigoris, quo præditum est.

Quinta ratio aliorum est, qui recurrunt ad effectum nobiliorem, quem dicunt causam nõ posse producere, at si calidũ vt quatuor intenderet aliud simile calidũ, produceret effectum se nobiliorem, igitur. Sed facilè reijcitur, quia effectus nobilior, qui repugnat efficienti, est ille, qui ab eo producitur, nõ verò, qui resultat ex eo, quẽ ipse produxit, & ex alio. Sufficit igitur, quòd calor vt quatuor non sit nobilior, quàm calidũ vt quatuor, non verò requiritur, vt subiectum, quod illum recipit, habeat simul alium calorem, ex quibus componatur calor nobilior, alioquin numquam causæ partiales concurrere possent ad eumdem effectum.

Sexta ratio aliorum. Actio non est nisi inter contraria, sed similia non sunt contraria, igitur. facilis est tamen responsio. Similia vt talia non esse contraria, habere tamen qualitates cõtrarias, per quas possunt agere, nam calidum vt quatuor habet etiam annexum frigus, per quod poterit agere in aliud calidum æquè vt quatuor, vel ab eo pati. Præterea non habet locum in actionibus, quæ non fiunt inter contraria, qualis est illuminatio.

Septima ratio est Aristotelis hic tex. 51. quia aliàs nulla esset ratio, cur

cur ex duobus similibus hoc potius in aliud ageret, quàm illud in hoc. Verùm hæc ratio & est à posteriori, & si nihil aliud addatur, vel meliùs explicetur, non concludit. Nam dicet quis, nullum esse inconueniens, quòd mutuo agant, & inuicem se intendat, vel si adest aliqua differentia in densitate, vel alia simili conditione, quòd ex illa desumet ratio, cur hoc agat, aliud verò patiatur.

Octaua, ex eodem Aristotele, quia idem posset seipsum intendere. Verùm hæc quoque est à posteriori, & responderi poterit, idē posse se intendere per reflexionē, vel negari etiam consequentia, dicet enim quis, idem non agere in se, non quia est simile sibi, sed quia non est à se distinctum.

Nona ex eodem Aristotele, quia nullus esset finis actionum, agens enim intendit assimilare sibi passum, at cum perfectè simile reddidit, ab actione cessat, si ergo posset agere in simile, adhuc ageret, quare numquam cessaret actio. Responderi posset, cessare actionem, cum qualitas perducta est ad summum gradum, quia non potest amplius intendi.

Decima, ex eodem quodlibet pateretur a quolibet, quia pateretur & à contrario, & à simili. Respondetur, vel hoc nullum esse inconueniens, vel si est, aliam tamen inuestigandam esse rationem, quàm hanc, quòd simile posset pati à simili, ne videamur petere principium.

Propria sententia affertur.

SECTIO III.

CVm constet, aliqua similia non posse agere in sibi similia, vt calidum vt quatuor in aliud calidum vt quatuor, si & densitas, & magnitudo molis, & cæteræ conditiones sint pares: ante omnia videtur inuestigāda ratio huius impossibilitatis; ex ea enim etiam patebit, quatenus locum habeat hæc regula, quòd simile non possit agere in simile, & quoniam iam rationes aliorum reiecim.*, afferenda est, quam existimamus veram.

Existimo igitur, radicem huius impossibilitatis aliam non esse, quàm gradus eterogeneos, de quibus supra egimus. Cum enim calor non possit intendi nisi per gradus diuersæ rationis, & calidum vt quatuor non possit producere gradum quintum, hinc planè efficitur, vt calidum vt quatuor non possit intendere aliud calidum vt quatuor, quia quintum gradum, quem hoc posset recipere, illud ꝓducere non potest, & quartum, quem illud posset producere, hoc recipere nequit, quia recipiens debēt esse denudatum à natura recepti, neque duo accidentia solo numero diuersa, & quę eodem prorsus modo subiectum actuent, possunt in idem subiectum recipi. Confirmatur hæc ratio, quia calidum vt quatuor non solùm à simili, sed neque à dissimili potest recipere nouum gradum caloris, si hoc dissimile vel ob distantiam, vel ob aliam causam non possit producere quintum. Nam si soli exponatur aliquod subiectum calefactibile videmus continuè

non

non acquirere maiorem calorem, alioqui tandem etiam combureretur, sed postquam vsque ad certũ gradum peruenit, non amplius calefieri, & idem argumentum fieri potest de calefactibili, quod per aliquot passus ab igne distat, quod numquam excedit determinatum quemdam gradum caloris; Hoc autem non oritur ex similitudine inter agens, & patiens, quæ nulla hic interuenit, sed ex eo quòd agentia non possunt producere gradum perfectiorem, quàm sint illi, quos iam produxerunt, nam alioqui si intensio fieret per gradus homogeneos, nulla esset ratio, cur nouum gradum non possent in illis subiectis producere, sicut possunt in alijs in eadem distantia, vel in eodem, si magis propinquum fiat.

Hinc deduco, qualitatem, quæ potest intendi per gradus homogeneos, posse etiam ab agente simili augeri, quod patet præcipuè in virtute impressa, & in lumine, in illa, quoniam idem agens si continuè imprimat nouam virtutem, videmus, eam continuè quoque augeri, atque si duo lapides proijciantur media virtute impressa vt quatuor, vnus poterit impedire, vel magis impellere alium, & ambo simul magis impellere tertiũ, quàm alter eorum tantùm, cum tamen duo calida vt quatuor si applicentur subiecto, non possint producere nisi calorem vt quatuor.

De lumine idem patet. Nam, vt supra ostendimus, idem lumen per reflexionem intendit se ipsum, & duo luminaria intẽsius lumen producunt, tum in medio, tum etiam in se ipsis, nam si vniantur, maius lumen efficiunt. Occurrunt tamen aduersarij huic argumento, & qui dam dicunt ex perspectiuis, tot esse lumina in medio, quot sunt corpora luminosa, verbi gratia, lucernæ, à quibus producuntur, consequenter simile non intendi à simili. Porro esse diuersa lumina, probatur, quoniam si adsit columna in medio lucernarũ, proijciet vmbras diuersas oppositas singulis lucernis, ergo cum vmbra nil aliud sit, quàm priuatio luminis, si plures fiunt vmbræ, plura quoque erunt lumina. Secundò, quia si auferat vna lucerna, desinit lumen, quod ab ipsa producebatur, remanente alio, ergo signum est, distingui. Tertiò, si tres lucernæ non in directum dispositę per aliquod foramen illuminent medium post illud foramen positum, totidem in illo medio videbuntur lumina diuersa, vnaquæque enim lucerna ꝑducit lumen in illa parte medij, cui ipsa directè opponitur, ergo etiam in ipso foramine, quamuis ea lumina sint simul, reuera erunt distincta. Communis tamen sententia Philosophorũ, vt testatur Suarez disp. 18. sect. 9. existimat, vnicum esse lumen, & potest probari, quia illud lumen in maiorem distantiam extenditur, quàm quodlibet ipsorum separatum, possunt enim in remotius iacere lumen plures lucernæ, quàm vna tantùm, atqui si lumina essent distincta, vnaquæque illam tantùm distantiam illuminaret, in quam posset agere viribus proprijs, & ab alijs luminosis separata. Ego quoad hanc difficultatem de luminum distinctione existimo, vt supra dixi, distingui incompletè, atque hac ratione & conciliantur hę sententiæ, quæ contrariæ videntur, & cessant omnes difficultates, & hoc etiam nobis sufficit ad negandam illã confe-

sequentiam, ergo simile non intẽdit simile, quia intensio hoc requirit, vt gradus inter se differant numero, alioqui enim qualitas esset indiuisibilis, quod est falsum. Porro in medio illuminato à pluribus lucernis; non tantùm esse plura lumina in medio, sed etiam intensius lumen, patet primùm sensibus, nã & clariùs ea, quæ sunt in medio, videntur, & non potest vlla assignari differentia inter lumen productum à tribus lucernis, quarum vnaquæque habeat lumen vt duo, & lumen productum ab vna lucerna, quæ habeat lumen vt sex; ergo sicut lumen ab hac lucerna procedens est intensius, quàm lumen lucernæ vt duo, ita etiã illud lumen, quod est à tribus lucernis. Præterea lumen à corporibus luminosis procedit per actionem vniformiter difformẽ, ergo quò lumen producitur in maiorem distantiam, eò est intẽsius in partib⁹ propinquioribus corpori luminoso, sed lumen trium lucernarum longiùs protenditur, quàm vnius tantùm, ergo etiam erit intensius prope ipsas lucernas, quàm si ab vna tantùm prouenirer. Tertiò, si æquè intensum esset lumen ab vna lucerna, atque à tribus, otiosum esset lumen productum à secunda, & tertia lucerna, quod numquam natura permittit.

Secundò igitur respondent alij, esse quidem intensius lumen in medio, quod à duobus lucernis illuminatur, quàm si ab vna tantùm reciperet lumen, negãt tamen cõsequẽtiam, quòd simile agat in simile, quoniam medium illuminatum ab vna lucerna est dissimile alteri lucernæ, habet enim hæc lucerna maius lumen, quàm mediũ. Verùm non adhuc euaditur difficultas. Primùm, quia iam concedunt, lumen intendi à lumine simili formaliter, tunc ergo argumentor, si duæ formæ similes possunt recipi in idem subiectũ, & mutuo se intendere, ergo etiam simile potest agere in simile. Probatur consequentia, quoniam tota ratio, cur agens non possit agere in passum, est, vel quia passum non potest recipere illam formã, vel quia agens non potest illam producere, at forma similis potest recipi à subiecto informato simili forma, & potest etiã produci ab alio, quod habeat similem formam, ergo nulla est ratio, cur simile non agat in simile. Si enim posset leo naturaliter recipere aliam formam leonis, nemo negaret, posse eam ab alio leone illi superaddi. Est enim Philosopho indignum, dicere, posse quidem subiectum aliquod recipere effectum alicuius causæ, non posse tamen hanc causam agere in illud subiectum.

Præterea. Hoc lumen, quod est in medio, intenditur ab alio lumine simili, videlicet quatuor graduum, ergo si adsit hic luminosum quatuor graduũ, vel illuminabit, vel non, dicere quòd lumen non ꝑducet, est omnino irrationabile; Si producet, ergo cum sit luminosum vt quatuor, aget etiam in medium illuminatum vt quatuor, simile igitur aget in simile.

Tertiò videmus, quòd si aliquis ignis in aliquem locum distantem possit producere tantùm quatuor gradus caloris, si illuc afferatur subiectum iam calidum vt quatuor, non amplius calefieri ab igne; neque recipere maiorem calorem, nã si hoc subiectum posset calefieri vt quinque, ergo etiam subiectum, quod ab eodem igne esset calefa-

ctum

ctum vt quatuor, posset calefieri vt quinque, quare ignis cõtra suppositum posset producere quinque gradus caloris in ea distantia contra suppositum. Patet igitur, in actione non tam attendi similitudinem agentis cum patiente; quàm proportionem virtutis, quia si agens quamuis in se sit calidum vt octo hic, non possit producere, nisi quatuor gradus caloris in subiectum iam calidum vt quatuor, nihil amplius poterit producere, alioqui ignis in qualibet distantia posset producere octo gradus caloris, quia postquam produxit tres gradus caloris, quos supponimus posse producere in ea distantia, potest denuo alios tres caloris gradus producere, illud igitur subiectum iam calefactum vt tres, eos suscipiat, non enim obstat, quòd ab agente simili producantur, quia ignis est ab eo dissimilis, calefiet igitur vt sex, & deinde recipiet alios duos gradus caloris, & ita calefiet vt octo. Patet igitur, non ea ratione calidum vt tres non posse amplius calefieri ab igne, quia patere tur à simili, sed quia non potest recipere similem formã, & tres gradus caloris, quos potest ignis ibi producere, sunt similes illis, quos iam tenet, at verò si ignis fiat propinquior, iam poterit producere quartum gradum alterius rationis, & idcirco poterit ab illo subiecto recipi.

Quartò, si duæ candelæ similes vniantur simul, quis neget, fieri maius, & intensius lumen? Dicent fortè, esse plus luminis, sed non intensius, sed hac ratione numquam lumen poterit intẽdi, dicam enim, semper esse tantùm plus luminis, non autem intensius, neque verè potest afferri discrimen, cur hoc dicatur plus tantùm, & illud intensius. Præterea neque maius lumen poterit intendere minus, quia non alia ratione reddit maius lumen, si parua candela vniatur cum maiori, quàm si duæ æquales vniantur simul; tollit igitur hæc ratio actionem, & intensionem. Ex quo etiam exemplo deduco aliud argumentum, quoniã lumen maius additum minori, ipsum intendit, ergo à minori intenditur etiam maius, ergo etiam æquale poterit intendere æquale. Prima consequẽtia probatur, quoniam vel ex maiori, & minori luminoso fit vnum luminosum maius, quàm quodlibet ipsorum separatum, vel non fit aliquod maius luminosum, quã antea esset intensius luminosum solum, hoc dici non potest, tum quia est contra experiẽtiam, tum etiam quia luminosum paruum non esset redditum intensius, sed occupatũ à maiori, quia non amplius luceret, sed videretur intẽsius luminosum tantùm, si secundũ, ergo & luminosum maius est redditum intensius, nam illud compositum ex maiori, & minori luminoso excedit vtrũque, ergo luminosum maius cũ minori est intensius, quàm erat antea, accipit igitur augmentum à minori. Secunda consequentia patet, quoniã si minus potest intendere maius, multò magis æquale poterit æquale intendere. Præterea qualitatem intensam esse, nil aliud est, quàm plures gradus illius esse in eadem parte subiecti, si ergo concedunt, adesse in eadẽ parte plus luminis, necessariò etiã debẽt fateri, esse intensius.

Dicent fortè, adesse quidẽ plus luminis, non tamen in eadẽ parte materiæ, sed in diuersis partibus, & idcirco factam tantùm maiorẽ

mul-

multitudinem luminis, non verò lumen intensius, sicuti quando plures prunæ accensæ sunt simul, faciunt quidem adesse plus ignis, nõ tamen intensius. Verùm huic responsioni repugnat experientia, quoniam si materiæ tantùm luminosæ essent simul, & non etiam lumina in eadem parte materiæ, sequeretur, quod quando minus lumen vnitur cũ maiori, posset vnum ab altero discerni, immo qđ minus luminosum, tenebrosum appareret luminoso maiori oppositum. Nam magna est vtrique differentia inter ipsa. Supponamus enim, minus luminosum esse tantùm vt vnum, maius verò vt octo, si dum vnitur minus luminosum cum maiori, nihil luminis recipit ab ipso, apparebit in toto illo composito vna pars illuminata vt octo, altera verò vt vnum tantùm, immo in loco aliquo distanti non apparebit illud luminosum vt vnum, sed tamquam aliquid obscurum videbitur in luminoso maiori, quod potest declarari exẽplo lunæ, in qua apparent quædã maculæ, quæ non sunt aliud, quàm partes ipsius rariores, & quæ idcirco non sunt capaces tanti luminis, vel saltem non ita ipsum reuerberant, sicuti reliquæ partes densiores, quemadmodũ igitur illæ partes obscuræ apparent & quodammodo nigræ, quia non tam sunt illuminatæ, quàm aliæ partes, multò magis parua candela, cũ maximæ vniatur, nec ab ea recipiat aliquod lumen, videbitur tamquã aliquid obscurum in ipsa, quod est contra experientiam.

Sed adhuc dicere quis poterit, idẽ contingere in calore, & in igne, qđ in lumine, & luminosis nos affirmamus, vel ergo ẽt respectu caloris veiũ erit, simile agere in simile, qđ nos nõ admittim⁹, vel ẽt respectu luminis erit negandũ. Antecedens ꝓbatur, quia si duo ignes vniãtur, apparet maior ignis, & calorẽ intensiorẽ producit, similiter mediũ positũ inter duos ignes magis calefiet, quàm ab altero tantũ, ergo eadẽ est ratio de calore, & de lumine. Respondeo, aliquo pacto videri idẽ contingere in calore, qđ in lumine, re vera tñ nõ idẽ in ambobus euenire. Ratio est, quia calor habet contrariũ, nõ aũt lumen. Ex eo .n. ꝙ calor contrariũ habet, quo plura sunt agẽtia, faciliùs cõtrariũ vincunt, & idcirco videt̃, maiori virtute pollere plura, quàm vnum tñ. Plures igitur ignes agũt quidẽ celeriùs, & magis in distãs, at non possent intensiorem calorẽ producere, quàm produceret alter eorũm tantùm, quod ex eo clarissimè confirmari potest, quia si plura calida vt quatuor eidem subiecto applicentur, numquã poterunt producere calorẽ nisi vt quatuor. Et si aqua calefiat ab igne vt quatuor, quãuis esset in maxima quantitate, numquã tamen posset producere maiorem calorẽ, quàm vt quatuor, quod in luminosis nõ accidit, in igne verò nõ tã clarũ apparet, quia quilibet ignis minim⁹ hẽt calorẽ in sũmo, quẽ si nõ ꝓducit in subiecto, est, non ꝓpter defectũ ipsius potẽtiæ, sed ob resistentiam cõtrarij. Cõsequẽter si ab alio igne adiuuet̃, vĩ ꝓducere maiorẽ calorẽ, nõ ꝙ re vera ꝓducat maiorẽ, quàm posset se solo, si eius virtutẽ spectemus, sed quã posset se solo ob impedimẽtũ cõtrarij. Dices. Ignis paru⁹ ẽt si cõtrario careret, nõ posset agere in tã distans, q̃ agit adiut⁹ ab alio igne, ergo neq; tã intensè, qa qđ agit in distãt.⁹, agit ẽt in-

intensiùs in partes propinquiores, vt nos supradiximus ex actione vniformiter difformi, ergo non tantùm ob resistentiam contrarij, sed etiam ob suam propriam naturam eius actio ab alio igne adiuuatur. Respondetur, ignem quantumuis paruum posse producere calorem vt octo in subiecto proximo, nisi impediatur ab eius resistẽtia, si hæc igitur non adesset, posset quidem adhuc adiuuari ab alio igne ad agendum celerius, & in remotius, non autem ad agendum intensius simpliciter; quàm posset solus agere, quia cum alio igne nõ potest producere maiorem calorẽ, quàm vt octo. At verò luminosum ab alio adiutum non solùm in distans, sed etiam in propinquum intensius lumen producit, quàm se solo produceret. Ad instantiam de actione vniformiter difformi respondeo, esse quidẽ maius lumen in propinqua parte, quàm in remota, sed hoc non obstare, quin in parte immediata, antequã lumen incipiat diminui, tam ignis paruus, quam magn⁹ æqualiter lumen producant.

An simile in gradu, sed dissimile in densitate, vel magnitudine molis possit in aliud simile agere.

SECTIO IV.

Ex supraposito principio deduco, densitatem materię, magnitudinem molis, vel aliam qualitatem posse quidem efficere, vt agens per gradus eterogeneos celeriùs agat, vel magis in distans, non tamen vt intensius simpliciter, quare calidum vt quatuor in materia densiori non poterit intendere calidum vt quatuor in materia rariori. Hoc dictum est cum Paulo Veneto in sum. cap. 23. Alber. de Saxon. hic q. 10. Connimbr. hic c. 9. q. 2. art. 3. Suarez disp. 18. in metaph. sect. ij. num. 20. & alijs contra Toletum q. 13. Sotum 2. phys. q. 4. Marsilium quæstione 18. Niphum quæst. 2. cap. 2. & alios.

Probatur autem ex principio supra allato, quoniam calor vt quinque est alterius rationis, quàm calor vt quatuor, ergo numquam poterit ab eo produci, quia densitas materiæ non ponit virtutem de nouo, sed adiuuat tantùm actiuitatẽ illius qualitatis, quam reperit. Cõfirmatur, quia ille quintus gradus nõ potest esse à calore vt quatuor, quia hic non habet talem virtutẽ ipsũ ꝓducẽdi, multò minùs potest esse à densitate, quia hæc est impertinens ad calorem, ergo nullo pacto potest ab eo subiecto produci. Dices, non esse à calore vt sic, neque à densitate, sed à calore cum densitate. Sed rursus vrgeo, quoniam oportet, hunc calorẽ vt quinque prodire effectiuè ab aliquo, si igitur est à calore cum densitate, simpliciter erit à calore, alioqui esset à densitate sola, quod est absurdum. Præterea densitas non efficit, vt calor sibi coniunctus sit maior, quàm vt quatuor, ergo neque poterit efficere, vt producat maiorem calorem, quàm vt quatuor.

Ad hæc, ex principijs aduersariorum possumus argumentari, quia agẽs agit, vt passum sibi assimilet, non autẽ quærit assimilare in densitate, quia non potest, sed in calore, sed quando calidum vt quatuor calefecit aliud subiectum vt quatuor, iam reddidit illud sibi simile,

ita

ita vt non possit magis, ergo cessabit eius actio. Dicent, quia non potest reddere simile in densitate, compensat eam, augêdo calorem, magno se certè intellectu præditum ostendet, qui sic respondebit, cum partem eius agentibus naturaliter impertiatur, quis enim non videat, hanc compensationem arguere intellectum in operante? nisi enim hic adesset, non posset ratiocinari, & æqua lance librare, quantum caloris illi debeatur propter excessum densitatis, quem in se cognoscit, mirandumq; erit, quòd ignis non se abstineat à combustione hominis, quoniam calor, qui est in igne maior, compensatur ab alijs perfectionibus, quæ sunt in homine, non est igitur, cur quærat etiam in calore reddere eum sibi similem, cum adsit similitudo ratione compensationis. Valeat igitur hæc compensatio in agentibus naturalib⁹, q̃ similitudinẽ formalẽ attendunt, & nõ cõpensationẽ.

Tertiò probatur eadem sententia, quoniam alioqui sequeretur, duo calida vt quatuor, quorum alterũ esset dẽsius, & alterum rarius, posse se intendere vsque ad summum gradum caloris, nam calidũ densius calefacit rarius vt quinque, hoc verò rarius vt quinque iã poterit producere calorem vt quinque in subiecto denso. Nam densum est capax huius gradus, & rarum potest ipsum producere, quia producere in subiecto æquè raro, neque densitas potest impedire, quamuis possit remorari actionem, ergo & densum fiet calidum vt quinque, tunc verò poterit producere calorem vt sex in calido raro, & rarũ producere sextum gradum caloris in denso, & ita deinceps vsque ad octauum. Confirmatur, quia si maior densitas impediret, quò minùs rarum posset producere calorem æquè intensũ in ipsum, sequeretur, ignem numquam posse producere calorem vt octo in aliud subiectum, quia nulla est substantia, quæ non sit densior igne, in nulla ergo poterit producere tantum calorem, quantum ipse ignis possidet. Confirmatur etiam, quoniam id, quod est rarũ, & recepit calorẽ, poterit fieri densum post ipsum receptum, vel manuũ compressione, vel alio pacto, poterit ergo tunc agere in aliud æquale densum, & producere in eo quintum gradum caloris, iterum verò poterit rarefieri, & recipier sextum, & postea condensari, vt eumdem producere possit, atque ita etiam duo remissa calida intendent se vsque ad summum.

Scio, Toletum hoc non habere pro inconuenienti, immo respondere, id aliquando contingere, vt in furnis, qui sponte comburuntur cum partes vndequaque se inuicẽ calefaciunt, cum non sit respiratio aeris, & in tritico idem videtur, inquit, sponte nimirum calefieri in horreis, nisi aere refrigeretur, & in carbonibus etiam, siue prunis, quæ sponte se inuicem accendunt, cum à se inuicem separatæ extinguantur. Verùm huiusmodi experimenta nihil ipsum iuuant. Primùm, quia in his res, quæ se mutuo calefaciunt, sunt similes etiam in dẽsitate, grana enim tritici sunt omnino similia, & partes furni sũt æquè densæ, & ridendus esset, qui hanc combustionem tribueret densitati, & raritati partium, cum potius quò magis omnes sunt densæ, eò faciliùs sequatur combustio. Præterea non tantùm in his casibus, sed semper hoc continge-

ret, aer enim, qui intercedit, sicuti non potest impedire, quin calidũ vt quatuor calefaciat aliud subiectum æquè etiam vt quatuor, ita neque posset impedire, vt duo subiecta æqualia in gradu, & inæqualia in raritate, & densitate, se mutuo intenderent vsque ad summũ. Præterea si hoc concedatur, nulla erit ratio, cur idem non possit intendere se ipsum, nam calidum vt quatuor, & valde densum potest producere calorẽ vt quinque, cur ergo calorẽ huiusmodi non producit in se ipso? an quia idem nõ potest agere in se? verùm ostendim⁹, hoc esse falsum, quando agens aliquid virtute habet, non autem formaliter, atqui calidum vt quatuor, & densum virtute continet quintum gradum caloris, & non formaliter, ergo in se verè producet, si dicas, producere, iterũ argumentabor, quia calidum vt quinque, & densum potest producere sextum gradum caloris, ergo in se producet, vt de quinto diximus, & sic de cæteris.

Dicent fortè, posse producere in rarius, non autem in æquè densum, & consequenter neque in se ipsum, quia densitas eius est impedimento. Sed contra. Densum, & calidũ vt quatuor æquiualet virtute raro vt quinque; nam per aduersarios potest calorẽ vt quinque in raro producere, ergo illi æquiualet, sed calidum vt quinque, & rarum potest in densum introducere quinque gradus caloris, ergo etiã calidum vt quatuor densum poterit, & se intendere vt quinque, & etiam aliud densum. Minor patet ex eo quòd dicunt, densum, & rarum posse se mutuo calefacere vsque ad summum. Ad experimenta à Toleto allata patet ex his, quæ de antiperistasi supra diximus.

Ad primum experimentum Toleti de furnis, respondeo, si vera esset ipsius sententia, furnos semper ignem concepturos, quia semper eius partes sunt valde calidæ, cum ergo hoc nõ nisi rarissimè cõtingat, nõ potest hoc tribui actioni similis in simile, sed igniculo, q̃ lateat, vel materiæ admodum dispositæ, vt de fœno dicebamus superiùs. Ad secundum respondeo, tritici grana virtutem in se habere animæ vegetãtis, quare si seminẽtur, germinant, illa autem cum sit virtualiter calida, nil mirum, si causa caloris esse possit, positis circumstantijs, quæ in illo euentu contingere solent. Ad tertium de prunis respondeo, non esse contra nos, qui negamus augmẽtum intensiuum, non autem extensiuum, quale est, quod in illis prunis cernitur; extenditur enim ignis, siue potius gignitur, vbi non erat, non verò fit intensior, vbi erat. quæst. 42. sect. 13.

Obijciunt tamen nobis aduersarij. Primò, calor æqualis in materia densiori agit in distantius, ergo etiam intensiùs. Probatur consequentia, quoniam calefactio est actio vniformiter difformis, ergo sicut quò magis distat pars calefacta à principio calefaciente, eò est remissior, ita quò magis ab vltima parte calefactionis distat subiectũ calefactum, eò erit magis calidũ, sed quò aliquid calidum agit in remotius, eò assignare partem magis distantem ab vltima parte calefactionis esset, ergo etiã intensior. Respondetur, calefactionem quidem esse vniformiter difformem, non tamen omnem calefactionem æqualiter difformem esse, sicuti enim quædam scalæ sunt, quæ gradus habent non magnos, quędam,

quæ paruos, ita calefactio quamuis paulatim remittatur, dum recedit à principio calefactiuo, tamen quædam est, quæ maiorem remissionem patitur, quædam quæ minorem, quare quilibet ignis produceet calorem vt octo in parte sibi proxima, si capax hæc sit, nec illi resistat, in parte verò immediatè post proximam, si sit magnus ignis producet septem gradus, si verò sit paruus, producet sex tantùm, & ita deinceps. Quare calor, siue ignis in materia magis densa, producet quidē intensius lumen, quā alter in materia rariori, sed in aliqua parte distanti, vel in parte propinqua, si adsit resistentia impediens actionem rarioris, non verò producet calorem intensiorē, quā possit simpliciter producere, si adsit subiectū capax, & propinquus alius calor similis, sed in materia rariori.

Ex eodē quoque principio deducitur, & ijsdem ferè rationibus probari potest, simile, quod superat aliud in materia tantùm, & non in gradu, non posse intensius agere, quàm illud, quia sequeretur etiam, posse producere gradum altioris perfectionis, quā sint, quos possidet. Et confirmatur etiam, quoniam aqua calida si sit in maxima quantitate, non intensiùs agit, quàm si sit in parua, alioqui enim duæ partes aquæ calidæ possent agere in tertiam, & illius calorem intendere, & hęc deinde magis calefacta agere in illas, & ita se mutuo intendere vsque ad summum.

Denique colligitur, non tantùm calorem vt quatuor, dum solus est, non posse producere calorem vt quinque, sed neque quando est simul cum gradu quinto concurrere simul cum eo ad productionem quinti gradus caloris. Probatur, quoniam gradus quintus est alterius rationis, & excedit virtutem quarti gradus, ergo hic non potest effectiuè cōcurrere ad illius productionem. Et confirmatur, quia si caloris quartus gradus simul cum quinto introduceret quintum gradum caloris, ergo etiam ageret cōtra frigus illi gradui oppositum, at hoc dici non potest, quia cum illo gradu frigoris se compatitur in eodem subiecto, ergo si formaliter non se expellunt, neque pugnabūt efficienter, quia plus requiritur ad repugnantiam effectiuam, quàm ad formalem. Confirmatur secundò, quoniam quartus gradus caloris numquam patitur simul cum quinto gradu caloris nisi à gradu frigoris sibi ex directo opposito, numquam enim expellitur quartus gradus caloris, nisi per introductionem frigoris oppositi, non verò sufficit frigus oppositum quinto gradui, ergo neque agit vnquā nisi in gradum frigoris sibi oppositum. Suarez tamen, qui contrarium existimat probabile, hunc in modum argumentatur. Ad efficiendum primum, vel quintū gradum caloris maiorem vim habet calidum vt octo, quàm calidum vt quinque cæteris paribus, ergo signum est non agere tantùm per gradum similem, & cæteros se habere concomitanter, & quasi per accidens ad illam actionem, sed re vera ad illam concurrere, ergo etiā ad efficiendum gradum octauum non tantùm octauus gradus concurrit, sed ēt reliqui septem. Respondetur, negandam consequentiā, nā gradus octauus cōtinet virtute gradum primum, & quintū,

&

& consequenter potest concurrere ad illorum productionem; at verò gradus septimus non continet virtute, neque formaliter gradum octauum, quare non potest ad illũ producendum opitulari.

Præterea obijci potest, luminosum vt quatuor, quod tantum posset illuminare spatium quatuor passuum, si vniatur cũ alio luminoso vt 10. simul cum eo illuminabit spatium 24. passuum, quia simul cum eo efficit vnum principium, & idem dici potest de igne in parua materia, qui si igni magno vniatur, simul cum eo agit in longè maiorem distantiam, quàm ageret, si esset solus, ergo idem dici poterit de primo gradu caloris simul cum cæteris, ergo etiam cum illis efficit vnum tantùm principium totale. Respondetur, quamuis hoc argumẽtum videatur probabile, nihilominus disparem esse rationem, quoniam in propositis exemplis non eleuatur corpus luminosum, vel paruus ignis ad agendum aliquid, quod non possit, sed efficitur tantùm, vt id, quod potest producere, producat in magis distans, at verò hic eleuaretur ad producendum aliquid simpliciter supra suã virtutem. Præterea in illis componitur vnum totale agens similis virtutis, quare non mirum, si totũ concurrat ad effectum producendum, at hic remanet agens eterogeneum, & partium diuersarum, quare non videtur posse effectus vnius alteri tribui.

Præterea si octauus gradus adiuuaretur à reliquis gradib⁹ inferioribus, sequeretur, quòd aliquid magis producere posset cum illis, quã sine illis, sed sine illis posset producere octauũ gradũ caloris, ergo cũ illis poterit ꝑducere aliq̃d maius, quòd si dicant non posse produci maius, quia est calor summè intensus, idem argumentum fieri potest de gradu 7. vel 6. qui calorem intensiorem producere poterunt cum inferioribus, quàm se solis. Dicent, quamuis non possent intensiorem, posse tamen celeriùs, & remotiùs. Verùm neque hoc videtur dici posse, si loquantur de productione 7. gradus, nã de productione graduum inferiorum in distanti, potest facilè concedi, sed de productione gradus superioris, probabo, dici non posse, quia quòd actio fit celerior, vel in magis distans, oritur vel ex eo quòd faciliùs resistẽtia vincitur, vel quia multiplicatur virtus producendi effectum, sed neutra ratio potest hic locũ habere: Non prior, quia, vt supra diximus, caloris gradus sextus non habet repugnantiã cũ opposito frigore gradui 7. caloris, ergo non potest contra ipsum pugnare, & vincere: Neq; posterior, quia gradus 6. non habet vim producendi gradum 7. ergo simpliciter virtus producendi gradum 7. non multiplicatur.

Argumenta pro actione similis in simile in principio allata retunduntur.

SECTIO V.

Ad primum respondeo, inter duo calida vt quatuor, & cætera similia nullã adesse contrarietatem, quamuis enim in calido vt quatuor adsint etiam quatuor gradus frigoris, non tamen quilibet gradus frigoris habet repugnantiam cum quolibet gradu caloris, vt alibi explicauimus, sed primus gradus frigoris opponitur 8. gradui

dui caloris, &c. hinc efficitur vt 4. gradus frigoris non repugnet 4. gradui caloris, & ficut poſſunt eſſe in eodem ſubiecto formaliter, ita neque ſe expellere poſſunt effectiue, qui tamen gradus etherogeneos non admittunt, non video, quomodo poſſint huic difficultati ſatisfacere.

Ad experientiam de ferro càndenti allatam in ſecundo argumento, reſponſio magis communis eſt, adeſſe ignem in poris ipſius, à quo poteſt inflammari ſtuppa. Patitur tamen hæc reſponſio multas difficultates. Prima, quoniã ignis non poteſt eſſe ſine alimento, at in poris ferri quodnam alimentum eius poteſt reperiri? Secũda, quia ignis eſt dẽſior in ferro, quàm in ligno, at pori ſunt rariores in ferro, quò enim ſubſtantia eſt denſior, eò minores poros habet, hac igitur ratione lignum ignitum magis combureret, quàm ferrum ignitum, qđ eſt falſum. Tertia, quia experientia docet, contactum ferri ignire, at contactus fit per ferri ſubſtantiam, non verò per poros, immo quò minores ſunt pori, & pauciores, magis comburit. Quarta, in poris ferri aderat aer, qui non videtur poſſè concipere ignem, quoniam alioqui cum aer ſit minimæ reſiſtentiæ, ignis in aliquo cubiculo facilè totum aerem illius cubiculi inflammaret, & igniret.

Secunda reſponſio eſt, non adeſſe in ferro ignem, ſed tantùm calorem vt octo, ignem verò deeſſe, quoniam non ſunt aliæ diſpoſitiones in ferro, quæ ad ignis formam requiruntur, ſed hęc quoque ſententia non paruis vrgetur incommodis. Primò, quoniam in ferro non tantùm calor adeſt, ſed etiam lux, & fulgor, quę nõ ſunt proprietates caloris, ſed ignis, ergo verè in ipſo adeſt forma ignis. Secundò, nullum habemus maius ſignũ, quòd ignis ſit in prunis, quàm qđ ſit in ferro, ſed in prunis nemo dubitat adeſſe, ergo erit etiam in ferro. Tertiò, ignis non videtur alias diſpoſitiones requirere, quàm calorem, & ſiccitatem, ſed hæ ambæ adſunt in ſummo in ferro, ergo ibi adeſt etiam forma ignis. Dicetur fortè, deeſſe raritatem, ſed hęc non videtur eſſe cõditio neceſſariò præ requiſita ad formam ignis, alioqui non poſſet ignis concipi in puluere ſulphureo, quo tormenta bellica complentur, quia ibi adeſt maximè denſus, & conſtipatus, eſt igitur potius raritas conditio conſequens, quàm præcedens formam ignis, neque videtur eſſe diſcrimen adeo magnum inter denſitatẽ ferri, & ligni, vt poſſit in hoc eſſe, & non in illo. Præterea videmus, ignem magis conſeruari in materia denſa, quàm in rara, ergo denſitas non eſt illi oppoſita. Potius videbitur alicui, non poſſe ignem in ea materia adeſſe, quia in ferro nõ habet pabulum, quo nutriatur. Verùm non videtur omnino carere pabulo. Nam ferri ſubſtantiam depaſci, ex cõſumptione ipſius ferri oſtendi poteſt. Præterea hæc ratio nõ debet præualere ſenſui, qui iudicat, ibi adeſſe ignem, ſicuti neque pręualet in hominibus, quorum nonnulli reperti ſunt diu viuere ſine cibo, neque tamen nullus eos videns, negauit, eſſe homines, quia non manducarent. Denique non toll'unt difficultatem, quia adhuc explicare debent, quid ſit illud, quod in ferro refulget, ſi non eſt ignis. Impugnatur & à Suarez hęc reſponſio, quia ſi in ferro adſunt diſpoſitiones repugnantes for-

formæ ignis, nulla est ratio, cur nõ possint etiam repugnare summo calori.

Tertia responsio affertur à Suarez, quòd in ferro candenti adsunt tantùm septem gradus caloris, à quibus tamen possit igniri stuppa ob rationem supra tactam, quòd in materia habente alias dispositiones prærequisitas est sufficiens hic calor ad productionem formæ substantialis ignis, quia non datur alia forma, cui magis sint connaturales. Sed hæc quoque ex dictis contra secundam opinionem facilè refutatur, non enim adesset in ferro fulgor ignis, si tantùm esset in eo septimus gradus caloris, nec apparet ratio, cur non possit recipere octauum.

Ego igitur existimo, formam ignis esse in ipsa substantia ferri, nam & sensus ita iudicat, & rationes contra alias responsiones adductæ id conuincunt, & ita optimè satisfit argumento. Solùm difficultas est, quia videmur ponere duas formas substantiales in eadem materia, præsertim ambas specificantes, sed hoc quoque non erit mirũ consideranti, quæ supra diximus de pluralitate formarũ in eodẽ cõposito, & magis etiam patebit ex dicendis in tractatu de elemento ignis.

Ad confirmationem huius argumenti, quòd calidum vt tres aget in calidum vt sex, ergo si minus agit in maius, poterit etiam agere in æquale. Respondetur, si antecedens ita intelligatur, quòd calidum vt tres intendat calorẽ vt sex, falsum esse, vt patet, si verò sit sensus, quòd calidum vt tres agit in calidum vt sex minuendo eius calorem, sic verum est antecedens, & neganda est consequentia, quia tunc calidum vt tres non agit per calorem, in quo superatur à calido vt sex, sed per frigus, in quo ipsum superat. At verò quando duo sũt omnino similia, nullus datur excessus ex vlla parte.

Ad tertium respondeo ea ratione, qua concessimus, idem agere in se ipsum, concedimus etiam, simile agere in simile, vt patet ex dictis.

Ad quartum, quoad phialas vitreas attinet, respondet Colleg. Connimb. eiusmodi phialas non agere in se, quatenus duræ sunt, atque adeo quatenus similes, sed vtramque per impulsum sibi à collidente impressum vincere alterius duritiem, atque ita continuitatem soluere. Verùm adhuc remanet difficultas de ipsa virtute impressa, siue impulsu, qui videtur similis in vtraq; phiala, & tamen per hũc impulsum inuicem agunt. Respondetur igitur, virtutem impressam non componi ex gradibus eterogeneis, & consequenter non cõprehendi in hac regula, vt supra explicauimus. Adde quod hi duo impulsus sunt dissimiles ex parte principij, & termini, & idcirco non mirum si inuicem pugnant.

Ad tertiam experientiam de speculis respondet Collegium, neque in ea dari actionem inter similia, quatenus similia, idest inter specula, quatenus æquè lucida sunt, vel æquè tersa, sed quatenus dissimilia sunt secundum esse intentionale, seu ratione speciërũ, quas à diuersis obiectis recipiunt. Verùm vrgeri potest argumentum, quia non tantùm specula recipiũt, & immittunt species aliarum rerũ, sed etiam suas proprias. Vtrumque igitur speculum recipiet speciem alterius speculi, quãuis omnino

nino similis. Respondetur igitur, hanc actionem non esse vniuocã, & idcirco esse posse inter similia; nam per actionem non vniuocam non redditur passum simile agẽti, cum igitur per actionem non intẽdatur similitudo, neque similitudo præcedens potest esse impedimento ipsi actioni. Adde, quòd in eiusmodi speculis necessariò debet adesse diuersitas situs, ratione cui⁹ inuicem agunt.

Ad quartum de luminosis patet ex dictis, non esse contra nos.

Ad quintũ respondeo, hoc argumentum fortissimè dimicare contra eos, qui non admittunt gradus eterogeneos, at contra nos nequaquam. fatemur enim nos, calidum vt quatuor nõ posse producere illos gradus, quos solos potest recipere aliud calidum simile.

Ad sextum respondeo, parem inter similia esse resistentiam actiuitati, quoniam calidũ vt quatuor habet ẽi quatuor gradus frigoris, qui resistunt alteri calido vt quatuor, ne possit in se agere. Vel secundò, & meliùs, non sufficere ad actionem carentiã resistentiæ, sed oportere etiam adesse virtutem in agente producendi illam formã, ad quam nõ est resistentia, quamuis igitur in calido vt quatuor non sit resistẽtia sufficiens ad impediẽdum calorem vt quinque, aliud tamen simile non potest hunc gradũ producere. At si sermo sit de quarto gradu caloris, quem calidum vt quatuor potest producere, dicendũ est, in alio simili calido adesse resistentiam ad recipiendũ illum, quoniam, vt inquit in simili materia Aristoteles, *intus existens prohibet extraneum*, meretur tamen appellari potius incompossibilitas, & incapacitas, quàm resistentia.

Ad septimum respondet Collegium, aquam, quæ in gelu condensatur, re vera frigidiorẽ esse aere, non tamen ab hoc condensari, sed partim corporum cœlestium influxu, partim quòd aqua ipsa remotis per hyemem impedimentis, vltro se in suum frigus vendicat. Neq; verò, inquiunt, aquæ congelatio à sola frigiditate ꝓuenit, sed à certa aliarum etiam qualitatum commistione, quæ aquæ liquorem in in gelu contrahit, & eodẽ ferè modo respondet Suarez nu. 30. nam & ipse inquit, prouenire congelationem ab aliqua influentia cœlesti exsiccante, &c. Mihi tamen nõ admodum arridet hic ad cœlestes influentias recursus. Respondeo igitur, posse hic duo quæri. Alterum, à quo proueniat frigiditas aquæ. Alterum, à quo congelatio. Quoad prius respondeo, & ab aere prouenire, & ab ipsa aquæ natura, vt supiùs explicauim⁹. Quoad posterius respondeo, congelationem prouenire quidem à frigiditate, sed requiri tamquam conditionẽ, quòd in aqua sint admistæ terrestes exhalationes, alioqui enim aquam, si esset omnino pura, & simplex, non existimo per aliquod frigus condensandam esse in glaciem. Siccitati verò cum Suarez non videtur congelatio tribuenda, quia impossibile videtur, exsiccari aquam, nisi etiam suam formam amittat, nec ipsam aquam verè exsiccari, dum condensatur, ex eo patet, quòd igne liquescit, à quo humiditatem recipere nequit; Dicitur tamen exsiccari aliquando per quamdam similitudinem, & quia prohibetur actus secundus ipsius. Si verò admittendus est re-

recursus ad influentias Cœli, potius admitterem pro frigoris productione, quàm pro immediata aquæ congelatione. Sed de hoc in tractatu de qualitatibus elementorum erit agendum.

Ad octauum respondeo, quod habet maiorem virtutem agendi, hoc est intensiorem, posse vtique agere in id, quod habet minorem, non verò quod habet eãdem quidem quoad gradum, sed maiorem in multitudine, quia hæc sufficit tantùm ad agendum celeriùs, vel in remotius. Quod autem est in materia densiori, habet maiorem virtutem hoc posteriori modo.

Ad nonum respondeo ex Arist. sect. 3. probl. q. 22. sect. 33. q. 2. & lib. de breu. vitæ c. 2. maiorē flammam dici absumere minorem, non quòd in eam agat, sed quoniam pabulum, quo illa sustentatur, deuorat, scilicet fumum, deficiente verò materia, deficit etiam ipsa flamma.

Ad decimũ respondeo, mistum homogeneum, nisi ab extrinseco pateretur, re vera numquam esse corrumpendum, dicitur tamen ab intrinseco corruptibile, quatenus ab intrinseco habet vt possit à cõtrarijs pati, & eius materia potest aliam formam recipere.

An actionem transeuntem fuisse ab æterno repugnet.

QVÆSTIO XLIV.

TAmquam coronidem huic disputationi de actione adijcimus hanc quæstionem, quæ coincidit cum illa; An mundus potuerit esse ab æterno, de qua Philosophi in 8. physic. neq; tamen est ab hoc loco aliena, vbi tum de actione, tũ de rerum generatione agitur, & cũ ad 8. physicorum spectet tantùm motus æternitas, hic tam de motus, quàm de rerum etiam permanentium æternitate agemus, supponentes tamen id, quod de fide est certum, nullam rem de facto ab æterno conditam fuisse, & quærentes tantùm de possibili.

Potuisse ab æterno actionem esse, quibus argumentis probetur.

SECTIO I.

AMplectuntur hanc sententiã complures Philosophi, & Theologi, quamuis inter se differant, quoad terminum huius actionis, & in quinque classes distribui possunt. Prima est eorum, qui res tantùm permanentes censent potuisse fieri ab æterno, ita Suarez disput. 20. in metaph. sect. 6. Conimb. in 8. phys. cap. 2. quæst. 7. Secũda eorum, qui existimant, res etiam successiuas potuisse esse ab æterno, non tamen generationes, & corruptiones, ita Vasq. in 1. p. q. 46. disp. 177. Tertia admittentium, creationem ab æterno etiam in generationibus, dummodo non includant infinitatem animarum, vt Sotus 8. phys. q. 2. Quarta asserentium, mundum secundũ omnes suas partes, & generationes etiam, esse potuisse ab æterno, videtur S. Thomæ opusc. de æternitate mundi, & sequuntur frequentiùs Thomistæ. Quinta est cuiusdam doctissimi recentioris, qui inquit sicut dupliciter aliquid dici potest antiquum, aut quia longissimo tempore præterito durauit, aut licet paruum tempus durauerit, durauit tamen antè longissimũ tempus præteritum, quemadmodum di-

dicimus, sacrificium Abel esse antiquissimum; Ita dupliciter aliquid diei potest æternum à parte ante, vel quia habuerit duratione infinitam à parte ante, vel quia licet habuerit durationem finitam, habuit tamen illam ante durationem infinitam, & asserit non solũ priori modo, sed etiam hoc posteriori, esse aliquid posse ab æterno.

Fundamentum præcipuum horum authorum est, quia nulla apparet repugnantia, ratione cuius hoc negetur, ergo respectu diuinæ potentiæ erit hoc possibile. Probatur antecedens, quia vel hæc repugnantia esset ex parte Dei, vel vel ex parte actionis, vel ex parte creaturæ. Non ex parte Dei, quia est ęternus, & omnipotens, ergo ab æterno creare potuit, neque verò ex parte entis creati, quoniam de ratione entis creati non est, vt aliquando non fuerit, sicuti neque est, vt aliquando desinat. Deniq; neque ex parte actionis, quia de huius essentia, est tantùm, vt sit à principio, & tendat in terminum, siue effectum, in quo nulla inuoluitur nouitas essendi.

Secundò, si Deus non potuisset creare mundum ab æterno, debuisset expectare per totam æternitatem, antequã posset quidquã producere, quod non paruum videtur absurdum.

Tertiò, Deus eodem modo se habet nunc, ac se habuit in tota æternitate, & actio eiusdem rationis est nunc, cuius fuit ab æterno, at nunc potest agere, ergo & tunc.

Quartò, quouis signato tempore finito posset Deus ante illud efficere mundum, ergo semper, & ab æterno potuit. Confirmatur, quia illud esset re vera æternum, quod ante quodlibet instans in æternitate assignabile existeret, nisi enim esset æternum, posset signari instans, in quo incœpisset, sed nullum assignari potest in æternitate instans, in quo Deus non potuerit creare mundum, ergo ab æterno potuit.

Quintò, si Sol æternus fuisset, lumen quoque ab ęterno produxisset, sed nõ minùs est potens Deus, quàm Sol, ergo cum fuerit ętern*, potuit etiam mundum ab æterno producere.

Contraria sententia prafertur.

SECTIO II.

VNiuersaliter nihil omnino ab æterno fieri potuisse sentiũt S. Bonauentura in 2.d.1.q.2. Alb. Magnus in 2. par. sum. tr. 1. q 4. membr.2. Henricus q.1. q.7. & 8. Marsil. 2.sent. Vall. 8.phys. quæst. 48. Tolet. 8. phys. q. 2. & alij, in quorum sententiam ego quoque descendo, non tamen propter eorum rationes.

Moueor ego hoc præcipuè argumento. Quod ab æterno creatur, non potest non durare per æternitatem, sed hæc necessitas durandi per æternitatem non potest communicari creaturæ, ergo nihil potest fieri ab æterno. Maior à Suarez admittitᶜ, ab alijs verò quibusdam negatur, cõtra hos ergo probatur. Si non est necesse, durare per æternitatem, destruatur post annum, quando autem destruetur, verum erit dicere, illam rem ante annum tantùm fuisse creatã, at de quo hoc dicitᶜ, nõ põt esse ab æterno, quia æternitas, de qua nos loquimur, nullum habet principiũ, ergo quod potest destrui ante trãsactam æternitatem, non fuit ab

æterno productum. Et confirmatur, quia Deus non præcedit duratione rem ab æterno creatam, sed numquam potest dici, nec potuit, annus tantùm est, ex quo Deus existit, ergo neq; de re, quã Deus non præcessit, dici poterit.

Minor probatur primò, quia hoc repugnat omnipotentiæ, & libertati Dei, quòd detur aliquid creatum existens, quod per æternitatem ab eo non possit destrui. Respondēt aduersarij, hoc nõ repugnare, qa orit, ex eo q Deus voluit, illam creaturam ab æterno cõdere, sicuti dum aliquid conseruat, non potest corrumpere, & hæc necessitas existēdi, cum sit ex suppositione, non repugnat creaturæ. Non tamen difficultatem soluunt. Non enim potest Deus velle aliquid, quod suæ omnipotentiæ repugnet, neque potest aliquid producere, quod à se non pendeat, quamuis dicatur, hoc euenire ex suppositione, quòd Deus ita voluerit, sicuti neque decet dicere, Deũ posse creaturam producere, quam necessariò per totam æternitatem à parte post conseruare teneatur, at æquè repugnat omnipotentiæ Dei, quòd aliquid necessariò permanere debeat per æternitatem etiam à parte ante, quia non est maior ratio de æternitate à parte ante, quàm de eadem à parte post, ergo non potest hoc Deus velle. Confirmatur, quia est inconueniens, dari aliquid, quod per horam tantùm Deus non possit in nihilum redigere, ergo multò magis, quod non possit per totam æternitatem. Confirmatur secundò, quoniam necessitas ex suppositione est duplex, altera ex præsenti, altera ex præcedenti suppositione proueniens, præsens non officit potentiæ, neque libertati, quia inuoluit vtramque, at antecedens vtramque tollit. Exempli causa. Dum ego curro, necessariò moueor, sed necessitate ex suppositione præsenti, & idcirco nec libertati meæ, nec potentię officit; at verò si supposito quòd heri cucurrerim, hodie necessariò mouear, hæc erit necessitas ex suppositione præcedenti, quæ libertatem, vel potentiam tollit, vt consideranti patet. At Deum necessariò conseruare nunc aliquam rem, eò quòd ab æterno eam creauerit, est necessitas ex suppositione antecedenti, ergo tollit verè eius potentiam, vel libertatem. Dicent, non esse antecedentem, quia æternitas tam ex parte Dei, quàm ex parte illius creaturæ est tota simul, in qua nihil est prius, vel posterius. Verùm hoc nihil obstat. Nam & actus, quo Deus voluit condere mundum in tempore, mensuratur æternitate, & nihilominus potest Deus in nihilum hunc redigere, & eius omnipotentiæ repugnaret non posse, quòd igitur actio Dei mensuretur æternitate, non est suppositio, quæ inferat in creatura necessitatem existendi. Præterea si hæc responsio vera esset, sequeretur, numquam neque à parte post huiusmodi creaturam posse à Deo destrui, quoniam semper haberet durationem totam simul, ergo numquam posset destrui. Immo secundum principia aduersariorum sequeretur, neque vllam substantiam à Deo posse destrui, nam affirmant, cuiuslibet substantiæ durationem esse totam simul, er-

ergo in ea non datur prius, & posterius, non ergo poterit vmquam destrui. Præterea æternitas illa creaturæ etiam ipsa est ens creatū, ergo pendebit à Deo, ergo poterit Deus eā destruere. Confirmatur et, quoniā respectu totius æternitatis Dei re vera suppositio illa est antecedens, vel habet vim antecedentis, vt patet respectu aliarum creaturarum, quas non tenetur Deus conseruare, quamuis in æternitate sua voluerit eas condere, ergo simpliciter repugnat omnipotentię Dei; Quod verò hoc sit contra æternitatem creaturæ, nihil refert, quia potius ipsius creaturæ æternitas est destruēda, vel nō admittenda, quàm aliquid concedendum, quod Dei potentiæ repugnet. Ad hæc, illa tantùm necessitas ex suppositione non pugnat cum omnipotentia Dei, quæ omnino pendet ex ipso Deo, vt si dicamus, supposito quòd Deus velit creare, vel conseruare aliquid, non potest destruere, at illa necessitas, quæ oritur ex creatura, est omnino repugnans omnipotentiæ Dei, quia tunc creatura obsisteret Deo. At hæc, necessitas conseruandi per æternitatem rem ab æterno creatam, non oritur ex ipso Deo, sed ex natura craturæ, ergo repugnat Deo. Probatur minor, quia repugnat, rem ab æterno creatam non durare per æternitatem, nulla facta suppositione ex parte Dei, ergo tota necessitas oritur ex ipsa creatura.

Confirmatur, quia illa est necessitas ex suppositione voluntatis, quæ, si ponamus voluntatem mutari, tollitur, atqui etiam si ponamus, Deum velle destruere rem ab æterno creatam, non tamen poterit ante æternitatem transactam, ergo verè hæc non est necessitas ex suppositione voluntatis.

Præterea alia quoque sequerentur absurda, si minor illa, nimirū (necessitatem durandi per æternitatem non posse conuenire creaturæ) non concedatur, vt q. si ignis pductus ab æterno fuisset, & suæ naturæ relictus, non posset neque per potentiam diuinam comburere stuppam sibi debitè applicatam per totam æternitatem, & hominem ab æterno cōditum non posse per totam æternitatem digitum mouere, neque cogitationem, aut voluntatem mutare, quòd si per æternitatem hoc ei nōn liceret, ergo numquam, tum quia tota eius duratio per æternitatem à parte post est etiam indiuisibilis, & tota simul, tum quia non posset determinari tempus, in quo incipere posset mutationem subire, quis autem non videat, hæc esse maxima absurda? quomodo enim homo, qui natura sua maximè inconstans est, & mutabilis, suæ naturæ relictus non poterit non mutari, & tamen hæc, tamquam nihili essent ducenda, libenter deuorant aduersarij. Vrgetur argumentum de stuppa prope ignem. Vel numquam illa stuppa posset comburi, vel aliquando, si numquam, iam ergo dabitur creatura à parte rei, quæ numquam poterit à Deo destrui, quod est absurdū, si aliquando, sed post transactam æternitatem, vt aduersarij volunt. Contra, quia non potest designari aliquod instans, in quo primùm potuerit ignis comburere stuppam, non

enim aliquod instans dari potest, in quo possimus nos dicere, nunc transacta est tota æternitas, & immediatè ante nequaquam, quia sequeretur, non æternitatem fieri æternitatem per additionem vnius instantis, vel minimi alicuius temporis, aut durationis. Ignis autem suæ naturæ relictus, cum sit agens naturale, statim ac posset stuppam comburere, ipsam combureret, cũ igitur numquam dãdum esset hoc primum instans, numquam etiam combureret. Dicent, determinandum esse illud instans à Deo, sed licet hoc verum esset, adhuc non tolleretur, quin esset absurdũ, ignẽ suæ naturæ relictum numquam posse stuppam præsentem comburere, nisi adderetur determinatio Dei. Præterea hæc determinatio Dei difficultate non caret; Nam efficere nequit Deus, vt ignis comburat stuppam, dum ipsa ratione æternitatis est incõbustibilis, vt.n. supra probatum est, non potest diuina potentia efficere, vt ignis cõburat stuppam ante æternitatem transactam; Prius igitur est, stuppam fieri combustibilem, quàm eius combustionem determinari à Deo, sed numqnam fieri potest natura sua cõbustibilis, vt supra probauimus, & si fieri posset, eo ipso ab igne combureretur absque vlla determinatione Dei, ergo omnino frustra ponitur hęc determinatio.

Dices, idem argumentum retorqueri posse contra nos, cum enim velimus, non posse à Deo aliquid creari ab ęterno, ergo oportet, vt expectet transitum totius ęternitatis, antequã aliquid creet, sed numquam potest assignari primũ nũc, in quo sit transacta æternitas, ergo neq; potest assignari aliquod nũc, in quo possit Deus aliquid creare. Respondetur, verum esse, non posse hoc primum nunc assignari, sed in quolibet priori, & priori potuisse Deum mundum creare, quare negamus consequentiam, ergo nullum poterit assignari, quia non est necesse, dari primum, vrgeret quidem argumentum, si Deus ageret ex necessitate naturę, quia oporteret, eũ ꝓduxisse mundũ in primo nunc possibili, at cum agat liberè, non cogimur ponere hoc primum nunc. Dices, quamuis Deus agat liberè, tamen possibilitas creaturarum non pendet ex Dei libertate, sed ex propria natura, ergo respectu ipsius erit assignandum primũ nunc. Respondetur, negandam consequentiam, quia quamuis nõ possint creaturæ esse æternæ, tamen potuerunt fieri ab æterno distributiuè, idest in quolibet æternitatis puncto, id autem de stuppa dici nequit, eò quòd habet propinquum agẽs naturale, à quo, quàm primum est combustibilis, comburetur. Si enim dicatur, in quolibet puncto æternitatis distributiuè esse combustibilem, sequetur etiam, in quolibet fuisse combustam, qđ repugnat: vel oportebit dicere, Deum teneri impedire ignem, ne comburat stuppam, nisi cum ipse determinauerit, quod etiã est absurdum.

Secundò principaliter argumentor. Si crearetur aliqua res ab æterno, oporteret, eam habere durationem suam totam simul, sed hoc creaturæ repugnat, ergo & illud: Maiorem negabit Gabr. Vasquez, qui admittit, res successiuas potuisse esse ab æterno: Suarez verò, & alij, qui rebus successiuis existimãt æternitatem repugnare, libenter concedent. Contra illum igitur

pro-

probatur. Vel erit verum de qualibet parte rei successiuæ, quod creata fuerit ab æterno, vel de aliqua tantùm, vel de nulla, sed tantùm de ente successiuo: nihil autem horũ potest rationabiliter dici. Nõ primum, quia si omnes partes ab æterno fuerunt, ergo simul extiterunt, ergo non fuerunt successiuæ, enti enim successiuo repugnat habere partes simul coexistentes. Non secundum, quia si aliqua pars fuit ab æterno, vel eius duratio fuit æterna, vel statim ac producta est, desijt; Si æterna, ergo non habuit esse successiuum, sed permanens, cum per totam æternitatem permanserit: Si statim desijt, ergo reliquas partes per minimum temporis antecessit, si igitur hæ non fuerunt æternæ, vt supponimus, neque illa, quia quod est ab æterno, non potest per minimum tantùm temporis antecedere id, quod ab æterno non fuit. Relinquitur tertium, quòd totum ens successiuum fuerit ab æterno, sed neque hoc dici potest, quia vel fuisset ratione omnium partium, vel alicuius tantũ, & redeunt argumenta modò allata. Dicent fortè, nullam partem determinatè assignari posse, quæ fuerit ab æterno, sicuti neque potest in motu assignari prima, esse tamen motum ab æterno, quia si versus principium motus procedamus, in infinitum ibimus, & numquam primã partem reperiemus. Verùm hac ratione explicatur quidem æternitas quædã syncategorematicè, vt dici solet, non autem categorematicè sumpta, vt hic opus est. Deinde, vel est verum dicere, aliquam partem huius motus esse ab æterno, vel est falsum, si verum, contra illum proponam argumentum supra allatum cõtra secundum membrum, an scilicet eius duratio fuerit æterna, necne. Si falsum, ergo malè dicitur illa res æterna, cuius nulla pars ab ęterno fuit. Præterea Deus vtique cognoscit id, quod est ab ęterno, & id, quod non est, sed in hoc motu, qui dicitur fuisse ab ęterno, dantur quędam partes, quæ ab æterno non fuerunt, vt quæ modò fluunt, & datur aliqua, ratione cuius motus dicitur fuisse ab æterno, ergo illam Deus distinctè cognoscit, cũ & ipsam produxerit, de ipsa igitur à Deo cognita procedit argumentum adductum, an eius duratio æterna fuerit. Confirmatur hoc argumentum, quoniam, vt supra diximus, repugnat, aliquid esse ab æterno, & non durare per æternitatem.

Superest ergo probãda minor, quòd scilicet repugnet creaturæ duratio tota simul: Nam plurimi Theologi à D.Bonauentura dissentientes existimant, Angelorum durationem esse totam simul, contra quos probatur nostra minor.

Repugnat creaturæ, nõ esse mutationi obnoxiam, nec posse recipere modò hoc accidẽs, modò illud, iuxta illud Iob. 4. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles*, & Malachiæ 3. *Ego dominus, & non mutor*, quibus verbis indicatur, Dei proprium esse, non mutari. Atqui si duratio creaturæ esset tota simul, ipsa quoque immutabilis esset, ergo hoc dici non potest. Probatur minor, quoniam in eadem indiuisibili duratione non potest idẽ diuersimodè se habere, neque potest quis esse iustus, & peccator, beatus, & miser: at si duratio Angeli sit tota simul, erit quoq; indiuisibilis, quia partibus carebit, ergo Angeli in tota sua ipsorum duratione numquã po-

poterunt diuersimodè se habere. Dicent fortè, durationem Angelicam, licet formaliter sit indiuisibilis, virtualiter tamen esse diuisibilem, & idcirco posse coexistere diuersis partibus temporis, & ratione huius coexistentiæ diuersæ, diuersa quoque posse recipere accidentia. Verùm hanc diuisibilitatem virtualem nõ sufficere, probatur, quia non tollit, quin re vera duratio in sua entitate careat partibus, & tota coexistat cuilibet parti temporis, ergo si hæc duratio recipiat diuersa accidentia, erunt hæc re vera in eadẽ entitate indiuisibili durationis, quod repugnat, quãuis enim hæc accidentia non sint simul respectu temporis extrinseci, sunt tamen simul respectu durationis intrinsecæ Angeli. Potest hoc declarari exemplo præsentiæ localis Angelorum. Nam quamuis Angelus habeat virtualem diuisibilitatem, ratione cuius potest esse in loco extẽso, tamen, quia est indiuisibilis formaliter, & tota eius substantia est in qualibet parte loci, non potest in vna parte diligere Deum, & in altera odisse, in hac vno accidente affici, & in illa cõtrarium habere, ergo eadem ratione, quamuis duratio Angelica coexistat diuersis partibus temporis, si tamen ipsa sit indiuisibilis, & tota simul, nõ poterit in vna parte huic accidenti, & in alia eius contrario subijci, quia hæc coexistentia cum diuersis partibus temporis nõ tollet, quin re vera in eadem duratione indiuisibili essent plura accidẽtia contraria. Sicuti etiam punctus quãuis respiciat diuersas partes circumferentiæ, non potest tamen in entitate sua indiuisibili accidentia contraria recipere.

Deinde si creatura aliqua haberet durationem totam simul, numquam dici posset de ea, *creata fuit*, sed semper dicere oportebit, *creatur*, quia cum nihil ipsius durationis præterierit, nec prętereat, quod aliquando fuit præsens, semper præsens erit, cum igitur aliquando verum fuerit dicere *creatur*, semper hoc erit verum. Nec sufficit ad existentiam cum tempore confugere, quia hic comparamus hãc creaturam ad Deum creantem, & non ad tempus. Præterea cum sit tota simul eius duratio, non minùs coexistet huic parti temporis eius creatio, quàm reliquum durationis. Confirmatur, quia hac eadẽ ratione de Verbo Diuino dicimus, quòd semper gignitur, & numquã quòd genitum fuerit, & gigni desierit, ergo cum etiam Angeli duratio sit tota simul, oportebit dicere, quòd semper creatur, & nũquã quòd creatus fuerit, nulla enim potest afferri ratio discriminis. Hoc autẽ esse inconueniẽs, probatur primò, quia tolleretur conseruatio, quæ supponit creationem prçcessisse: Deinde, quia non posset Angelus destrui, quod enim actu creatur, non potest non esse, immo neque posset deficere immdiatè post creationem, quia tunc prima, & vltima pars, siue principium, & finis essent simul. Idem autem simul incipere esse, & desinere, implicat. Præterea, qui dicit prius, & posterius, dicit tempus, si igitur prius aliquid creatur, ac postea destruitur, tempus intercedat, necesse est, at tempus est diuisibile in infinitum, ergo creatio, & destructio non possunt esse immediata, sed vel simul, quod est impossibile, vel inter vnam, & alteram aliquid temporis intercedere oportet, sicuti quantitates, vel habent

extrema simul, vel aliquid spatij diuisibilis inter eas existit. Esset prætcrea ille Angelus immutabilis omnino, quia qđ recipit in creatione, nō pōt amitti, nisi creatione trāsacta, atqui eius creatio nūquā trāsiret, ergo neq; ipse mutaret ab eo statu, quē in creatione reciperet.

Tertiò, numquam posset habēs durationem totam simul, à Deo destrui, quoniam quod est indiuisibile, vel destruitur secundum se totum, vel omnino non destruitur. Cū igitur huiusmodi creatura durauerit iā per aliquod tempus, habet durationem, in quam Deus nihil potest, quia nō potest Deus efficere, vt qđ extitit, nō extiterit; ergo neq; poterit impedire durationē sequentē, quia alioqui partem durationis posset tollere, & partē nō, haberet igit duratio partes contra suppositū. Cōfirmatur, quia si Angelus, qui est modò, habet durationē totā simul, ergo iam actu habet durationem, per quam sufficienter ex parte sua coexistit infinito tempori, & toti æternitati: At Deus non potest efficere, vt quod existit, non existat nunc, sed tantùm, vt non existat in futuro, quare non poterit Deus impedire durationē Angeli p̄sentē, sed tm̄ futurā, atqui respectu Angeli nulla est duratio futura, sed omnis est præsens, ergo nullā durationē poterit De⁹ ab eo auferre, aut impedire.

Deniq;. Propriū est solius Dei, vt eius substantia, neque accidentibus, neq; modis indigeat, est .n. sapiēs sine accidente, & vbiq; præsens sine modo; Creaturis aūt non pōt hoc cōcedi. Sicuti ergo Angelus nō pōt esse in loco absq; p̄sentia locali, q̄ est quidā modus ab ei⁹ substātia ex natura rei distinctus; ita neq; poterit esse in tēpore sine p̄sentia ad hoc tēpus, q̄ sit ēt q̄dā mod⁹ ab eius substantia distinct⁹, par est.n. ratio de tēpore, & de loco; & cōsequenter, sicuti Angelus, dū sit p̄sens modò huic, modò illi loco, acq̄rit hāc præsentiam localē successiuè; ita cū eius duratio sit p̄sens diuersis tēporib⁹, successiuè hāc præsentiā acq̄rit. Quare nō ponim⁹ nos successionē in angeli substantia, vt aduersarij obijciunt, sed tm̄ in modo, qua distinctione adhibita oīa aduersariorū argumenta corruūt, q̄ ex indiuisibilitate substātiæ ad durationis indiuisibilitatē argumētāt, quasi nō differāt ex nāa rei, & substantia indiuisibilis nō possit habere modū diuisibilē, vt patet ex motu locali angelorū, & ex vnione aīæ rationalis cū materia, de qua sup. egim⁹ q. 19. Plura alia essēt dicēda de hac duratione, sed nō est hic loc⁹, aliàs, Deo fauente id p̄stabimus. Prosequamur modò q̄stionē principalē de creatione. Ex dictis ergo patet, nō potuisse aliq̄d fieri ab æterno, put cōmuniter intelligit. Reliquū est, vt p̄bemus neq; fieri posse aliq̄d ab æterno in sensu à quinta sententia recepto, qđ .s. factū fuerit ante durationē infinitam, quamuis ipsum finito tempore durauerit.

Hoc ergo esse impossibile, p̄batur. Duplici tm̄ modo pōt aliquid dici æternū, vel quia careat principio, & vocat æternū à parte ante, vel quia careat fine, & dr̄ æternū à parte post, sed hæc duratio, q̄ intercessit inter illud, qđ supponit esse creatū ante æternitatē, & qđlibet aliud punctū signatū, habuit principiū, et finē, ergo nullo pacto est æterna. Quòd habuerit principiū, patet, quia incœpit post desitionē illius rei, de quā loquimur; q̄ habuerit finem, ēt cōstat, quia vsque

ad tempus præsens se extendit, & non vlteriùs, & quamuis etiam posteriùs duratura dicatur, tamen nõ dicitur æterna, vt duratura, sed vt de facto durauit. Confirmatur, quia si duratio, quæ incœpit, dici posset æterna aliquando, sequeretur, vt de Angelis etiam aliquando foret verum dicere, quòd æternitatem durauerint, at numquam hoc erit verum, quia semper erit verũ dicere, finito tempore durasse, sed duraturos in æternum. Et confirmatur, quia vel posset assignari primum instans, in quo verum esset dicere, nunc transacta est duratio æterna, vel non, si posset, ergo per additionem instantis aliquid ex finito fieret infinitum, si non posset, ergo numquam eius duratio euaderet infinita, quia cum modò sit finita, implicat, ex finita fieri infinitam, nisi possimus dicere, hucusque finita fuit, & postmodũ fuit infinita, alioquin sicut modò est finita, ita semper finita erit. Præterea quæro, cum primùm res illa, quę dicitur ab æterno creata, condita fuit, an dici potuerit ab æterno producta, vel vt hoc diceretur, expectandum fuit, vt æternitas tota transiret, si primum, non alia certè ratione, nisi quia post ipsius creationem æterna duratio fluxura erat, quare etiã nos dici poterimus conditi ab ęterno, quia post ortum nostrum, æterna sequetur duratio; Si verò tunc dici potuit ab æterno condita, ergo aliquid, quod in tempore est factum, dici potest deinde esse ab æterno, quod repugnat. Si dicas, non posse assignari illud primùm, in quo condita fuit, iam ergo supponitur, caruisse principio, & non differt hęc sententia in acceptione æternitatis à reliquis.

Est etiam hæc sententia negans conformior dictis Sanctorum, qui probant, Verbum Diuinum non esse creaturam, eò quòd genitum fuerit ab æterno, ęternitatemq; nolunt creaturæ communicari posse, quorum authoritate motus Gregorius de Valentia hanc sententiam amplexus est in prima parte disputatione 3. quæstione 3. puncto 2.

Ad argumenta pro priori sententia respondetur.

SECTIO III.

Ad primum argumentum aduersariorum iam ostendimus in quo posita sit hęc repugnãtia, & contradictio. Secundum quoque est iam solutum. Ad tertium patet quoque ex dictis, Deũ per totam æternitatẽ potuisse creare mundum in quolibet instanti, non tamen tribuere illi æternitatem. Ad quartum patet ex dictis. Ad confirmationem respondeo, probari per illud argumentum infinitatem, siue æternitatem syncategorematicè, non autem categorematicè, illam nos concedimus, non autem hanc.

Ad quintum respondeo, Solem agere ex necessitate naturæ, nec posse actionem suam, qua producitur lumen, cohibere, & idcirco si fuisset ab æterno, lumen quoque æternum produxisset, sicut etiam, quia Verbum Diuinum necessariò gignitur à Patre, ab æterno gignitur. At verò Deus cum neque agat ex necessitate, nec possit se priuare libertate, & potentia destruendi creaturam, non potest illi largiri æternitatem, per quam impossibile esset ipsam destrui, qua pro-

produci ab æterno nō est tantùm produci ab initio æternitatis, siue sine principio, vt videntur nonnulli imaginari, sed etiam recipere durationem infinitam, & totam simul, per quam necessariò deberet in æternum durare, & nullam subire mutationem, & semper se habere, ac si tunc inciperet creari, quæ perfectio creaturæ repugnat. Si dicas, ergo repugnabit lumini, fieri ab æterno à Sole. Respondetur, quòd dato vno incommodo, scilicet Solem esse ab æterno, non mirum, si alterum sequatur, scilicet lumen ab æterno produci.

De Reactione, & Resistentia.

Disputatio Sexta.

EX eo quòd actio physica est à contrario in contrarium, oritur reactio, quæ nihil aliud est, quā actio passi in agens, & quamuis dū duo contraria inuicem pugnant, vnumquodque eorum & agit, & patitur, illud tamen dicitur simpliciter agens, quod est potentius, & ita pugnat, vt vincat, & illud simpliciter patiēs, quod est infirmius, & vincitur, consequenter actio victoris appellatur simpliciter actio, victi verò dicitur reactio, sicuti etiam passio victi dicitur simpliciter passio, at verò passio vincentis dicitur repassio. De hac igitur reactione, & repassione duo quæremus. Alterum, an detur, & verè agens dum agit, repati possit à passo. Alterum, an verum sit vniuersaliter illud pronunciatum. Omne agens agendo repatitur, & omne patiens patiendo reagit.

An detur Reactio.

QVÆSTIO XLV.

Quæ Reactionem videantur funditus tollere.

SECTIO I.

DIfficillima so'et existimari hæc quæstio, quoniam ex vna parte experientia cogere videtur ad reactionem admittendam, ex altera verò adsunt rationes contra eam ferè inexplicabiles.

Prima autem, & potissima est, quia sequeretur, idem moueri cōtrarijs motibus, quod non minùs impossibile est, quàm duo contraria esse simul in eodem subiecto, cum motus à suo termino non differat, & ex se statim impossibile apparet, quòd idem frigefiat, & calefiat simul, siue quòd in eodem subiecto calor, vel frigus intendatur, simul & remittatur. Sequela probatur, quia si ignis exēpli causa calefaciat aquam per aerem medium, & aqua frigefaciat ignem, cum vtriusque actio per idem medium transeat, oportebit, aerē medium & frigefieri, & calefieri simul. Præterea idem ostenditur, quādo agens, & patiens se mutuo contingunt, quia semper vna pars est alijs propinquior, & respectu aliarum se habet veluti medium exempli causa ignis calefacit aquam, & proculdubio magis partem propinquam, quàm remotam, hæc igitur prima pars propinqua igni, magis calefacta aget in secundam partem, & eam calefaciet, & simul etiam ab ea repatietur, per quam repassionem remittetur eius calor, & in eodem tempore

non cessabit ignis eam calefacere, ergo simul calefiet, & frigefiet, simulq; intendetur eius calor ab igne, & remittetur ab alia aqua, & hoc est argumentum, quod Ricardo Suisset Anglo, quē Calculatorem vocāt, tribuit tract. de reactione, de quo lepidè Iul. Cæsar Scalig. exerc. 340. *Admirātur oēs subtilia argumenta Calculatoris contra reactionem, ego potius admirarer, si dissoluisset; Nam in re difficili nodum texere, non admodum difficile*.

Secunda ratio est. Actio nō prouenit nisi à victoria, & excessu agētis respectu patientis ex commēt. tex. 71. 4. phys. & Aristotele 1. de Cœlo tex. 116. & 7. phys. & lib. de motu animalium cap. 2. vel ergo contraria sunt æqualia, vel inæqualia in virtute agendi, si æqualia, ergo neutrum aget, vel patietur, quia neutrum alterum vincit, si inæqualia, ergo illud tantùm aget, quod alterum superat, quod verò superatur, patietur tantùm, & non aget, quare nulla dabitur reactio.

Tertiò, data reactione, numquā posset agens reddere patiens sibi omnino simile, neque perfectam de eo obtinere victoriam, probatur consequentia, quoniam si agēs repatitur, ergo remittitur eius virtus, non poterit igitur producere effectum ad eam perfectionē, quā ante actionem possidebat. Item si repatitur, ergo in fine actionis erit infirmius, & imperfectius, quàm in principio, non igitur perfectam victoriam de contrario obtinuit. Hoc autem esse inconueniens, probatur, quia nulla daretur generatio substantialis, ad hāc enim necesse est, vt materia sit perfectè disposita, & reddita similis ipsissima teriæ agentis, at si agens non perfectè cōtrarium vincit, neque perfectè poterit materiam disponere, numquam exempli causa poterit ignis producere octo gradus caloris in aliqua materia, numquam aqua octo gradus frigoris, ergo nulla dabitur generatio.

Quartò, idem non potest secundum eamdem rationem agere, & pati, quia non potest idem secundum eādem formam esse in actu, & in potētia, quod autem agit, est actu, quod patitur, est potentia, at si daretur reactio, idem secundum eamdem rationem, & eamdem formam ageret, & pateretur, nam calidum ageret quatenus calidum, & pateretur etiam à contrario, quatenus calidum, ageret enim, & pateretur, quatenus habet oppositionem cum alio contrario, at calidum quatenus calidum opponitur frigido, ergo secundum calorē & agit, & patitur.

Quintò, quodlibet ens naturā impellente magis suam propriam conseruationem appetit, quàm alterius, ergo si nō potest aliquid agere, nisi etiam repatiatur, numquam aget. Ne enim corrumpatur à cōtrario, ab ipso destruendo abstinebit. Confirmatur, quia ex eo quòd natura tribuit appetitum suæ propriæ conseruationis, tribuit etiam media ad se conseruandum, ergo etiam ex eo quòd tribuit maiorem appetitum ad se conseruandum, quàm ad aliud destruendum, licebit etiam argumentari, ad illud maiores vires tribuisse, quàm ad hoc, ergo agens, quod potest aliud destruere, poterit etiam se conseruare, & ab eo se tueri, tum quia id est conforme naturali appetitui, tum quia minor virtus videtur requiri ad se conseruandum, quàm ad aliud destruendum.

Sextò,

Sextò, posita reactione dabitur processus in infinitum in actionibus, neque vmquam duo contraria definent inuicem agere, quod est absurdum. Probatur cōsequentia, quoniam dum calidum agit in frigus, frigus reagit, at verò quamuis appelletur hæc reactio, re vera tamen est actio, eam igitut consequetur reactio calidi, & hanc reactionem sequetur reactio frigidi, & ita in infinitum.

Septimò, idem esset respectu eiusdem nobilius, & ignobilius. Nam agens est nobilius patiente ex Aristotele 3. de anima, ergo si idem respectu eiusdem est agens, & patiēs, erit etiā nobilius, & ignobilius.

Octauò, vel patiens reagit per illos gradus, quos amittit, vel per illos, quos retinet, exempli causa frigidum vt quinque ad præsentiā calidi amittit quintum gradum frigoris, & retinet alios quatuor, vel ergo reagit per illum quintum gradum, vel per hos quatuor, non primum, quia ille quintus iam est deperditus, neque secundum, tum quia hi quatuor non sunt contrarij agenti, alioqui & ipsi passi essent ab ipso, tum etiam quia adhuc non reageret patiens per eamdem formam, secundum quam patitur.

Veram reactionem, varijs modis, quibus eam nonnulli eludunt exclusis, dari concluditur.

SECTIO II.

Adeo clarè experientia comperimus, reactionem admittendam esse, vt nullus ferè Philosophorum eam apertè, & omnino negare ausus fuerit. Vt tamen difficultates supra allatas deuitarent, varios modos eam explicandi excogitarunt, quos paulò post impugnabimus.

Probatur nunc, reactionem dari, quia si quis manu frigida aliquid calidum apprehendat, & calido impertit aliquid frigoris, & aliquid caloris ob eo recipit manus, igitur & agit, & reparitur, illud verò calidum & patitur, et reagit. Immo vtraque in nobis aliquando experimur, dum frigidam manum calidæ fronti applicamus, sentimus enim, & frontem frigefieri, & calefieri manum. Item si quis ignitum carbonem in cyathum aquæ plenum inijciat, deprehendet, & aquam calefieri, & ignem extingui, & alia plurima experimenta similia afferri possent. Probatur præterea ratione, quia maior est actiuitas caloris, quàm eius resistentia, vt infra videbimus, ergo sicut per actiuitatem agit in frigus, ita per minorem resistentiam ab eo repatietur. Tertiò, nullum daretur mistum ex elementis, vel ex contrarijs, nam vel contraria essent æqualia, & nulla intercederet actio, vel vnum superaret alterum, & superans conuerteret superatum in se, numquam ergo ex ipsis aliquod tertium gigneretur. Quartò, dum nutrimur, non tantùm alimentum patitur à substāria nostra, & in ipsam conuertitur, sed etiam ipsa nostra substantia alimenti qualitatibus afficitur, alioquin nihil referret calido ne, an frigido, humido, an sicco nutriremur, ergo inter substantiam, & alimentū reactio datur, & repassio.

Aristoteles quoque apertissimè huic sententiæ suffragatur, nam in tex. 53. huius primi inquit, ea, quæ in materia cõueniũt, agere, & pati inuicem, & cap. 3. lib. 4. de generatione animalium clariùs docet, omne agẽs pati à patiẽte, & quod secat, hebetari ab eo, quod secatur, quod calefacit, refrigerari à calefacto. Denique quod mouet, excepto primo motore, à moto etiam moueri. Et idem colligitur ex 3. phys. tex. 8.

Est autem primus modus explicandi reactionem, quem sequitur Calculator, repati scilicet agens, & non secundum eamdem qualitatem à passo, ita vt ignis agat per calorem in aquam, ab ea autem repatiatur secundum siccitatem, sed facilè experientia refellitur, nam dum aqua calida frigidæ inijcitur, vtraque agit, & repatitur, quia & frigida amittit aliquid frigoris, & & calida aliquid caloris, & ita ambæ fiunt tepidæ, neque inter eas adest vlla alia contrarietas, quàm caloris, & frigoris, ergo verè per easdem qualitates agunt, & repatiuntur.

Secundus modus est, fieri quidem reactionem secundum eamdem qualitatem, siue contrarietatem, non tamen per se, sed ex quadam consequentia, ita vt calidum agat per se quatenus calidum, patiatur verò per se, quatenus siccũ, sed quia humiditas secum afferre solet aliquid frigoris, & hebetare calorem, consequenter dicitur calidum repati etiam in calore. Sed hic quoque modus eadem experientia refellitur, quia aqua calida, & aqua frigida sunt æquè humidæ, & tamen in calore, & frigore mutuo agunt, & repatiuntur. Præterea aliquando frigidum est siccum, & calidum est humidum, vt dum ferrum frigidum in aquam calidam immittitur, & tamen inuicem agunt, & repatiuntur, ergo per se secundum eamdem contrarietatem, quia humiditas apta esset potius afferre frigus, quàm calorem.

Tertius modus est, agens non repati secundum eam partem, qua agit, sed per vnam agere, per alteram verò pati. Qui etiam facilè reijcitur, nam dum aqua calida frigidæ immiscetur, nulla pars eius remanet, cuius calor non remittatur, ergo secundum eamdem partem patitur, secundum quam agit.

Quartus modus est, agens dum agit, repati quidem, verùm non à passo, sed ab aliquo circunstante, quasi dum fertur in hostem, alteri, vt in ipsum agat, opportunitatem præbeat, vel ab influentia Cœli. sed improbabilis est; nam sensus demonstrat, calidum ab eo frigido repati, in quod agit, nec est maior ratio, cur dicatur, vel Cœlum, vel aliquid circunstans in agens agere, potius quàm in patiens.

Quintus est, agens non propriè repati à contrario, sed quodammodo fatigari; & propter hoc eius virtutem apparere magis remissam. Nam & commentator 8. phys. probat, virtutem materialem esse fatigabilem, & causam fatigationis esse, quòd sit in materia. Improbatur etiam hic modus. Primùm quoniam agens defatigatum ob solam quietem resumit vires, at quod repatitur, etiamsi desistat agere, non per hoc vires resumit, vt patet in elementis, quæ propter reactionem contemperantur in mistis, ergo repassio non est defatigatio. Præterea aliquando agens non repatitur, eò quòd non sit intra sphe-

sphæram actiuitatis passi, vt cum ignis calefacit aquam remotam, at tunc æquè deberet defatigari, ac si ageret in propinquam, immo magis, quoniam maior vis requiritur ad actionem in distãs, quàm in propinquum, at tunc non remittitur eius virtus, ergo signum est, non remitti ob defatigationem, sed ob repassionem. Tertiò virtus, quæ in se ipsa non patitur contrarium, nõ defatigatur, idcirco n. virtus motiua animalis defatigatur, quia habet elementum prædominans, quod ei cõtrariatur, at ignis in se nullum patitur contrarium, dum calefacit, ergo si neque à patiente aliquid repateretur, non posset dici, quòd defatigaretur.

Sextus modus est, agens repati quidem à passo, non tamen secundum se totum, sed secundum aliquam sui partem debiliorem. Sed neque hic modus sufficit, quia dum aqua calida infunditur frigidæ, vtraque repatitur secundum omnem sui partem. Secundò, vel vult author huius sententiæ, quòd pars illa agentis, quæ repatitur, agat, vel hoc non admittit, si primũ; iam in illa parte habet easdem difficultates, quas reliqui patiuntur in toto. Si secundum, ergo verè negat reactionem, quia non est eadem pars, quæ agat, & repatiatur. His igitur, & alijs modis, qui referuntur à Pomponatio tract. de reactione, & Marsilio quæst. 19. huius libri reiectis.

Dicendum est, dari perfectam, & veram reactionem, ita vt re vera dum agens agit, simul etiam repatiatur ab eo, in quod agit, vt experimenta, & rationes adductæ conuincunt. Argumenta autem, quæ contra hanc veritatẽ obijciebantur, non obstare, nunc aggrediemur ostendere.

Argumentum primum Calculatoris contra reactionem à multis frustra excussum clarissimè explicatur, & soluitur.

SECTIO III.

Huius argumenti difficultas in varias responsiones à veritate remotas compulit multos, ex quibus præcipuas tantùm huc afferemus, & impugnabimus, vt veritas tandem magis elucescat.

Prima responsio est Nobilij hic quæst. ij. Non esse absurdum, idẽ moueri contrarijs motibus, & simul calefieri, & frigefieri, dumque infertur, quòd in eadem materia essent qualitates contrariæ, respondet, neque hoc esse absurdum, præcipuè cum se habeant in ea tamquam in hospitio, nõ verò permanenter. Et potest confirmari hæc responsio, quia etiam Astrologi aiunt, Cœlos inferiores primo mobili duobus motibus cõtrarijs moueri simul, motu scilicet primi mobilis ad occidentem, & motu proprio ad orientem, quod aliqui explicant exemplo eius, qui in naui positus ambulat versus orientem, cum nauis ipsa tendat in occidentem. Verùm hæc responsio euertit maximum principium in Philosophia, quod scilicet, Contraria non possunt esse simul, hinc enim oriuntur actiones, alterationes, & generationes, & corruptiones omnes, & videtur principium per se notum, quia si sunt contraria, ergo inuicem pugnant, ergo nõ possunt esse simul. Præterea patet experien-

rientia, dum aliquid calorē acquirit, simul etiā remitti eius frigus, ergo signum est, non posse esse simul non solùm permanenter, sed neque in hospitio, quoniam sequeretur, per aliquod modicum temporis, si illa pars ab aliquo tāgeretur, quòd simul sentiretur calida, & frigida, & quòd illam tangens simul ab illa calefieret, & frigefieret, quæ omnia sunt perquam absurda. Tertiò, si possent per aliquod tempus esse simul, nulla esset ratio, cur non etiā semper, quoniam agentia naturalia semper eodem modo se habent, si ergo calor secum compatitur frigus per aliquod tempus, poterit etiam semper secum idem compati. Quartò patet clarissimè, in motu locali non posse aliquem simul moueri ad contrarios terminos, sed non minùs pugnant termini oppositi in alteratione, quàm in motu locali, ergo, vt probetur minor, ponamus, aliquem distare à duobus terminis oppositis per decem passus, ipsos verò terminos distare inuicem passibus viginti, ita vt mobile sit in medio spatio inter ipsos, tūc ergo si corpus, quod est in medio, posset simul moueri versus vtrumque terminum, sequeretur, vt postea minùs distaret ab vtroque termino, distabit igitur non amplius, quàm sex passibus, quæro autem, an adhuc sit in medio, si est, ergo illi termini, cum priùs distarent viginti passibus, absque eo quòd moti sint, incipient distare tantùm per duodecim. Si dicas, non esse in medio, sed magis versus vnum terminum, quàm versus alterum, ergo falsum est, motum fuisse versus vtrumq; terminum, quoniam ab vno recessit, & ad alterum accessit. Vel si ad vtrumque accessit, sed magis ad vnum, quàm ad alterum, saltem ab vtroque minùs distabit, ac priùs, consequenter etiam illi inter se quamuis moti nō sint, quod est etiam absurdum.

Ad illud, quod de Cœlis affertur, posito quòd sint plures Cœli, & eo modo moueantur, quo Astrologi communiter asserunt, licet vt supra notauimus, nobis contrariū videatur probabilius. Respondetur, falsum esse, quòd Cœli re vera moueātur diuersis motibus oppositis. Nam, vt ex his, quæ diximus, apparet, inoleuit hoc repugnantiam, ita vt existimen, neque per diuinam potētiam fieri posse, quòd idem corpus, nisi replicetur, possit ad duos teminos oppositos moueri. Neque ad hanc oppositionem tollendam sufficit, quòd moueantur orbes super diuersos polos, nam, vt aduertit etiam Clauius in cap. primum sphæræ, neq; per eamdem, neque per diuersas lineas potest idem ferri in contrarias partes. Quòd ergo dicunt Astrologi, Cœlum verbi gratia Solis duobus motibus moueri, & altero cōficere diem, altero verò annum, hoc pacto explicari debet. Rapit primum mobile secum Cœlum Solis, sed quoniā virtus, quò tendit in aliquid remotius, eò est minor, non potest Cœlum Solis tanta velocitate mouere, quanta ipsum primum mobile. hinc efficitur, vt in prima circulatione Sol non adæquet motum primi mobilis, sed post ipsum remanet exempli gratia duos passus. Primum autem mobile non exspectat cursum Solis, sed immediatè post incipit secundam circulationem, & cum etiam in ea tardiùs moueatur Sol, remanet in hac secunda post primum mobile quatuor passus,

in

in tertia deinde sex, & ita deinceps, qui ergo viderunt, Solē semper magis remanere post primum mobile, dixerunt, ipsum moueri in oppositam partem, cum certè non sit hoc in oppositam partem moueri, sed minùs velociter tendere in eamdem, & hinc tandem efficitur, vt post tot circulationes, quot sunt dies in anno, primum mobile spatio integræ circulationis antecesserit Solem, & tunc denuo incipiant simul moueri, siue hoc ex eo contingat, quòd Cœlum inferius in contrariam partem nitatur, siue ex eo quòd minùs participet impulsum superioris orbis, nam videmus, Cœlos, quò sunt propiores primo mobili, tardiùs motu proprio moueri, quò verò sunt remotiores, esse velociores, ita vt Saturnus dicatur longè tardior luna, cū tamen re vera luna ipsa sit tardissima, vt etiam docuit Aristotel. lib. primo metheor. sum. p. cap. 4. in fine, & ex tarditate eius eueniat, vt citiùs retrocedendo quodammodo ad principium sui motus regrediatur: Quod etiam explicari potest exemplo duorum deambulantium per idem spatium, quorū alter sit valde velox, alter admodum tardus, & idcirco, quod solet dici, eueniat, vt dum semel deambulando vnus conficit illud spacium, alter bis iam illud confecerit. In prima verbi gratia deambulatione velocis, tardus erit post ipsum longo interuallo, post secundam erunt simul, non quòd tardum diuersimodè se mouerit, sed quoniam velox vnica integra deambulatione antecedit tardum; ita etiā quando primum mobile vnica integra circuitione antecedit Solē, iam simul denuo reperiuntur, & ita videtur Sol retrocessisse. Nota tamen, nolle me hac tantùm tarditate inferiorum orbium, omnia, quæ de ipsorum motibus Astrologi dicunt, explicare, hoc enim est impossibile, cum supra diuersos polos primum mobile, & reliqui Cœli ferantur, vt etiam rectè aduertit Christophorus Clauius in primum caput sphæræ, sed tantùm illam repedationem, siue retrocessionem orbium, quòd enim etiam simul moueantur dextrorsum, siue sinistrorsum, nihil refert, vt explicari potest exemplo suprapositio duorum deambulantium non ęquali velocitate, si ponamus, tardiùs deambulantem obliquè deambulare, vel ab alio in latus trahi, tunc enim eius motus esset simul in anteriorem partē, & in lateralem, ac si per diametrum quadranguli moueretur.

Ad exemplum de eo, qui mouetur in naui contrario motu, ac nauis, respondeo, eum re vera vnico motu moueri, nam postquam motus est, quæro, an æquè distet ab occidente, ac distabat priùs vel non, si æquè, ergo nullo pacto est motus, si non æquè, sed magis distat, ergo versus orientem tantùm motus est, non versus occidentem, si minùs, ergo versus occidentem solummodo motus est, non verò versus orientem; Vt autem cognoscamus, versus quam partem simpliciter sit motus, videndum est, quisnam motus sit velocior, ipsiusne, an nauis. Ponamus ergo, nauem moueri velociter vt quatuor, tunc si ille, qui deambulat, mouetur, quantum est in se, velociter vt tres, simpliciter accedet versus eam partem, in quam nauis tendit, non tamen accedet vt quatuor, sed vt vnum

tantùm, quia tres reliqui gradus compensantur à motu ipsius, qui est vt tres. Si verò moueatur velociter vt sex, tunc mouebitur simpliciter versus contrariam partem nauis, vt duo. Dicet tamen quis, hac quidẽ ratione rectè probari, quòd non possit quis simul accedere ad duos terminos oppositos, non tamen, quòd duobus motibus contrarijs non moueatur, immo videtur tunc magis hoc concludi, quia dum ipse mouetur versus occidentem, vt sex, nisi in contrariam partem moueretur vt quatuor, non diceretur simpliciter moueri tantùm, vt duo versus orientem, sed vt sex. Respondetur, re vera non moueri duobus motibus contrarijs, quoniam repugnat, moueri aliquo motu, & non acquirere terminum proprium illius motus, hic autem deambulans in naui vnicum tantùm terminum nouum acquirit, ergo vnico tantùm motu mouetur, re vera igitur dum deambulans mouetur ex se vt sex, non mouetur motu nauis, sed retardatur eius proprius motus, & efficitur, vt qui, si non adesset motus nauis, moueretur vt sex versus orientem, posito nauis motu moueatur tantùm vt duo, quod etiam magis declarabitur ex nostra responsione ad argumentum Calcularoris. Videtur tamen moueri contrarijs motibus, quia licet re vera quoad spatium imaginarium, & Cœli distantiam vnicum tantũ terminum acquirat, respectu tamen nauis alterum quoque adipiscitur, sed hic spectat ad locum extrinsecum, & sicuti non dicitur turris moueri, quamuis locus extrinsecus, scilicet aer ambiens mutetur, quia est in eodem spatio imaginario, & in eadem distantia ad polos Cœli, ita etiam licet hic deambulans sit in alio loco respectu nauis, non tamen hoc sufficit, vt illius ratione dicatur motus.

Dices. Si materia esset omnis formæ, et accidentis expers, & illi applicarentur duo agentia contraria, verbi gratia calor, & frig^{9}, posset simul calefieri, & frigefieri, ergo non repugnat, idem moueri contrarijs motibus. Probatur antecedens, quoniam possent in eadem materia esse calor, & frigus in gradu remisso, ergo poterit etiam ad ea simul moueri materia, si enim nõ repugnant termini, neque repugnabunt motus. Respõdetur, verum esse antecedens, sed negandam consequentiam, non enim illi motus essent cõtrarij, quoniam calor remissus cum frigore remisso non pugnat, neque sunt contraria, vt patet ex his, quæ diximus de gradibus eterogeneis.

Secunda responsio est Zabarellæ lib. de reactione cap. 8. quæ videtur non differre ab ea, quam refert Marsil. in 6. modo. Medium inter agens, & patiens simul recipere calorem ab igne, & frigus ab aqua, non tamen vt duas qualitates distinctas contrarias, sed vt vnam mediocrem ex vtrisque prouenientem, quamuis in parte igni propinquiori magis ad calorem vergat, in parte autem aquæ propinquiori magis ad frigus. Et probatur hęc respõsio, quia sicuti duo contraria remissa se compatiuntur in eodem subiecto, ita vt vnam mediocrem qualitatem ex se constituant, ita etiam non repugnat, eamdem fieri à duabus actionibus. Non satisfacit tamen hæc responsio, nam ex ea vel sequetur, cõtrarium produci à contrario, verbi gratia frigus à calore, vel tolletur reactio.

reactio. Sit enim medium, quod interiacet inter agens, & patiens, calidum vt quinque ante omnem eorum actionem, postea verò vel erit æquè calidum ac prius, & à neutro aliquid recepit, vel magis calidum, quàm antea, & vel erit dicendum, hunc intensiorem calorem recepisse etiam à frigore, sicq; contrarium genitum erit à contrario, vel tantùm à calore, & tunc frigus nihil aget in medium, consequenter neque in contrarium, tolletur igitur reactio.

Tertia responsio est Toleti hic q. 15. Doctorum Connimbr. cap. 9. q. 1. art. 7. & Pomponatij trac. de reactione, partem agentis, quæ patitur à patiente, non recipere vllam actionem aliarum partium, ponamus enim, ignem habere quatuor partes, harum primam dicũt repati ab aqua, & frigefieri, sed nõ interim calefieri à cęteris partibus ignis, sed has totã suam vim exercere contra aquam, quasi enim, inquiunt, dissimulat totus ignis dispendium partis, donec hostem omnino conterat, tunc enim parta victoria, eam partem quoque facilè in suum statum vindicabit. Sed hæc responsio duobus nititur fundamentis, quæ facillimè cadent. Prius est, tres partes ignis non agere in quartam partem frigidiorẽ. Posterius, relicto frigore proximo, quod in ea parte reperitur, agere in frigus distans, quod est in aqua. Vtrumque autem est contra principia Philosophiæ nimis clara. Prius contra illud, quòd contraria sint propinqua, & inuicem non pugnent, præcipuè cum calidum superet valde frigus contrarium, loquimur enim hic de agentibus naturalibus, in quibus habere non potest locum illa dissimulatio, quam ipsi confingunt, quia mouentur ab obiecto pręsenti, cõsequenter cum calor habeat præsens frigus, in ipsum necessariò aget. Præterea est contra experientiam, quia si illa vltima pars ignis esset ab alijs partibus seiuncta, facilè vinceretur ab aqua, & destrueretur, modò autem non destruitur, ergo signum est, adiuuari ab alijs partibus, alioqui se haberet, ac disiuncta. Posterius autem fundamentum est contra illud, quod supra probauimus, nullum agens agere posse in distans, si enim illæ tres partes ignis, absque eo quòd agant in partem mediam, agunt in aquam, quæ post illam reperitur, iam ergo agunt in distans. Respõdent, non agere in distans, quia totus ignis calefacit, & agit, & totus secundum aliquam partem est aquæ propinquus. Verùm insto, vel ignis agit secundum illum tantùm gradum caloris, qui est in vltima parte, vel secundum eos etiã, qui sunt in reliquis partibus, si primum, ergo falsum est, secundum tres alias partes agere in aquam, si secundum, ergo excessus ille caloris, siue actionis transit in distãs, absque eo quòd transeat per medium, quare poterit etiam contingere, vt producatur ab igne calor vt octo in passo, & tamen in parte ipsi propinqua non sint octo gradus, sed tantùm septem, erit igitur ille octauus ab agente distanti.

Ad alteram partem argumenti Calculatoris de medio respondent consequenter ad hæc sua principia, quòd medium partim se tenebit ex parte vnius agentis, & simul cum eo constituit vnum integrum, & totale agens, & partim ex alterius, & idem erit de eo dicendum, ac de vltima parte agentis di-

dictum est, quare nec opus est noua impugnatione, sufficiunt enim ea, quæ contra alteram partem diximus, quæ æquè contra hanc militant, in hac tamen improbabilius dicitur, ignem producere maiorem calorem in aquam remotā, quàm in aerem proximum.

Quarta responsio est Francisci Piccolom. lib. 1. de mat. prima cap. 22. qui multa complectens inquit, vel qualitates contrarias recipi in distincta parte medij, vel in gradu remisso, vel in his se habere, vt in aere agitato à contrarijs ventis. Prima autem pars huius responsionis est contra experientiam, nam aer, qui est medius inter gelu, & ignem, non est ad læuam frigidus, & ad dexteram calidus, sed vbiq; æqualiter se habet, alioqui etiam sequeretur, ignem, & gelu non agere, & pati secundum eādē partē, sed secundū diuersas. Est etiam contra rationem, quia si supponamus, ignem habere in sua extensione æqualem virtutem, non est ratio, cur potius agat in vnam partem medij, quàm in alteram; quòd si per distinctas partes medij intelligit non dexteram, & læuam, sed propinquam, & remotam, siue anteriorem, & posteriorem, impugnata est hæc pars in responsione Collegij, quia tolleretur etiam reactio inter ipsa agentia principalia; Si enim ignis non imprimit qualitatem in aerem gelu propinquum, multò minùs poterit in ipsum gelu agere. Secunda pars, quòd sint in gradu remisso ex impugnatione Zabarellæ corruit, vel enim sunt eædem, ac prius, & nulla facta est actio, vel aliqua tantùm earum augmentum recepit, & sic non ambo agentia agunt, vel ambæ, & tunc medium mouebitur contrarijs motibus.

Tertia pars, quòd se habeant, vt in aere agitato à contrarijs ventis, nil aliud, quàm dicere, quòd modò præualeat vnum contrariū, modò alterum, vt accidit in ventis, quod dici non potest de qualitatibus, quoniam si mutuo agunt calidum vt sex, & frigidum vt quatuor, numquam præualebit frigus, sed semper calor, ergo non se habebunt vt venti. Præterea tollit actionem, & repassionem in eodē tempore, quod in impugnatione aliarum responsionum ostendem' falsum esse.

Quinta responsio est Pauli Veneti, & aliorum communiter, vt refert Toletus, dicentium, mediū, siue partem ignis non simul calefieri, & frigefieri, sed successiuè modò frigefieri, modò calefieri, cum enim simul non possit recipere frigus, & calorem, oportet, inquiunt, concedere, vt dum frigefit, non calefiat. Sed neque hæc responsio satisfacit. Primùm quoniam dum ignis cœpit calefacere medium, nulla potest assignari ratio, cur ab ea calefactione desistat, ergo falsum est, quod asserunt, medium modò calefieri, & modò frigefieri. Probatur antecedens, quia ignis agit naturaliter, & dum habet subiectum aptum, numquam ab actione cessat, hic autem habet subiectum aptum, ergo. Dices, impediri à frigefactione. Contra. Frigidum contrarium non habet maiorem virtutem nunc, quàm antea, sed antea non obstitit, ergo neque nunc, immo nunc multò minus, quia si cœpit à medio eijcere frigus, iam contrariū redditum est debilius, ergo multò magis, quàm antea poterit in ipsum

agere. Praeterea vel calefactio, cui succedit frigefactio, mensuratur tempore, vel instanti, si instanti, idem dicendum erit de frigefactione seqnenti, eruntque pluia instantia immediata, si tempore, quaero, cur modò, & non antea desijt calefactio? non potest reddi vlla ratio, ergo verè dicendum est, numquam cessare. Praeterea est contra experientiam, quia numquam videmus, aut sentimus, medium modò calefieri, modò frigefieri, sed si calidum sit validius, eius calefactionem semper augeri, & idem sentimus, dum manu calida apprehēdimus rem frigidam, quia continuè sensus aduertit, se frigefieri, non verò modò frigefieri, modò calefieri. Praeterea tollitur re vera reactio, quia nō, dum agens agit, repateretur, sed postquam egit, quod est contra communem omnium sensum, & experientiam. Ad haec, Numquam aliquod agens obtineret de contrario victoriam, nam postquam incoepit contra illud agere, ab actione desistit, & contrarium se repatat, ergo post actionem etiam contrarij se habebit vt priùs. Dicent, non posse passum tantùm per actionem suam restituere, quantum ab actione contrarij est illi ablatum. Sed ego contrarium probo, quia si non posset tantumdem, vel prouenires ex defectu eius virtutis, vel ex contrarij resistentia, non ex defectu virtutis, quia ex quatuor eius partibus prima tantùm pars supponitur refracta, caeterae autem partes adhuc integrae manent, ergo habent virtutem, illam sibi reddere similem, & restituere in gradum pristinum: Non etiam ex contrarij resistentia, quia si contrariū agens non adesset, facillimè reliquae partes eijcerent illum gradum, qui in quarta parte reperitur, videmus enim, remoto contrario paulò post passum se vindicare in pristinum statum, sed agens per aduersarios non agit, ergo se habet, ac si non adesset, ergo poterit passum totam suam pristinam vim recuperare. Dicent fortè, posse, si multum temporis desisteret agens ab actione, non ita tamen euenire, sed antequam passum potuerit se perfectè in gradum pristinum reuocare, agens denuo contra ipsum insurgere. Verùm hoc absque ratione dicitur, non enim potest afferri causa, cur tantum temporis cesset agens, & non amplius, nisi dicamus, cessare, donec passum reuertatur ad illum statum, in quo erat, quando agens coepit in ipsum agere. Vlterius idem sequeretur in omni actione contrariorum, etiamsi passum non possit reagere, si enim agens post coeptam actionem debet ab ea desistere in omni actione desistet, quare dum ignis aliquid calefacit, minùs passum erit calidum post coeptā calefactionem, quàm dum ipsa incipit, quia ex eo quòd agens cessat agere, passum se paulatim reducet ad pristinum statum, hoc autem est manifestè contra experientiam. Si dicant, hoc contingere tantùm propter reactionem contrarij. Contra, quia actio contrarij non potest omnino impedire actionem alterius contrarij. Praeterea ad hoc vt passum reagat, supponitur priùs, agens ab actione desistere, ergo non ob reactionem resistit. Denique maior est virtus agentis, quàm passi, ergo non potest illius

illius actio ab huius reactione impediri.

Sexta responsio est dicentium, medium, siue partẽ proquinquiorem moueri posse contrarijs motibus remissis, sicut possunt esse formæ remissæ cõtrariæ in eodem subiecto, sed alio modo explicant, quàm supra Nobilius. Ponamus enim, medium esse calidum vt quatuor, & frigidũ etiam vt quatuor. Applicantur huic medio calidum, & frigidum, vtrumque, dicunt, aget in medium, & si ponamus, agere æqualiter, calidum introducet exempli gratia duos gradus caloris, & expellet duos gradus frigoris, sed in eodem etiam tempore frigidum expellet duos alios gradus caloris, & introducet duos gradus frigoris, si calidũ sit validius, introducet tres gradus caloris, & expellet tres frigoris, frigidum verò introducet vnum tantùm gradum frigoris, & expellet vnũ gradum caloris, quare simpliciter medium erit quidem magis calidum, quàm priùs, tamen hoc non obstãte, recipit etiam aliquid frigoris, sed quia plus amisit, quàm receperit, idcirco simpliciter dicitur calefactum esse. Hæc responsio subtilis, & melior, quàm vlla aliarum præcedentium, saluat reactionem, incurrit tamen in alias difficultates. Supponit enim, ex duobus gradibus frigoris eiusdem prorsus rationis, verbi gratia vt quatuor posse vnum expelli, & alterum eodem tempore introduci. Hoc autẽ implicare, probatur, quia quartus gradus caloris, siue quintus, qui supponitur expellere alterum ex illis gradibus frigoris, non minorem habet repugnantiam cum eo gradu, qui introducitur, quàm cum eo, quem expellit, sed non potest esse simul cum eo, quem expellit, ergo neque cum eo, qui introducitur. Dicent fortè, hos gradus esse diuersæ rationis, vel si sint eiusdem rationis, habere repugnantiam gradum caloris, non cum eo gradu frigoris, vt sic, sed quatenus est simul cum alijs gradibus, quia quatuor gradus caloris se compatiuntur in eodem subiecto cũ quatuor gradibus frigoris, non autem cum quinto, non quia cum eo habeant peculiatem repugnantiam, sed quia nõ possunt esse cum quinque gradibus frigoris. Neutra tamen responsio vim argumenti effugit, non posterior, quia in huiusmodi qualitatibus gradus homogeneos supponit, quos supra impugnauimus. Sed neque prior, quia verè in eorum responsione asserere, illos duos gradus esse eiusdem rationis, oportet; quamuis in alijs sint eterogenei. Nam calidum vt quatuor amittere tres gradus caloris supponitur, & tres alios simul comparare, & postea quatuor gradus caloris habere, sicut etiam antea, ergo eiusdem rationis sunt gradus deperditi, & acquisiti, siue calidum vt sex amittit duos gradus caloris, & tres acquirit, & postea reperitur habere septem gradus caloris, ergo duo ex acquisitis sunt eiusdem rationis cum duobus deperditis, quare si gradus frigoris introductus habuit repugnantiã cum duobus deperditis, habebit etiam cum duobus acquisitis, nõ ergo dici potest, illos expellere, & hos admittere.

Præterea sequeretur etiam ex hac responsione, simile agere in simile, & subiectum aliquos gradus caloris recipere cum alios habeat eiusdem rationis, & numero tantũ differẽtes ab illis, vt probetur cõ-

fe:

sequētia, notandū est, non tm̄ simile agere in simile, cū calidū vt quatuor agit in calidū vt quatuor, sed etiam, si calidum vt sex agit in calidum vt quatuor, ita tamen vt nō solùm agat secundum excessum caloris, sed etiā secundum illos quatuor gradus, ratione quorum alteri calido assimilatur, quia tunc re vera agit vt calidum vt quatuor, & in calidum vt quatuor, hoc autē euenire, data illa respōsione, probatur. Ponamus enim, adesse duo contraria, scilicet calidum vt sex, & frigidum vt quatuor, medium autem esse calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, tunc extremum calidū vt sex introducet sex gradus caloris in medium, quod erat frigidum vt quatuor, ex quo fiet, vt remaneat medium calidum vt sex, ergo cum introduxerit sex gradus caloris, egit non tantùm secundum calorem, in quo excedebat mediū, qui erat tantū vt duo, sed etiam secundum illum, in quo nō excedebat, quia introduxit sex, cum tamen excederet tantùm in duobus. Si dicant, introduxisse tantùm duos gradus caloris, qui cum praecedentibus quatuor efficiunt medium calidū vt sex. Contra, quia frigidum vt quatuor ex ipsorum sententia expulit aliquot gradus caloris; ergo si ab extremo calido duo tantùm fuissent introducti, iam medium non posset esse calidum vt sex. Confirmatur, quia si nolint, simile agere in simile, ergo frigidum vt quatuor non agit in medium frigidum similiter vt quatuor, si non agit, ergo calidum vt sex aget in frigus, absq; eo quòd repatiatur à frigore, vt quatuor, quod est contra experientiam. Si dicent, non priùs frigidū vt quatuor agere in medium æquè frigidum vt quatuor, quàm à calido sit expulsum aliquid frigoris, ergo actio, & repassio non fiunt simul, sed successiuè, vt dicebat quinta responsio.

Ad hæc, si nolunt, calorem eiusdem rationis recipi à subiecto informato alio calore eiusdem rationis, calidum vt sex non poterit introducere nisi duos gradus caloris in medium calidum vt quatuor. At à frigido vt quatuor quotnam gradus caloris corrumpentur? si plures duobus, medium remanebit magis frigidum, quod est incōueniens, si vnus tantùm, quisnam hic erit? nō quintus, aut sextus, qa hos gradus subiectū illud non habebat, ergo vel prim⁹, vel quart⁹, habebit igitur subiectum illud sextum gradum caloris, absque eo quòd habeat primum, vel quartū, quod dici non potest, cum isti gradus caloris sint subordinati, vel oportebit dicere, à calido vt sex, introduci gradum eiusdem omnino rationis cum eo, qui expellitur à frigido, at quando hic introducitur, ille nondū erat expulsus, ergo subiectū habens gradū caloris similem, recipit aliū similem, ex quibus patet, hanc responsionem in sententia eorum, qui gradus etero geneos admittunt, subsistere non posse, in eorū aūt, qui gradus homogeneos, non videtur adeo difficilis, quia omnia absurda ferè, quæ cōtra hanc responsionem inferūtur, videntur etiam alioqui esse admittenda ab illis, qui hos gradus homogeneos recipiunt.

Est tamen vtcumq; omnino nouū in Philosophia, & absonum, quod hæc responsio admittit, dari mutationem similis in simile omnino. Aristoteles enim, & cæteri omnes Philosophi censent, mutatio-

tio-

tionem fieri inter terminos cōtrarios, non verò inter similes, hoc autem sequi ex illa responsione, patet, quia dicunt, ab eodem subiecto simul amitti aliquos gradus caloris, & etiam acquiri alios caloris quoque, & eiusdem prorsus rationis, ergo illud subiectum mutationem subijt à simili in simile, & roboratur difficultas, quia contingere poterit, vt nulla alia adsit mutatio, vt si reperiatur medium inter duo æqualia agentia, & ipsum etiam mediū sit tēperatum, exempli causa medium calidum vt quatuor inter frigidum vt octo, & calidum vt octo, & ęquè propinqua, verè agent inuicem ista duo contraria, & cum sint æqualis virtutis, non poterunt magis transmutare medium vnum, quàm alterum, remanebit igitur medium, vt erat priùs, calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, & tamen quia supponimus, calidum, & frigidum inter se pugnasse, dicere oportebit, calidum produxisse nouos gradus caloris in mediū, & frigus nouos gradus frigoris, ergo illud medium mutationem subijt, & alteratum est, & tamen eodem modo se habet, ac priùs, ergo termini illius mutationis fuerunt omnino similes, & non contrarij.

Dices, duas mutationes subijsse illud medium. Nam & à calido depulsum est frigus, & à frigido depulsus est calor, quare per accidens habuit pro terminis duo similia. Non tamen hebetata est argumenti acies, quia subiectum re vera, cum sit vnum, & idē, & amisit, & acquisiuit calorem similem, & similiter acquisiuit, & deperdit frigus simile, ergo verè motum est à simili in simile. Si dicas, at quatenus amisit calorem, non acquisiuit calorem, sed frigus, & quatenus amisit frigus, non acquisiuit frigus, sed calorē, & ita per accidens motum est à simili in simile. Dicam etiam ego, non esse inconueniens, quòd materia amittat vnam formam substantialem, & recipiat alteram eiusdem speciei, quia quatenus amittit vnam, non acquirit alteram, sed amissio vnius terminatur ad non esse illius formæ, acquisitio verò habet pro termino non esse alterius etiā formæ; quidquid igitur sit de terminis partialibus, satis est, quòd termini totales sint verè similes.

Confirmatur, quia ratio, cur aliquid non possit moueri à simili in simile, æquè hic locum habet, atque in alijs omnibus. Ratio est enim, quia si materia potest retinere vnam formam similem, poterit & aliam, & si datur agēs, quod potest expellere formam similem, poterit etiam impedire aliam similē, non enim minor virtus requiritur ad expellendum, quàm ad impediendum, immo multo maior, & si agens potest introducere similem, ergo etiam poterit aliam similem conseruare, quæ omnia hic quoque locum habent.

Pro nostra igitur responsione vnum tantùm notādum est, quo notato, facillimè expeditur difficultas, quæ hucusque visa est insuperabilis. Est igitur animaduertendum, bifariam agens agere posse, scilicet, vel conseruando, vel producendo. Conseruationem etiā fieri per actionem, est certo certius, nam & Sol conseruat lumen per continuum influxum, & omnia conseruantur à Deo per eamdē actionem, per quā creantur. Hoc ergo posito, tollitur omnino difficultas argumenti. Dū enim ignis

&

& aqua inter se pugnant per mediũ concedo, ab vtriſq; mediũ pati, ſed agens validius agit in ipſum aliquid producẽdo, infirmius verò nõ producendo, ſed conſeruando, per quã conſeruationẽ efficitur, vt mediũ multò minus deperdat illi qualitatis, q̃ alioqui deperderet; Exẽpli cauſa eſt mediũ calidum, vt quatuor, ab igne validiori calefit vt quinque, ab aqua infirmiori non quidẽ frigeſit, quia hoc repugnat, ſed eius frigus conſeruatur, & quia non poteſt eius frigus conſeruare totũ ob actionẽ validioris contrarij, conſeruat ſaltẽ partẽ, atque ita efficit, vt ab igne vnus tantùm frigoris gradus deſtruatur, cũ alioqui deſtruendũ eſſet totũ. Verũ actio, quæ in medio eſt conſeruatio, in cõtrario fit productio, & ita in igne producit vnũ, vel duos gradus frigoris, poſſe.n. agens per eãdẽ virtutẽ, & actionẽ continuatã in medio aliquid conſeruare, & in diſtãti producere, patet clariſſimè, nam cum Sol illuminat aerẽ, & non ingreditur cubiculum, eò quòd feneſtras habeat clauſas, ſi ei feneſtræ operiantur, perſeuerabit conſeruare lumen in aere, & producet nouum lumen in cubiculo. Poſſe etiam non tantùm lumẽ, ſed etiam alias qualitates conſeruari, quamuis non ſemper conſeruante indigeãt, experimur nos ipſi, qui ſemel calefacti, per aliquid extrinſecum conſeruamus calorem, neque hoc eſt tantùm impedire contrarium, ſed etiam reuera conſeruare calorem, vt patet, quandò calor eſt in ſubiecto extraneo, tunc enim cum forma ſubiecti fit illi contraria, nõ ſufficit tantùm impedire contrarium extraneum, ſed opus eſt etiã, ipſum calorem conſeruari: Dicere autem, non conſeruari calorem, ſed continuè nouum produci, eſt puerile, & contra experientiam, quando enim calor, vel frigus in nobis ab extrinſeco cõſeruaretur, continuam mutationem in nobis ſentiremus quod eſt falſum.

Poteſt autem hoc declarari exẽplo motus localis: Ponamus enim, duos homines trahere tertium funibus alligatum in contrarias partes, tunc enim, vel iſti duo trahentes erunt æqualis virtutis, vel inæqualis, ſi ęqualis, ille, qui eſt in medio, non mouebitur, & tamen trahentes defatigabuntur, dicemus ergo ne, trahentes nihil efficere? at ſi nihil efficiunt, deſinat alter trahere, & apparebit, quid alter efficiat, quid ergo efficiunt? non mouent, ſed conſeruant in eo loco, in quo eſt: Si autem trahentes ſint inęqualis virtutis, mouebitur quidem tertius homo medius à validiori, ſed nõ tam velociter, quàm ſi alter trahens non impediret, quid ergo efficit alter trahens? mouet ne illum, & trahit ad ſe? nequaquam, quia non poteſt homo, qui eſt in medio, moueri contrarijs motibus, ſed impedit alterius motum ex parte, conſeruando ipſius ſtatum; & idem accidit in eo, qui in naui videtur motu contrario ipſius nauis moueri, nam ſi proprius ipſius motus ſit tardior motu nauis, reuera non mouetur motu proprio, ſed dum ſe conatur mouere, nauis tantùm motum in ſe retardat. Ita igitur etiam medium, quod eſt inter calidum, & frigidum, ab altero eorum calefit, ab altero non frigeſit, ſed conſeruatur eius frigus ſaltem ex parte, vel ſi ęqualis virtutis ſint,

 ab

ab vtroque conseruabitur tantùm, & neutrum in eo aliquid producet.

Deficit tamen exemplũ in hoc, quòd conseruans alium immobilem non potest per huiusmodi cõseruationẽ mouere aliquid aliud, at verò conseruans frigus potest per hanc conseruationem in alio producere aliquid, & ratio discriminis est, quia esse in loco non potest esse ratio mouendi aliquid, & consequenter neque conseruare aliquem in loco potest esse medium aliquid mouendi; At verò frigus ex se actiuum est, & potest agere in calidum, & cõsequenter conseruatio frigidi potest esse medium ad productionẽ alterius frigoris.

Dices, si agens potest inducere in contrarium suam formam, ergo multò magis poterit etiam conseruare in medio, quare non dabitur reactio. Respondetur in eo gradu, in quo potest eam in contrariũ distans, posse etiam conseruare in medio, siue in sua parte vltima, producit ergo in gradu remisso in distanti, & non potest conseruare in gradu intenso in medio, vel in vltima sui parte, & ita sequitur, dari reactionem absque eo quòd aliquid moueatur contrarijs motibus.

Reliqua argumenta contra Reactionem dißoluuntur.

SECTIO IV.

AD secundum duplex est responsio. Nam illa propositio, Actio prouenit ab excessu virtutis agentis supra passum, potest intelligi de victoria, non verò de actione sine victoria, & ita non est contra nos: vel de qualibet actione, & tunc est intelligenda de excessu supra resistentiam passi, non verò supra actiuitatem, & ita quod superat alterum in actiuitate, poterit ab eo superari in resistentia, & agere, & repati.

Ad tertium neganda est consequentia, quoniam quamuis agens in principio actionis repatiatur, & proinde debilius reddatur; attamen paulò post quando ita passi virtutem diminuit, vt amplius agere nequeat, reparat suam pristinam virtutem, & ita potest reddere passum sibi simile perfectè, & perfectè etiam disponere materiã, quod tamen intelligendum est de agente per innatam sibi virtutem, quã consequenter reparare potest, vt aqua per frigus, vel ignis per calorem, non verò de agente per qualitatem extraneam, quæ ab intrinseco subiecti emanare nequit.

Ad quartum respondeo etiam ex Aristotele 3. phys. cap. 8. Idem non secũdum idem agere, & pati, nam agit, verbi gratia quatenus est actu calidum, patitur autẽ, quatenus est potestate frigidum. Si instes, quia patitur etiam, quatenus calidum, quia calor eius corrumpitur. Respondetur, non in hoc sensu dici id, quod patitur, esse in potentia, quasi non amittat aliquid, quod in ipso reperitur, sed quia est in potentia ad aliquid aliud recipiendum, si verò sit sermo de actu, & potentia non respectu formæ, sed respectu extrinseci agentis sic dicitur, nullum esse inconueniens, quòd idem sit in actu, & in potentia respectu eiusdem, idest quòd possit agere in ipsum, & ab ipso pati, esset autem inconueniens, respectu formę, quòd aliquid esset in potentia, & in actu,

quia

quia esse in actu, esset, illam habere, esse in potentia, eadem carere, quæ pugnant.

Ad quintum respondeo, si respiciamus appetitum particularem cuiuslibet entis, vtique magis respicere suam conseruationem, quàm alterius destructionem, si verò consideremus naturæ vniuersalis indigentiam, & appetitionem, magis intendi alterius destructionem, quàm propriam conseruationem illius entis, non quidem vt destructionem alterius, sed vt generationem sui similis, & speciei reparationem, quia natura magis intendit cōseruationem speciei, quæ per actionem vnius in alterum habetur, quàm conseruationem indiuidui, & idcirco non mirum, si potius agens videtur intendere alterius destructionem, & ad hanc maiores vires habere, quàm ad propriam conseruationem. Adde, quòd agentia naturalia operantur secundum obiectum præsens, id autem, quod est præsens, est cōtrarium, contra hoc igitur eius actio fertur, quòd verò inde sequatur etiam, ipsum repati, est quid posterius, quod ab agente naturali non præuidetur, nec præcauetur.

Ad sextum negatur consequentia, quoniam vel agentia erunt æqualia, & ita in primo conflictu refrāgentur ad æqualitatem eorum virtutes, & non amplius agent: vel erunt inæqualis virtutis, & finietur actio, & reactio, quia agens potentius superabit omnino cōtrarium, vel saltem ita debile reddet, vt nō possit amplius reagere. Adde, qd neq; plures actiones aderūt, quia agens vnica continuata actione agit in passum, & ante, & post eius reactionem.

Ad septimum respondeo, non esse inconueniēs, quòd aliquid sit nobilius, & ignobilius respectu eiusdem, diuersa tamen ratione, sicuti homo est nobilior Cœlo per rationalitatē, ignobilior per mortalitatem, siue corruptibilitatem. Si quæras, quænam sint istæ rationes diuersæ. Respondet Marsilius, idem agens esse nobilius ratione actiuitatis, esse verò ignobilius ratione resistentiæ, secundum quā aduersario cedit. Verùm fortè resistentia etiam huius erit maior, quàm resistentia alterius, quamuis non maior eius actiuitate, ergo etiam ratione resistentiæ erit nobilius, potius igitur videtur dicendum, idem esse nobilius, quatenus agit, & esse ignobilius, quatenus patitur.

Ad octauum respondeo, patiens & per gradus, quos amittit, & per illos, quos retinet, reagere posse. Ad impugnationem prioris partis respondeo, nondum patiens amisisse illos gradus, per quos agit, sed amittere, dum enim amittuntur, existunt, & simul possunt & deperdi, & agere. Ad impugnationem alterius partis respondeo, etiam illos gradus, quos retinet patiens, esse contrarios agenti, sed non simul omnes deperdi.

An omne agens in agendo repatiatur.

QVÆSTIO XLVI.

Quodnam agens in agendo repatiatur, aperitur.

SECTIO I.

SIcuti patet experientia, dari aliquando reactionem, ita eadē experientia docemur, non semper dari, vt igitur cognoscamus, in quibus admittenda sit, & in quibus neganda, certa priùs ab incertis sunt separanda.

Certum est ergo primò, non habere locum reactionem neque in generatione, neque in augmentatione per se formaliter; Nam qđ generat, impossibile est, generari à genito, & quod augetur, non potest augere id, per quod augetur, si per id quod auget, intelligamus cibum, si verò intelligamus ipsum viuens, quod dicitur se ipsum augere, ita quidem dici potest, idem augere, & augeri, non tamen per reactionem, sed per eamdemmet actionem, quæ recipitur in ipso agente. Dixi tamen, per se formaliter, quia quatenus habent etiam hæ mutationes annexam alterationem, potest in ipsis adesse repassio. Nam & viuens, dum cibum in suā substantiam conuertit, ab eodem etiā repatitur, & generans potest à subiecto generationis alterari, vt si aer generet aquam, poterit ab ipsa aqua humectari.

Certum est secundò, non dari reactionem inter materialia, & materia carentia ex Aristotele in hoc primo tex. 53. & 85. quia quamuis materialia pati possint à spiritualibus, in ipsa tamen agere nequeūt.

Certū est tertiò, non intercedere reactionem inter ea, quæ in materia non conueniunt, & est Aristotelis in ijsdem locis. Ex quibus deducunt multi, Cœlum habere diuersam materiam à sublunaribus, quia non repatitur ab ipsis, sed lōgè alia fuit Aristotelis mens, nam semper exemplum posuit de medicina faciente sanitatem. Illa igitur non habere eamdem materiā intelligit, quorum vnum spectat ad corpus, alterum ad animū, vel vnum se habet vt singulare, alterum vt vniuersale, vt fusius diximus in expositione tex. 53. cōcl. 14

Certum est quartò, quando agens est extra sphæram actiuitatis passi, ab eo non repati; Ratio est, quia nullum agens potest agere extra spheram suæ actiuitatis, ergo si passum in sua sphæra non contineat agens non poterit in ipsum reagere, hoc autem solet accidere, cū agens est multò validius, quàm passum, quia habet sphærā actiuitatis maiorem, & consequenter facilè euenit, vt passum sit infra sphæram actiuitatis agentis, non verò agens intra sphæram actiuitatis passi.

Certum est quintò, quando passum non superat agentis resistentiam, in ipsum non reagere. Ratio autem est euidens, quia si agens magis resistit, quàm alterum agat, nihil ab eo pati poterit, quia resistentia impedit passionem, quandocunque non superatur, alioqui non esset resistentia.

Ex hoc dicto patet responsio ad illā dubitationē, quā mouet Colleg. Connimb. art. 4. & non paruā appellat. An scilicet subiectum quantūuis intensa qualitate prædi rum à contratio quantumlibet par uo

uo pati possit, dummodo se intra mutuæ actiuitatis sphæram exhibeant. Dicendum est enim, si patuum contrarium superet resistentiā alterius contrarij, quamuis maximè intensi, posse in illud agere, si non superet, non posse. Si quæras autem, an semper superet. Respondetur, probabilissimū esse, nō semper superare. Nam si minima palea in ardentē fornacem inijciatur, sine aliqua repassione, statim videtur comburi. Et quoniā sæpe exemplū de igne attulimus. Noto, exempli causa id esse intelligendū, nam alioqui non videtur ignis posse repati, nisi extinguatur, neque enim eius calor, aut siccitas remitti posse videtur, dici tñ possūt repati ratione partiū subiecti, quia aliquando ignis, qui est in ligno bipalmati, extinguetur à cōtrario in prima eius parte digitali tantū, quando verò totus ignis extinguitur, nō dicitur tunc repati, sed pati simpliciter, & reagere, vt supra .n. notauimus, agens q̀ de hoste triūphat, dicitur agere, nō verò reagere, & passum, qđ succūbit, dicitur pati, & non repati, sed hoc dicitur reagere, & illud repati, quando igitur ignis extinguitur, cū victoria penes eius cōtrariū remaneat, dicetur reagere, potius quàm agere.

Certum est sextò, vbi non adest formalis cōtrarietas, sed tm̄ virtualis, fieri posse actionē sine repassione. Nā agens virtuale potest quidem agere in passum, vt tale verò non potest recipere passionē, quia non est actu contrariū reagenti; & hæc est vera ratio, cur Cœlū agens in hæc inferiora, ab eis non repati dicat, agit .n. quatenus agens virtuale, neq; habet aliquod accidens formale, quod cōtrarium patiatur; Nam si cōtingeret hoc ratione materiæ diuersæ, Sol vtique posset producere lumen, & calorē in Cœlo, cum eadem materia constent, & Sol sit virtualiter calidus.

An reactio detur in motu locali.

SECTIO II.

PEculiaris difficultas est in hoc motu, quia non videtur in eo locum habere reactio. Nā & magnes trahit ad se ferrum, & ab eo non è conuerso mouetur, & qui lapidem iacit, vel sagittā intorquet, non vicissim ab eis motum recipit. Item pila si proijciatur in parietem, ab eo pellitur, neque tamen datur reciproca actio, vel motus, quo moueatur paries; E contra verò Aristoteles non minùs in motu locali, quàm in alteratione reactionem constituit. Nam & capit. 3. lib. 4. de animal. ortu inquit, quòd *pellens pellitur, & premens premitur*, & tex. 8. 3. phys. *omne mouens physicè*, ait, *in mouendo moueri*, excipit tamen ab hac regula primum mouens, tum in hoc primo de generatione tex. 53. tum etiam loco citato de animalium generatione, ex quo firmatur regula in alijs mouentibus. Nam, vt docent Iurisperiti, exceptio firmat regulam, Toletus hic quæstione 15. ad vltimum, & Connimbricenses art. 5. ad vltimum, nullam videntur admittere reactionem in motu locali, & rationem afferunt, quoniam in motu locali non est necesse, vt id, quod resistit, virtutem motricem habeat, quam in mouens imprimat, at verò resistens in alteratione est actiuum, & consequenter reagit. Concedit tamen Toletus id, quod negari non potest, quando duæ res,

quæ motu contrario mouentur, vbi occurrunt, tunc adesse quamdam reactionem, quia earum vnaquæque & pellit, & pellitur. Non videntur igitur hi Authores Aristotelis verba, quibus contrarium docet, animaduertisse, nam saltem ipsum exposuissent.

Aduertit verò Zabarella lib. de reactione cap.7.& conatus est reactionem in omni mouente ponere excepto primo. Refert igitur primùm Zabarella quamdam responsionem, quæ ad Aristotelis dicta afferri posset, scilicet omne mouẽs corporeum moueri quidem, non tamen ab eo mobili necessariò, qđ mouet, sed vel ab alio, vel etiam à semetipso, nam videmus, aliquid nos mouere non posse, nisi & ipsi moueamur, reijcit tamen eã, quia non videtur consentanea verbis Aristotelis, qui expressè ait id, quod pellit, pellitur, & quod premit, reprimitur. Affert ergo suã expositionẽ, & inquit, hanc reactionem consistere in resistentia mobilis, ex quo fit, vt non tanta velocitate, vel non in eam distantiã mobile moueat, ac mouetet, si illud non resisteret, quare motus ille quodammodo componitur ex impulsu mouentis,& repulsu mobilis, & ita est minor, sicuti quando agens repatitur, fit minor eius virtus, inquit tamen, hanc reactionem habere locum præcipuè in illis mouentibus, quæ conueniunt in materia.

Mihi tamen non satisfacit hæc responsio, siue Aristotelis expositio, quoniam reactio debet recipi in agente, nõ verò in effectu eius, hic verò Zabarella ponit reactionem in mobili, & per eam inquit, motum retardari, in agente verò nihil constituit, sicuti ergo non dicitur repati Sol, quando calefacit rem humidam,& frigidam, ex eo quòd frigus resistit, & efficit, vt minùs,& tardiùs calefaciat, quàm efficeret, si frigus non resisteret; ita neq; dici potest repati mouens, dum ob resistentiam mobilis motus ipse est tardior. Præterea nõ rectè Aristotelis verbis aptari potest, qui inquit, pellentem repelli, per quæ verba ostenditur repassio esse in ipso mouente. Denique neque in sua opinione rectè excludit Cœlum, aut primum mouens, nam Cœlo, & primo motori etiã hæc inferiora resistunt per suas proprias qualitates,& naturas, vel motus, ex quo efficitur, vt sit minor in eis eorum effectus, quàm esset, si nulla adesset resistentia, quòd si peculiariter loquamur de motu locali, vel Cœlum hoc motu non mouet inferiora, vel si mouet, vt aliqui volunt, quia ignis sphæram secum rapiat, vtique in hoc motu aliqualem intercedere resistentiam, crediderim, vel si nõ intercedit, saltem non est tribuendũ hoc diuersitati materiæ, sed naturæ ignis, quæ nullã habet repugnãtiam cum motu circulari, nam si haberet, etiamsi moueretur ab Angelo, nedum ab habente diuersam materiam, vtique illi motui resisteret.

Mens igitur Aristotelis, vt paucis expediam, est, omne mouens, dum mouet, repati, quia defatigatur, & virtus eius quodammodò minuitur, & sæpe etiam in contrariam partem pellitur. Nam si mouens sit viuens, patet, defatigari, & eius actualem virtutem remitti, si non sit viuens, videmus, eius quoque virtutem motiuam diminui, & in aliã partem detorqueri, lapis .n. si descendens aliquẽ percu-

cutiat, eius impetus remittitur, & si in terram decidat, resilit, & idem patet in proiectis,& in omnibus alijs mouentibus; excipiendus est tamen magnes, qui non mouet per virtutem sibi inhærentem immediatè,sed per virtutẽ à se emissam,sicuti etiã quando homo proijcit pilam, si pila ipsa retardetur, vel impediatur, non remittitur virtus ipsius proijcientis. Hinc etiam patet,cur excludat Aristoteles primum motorem, quoniam,vt probauit in 8. physicorum, mouendo non defatigatur, alioqui non posset mouere infinito tempore, & hoc,quia caret materia, & ita omnia,& veritati,& Aristotelis dictis consonant.

Ad primũ argumentum in contrarium de magnete patet ex dictis, cur in eo locũ nõ habeat reactio.

Ad secũdum dicimus, & proijcientem lapidem, & intorquentem sagittam repati, quia defatigantur.

Ad tertium respondeo, etiam parietem repati, quare toties posset pila in eamdem partem parietis proijci, vt eum excauaret. Nã & gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo. Immo docet Plin.lib.ij.c.30. formicas ipsas assiduo itinere silices excauare.

Ad rationem Collegij,& Toleti, quòd neque grauitas, neque resistentia in motu locali sit actiua, respondeo, non esse resistentiam actiuam per se, sed per accidens, quatenus virtus agentis in se reflectitur, & se ipsam cõminuit, quod in virtute motiua locum habet, non verò in alteratiua, quia hęc non reflectitur in suum agens etiamsi in patiẽte resistentiam reperiat, & quamuis lumen aliquando reflectat, nõ tamen per ipsum, agens repati dicitur, tum quia lumen reflexum rarò vsque ad illud peruenit, tum etiam quia ipsum potius perficit, quàm lædat: Cur igitur calefaciens non repatiatur à sua actione reflexa,sicut mouens à sua virtute, multæ possunt reddi rationes. Prima, quia calor non agit in simile, sicuti virtus impressa. Secunda, quia calor non habet gradus homogeneos, sicuti virtus motiua. Tertia, quia calor nõ potest calori aduersari, sicuti virtus impressa alteri virtuti, quamuis eiusdem speciei, ex eo quòd tendant in diuersos terminos. Quarta, quia calefactum non habet virtutem reflectendi, sicut id, quod mouetur. Quoad grauitatem verò patet, eam quidem non esse actiuam actione alteratiua, esse tamen actiuam actione motiua, quia ab ea mouetur lapis deorsum, & eadem ratione potest etiã defatigare virtutẽ motiuam eius, qui ei resistit, vel eam sursum eleuat.

Quid sit Resistentia.

QVÆSTIO XLVII.

NOn loquimur hic de resistentia impropriè dicta, quæ fit per actionem, qua ratione dicitur ignis resistere aquæ, quia agendo minuit eius virtutem, de hac .n. patet, ab actione non differre, sed loquimur de resistentia præcisè sumpta, qua aliquid dicitur alteri resistere, quod vel in ipsum agit, vel agere conatur, ita enim mons resistit homini ipsum impellenti, & aqua igni ipsam calefacienti,& albedo nigredini,& durities scindenti.

No-

Notandum secundò, aliud esse, loqui de principio, quo aliquid resistit, aliud de ipso resistendi actu, quæ resistentia appellatur; sicuti aliud est calor, aliud est calefactio, hic autem loquimur præcipuè de actu ipso resistendi, & quærimus quid sit.

Aliorum sententiæ proferuntur.

SECTIO I.

Est ergo prima sententia Pomponatij tract. de react. sect. 2. cap. 4. vbi postquā probauit, resistē tiam non esse actionem, aut passionē, concludit, resistere nil aliud esse, quàm impedire vel simpliciter, vel secundum quid agens. Verùm adhuc remanet quæstio, quid sit hoc impedire.

Secunda sententia est Nobilij 1. de gen. cap. 7. quæst. 11. qui distinguit resistentiā, & aliā esse inquit in animalib⁹, aliā in inanimatis, in illis, inquit, pertinere ad actionem, eò quòd significet nixū quēdam, & conatū, in his verò esse impotētiam patiendi, & spectare ad secundā speciē qualitatis. Non videtur tamen satisfacere. Nā nixus ille, & conatus in animalibus videtur potius esse principiū resistendi, quàm ipsa formalis resistentia. Nā possūt animalia illum nixum, & conatum adhibere ēt nemine impellēte, tūc aūt dici non poterunt resistere. Præterea hunc nixū habent tantū animalia, quoad motū, non verò quoad reliquas actiones, quibus resistunt. Posterior verò pars quòd resistentia sit impotentia patiendi, neque difficultate caret; nā ēt videtur definire potentiā resistendi, nō verò resistentiā ipsam. Tām. res est impotens patiendi, quando nullum agens eā oppugnat, quàm etiam quando adest oppugnans.

Tertia sententia est Zabarellæ libro de react. c. 5. qui inquit, reactionē nil aliud esse, q̄ non admissionē actionis, siue non passionem, quare constituit, ipsam esse aliquid priuatiuū, & reduci ad prædicamētū passionis, cuius est priuatio, & eadē videtur esse sententia Suarez disput. 43. in metaph. sect. 1. nu. 9. vbi dicit, resistentiā non consistere in aliquo actu positiuo, sed potius in priuatione actus, & Connimb. 1. de gen. cap. 9 quæst. 1. art. 3. & Tolet. q. 15. huius primi. Non videtur tamen hæc sententia perfectè explicare resistentiæ naturā, neque difficultatibus carere, nā etiam quando nullū adest contrariū agens, est res priuata actu, & passione, neq; tñ resistit. Præterea priuatio non suscipit magis, & minus, at verò resistentia dicitur esse maior, vel minor. Tertiò priuatio videtur potius adiuuare actionē, quàm impedire, nā ponitur vnū ex principijs rerū naturaliū, resistentia autem impedit. Quartò actus potentiæ positiuę debet esse positiuus, at verò potentia resistendi est quid positiuū, vt duritiesin ferro, ergo etiā eius actus erit positiuus. Quintò terra resistit formaliter per suā siccitatē, quæ est aliquid positiuū, ergo ēt resistentia est aliquid positiuū, quia per eā formaliter res resistit. Sextò resistētia est causa, vt passio non fiat, ergo ipsa non est negatio passionis, sed causa ipsius negationis.

Quarta sententia est quorūdā recentiorū, resistentiā esse positiuum quoddā fundamentū negationis, vel priuationis, qua passum dicit͛, aut non admittere omnino, aut difficiliùs, aut tardiùs actionē agētis, vt connotat actualē applicationem

agentis. Fundametum huius sententiæ est, quia durum videtur resistere formaliter per suam duritiem, ergo hæc re vera est resistentia cum connotatione contrarij applicati. Non videtur tamen hæc sententia scopum attigisse, quia resistentia non est ipsa durities, sed effectus ipsius, dicitur enim res resistere, quia est dura, non verò ipsum resistere esse duritiem; Quare ad ipsius fundamentum negamus, durum resistere per suam duritiem formaliter, & dicimus resistere tantùm fundamentaliter; Siue esse principium resistendi, nō ipsam resistentiam.

Authoris Sententia.

SECTIO II.

Pro mea sententia dico primò, resistentia formaliter, & in recto non significat aliquod positiuum. Probatur, quia hoc positiuum vel esset in resistente, vel in agente, at in neutro est, non in resistente, quia si omnino resistat, ita se habet post resistentiam, ac se habebat antea, tunc enim dicitur resistere, quando è suo statu non mouetur, ergo per resistentiam non se habet aliter, ac priùs, resistere igitur, non est aliquid nouum in resistente: Neque verò in agente, quia per resistentiam passi agens non repatitur. Nam si ignis non possit calefacere adamantem, vel aquam, non idcirco aliquid recipit ab eis, vel patitur; Verum est quidem in motu locali, si quis nitatur mouere aliquid, quod resistat, mouere nitentem defatigari, hoc tamen non prouenit formaliter à resistentia, sed à reflexione virtutis, vt supra explicauimus.

Dico secundò, resistentiam præter negatiuum, quod formaliter significat, quod est, vt dicebat Zabarella, non pati, connotat etiam applicationem, & conatum agentis circa ipsum resistens. Probatur clarè, quia si non adsit huiusmodi agens extrinsecum, quāuis aliquid non patiatur, non dicitur tamen resistere, ergo oportet, vt cōnotetur iste conatus agentis.

Dico tertiò, resistentiam, præter hunc conatum agentis connotare etiam in resistente virtutem, qua redditur inanis huiusmodi conatus. Probatur, quia dum audimus, aliquid resistere, concipimus in ipso virtutem aliquam, qua resistit, & non tantùm negationem passionis. Confirmatur, quia non dicetur non ens resistere, quamuis non possit recipere actionem agentis. Similiter non consueuit dici, rem spiritualem resistere alterationi corporeæ, quia & si non possit eam recipere, tamen hoc potius prouenit à quadam incapacitate alterationis, quàm à resistentia: Eadem ratione in motu locali, si quid non possit moueri ob eius leuitatem, vt si quis velit proijcere plumam, quamuis hæc non recipiat impulsum, & facilius sit, lapidem proijcere, quàm eam, non tamen ea dicetur resistere, quia hoc prouenit potius ob eius incapacitatē, quàm ob virtutem resistendi, ergo verè ad resistentiam non sufficit incapacitas subiecti, sed requiritur aliqua virtus, quæ superari non possit ab agente.

Dico quartò, resistentiam sumi posse & actiuè, & passiuè: Vt hoc dictum intelligatur, notandum est, quòd sicut influxus agentis in passum potest concipi vt actio, & etiam vt passio, nam vt est actus

agentis in passum, est actio, vt verò actus patientis ab agente, est passio; ita resistentia, quæ tollit hunc influxum, considerari potest actiuè, & passiuè, actiuè prout respicit agens, cui fit resistentia, passiuè, prout dicit respectum ad illud, quod resistit. Resistentia igitur passiuè sumpta erit non actio, siue remissio actionis, prout est ab eo, in quod agens agere, vel magis agere intendebat, & conabatur. Actiuè verò est non passio, quatenus per eam agens vel non agere, vel minùs agere, quàm intendebat, cogitur.

Dicitur (non actio) nam formaliter, & in recto resistentia non potest esse aliquid positiuum, vt in primo dicto supra probatum est. Dices, esse ipsam qualitatem, verbi gratia duritiem, quatenus resistit. Sed contra, quia etiam possemus dicere, actionem esse virtutē agendi, quatenus agit: Est enim par ratio vtriusque, hoc autem esse contra Aristotelem, & cæteros omnes Philosophos, ergo & illud.

Dicitur etiam (non actio) potius quàm non passio passiuè sumptā, quia sicut patiens est illud, qđ resistit, ita agens, cui resistitur, ergo passiuè sumpta se tenet ex parte agentis debet igitur negare actionem, quæ ex parte ipsius se tenet.

Dicitur (siue remissio actionis) quia aliquando non omnino resistit, & tunc nō tollit totaliter actionem, sed remittit tantùm. Additur (prout est ab eo, in quod agēs, &c.) quoniā hic respectus est omnino necessarius, quia si ignis non ageret, verbi gratia in stuppam, quia a Deo impediretur, non diceretur stuppa resistere, non sufficit igitur non actio, sed oportet, vt proueniat à patiente, siue ab eo, in quod tamquam in patiens intenderat suam actionem agens, & sicuti actio non tantùm est influxus, sed etiam agētis in passū, ita resistentia non tantùm est non actio, sed etiam vt à resistēte in agens. Subnectitur (agere intendebat, & conabatur) quia nisi hoc concipiamus, numquam dicemus, aliquid resistere, vt patet.

Actiuè verò definita est nō passio, quia actiuè se tenet ex parte patientis (quatenus per eam agens, &c.) quia dicit respectū ad agens; sicuti etiam passio, vt supra ostendimus (non agere, vel minùs agere, quàm intendebat, cogitur) quia sicuti ab actione concipimus dependere, & deriuare passionem, ita à resistentia actiua resistentia passiua.

Hinc si quæras, in quo prædicamento sit resistentia. Respondetur, actiuè sumptam esse in prædicamento passionis, quia est formaliter nō passio, passiuè verò in prædicamento actionis, quia est formaliter non actio, negationes autem reducuntur ad prædicamenta formarum, quas negant. Dices, resistentia actiuè sumpta videtur magis participare rationem actionis, quia ab ea pendet resistentia passiua, debet igitur potius reduci ad prædicamentum actionis. Respondetur, & hoc probabiliter dici posse, & fortassis dici poterit, quatenus est non actio, reduci ad prædicamentum actionis, quatenus est resistentia passiua, & pendet ab actiua, reduci ad prædicamentum passionis. Parum denique refert, ad vtrum prædicamentum reducatur, dūmodo sciamus, quid verè sit.

Diss-

Difficultates nonnullæ explanantur, & quid sit potentia resistendi, aperitur.

SECTIO III.

Argumenta, quæ contra tertiam sententiam adducta sunt, hanc nostram etiam oppugnare videntur, & idcirco quatenus nostræ sententiæ obsistunt, soluenda erunt; Primum autem est omnino pro nobis, quare non est, cur in eius solutione immoremur.

Ad secundum respondeo, priuationem perfectam non suscipere formaliter magis, & minus, non. n. inter cœcos vnus est magis cœcus, quàm alter, imperfectam tamen, quæ habet adiunctum aliquid formæ oppositæ, magis, & minus suscipere. Ita quamuis tenebræ perfectæ non suscipiant magis, & minus, obscuritas tamen suscipit, & dicitur vnus locus alio obscurior, quia obscuritas non significat priuationem totalem lucis, & ita resistentia, quatenus non significat totalem negationē actionis, sed diminutionem tantùm, magis, & minus suscipit.

Ad tertium respondeo, priuationem, vt habet adiunctam potentiam recipiendi formam, adiuuare actionem, non verò vt habet adiunctam repugnantiam, & ita se habet priuatio, quæ est resistentia. Adde etiam, quòd priuatio formaliter, & præsens semper repugnat formæ, vt autem concipitur, vt terminus à quo, & recedēs, ita eius introductionem adiuuat, nos autem loquimur de ea priori modo.

Ad quartum, non est parua difficultas, quid sit potentia resistendi, Soncinas enim 9. metaph. q. 6. ait, secundum rem non differre à potentia agendi, distingui tamen secūdum diuersas rationes, quam sententiam impugnat Suarez loco supra citato, quia multæ qualitates resistunt, quæ tamen non sunt actiuæ, vt albedo, quæ introductioni nigredinis resistit, & durities, & densitas. Ipse igitur Suarez inquit, virtutem resistendi non esse formaliter facultatem aliquam positiuā ordinatam ad resistendum, sed potius quamdam incapacitatem, quæ consequenter se habet ad effectū formalem alicuius dispositionis, seu qualitatis, quæ dici potest virtus resistendi fundamentaliter. Probatur hæc sententia primùm, quoniam potentia cognoscitur ex actu, sed actus resistendi est quædam priuatio, ergo potentia non potest esse aliquid positiuum. Secundò, quia naturalis potentia non ordinatur per se ad aliquam priuationem. Tertiò, quia huiusmodi resistentia non constituit aliquam certam speciem qualitatis, deberet autem constituere, si esset potentia positiua, sicut constituunt potentia actiua, & passiua.

Sed neque hæc sententia mihi probatur, quia & si spiritus sit incapax actionis corporeæ, nō dicitur tamen corpori resistere, vt superiori sectione in Dicto 3. dicebamus. Præterea probatur, quia calor est omnino incapax frigoris, & tamen non dicitur illi omnino resistere, & albedo nullo pacto resistit frigori, cui⁹ tamen nō est capax, neq; vna qualitas recipit in se aliā, sed à subiecto ambæ recipiuntur. Dicendum igitur, virtutem, siue potentiam resistendi formaliter non posse melius explicari, quàm in ordine ad actum suum, qui est resiste-

stere, sicuti in ordine ad calefactionem potentiam calefaciendi explicamus, & omnino omnes alias potentias in ordine ad suos actus. Cur igitur hoc etiam non satis erit ad explicandam resistentiam? Vel cur amplius de ea quaeremus? Vt tamen quaerentibus morem geramus, dicimus, virtutem resistendi esse firmitatem quamdam existendi formae in subiecto, qua potest impediri actio contrarij. Probatur primò, quia quò magis forma firmiter, subiecto inhaeret, eò etiam magis resistit. Secūdò, quia homo vt resistit se attrahenti, firmiter apprehendit locum, vel aliquid loci, in quo est, ergo haec firmitas est virtus resistendi. Tertiò, quia natura quaerit sui conseruationem magis, quàm impedire actionem alterius, sed virtus resistendi est à natura, ergo est ordinata ad sui conseruationem, quę habetur per hanc firmitatem, quam explicauimus. Ad primum Suarez respondeo, actum resistendi esse quidem quid priuatiuum, sed tamen connotare, & includere ēt positiuum, vt supra explicauimus. Praeterea priuatio impediens aliquid positiuum optimè intelligitur oriri ab aliquo positiuo. Ad secundum respondeo, virtutem resistendi esse ordinatam per se ad conseruationem rei resistentis, & per accidens ad negationem actionis.

Ad tertium respondeo, virtutē resistendi nō esse diuersam ab entitate, quę resistit, & idcirco non constituere nouam speciem qualitatis. Potentia verò actiua saepe naturae superadditur, vt per eam agere possit, sicuti etiam potentia ad aliquid recipiendum, quae dicitur passiua.

Si quaeras autem, cur vna qualitas magis, quàm altera resistat? Respondetur, hoc prouenire ex sua propria natura, sicuti etiam, quòd vna sit magis, quàm altera actiua, quamuis enim actus resistendi non sit formaliter in ipsa qualitate, sufficit tamen quòd sit in ea fundamentum resistendi, nā neque actio, vt actio, ponitur in ipsa virtute actiua, & nihilominus vna qualitas dicitur magis actiua, quàm alia.

Secundò quaeres, cur non dicatur resistere Angelus, quamuis non sit corruptibilis, neque capax alicuius actionis materialis? Respondetur, quia non concipitur, vllum agens conari in ipsum agere, cum neque ei appplicari possit, quia materiale non potest tangere spirituale.

Tertiò quaeres, cur non dicatur resistere pluma proijcienti? Respondetur, quia resistentia concipitur per modum actionis, haec autem debet supponere aliquod fundamentum positiuum, in pluma autem videtur potius esse incapacitas recipiendi impulsum, quàm virtus intus resistendi.

Quartò, cur non possumus dicere, resistentiam esse permanentiam in suo esse? Respondetur, quia resistentia concipitur ad modum actionis, per quam repugnat patiens agenti, permanentia verò ad modum quietis, meritò igitur dicitur non actio potius, quàm permanentia.

Ca-

Caput Decimum. Proponuntur dubitationes de ipsa Mistione, aliorumque de his opiniones, ac earum confutationes.

Tex. 82 *R*Eliquum autem est considerare de Mistione, secundum eumdem modum methodi. hoc .n. erat tertium propositorum à principio. Considerandum autem est quid est. Mistio, & quid Miscibile, & quibus existit entium, & quomodo. Amplius autem vtrũ est mistio, an hoc falsum. Impossibile .n. est aliquid alterum alteri mistum esse, sicut dicunt quidam. Existentibus enim adhuc mistis, & non alteratis, non magis nunc mista esse inquiunt, quàm prius, sed consimiliter se habere: altero autem corrupto, non mista esse, sed hoc quidem esse, hoc autem non esse: mistionem autem similiter habentium esse. Eodem autem modo & si, ambobus cõgredientibus, corruptum est eorum, quæ miscentur, vtrumque. non .n. esse mista nullatenus existentia.*

Tex. 83 Mistio à generatione, & corruptione quid differat *Hic igitur sermo videtur quærere vt determinetur quid differt mistio à generatione, & corruptione, & quid miscibile à generabili, & corruptibili. Manifestum .n. est, quod oportet differre, si quidẽ est: quapropter his existentibus manifestis, dubitata soluentur vtique. At verò nec materiam igni mistam esse dicimus, nec misceri; cum ardet, aut ipsam suis particulis, neque ignis, sed ignem quidem generari, hanc aũt corrumpi. Secundũ autem eumdem modum nec corpori nutrimentũ, nec figurã ceræ mistam formare molem, neque corpus, & albũ, neq; omnino passiones, & habitus possibile est mista esse rebus: saluata .n. videntur. Atqui neq; album, & disciplinam cõtingit misceri, nec aliud non seprabilium nullũ. Sed hoc dicunt non bene, qui omnia quandoque simul esse dicũt, & mista esse, nõ .n. omne omni miscibile. sed opôrtet existere separabile vtrumque mistorum. passionum autem nulla separabilis.*

Quoniam autem sunt entium, illa quidem potẽtia, hæc aũt actu, cõtingit mista, esse quadammodo, & non esse, actu quidẽ existente, alio generato ex ipsis: potentia autem quid vtriusque eorum, quæ erant, antequam miscerẽtur, & nõ deperdita, hoc aũt sermo quæsiuit priùs. Videntur .n. ea, quæ miscentur, priùs ex separatis conuenientia, & possibilia separati rursus. Neque permanent igitur actu, vt corpus, & albũ, neque corrumpuntur, neq; alterum, neq; ambo: saluatur .n. virtus eorum, ideo hæc quidem relinquantur. tex. 84

Annexam aũt his dubitationẽ diuidendũ. vtrũne mistio ad sensum sit, vt quando ita in parua diuisa fuerint ea, quæ miscentur, & posita fuerint hoc modo adinuicẽ, vt nõ manifestũ vnũquodque sit sensui, tũc mista sũt. An nõ sunt, sed est vt quæcunque secus quamcunque sit particulam mistorum. Dicetur igitur illo modo, vt hordea mista esse frumentis, quando quod- tex. 85

quodcunque secus quodcunque ponetur. Si autem est omne corpus diuisibile, si quidem est corpus corpori miscibile, quod similium partium, quamcumque vtique oportebit partem fieri secus quamcunque.

Tex. 86 *Quoniam autem non est in minima diuisum esse, nec compositio idem quod mistio, sed diuersum: manifestum est, quod neque secundū parua saluata oportet ea, quæ miscentur, dicere mista esse. compositio enim erit, & non temperamentum, nec mistio, neq; habebit eandem rationem cum toto pars. Dicimus autem oportere, si mistū est aliquid, quod mistum est similarium partium esse, & quemadmodum aquæ pars aqua, ita & tẽperati. Si autem secundùm parua compositio fuerit mistio, nihil continget horum, sed solum quidẽ mista ad sensum: & idẽ huic quidem mistum, si non inspexerit quis acute. Lynci autem nihil mistum. Neque diuisione, vt quæcunque pars secus quamcunque sit. impossibile enim ita diuidi. Aut igitur non erit mistio, aut dicendum hoc quomodo contingit fieri rursus.*

Quo pacto fiat ipsa Mistio, & quę sint Miscibilia propriè, & quid sit ipsa Mistio.

Tex. 87 *Sunt itaque, vt dicebamus, entium hæc quidem actiua, illa autem ab his passiua. Hæc igitur conuertuntur, quorumcunque eadem materia est, & actiua adinuicem, & passiua abinuicem. hæc autem faciunt, impassibilia existentia, quorum non est eadem materia. Horum igitur non est mistio. ideo neque Medicatiua facit sanitatem, neque sanitas mixta corporibus.*

Actiuorum autem, passiuorum quæcunque sunt facilè diuisibilia, multa quidem paucis, & magna paruis composita, non faciunt mistionem, sed augmentationem dominantis. mutatur enim alterum in dominans. Ideo gutta vini decem millibus congijs aquæ non miscetur. soluitur enim forma, & mutatur in vniuersam aquam. Tex. 88

Quando autem potentijs adæquantur quodammodo, tunc mutatur quidem vtrunque in dominans ex sui ipsius natura. non generatur autem alterum, sed medium, & commune. Manifestum est igitur, quòd hæc miscibilia sunt. quæcunque facientium, contrarietatem habent, hæc enim sunt abinuicem passiua. Et parua quoque secus parua posita, miscentur magis faciliùs enim inuicem permutantur, & citiùs. multum autem, & à multo tardius hoc operatur. Ideo & facilè terminabilia diuisibilium, & passiuorum miscibilia sunt, diuiduntur enim in parua, hæc faciliter: hoc enim erit facile terminabile esse vt humida miscibilia maximè corporum. facilè terminabile enim maximè humidum diuisibilium, nisi viscosum fuerit, hæc enim ampliorem vtique, & maiorem molem faciunt. Quando autem alterum solū passiuum Tex. 89

Quę humida sūt inter corpora maximè miscibilia sūt. Idem 2. huius c. 49.

fiuum erit, aut vehementer, illud autem valde remisse, aut nihil amplius quod mistũ est ex ambobus, aut parum, quod quidem contingit circa stannum, & æs.

Quædam enim balbutiunt ad inuicem entium, & ancipitia sunt. videntur enim quodammodo & miscibilia esse remisse, & vt alterum quidem susceptibile, alterum autẽ forma, quod & in his contingit. Stannum enim, vt passio aliqua existẽs sine materia æris, penè euanescit, & mistum recedit, cum colorauerit solum. Idem autem hoc contingit & in alijs. Manifestum est igitur ex ijs, quæ dicta sunt, & quod est mistio, & quid est, & propter quid est, & quæ miscibilia entium. quoniam sunt quędam talia, sunt abinuicem passibilia, & facile terminabilia, & facile diuisibilia. hæc enim neque corrupta esse necessarium est mista, neque possunt eadem simpliciter est, neque compositionem esse mistionem eorum, neque ad sensum. Sed miscibile quidem est, quando facile terminabile existens passiuum fuerit, & actiuum, & tali miscibile: ad æquiuocum enim miscibile. Mistio autem est miscibilium alteratorũ vnio.

PROPOSITIONES.
Ex Capite Decimo.

tex. 83 1 *A generatione, & corruptione differt mistio.*

2 *Ea, quæ miscentur, separabilia esse oportet.*

3 *Quæ permiscentur, non permanent actu, sed potentia.* tex. 84.

4 *Compositio non idem est, quod mistio.* tex. 86.

5 *Mistum habet partes similares, consequenter eius qualibet pars est mista.*

6 *Compositio secundum partes exiguas est mistio ad sensum.*

7 *Miscibilia oportet inter se mutuo esse actiua, & passiua.* tex. 87.

8 *Multa paucis, & magna paruis composita mistionem non faciunt, sed accretionem eius, quod euincit.* tex. 88.

9 *Quæ miscentur, in tertium quoddam medium, atque commune mutantur.* tex. 89.

10 *Quæ terminos suscipiunt, vt liquida, facilè miscentur.*

11 *Miscibile ad id, quod eodem appellatur nomine, refertur.* tex. 90.

12 *Mistio est miscibilium alteratorum vnio.*

NOTATIONES.

In primam propositionem. Non videtur differre à generatione, & corruptione mistio. Nam fieri nequit mistio, quin corrumpantur miscibilia, & generetur mistum. Respondeo, differre tamquam superius, & inferius, omnis enim mistio est generatio, & corruptio; sed non omnis generatio, & corruptio est mistio.

In secundam propositionem. Negat hic Aristoteles, misceri accidentia, quod est intelligendum per se; nam neque accidens dicitur misceri cum subiecto, neque accidentia misceri dicuntur inter se sine subiectis. Ad mistionem autem corporum sequi etiam mistionem accidentium, saltem ad sensum, necesse est fateri, dum enim vinũ, & aqua miscentur, patet, eorũ quoque accidẽtia misceri, alioqui aqua cer-

cerneretur separata à vino, & non esset hęc mistio ad sensum, quomodo vocat eam Aristoteles. An detur autem vera mistio inter accidētia, ita vt corrumpantur, & resultet aliud tertium, potest esse dubium. Censuerunt enim quidam, in mistione elementorum corrumpi qualitates primas, & gigni ex illis quādam tertiam qualitatem, quam tēperamentum appellant. Verior tamen sententia est, non corrumpi has qualitates primas, vt nos quæstione 14. lib. 2. sect. 2. probauim*. Probabile est tamen, hoc euenire in coloribus, quia colores medij dicuntur resultare ex extremis.

In tertiam propositionem. De hac diffusè actum est quæstione propria, quare hic nihil occurrit dicendum.

In quartam propositionem. Exponitur hęc ab Aristotele ipso, duplex ergo apparet discrimen inter compositionem, & mistionem, alterum est, quòd in compositione partes integræ remanent, sicuti erant priùs, vt patet in materia, & forma componentibus corpus, miscibilia verò non remanent, nisi potestate. Alterum, quòd quælibet pars misti debet esse mista, non autem quælibet pars compositi debet esse composita. Non differt tamen mistio ad sensum à compositione, quia neutra ex supradictis differentijs in ea locum habet, abutimur tamen etiam aliquando his nominibus, & quodlibet mistum appellamus compositum.

In sextam propositionem. Declarat hæc propositio, quod modò diximus de mistione ad sensum, & vicissim ab illa declaratur.

In septimam propositionem. Intelligenda est hæc conditio de his, quæ vera mistione miscentur, & ratio est, quia cum mutuo se interimant, vt tertium generēt, oportet, inuicem proculdubio agere, & pati.

In octauam propositionem. Recipienda est non tantùm in mistione vera, sed etiam in ea, quæ est ad sensum; nam & parum hordei, si multo tritico admisceatur, non efficit, vt illud totum non dicatur triticum; in miscibilibus verò essentialibus hoc etiam est clarius, & verius, quoniam cum hęc sint inuicē actiua, & passiua, quod in magnitudine cōtrarium valde excedit, vtique ipsum corrumpet, & in se ipsum conuertet.

In nonam propositionem. Hoc accidere in vera mistione, nulli potest esse dubium, nam corrumpuntur elementa, & gignitur mistum. Sed de mistione accidētali, siue ad sensum quid dicendum erit? Respondeo, quòd qualis est mistio, tale est etiam mistum resultans, sicuti enim est mistio ad sensum, ita etiam mistum resultat tertium ad sensum, non autem verè vnum.

In decimam propositionem. Duo requiruntur ad veram mistionem, alterum est, quòd miscibilia secundum minimas earum particulas coniungantur, alterum verò, quod ex illis corruptis resultet tertium. Ratione prioris conditionis liquida faciliùs miscentur, at posterior conditio ex eo, quòd inter se magis, vel minùs sint actiua, dependet.

In vndecimam propositionem. Cur non potius dicit miscibile relationem ad mistum? Respondeo, dicere ad vtrumque, sed ad illud vt ad rem, cum qua misceri debet, ad hoc vt ad illud, quod ex eo resultat, sicuti etiā forma relationē habet ad materiam, & ad compositū.

In

In 12. proposit. Declaratur hęc peculiari quæstione, ad quam lectorem remittimus.

De Mistione.

Disputatio Septima.

An sit Mistio.

QVÆSTIO XLVIII.

DVplicem esse mistionem, alteram accidentalem, quę appellatur etiam iuxtapositio, & alteram substantialē, qua non tantū miscibilia iuxtaponuntur, sed etiā efficiunt vnum tertium, in textus expositione simul cum Aristotele tradidimus: hic autē dubiū esse nequit, an detur mistio accidentalis, quoniam experientia hoc certo certius constat. Sed an detur mistio substantialis, ita vt ex pluribus miscibilibus fiat vnum tertiū ab illis diuersum, quod verè sit vnum per se.

Quibus argumentis impugnetur Mistio.

SECTIO I.

SIxtus Empiricus, qui scientiam omnē negabat, mistionē quoque tollebat lib. 6. prima supp. dicebat enim fieri tātùm iuxtapositionē, & sensus nostros decipi, si rationi renunciatēt, factam esse substantialē mistionē, & ea videtur fuisse sententia antiquorum, quos Aristoteles hic impugnat.

Potest autem horum sententia his præcipuè argumentis confirmari. Primùm vt fieret mistio, deberent omnia quatuor elementa in vnum locum cogi, neque tantùm cogi, sed etiam detineri, donec inuicem agerent, & mistionē perficerent, at hoc est omnino impossibile saltem naturaliter, quia vnumquodq; elementum tendit ad proprium locum, consequenter vel numquam erunt simul, vel statim separabuntur, ergo mistio fieri non poterit. Confirmatur, quia mistio est mutatio quædam naturalis, & à natura ad generationem rei naturalis ordinata, at elementa non possunt esse extra suas sedes, nisi violenter, ergo mistio inuoluit repugnantia, violentiam scilicet & naturalitatem.

Secundò, & si elementa essent simul, adhuc non videtur posse fieri mistio, nam ad mistionem oportet, miscibilia in partes minutissimas dissecari, & se inuicem permeare, at hoc fieri nequit naturaliter, quis enim intersecabit ignē, & aquæ, vel terræ commiscebit? quis cætera elementa in has partes minutissimas diuidet? Confirmatur, quia si quis data opera elementa in vnum locum congreget, & velit, ea inter se miscere, lutum quidem ex aqua, & terra cōficiet; præterea verò nihil, ergo quod ex elementis adhibito etiam hominis cōcursu, & studio fieri nequit, multò minùs ab ipsis solis elementis effici poterit.

Tertiò, adest peculiaris difficultas de igne, qui non videtur vllam ferre posse alterius rei mistionem, omnia enim deuorat, & in se vertit, neque etiam alterationem patitur, quia non potest esse, nisi summè calidus, & summè siccus, ergo erit ineptus ad mistionem.

Quartò, forma misti est longè perfectior, quā quælibet elementaris,

tis, & quàm omnes ipsæ simul, ergo non potest ab ipsis gigni, non ergo fit re vera per mistionem, sed aliunde gignitur. Confirmatur, quia materia, & causa efficiens non coincidunt, at elementa sunt materia misti, ergo non erunt efficiens, sed nullum aliud efficiens dari potest, ergo non est admittenda mistio.

Quintò, si posset dari mistio, iā nullum elementum reperiretur, quia omnia inuicem iam mista essent. Probatur consequentia, primò quia non datur ratio, cur vna potius elementi pars, quàm altera misceri debeat. Secundò, quoniam aqua numquam est seiuncta ab aere, & terra, & vice ignis concurrere possunt radij Solis, ergo ex ipsis fieri potest mistio, si autem aqua tota misceretur in terra, & aere, vtique aut parum, aut nihil terræ, & aeris, superesse posset.

Mistionis existētia comprobatur, & modus, quo fit, explicatur.

SECTIO II.

Mistionem veram, & substantialem concedendam esse, est Aristotelis apertissima sententia, & Philosophorum ferè omniū consensus. Probari autem potest primùm à postriori, quia videmus, corpora quædam participare proprietates omnium elementorum, ergo signum est, elementa aliquo pacto in eis contineri, neq; potest alius modus magis propri°, & magis expeditus excogitari, quo id fiat, quàm mistio. Dices, homo participat proprietates animalium, vt fortitudinem leonis, vafriciem vulpis, &c. neque tamen sequitur, vt ex ipsis misceatur, possunt enim hę qualitates per se primò homini conuenire, ergo etiam si proprietates elementorum misto cōueniāt, poterunt ei per se conuenire, & nō ratione elementorum: Et confirmatur, quia terra est frigida, sicuti & aqua, neq; tamen vna earum alterius naturā vel per mistionem, vel alia ratione participat. Respondetur, hominem non participare omnia, quæ sunt propria leonis, vel vulpis, immo ea, quæ sunt propria illorum, nempe differentiā specificā, non continet, quare neque verè dici potest, ea continere. Terra etiam quamuis participet frigiditatem aquæ, non tamen humiditatem. At verò mistum participat omnes, nam & primis qualitatibus omnibus præditum est, quamuis temperatis, & habet etiam grauitatem, & leuitatem, & cæteras huiusmodi, ergo certè si non efficax, valde saltem probabile est argumentum, elementia eius mistionem ingredientibus, eas acceptas referri debere.

Secundò, quia videmus aliquando, mista in elementa resolui, saltem in aliquod ipsorum, homo .n. maxima ex parte in terram reuertitur, ergo ex terra constabat, non tamen sola, quia fuisset valde imperfectus, ergo etiam ex alijs elementis.

Tertiò, quia experientia constat, ex elementorum commistione non solùm mista imperfecta, qualia sunt metereologica in aere, sed etiam perfecta oriri, ex pluuia enim, & puluere commistis oriuntur aliquando ranæ, & id genus alia animalia, quæ licet sint imperfecta, vt animalia; vt mista tamen sunt perfecta.

Quartò, in elementis reperiuntur

tur conditiones miscibilium, ergo datur mistio; Consequentia probatur, tum quia natura nihil frustra facit, non ergo elementa miscibilia generasset, nisi etiam dari posset mistio, tum etiam quia dum actiua passiuis applicantur, statim sequitur actio, ergo eodem pacto dum miscibilia simul sunt, sequetur etiam mistio. Antecedens verò probatur, quoniam septem sunt conditiones miscibilium, vt ex Aristotele in hoc primo colligitur, quæ omnes in elementis reperiuntur. Prima est, vt sint substantiæ tex. 86. nam debent per se posse subsistere, substantias autem elementa esse, patet. Secunda, vt sint corpora tex. 89 quia debent sua mole componere mistum, & elementa corpora sunt, nam constant materia, & forma, & vocantur corpora simplicia. Tertia, debent habere materiam communem tex. 87. quia alioqui non possent agere, & pati inuicem, & communi materia constant elementa, nam inuicem transmutātur. Quarta, debēt posse diuidi in minutissimas particulas, vt possint perfectè se permeare, & ita misceri, vt quælibet pars misti mista sit tex. eodem, & hoc etiam cōuenit elementis, quia non requirunt determinatam magnitudinem, & cōsequenter in minores, & minores partes diuidi possunt vsque in infinitum. Quinta, debent habere talem proportionem, vt vnum non valde aliud excedat in virtute, vel magnitudine, nec in se transferat, sed omnia ita alterentur, & refrangantur, vt fiat in eis vnum tertium tex. 88. & 89. talia sunt elementa, quia quāuis ignis sit maximè actiuus, & terra minimè, illius tamen actiuitas huius resistentia compensatur. Sexta, debent posse inuicem confundi, & vniri tex. 88. & idem accidit in elementis, nam terra sicca optimè vnitur cum aqua, & ambæ simul cum igne, & aere. Septima, debent habere inuicem contrarietatem, vt inuicem agant, & patiantur, ibidem; alioquin fieret tantū iuxta positio, hac enim ratione grana, vel liquores diuersorum generum, quamuis inuicem misceantur, non tamen miscentur plusquā accidentaliter, quia non inuicem agunt, quæ autem pugnant, se mutuo conficiunt, & ita vnum tertiū gignitur, & hanc conditionem maximè patet adesse in elementis.

De igne tantùm dubitari posset, an sit miscibilis, non enim videtur in eo verificari posse sexta conditio, quæ est confusio, & vnio; nā ignis omnia deuorat, vel ipse extinguitur, neque etiam refrangi potest. Dicendum tamen, vel deuorare mista tantùm, non verò alia elementa: vel ad mistionem concurrere ignem secundum virtutē, si nequeat secūdum propriam substantiam, verè enim non video, quomodo ignis secundum substātiam id præstare possit, immo potius concurrit virtus, & calor Solis vice ipsius ignis.

Quoad modum notandum, per tres gradus quodāmodo fieri perfectam mistionem. Primus est, cū diuiduntur, & confunduntur miscibilia, vt ad sensum videantur esse vnum corpus, & hic gradus, si vlteriùs non progrediatur, dicitur mistio accidentalis, & iuxta positio. Ad hunc gradum autem constituendum iuuantur, elementa à suis virtutibus motiuis, ex quo fit, vt aqua, & aer per omnes partes, & poros terræ illabātur, & permeēt. Iuuari etiam possunt à causa extrinseca,

seca, quæ in vnum locum elementa cogat, sicut Sol vapores, & exhalationes aqueas, & terreas in altū eleuat, vbi simul cum aere, concurrente etiam cœlesti calore miscentur, & si ibi perfecta non fiat mistio, descendens pluuia cum alijs elementis faciliùs commiscetur.

Secundus gradus est, qui fit ex actione, & passione elementorum, quibus virtutes eorum retunduntur, & inuicem communicantur, & aliæ etiam qualitates secundæ gignuntur, vt color, sapor, &c. & hæc est verè mistio accidentalis.

Tertius gradus est, quando non solùm accidentia ita inuicem refranguntur, sed etiam formæ substantiales corrumpuntur, & noua forma misti gignitur, concurrente præter ipsas elementorum virtutes etiam cœlesti influxu, & quoniam ars imitatur naturam, videmus, idem ferè euenire in mistionibus, quę per artem fiunt à pharmacopolis, nam multa simplicia simul vniunt, deinde contundunt, & aqua etiam diluunt, vt faciliùs inuicem vniantur, denique igni apponunt, vt veluti à calore Solis elementa, ita etiam ea miscibilia faciliùs alterentur, & vnumquid conficiant.

Argumenta contra mistionem allata dissoluuntur.

SECTIO III.

AD primum respondeo, iam ex dictis patere, quomodo valeant elementa in vnum locum cogi possint, vel absque hac vnione possit ex eis, medijs eorum virtutibus, fieri mistio. Ad illud, quòd mistio non esset naturalis, respondeo, mistioni quidem præuiam esse aliquam violentiam naturæ particularis at verò respectu naturæ vniuersalis totam esse naturalem, & omnino mistionem ipsam secundum rem, & ratione termini naturalem quoque dicendam esse.

Ad secundum dicimus, intersecari posse, & diuidi facillimè elementa, quoniam tenuem habent substantiā, & à calore Solis, à quo etiam partes eorum tenuiores eleuantur, non parū adiuuari. Quod verò spectat peculiariter ad ignē, ei quidem non repugnat diuidi, vt patet, difficiliùs tamen aliaquin vniri potest cum alijs, & idcirco asserimus, eius substantiam difficillimè ad mistionem concurrere posse. Ad confirmationē respondeo, ab homine non posse confici ex elementis mistum, quia concursus cœlestis non potest ab eo adhiberi, qui maximè est necessarius, tum ad substantias elementorum attenuādas, & inuicem miscēdas, tum ad sua propria accidentia eis imperienda.

Ad tertium concessimus iam id, quod de igne argumentum intendit.

Ad quartum patet responsio ex dictis supra, quomodo accidens possit producere substantiam, nam productio illius formæ substantialis erit tribuenda causæ superiori, vel dicendum, dispositiones illas concurrere effectiuè vt instrumenta illius substantiæ, cui sunt connaturales.

Ad quintum respondeo, ad mistionem elementorum non sufficere tantùm loci propinquitatem, sed multa alia requiri, vt supra diximus, quare non mirum, si aqua tota terræ non misceatur, quamuis varijs in partibus per eam effluat.

An mistio rectè ab Aristotele definiatur Miscibilium Alteratorum vnio.

QVÆSTIO XLVIIII.

Rationes dubitandi proponuntur.

SECTIO I.

NOn rectè definitam, suaderi potest, primò, quoniam definitio constare debet notioribus definito, ad hoc enim res definiuntur, vt cognoscantur. Sed miscibilia sunt æquè ignota, vel etiam magis, quàm sit ipsa mistio, ergo non deberent ea poni in eius definitione.

Secundò, requiritur ad veram mistionem, vt ex miscibilibus vnitis resultet aliquod tertium, cuius in hac definitione nulla fit mentio, ergo est imperfecta. Confirmatur, quia tota hęc definitio conuenire potest mistioni accidentali; si enim aqua vino infundatur, fit miscibilium alteratorum vnio, & tamen non adest vera mistio, quia non fit vnum tertium ex ipsis, & idem dici potest, cum varij liquores inter se vniuntur etiam specie non distincti, vt vina diuersa.

Tertiò, mistio est quid diuersū à cōpositione, non n. omne compositū est mistū, nā elementa sunt cōposita ex materia, & forma, neque tñ sunt mista, & forma ipsa mistorū est mista, neque tñ est cōposita, sed simplex, at in definitione mistionis nullum adest verbum, per qđ à cōpositione secernatur mistio; in compositione n. datur & vnio partium componentium, quæ se inuicem alterant, quia mutuo agunt, & patiuntur, ergo nō est perfecta.

Quartò, debet quoque mistio distingui à generatione, per hanc autem definitionem nō distinguitur, quia cōpositū gignitur per alterationem partium componentium.

Quintò, aliud est mistum, aliud est vnitum, ergo mistio non est vnio. Consequentia perspicua est; nam si concreta sunt diuersa, non possunt non esse diuersæ formæ, à quibus desumuntur. Antecedens probatur, quia mistum non conuenit miscibilibus; non enim dicemus, elementa esse mista, at esse vnitum cōuenit elementis, dicimus enim, elemēta esse vnita in misto; non conuenit autem misto, quoniam nihil est vnitum sibi ipsi, sed alteri; at non est necesse, vt mistum alteri sit vnitum, ergo non el compertit hęc denominatio.

Sextò, videtur superflua illa particula (alteratorum) nam si in instanti miscibilia se corrumperent, & producerent aliquod tertium, re vera facta esset mistio, & tamen non præcessisset alteratio. Et cōfirmatur, quia non minùs est necessaria alteratio ad generationē, quàm ad mistionem, sed in definitione generationis nulla facta est mentio alterationis, ergo neque debuit fieri in definitione mistionis.

Septimò, possunt mista fieri ex vno tantū elemento, nā multa gignuntur in aquis, & in terra, vbi nullum adest aliud elementum, ergo non requiruntur miscibilia; sed sufficit vnum tantùm miscibile.

Octauò, quælibet generatio misti est mistio, at multa mista gene-

nerantur absque vnione miscibilium; sed ex alio misto, vt ex boum cadaueribus apes, ex equo vespes, ex hominis cadauere serpentes, ex herba basilico scorpiones, ergo mistio non rectè definita fuit. Confirmatur, quoniam saltem supernaturaliter fieri potest mistum ex vno elemento, vt cum vinum factum est ex aqua in Cana Galileæ nuptijs, ergo non est de essentia mistionis, vt fiat ex miscibilibus.

Nonò, vnius rei est vnica definitio, sed mistio definita fuit ab Aristotele 4. metheor. 5.p.c.2. aliter, atque hic eam definiuit, dixit enim, *est autem simplex, & naturalis generatio* (scilicet misti) *transmutatio ab his virtutibus* (idest à calore, & frigore) *cum habeant rationem ex substantia materia vniculq; natura*, ergo altera harum falsa erit.

Decimò, perfecta mistio requirit omnia elementa, & non tantū aliqua, ergo debuit hoc explicari in definitione.

Vndecimò, non potest colligi ex hac definitione, in quo prædicamento sit mistio, ergo non est rectè definita.

Defenditur Aristotelica definitio, & declaratur.

SECTIO II.

Rectè ab Aristotele fuisse hic definitam mistionem, ostendi potest, tum argumentorum contra eam allatorum solutione, tum verò ostendendo, traditam fuisse per verum genus, & differentiam, vtrumque hic præstabimus, sed à posteriori incipiemus.

Quoad genus ergo Doct. Conim. c. 9. q. 2. ar. 2. affirmant, genus mistionis non esse vnionem, sed generationem, quare licet non improbent Aristotelis definitionem, dicunt tamen, clariùs ita potuisse definiri. *Mistio est generatio misti ex miscibilibus alteratis*. Scaliger quoque cum definierit mistionē, esse *motum corporū minimorum ad mutuum contactum, vt fiat vnio*, videtur voluisse, motum potius quā vnionem esse mistionis genus, opinio autem Connimb. corroborari potest authoritate ipsiusmet Aristotelis, qui, vt supra retulimus, 4. meth. definiuit mistionē per generationem. Dicendum tamen, genus mistionis verè esse vnionē, alioqui Aristotelis definitio non posset defendi, cum non tantùm vnionem posuerit in definitione mistionis, sed etiam in recto, quod generi tantùm competit. Probatur ēt ratione, quia mistio, & cōpositio differūt inter se, tamquā duæ species sub eodem genere comprehensæ, nihil enim videtur minùs differre à mistione, quàm cōpositio, nam in vtraque fit vnum ex multis, at genus compositionis est vnio, quia cōpositum est illud, quod est vnitum ex pluribus partibus, ergo etiam mistionis. Secundò probatur, quia genus mistionis neque est motus, neque generatio, vt aduersarij volebant, ergo erit vnio, quòd non sit motus ad contactum, vt volebat Scaliger, facilè patet, quoniam mistio non est species motus localis, vt constat; Quòd verò neque sit alia species motus, probatur, quia mistio terminatur ad substantiam, ad quam non est motus. Si autem motus sumatur largo modo, vt cōplectitur etiam mutationē ad substantiam, quamuis hoc sit probabi

lius,

lius, videtur tamen obstare, quia mistio esse potius videtur terminus motus, quàm ipse motus, nam producto misto cessat omnis motus, at verè non cessat mistio, quia sicuti adhuc dici possunt elementa esse mista, ita etiam inter ipsa mistionem intercedere. Quòd etiam generatio nō sit genus ad mistionem, probatur duplici ratione, altera est supradicta, quòd generatio definit producto termino, non tamen mistio: altera est, quòd generatio respicit terminum productum, nam dicitur re vera mistū generari, at verò mistio non productum terminum, sed partes ipsius misti respicit, non enim dicitur mistum misceri, sed partes ipsæ misceri dicuntur, qua duplici etiam ratione confirmatur, vnionem esse genus, nam & ipsa remanet post misti generationem, & denominat partes vnitas.

Sed notandum adhuc, duplicē esse vnionem, alteram accidentalem, alteram substantialem, & ita etiam duplicem esse mistionem, hic autem sicuti definitur mistio substantialis, ita etiam substantialiter sumitur vnio. Si quæras, vnde cognoscamus, sumi substantialiter. Respondetur, ex eo quòd dicitur Alteratorum, nam si mutuo se alterant, ergo iam sunt vnita accidentaliter, quia & actio supponit loci propinquitatem, & mutua alteratio communicationem accidentium, quæ duo requiri possūt ad mistionem accidentalem.

Obijci tamen potest, quia elementa non remanent in misto, ergo non dici possunt vnita, quia vnio est existentium, & distinctorū, ergo falsum est, vnionem remanere post misti generationem. Respondent nonnulli cum Toleto, hic definiri mistionem in fieri, nō autem in facto esse, siue, quod idē est, causaliter, non formaliter. Dicendum tamen, eo pacto, quo remanet mistio, remanere quoque vnionem, remanet mistio, quia forma substantialis misti continet elementorum formas, quamuis nō distinctas, & ita etiam illæ formæ sunt eadem ratione inter se vnitæ. Dum obijcitur, quòd vnio supponit terminos distinctos. Respondetur, vnionem in fieri supponere terminos distinctos, quia ea nō possunt vniri, quæ distincta non sunt, at vnio in facto esse nequaquam, pręsertim si sit vnio formalis. Instabis, eadem est vnio in facto esse, quæ fuit etiam in fieri, ergo si in fieri erat terminorum realiter distinctorum, idem erit dicendum de ipsa in facto esse. Respondetur, vnionem in fieri posse contingere dupliciter, vel immediatè per se, vt cum vniuntur lapides in fabricatione domus, vel cōsecutiuè ad effectionem alterius, vt accidit in mistione; quando vnio fit immediatè per se, vtique supponit terminos distinctos, & inter distinctos remanet; sed quādo fit consecutiuè, non oportet, vt neque in fieri, neque in facto esse habeat terminos distinctos. Vnio ergo, quæ est in misto, non fit per se immediatè, sed cōsecutiuè, quoniam ex miscibilibus alteratis fit forma misti, & consequenter vnio miscibilium in ea forma, quę licèt sit simplex, ea tamen continet.

Quoad differentiam, continetur hæc illis verbis *miscibilium alteratorum*; per quæ cognoscitur differre mistio, tum à compositione, quia hęc non est miscibilium, materia enim, & forma non sunt miscibilia, neque est necesse, vt altera-

rentur, tum etiam ab interpositione, siue iuxtapositione corporum, quia in hoc non est necesse; vt interueniat alteratio, & licet interueniat, tamen est posterior, cũ è contra sit prior mistione substantiali. Differt etiam à mistione accidentali, quia hæc consistit in mutua ipsorum accidentium alteratione.

Vocibus ijsdem vsi sunt Conimbr. in sua definitione dicentes, *mistionem esse generationem ex miscibilibus alteratis*, sed in eo, quod ab Aristotele discesserunt, lapsi quoque sunt, nam particula (ex) denotat magis terminum ex quo, quàm materiam, quare cum Aristoteles dixit, materiã esse, ex qua fit aliquid, addidit, cum insit, quia alioqui hæc conditio per illa priora verba non fuisset satis explicita, cum ergo etiam miscibilia debeãt aliquo pacto manere in misto, hęc conditio non fuit sufficienter exposita à Conimbricẽsibus, Quæ verò à Scaligero afferuntur loco differentiæ, nempe *corporum minimorum ad contactum mutuum, vt fiat vnio*, vt cætera omittam, non distinguunt mistionem à compositione, nam hæc etiã fieri potest ex mutuo contactu corporum minimorum, & vnitorum. Quare non est discedendum ab Aristotelis definitione, quæ optimè mistionis naturam explicat, & à qua nõ possunt alij discedere sine errore.

Rationes dubitandi euacuantur.

SECTIO III.

AD primum respondeo, non per ignotius, neq; per æquè ignotum explicasse Aristotelem mistionem, quoniam miscibile tã ante explicauerat, & notum reddiderat, quare nõ debuit Scaliger exerc. 121. num. 1. ob hanc rationem Aristotelis definitionem damnare.

Ad secundum respõdeo, per vnionem sufficienter connotari terminum resultantem ex mistione, sicuti enim ex mistione resultat mistum, ita etiã ex vnione vnitum. Quomodo aũt ab hac definitione excludantur mistiones accidentales, supra demonstratum est, quia videlicet sequuntur vnionem, nõ præcedunt, vt patet etiam in mistione aquæ, & vini, quia postquã vnita sunt, fit accidentium ipsorũ contemperatio, non verò post accidentiũ communicationem vnio; estq; hæc vnio substantialis, cum illa sit accidentalis.

Ad tertium respondeo, differre compositionem à mistione ex eò propriè, quòd partes componẽtes remanent, vt erant antea separatę, at verò partes mistæ vel omnino non remanent, vel saltem non eo modo, ac se habebant separatæ, nã & in mistione accidentali ita confunduntur partes, vt non retineãt idem nomen, ac priùs, hoc autem discrimen per ipsa miscibilia declaratum est, quia natura eorum est, inuicem confundi, & permisceri.

Ad quartum respõdeo, mistionem realiter non distingui à generatione, sed tantùm ratione, quatenus generatio magis respicit terminum, & significat productionẽ, mistio verò magis partes miscibiles, & earum vnionem, vt supra explicatum est.

Ad quintum respondeo, vnitũ se habere, vt genus respectu misti, negamus autem illud discrimen, quod in argumento est allatum. Nam & partes misti mistæ dicuntur

tur inuicem, dicitur enim vinum esse mistum aqua, & etiam vnitū dicitur de ipso resultante ex partibus, quamuis magis proprie dicatur vnum. Ex parte tamen mistionis non dantur duo vocabula, quę his vocibus vni, & vnito respondeant, & idcirco non mirum, si nō videantur sibi omnino respondere vnitum, & mistum, non ex defectu vnionis, vel mistionis, sed ob vocum carentiam.

Ad sextum respondeo, naturaliter non posse fieri mistionem sine alteratione præcedente, quoniam inter miscibilia debet esse proportio virtutis; non verò magnus excessus ex parte vnius extremi, ex quo sequitur, vt victoriam necessariò præcedat pugna, & consequenter alteratio. Si tamen fieret in instanti, adhuc præcessisset natura, alteratio. Cur autem in definitione generationis non sit facta mentio alterationis, sicut in mistionis definitione, ratio est, quoniam non fuit opus, vt distingueretur generatio ab alia simili mutatione, ad alterationem recurrere; at verò, vt distingueretur mistio substantialis à mistione accidentali, & à compositione, vt explicatum est, necesse fuit, alterationis meminisse.

Ad septimum negandum est antecedens: Ad probationem respōdetur, mista, quæ gignuntur in aqua, aut in terra, vel fieri ex alijs mistis, vel ibi adesse aliquod aliud elementum, in aqua enim sunt exhalationes terreæ, in terra vapores, & humores, &c.

Ad octauum respondeo, negandum esse antecedens, ad mistionē enim non sufficit, vt generetur mistum, sed oportet etiam, vt fiat ex miscibilibus alteratis quæ conditio non interuenit, cum mistum gignitur ex misto. Adest tamen etiam in facto esse mistio, prout significat vnionem formalem miscibilium in eadem forma, tamen ibi adest consequenter, non verò fit immediatè, & per se, vt supra notauimus, & proinde opus non est, vt præsupponantur miscibilia. Potest tamen etiam aliquo pacto definitio illa mistioni in facto esse accommodari, quia adsunt rationes formales elementorum, sed alteratæ, & refractæ, quæ sunt vnitæ in eadem forma, vt infra explicabimus.

Ad nonum respondeo, in 4 metheor. definiuisse Aristotelem generationem misti, non autem mistionem, quomodo autem hæc duo differant, supra declarauimus.

Ad decimum respondeo, noluisse Aristotelem excludere ab hac definitione mistionem imperfectam, substantialem tamen; eam scilicet, per quam fiunt meteorologica, & idcirco non addidisse numerum miscibilium. Adde, neque esse certum, ad mista perfecta omnia elementa necessariò cōcurrere, vt patebit ex sequenti sectione.

Ad vndecimum de prædicamento, in quo reponatur mistio, Nobilius quæstione vltima huius primi de generatione in fine inquit, quòd si mistio accipiatur, vt significat actionem miscendi, ita ad Categoriam faciendi, idest ipsiusmet actionis referri, si verò vt naturam iam ex pluribus conflatam, esse relationem, nam & vnionem existimat esse relationem, cui in priori dicto

libenter assentio, non possum tamen approbare posteriorem, quia nec vnio, nec mistio sunt relationes prædicamentales, quamuis relationem transcendentalem includant. Dicendum igitur, mistionẽ propriè dictam reduci ad prædicamentum substantiæ, sicuti etiam vnio, quia est modus quidam substantialis; Mistionem verò accidentalem ad illud prædicamentũ referri, in quo reponuntur accidentia ipsa vnita.

An ad perfectam mistionem necessarium sit, omnia quatuor elementa concurrere.

QVÆSTIO I.

Quid alij sentiant.

SECTIO I.

PRima opinio est Cardani lib. 2. de subtilitate, ad omnia mista sufficere terram, & aquam, & requiri tãtùm calorem cœlestem, tamquam causam efficientem. Probatur primò, quia hac ratione explicari possunt omnes differentiæ mistorum. Nam si multum sit caloris efficientis, & parum terræ, & aquæ, fit mistum igneum, vt piper, si multum aquæ, & parũ terræ, & caloris efficientis, fit mistum aqueũ, vt sunt olea, si multum sit caloris efficientis, & terræ, & parum aquæ, fit mistum aereũ, vt oleum. si multum sit terræ, & parum caloris, & aquæ, fit mistum terreum, vt lapides.

Secundò probatur, quia aer propter suam tenuitatem diffluit, nec contineri potest, & commisceri cũ alijs, ignis autem omnia cõsumit, & dissoluit, quare non est ptus ad mistionem.

Tertiò, dum dissoluitur mistũ, apparet terra, & aqua, non autem ignis, aut aer, sed in ea dissoluitur mistum, ex quibus componitur, ergo.

Quartò, ex Aristotele 4. meth. sum. 2. cap. 3. Omnia mista sunt aquea, vel terrea, ergo nullum aliud elementum ingreditur eorũ mistionem. Si dicas, Aristotelem loqui de elemento prædominante. Contra, quia in oleo prædominatur aer & mistum aereum vocatur ab Aristotele 4. metheor. c. 2. sum. 2. & de longit. & breu. vitæ c. 7. & tamen necesse est, oleum esse mistum aqueum, quia dissoluitur calore, non loquitur ergo Aristoteles, quando dicit, mista esse terrea, vel aquea, de elemento prædominante, sed de componente.

Secunda opinio est communis, ad mista perfecta omnia elementa concurrere, Nobilij 1. de Gener. quæstione vltima, Niphi 2. de gen. tex. 49. ibiq; Auerr. Philop. Bucafer. in tex. 98. & Veneti 2. de gen. tex. 48. Probatur primò ex Aristotele 2. de gen. tex. 49. & 50. vbi non solùm expresse hoc asserit, sed etiam probat, inquit. n. *Omnia autem mista corpora, quæcunque circa medij locum sunt* (hoc dicit, vt excludat metereologica, quæ fiunt in aere) *ex omnibus composita sunt simplicibus.* Rationes autem Aristotelis duæ sunt. Prior, quia ad mistionem necessaria est terra, & aqua, vt fiat aliquod consistens, quòd si adsint hæc duo, ergo etiam his cõtraria, nẽpe ignis, & aer. Posterior, quoniam mista nõ nutriuntur simplici elemento, sed omne ex eo nutritur, ex quo constat, ergo mista ex omnibus ele-

elementis constant, non ex vno tantùm.

Si quaeras autem, quomodo adesse possit ignis. Respondet quidam, ignem non esse solùm eum, quem nos videmus, & sentimus, sed esse etiam quasdam exhalationes igneas, quae reperiri possunt etiam in mari, & ex eis componi possunt mista.

Tertia sententia est Doct. Conimb. cap. 9. huius primi quaest. 2. art. 2. Mistionem interdum fieri ex materia plurium elementorũ, interdũ ex materia vnius tantùm. Prior pars ab omnibus cōceditur. Probatur posterior, quam dicunt esse S. Augustini lib. 3. super Genes. ad litteram cap. 15. Scoti, & Greg. in 2 d. 15. quaest. 1. quia cum duo elemẽta in se inuicem agunt, antequam vnum in se conuertat alterum, vel tertium resultet, fieri potest, vt in materiam vnius inferātur dispositiones, quas misti forma consequatur, fatentur tamen, ab Aristotele non appellari propriè mistionem, nisi cum plura elementa concurrunt.

Quid nobis videatur.

SECTIO II.

PRo meae sententia dico primò. Vt omnia elementa ad mistionem concurrant secundum propriam substantiam, non est necesse, neque videtur possibile. Probatur, quoniam ignis secundum substantiam ad nullius mistionem videtur concurrere, quod. n. aiunt nonnulli de exhalationibus igneis non visibilibus, non existimo probabile, nullum enim huius rei indicium habetur, & est nouum in Philosophia; Aristoteles namque, vel vllus antiquorum numquam eius meminit. Praeterea si aliqua esset exhalatio ignea, vtique illa esset, quae sursum maximè ascendit, at hanc non esse, patet, quia cum ad propriam naturam redit, rursum descendit, & ex hac pluuiae, grandines, venti, & alia metereologica oriuntur, & quamuis ex ipsis fieri demus etiã cometas, & alias ignitas impressiones, nemo tamen vnquam igneis exhalationibus horum ortum tribuit, sed dixerunt, exhalationes esse quidẽ terreas, sed in superiori aeris regione igniri, alioqui sicuti in sublimi refulgent, multò magis prope terram fulgerent. Praeterea si darentur exhalationes hae, vtique ab igne magno plurimae oriretur, quòd si ille ignis clausus esset in aliquo cubiculo, vt saepe euenit, totum illud cubiculum exhalationibus igneis repleretur, quod est absurdum. Ad haec, hae exhalationes cum essent ignis substãtia, possent producere alium ignem, at videmus, ab igne tantùm visibili ignem produci, ergo illae re vera non dantur. Confirmatur, quia nullum aliud accidẽs habẽt ignis proprium, non enim fulgorem habent, non calorem in summo, qualis ad ignem requiritur, sunt igitur merum figmentum.

Affirmant alij, particulas ignis illius, qui est sub concauo lunae, deorsum à motu Caeli detrudi, & ita concurrere ad mistionem, quod videtur habere fundamentum in Aristotele 1. metheor. cap. 4. in fine, sed neque hoc est verisimile, tum quia motus circularis non habet vim aliquid deorsum pellendi, tum quia cum Caeli motus sit vniformis, vel totum igneum pelleret deorsum, vel nihil.

Dico secundò, Ad mista perfecta, probabile est, omniũ elementorum virtutes concurrere. Probatur ex cõmuni omniũ conceptione, qui censent, omnia ex quatuor elementis constare, at hoc intelligi nequit, quoad eorum substantiam, vt probatum est; ergo debet intelligi de ipsorũ virtutibus. Secundò, quoniã mista habent qualitates omnes temperatas, ergo signum est, ex omnibus ea participasse elementis, nam singula elementa videntur ea habere in summo. Tertiò cum non omnia elementa cõcurrunt, videmus, gigni imperfecta, qualia sunt meteorologica multa, ergo ad mista perfecta omnia concurrere debent. Notandum tamen, quòd ad hoc vt dicatur ignis virtus concurrere, sufficit, ꝙ calor aliquis adsit, siue aũt à cęlo originẽ ducat, siue ab igne, nil refert; nã etiam à calore cælesti potest ignis produci, cumque substãtia ignis sit admodũ infrequẽs, optimè mistorum generationi per calorem cælestem consultum fuit.

Difficultas est tamen de aere, cuius nulla videtur necessaria virtus ad mistionẽ, quænã enim hęc erit? an calor? at hic censetur virtus ignis, an humiditas? sed hæc potior habetur ab aqua, an frigiditas? suppeditant hanc sufficienter aqua, & terra: Ob hanc ergo causam probabile tantùm appellaui hoc dictum, non iã certum. Est autẽ probabile, q̃m videmus, esse aliqua mista in quibus prædominari videtur aer, vt oleum, & ligna; alioqui.n.aquæ non supernatarent. Præterea sicuti aer habet leuitatem propriam, ita probabile est, alias quoque qualitates habere, quæ quamuis fortè non sint actiuæ, materialiter tamen non parum conducere mistioni possunt.

Dico tertiò. Ex vna tantùm substantia, siue materia elementi non mihi videri fieri posse mistum. Probatur primùm, quoniã omne mistũ vel oritur ex alio misto, vel ex elementorũ mistione, si ex alio misto, iã in illo aderat materia plurium elementorũ, si ex elementorum mistione, ergo oportet, ipsa inter se misceri. Dices, sufficit, ꝙ adsint virtutes. Verùm Aristoteles requirit substãtiam, nã inquit miscibilium alteratorum, quare & Doctores Connimb. fatentur, non comprehendi hanc mistiõnẽ in Aristotelis definitione, qđ idẽ est, ac asserere, Aristotelem perperam definisse Mistionem. Secundò, nimis facilè generarentur mista, quotiescunque enim aqua opponitur igni, fieret mistum, nam ibi adsunt quatuor primæ qualitates, frig⁹, & humiditas in aqua, calor, & siccitas in igne, si ergo ẽt non requireretur substantia ipsa elemẽtorum, nulla esset ratio, cur inde non oriretur mistum.

Tertiò, vt argumentabatur Aristoteles, videtur saltẽ necessaria aquæ, & terræ substantia, vt fiat corpus consistens & terminatum. Si dicas, adhoc sufficere terram, si addatur ei humiditas, non videtur aptè dici, quoniam non videtẽ posse communicari terrę humiditas ad hoc sufficiẽs sine ipsa aqua. Nam à qualibet re humida, videmus, aquã facillimè educi, quod argumento est, non sine aquæ substantia humiditatem participari, saltem in eo gradu, qui sufficiat ad mistionem, licet. n. multa mista minimũ videantur habere humiditatis, aliud tamen est loqui de mistis iam perfectis, aliud de mi-

stio-

stione in fieri, in qua cum interue nire debeat alteratio, maiori quoque humiditate opus esse videt, quę tamen ratio, vt probabilis tãtùm à me proponitur.

Ad argumentum Connimb. negamus, ex actione vnius elementi in aliud fieri posse, vt in vnius materiam inducantur dispositiones, quas forma misti consequatur, vt supra ostensum est.

Maior difficultas videtur esse, quia quãdo elementa simul vniũtur, non se penetrant, ergo singulæ eorum particulæ licet minimę, sunt verè materia vnius tantùm elementi, & tñ in eas introducitur forma misti, ergo ad formam mistionis sufficit materia vni⁹ elementi, dispositionibus, & qualitatibus aliorum elementorum affecta. Dicendum tamen, aliud esse, introduci aliquam formam in materiam partialẽ, aliud, in materiã totalem, fatemur ergo, in materiã vnius tantùm elemẽti tãquam in materiam partialẽ introduci posse formam misti, non tamen tamquam in materiã totalem, sicuti etiam anima introduci potest in partem homogeneam, tamquam in materiã partialem, non autem tãquam in materiam totalẽ. Adde, quòd ad hoc vt illa particula materiæ elementi reducatur ad eas dispositiones, vt possit recipere formã misti, opus est, vt vniatur cum particulis materiæ aliorũ elementorum, esset etiam magnũ argumentum pro Connimb. conuersio aquæ in vinũ, si vera esset, nam ibi in materiã vnius elementi tantùm introduceretur forma misti, sed vt iam diximus, & copiosiùs inferius dicemus, hoc falsum est.

Dico quartò, ad mista terram, & aquam necessariò concurrere secundum ipsarum substantias, ignem verò, & aerem satis esse, q̃ concurrant secundum suas virtutes. Hoc dictum est illud ipsum, quod voluit Aristoteles 2. de generatione. text. 49. vt ex ipsius rationibus colligitur. In priori enim ratione inquit, primũ requiri terram, & aquam ob terminationẽ, & consistentiã ad quod, vt patet, opus est ipsarum substantijs, deinde adesse etiam oportere ignem, & aerem, quę sunt contraria terræ, & aquæ, at hæc consequentia quoad substantiam nulla est, quia non est necesse, vbi adest substantia vnius contrarij, ibi etiam adesse substantiam alterius, alioqui omnia elementa essent confusa & permista etiam in suis sphæris, at quoad qualitates verissima est in mistis, nam si adessent duo tantũ cõtraria, reperirentur in summo, & non refracta, non posset igitur mistio fieri, ad hoc igitur, vt refrãgantur, debent adesse etiam contrariæ qualitates. Sed clariùs idipsum colligitur ex posteriori ratione. Probat enim, omnia nutriri ex pluribus elementis, quia licet videantur plantæ nutriri aqua tantùm, tamen illa aqua est mista terræ, censet igitur, aquam, & terram sufficere ad nutrimentum, & consequenter ad mistionem, scilicet quoad substantiam, nam ex superiori argumento supponit, si adest aqua, & terra, debere etiã adesse cætera elementa, quoad virtutem, & hoc etiam fortasse tantùm voluit Cardanus, sicuti neq; aliud eius argumenta probant, vt facilè inspicienti patet, quare alia solutione non est opus.

An elementa maneant actu, & formaliter in misto.

QVÆSTIO LI.

PRo eodem accipi solet manere formaliter, ac remanere secundum formam substantialem, quod etiam alij dicunt, remanere actu. Non manere verò formaliter, est, corrumpi ipsa elementa, & gigni ex ipsis quoddam tertium, remanentibus tamen in eo qualitatibus, siue virtutibus elementorum.

Pars affirmans quibus argumentis, & authoribus innitatur.

SECTIO I.

PLurimos habet hæc sententia sectatores, quos infra referemus, varios eius modos explicando, nūc in vniuersum probabim⁹, elementa actu, & formaliter in misto manere. Primum ergo argumentum est. Elementa sunt materia misti, ergo in ipso remanent. Antecedens probatur ex tex. 3 t. 2. phys. vbi elementa ad materialem mistorum causam reuocantur, sicut litteræ sunt materia syllabæ, & postremis verbis 7. metaph. elementum definitur esse id, *in quod inexistens diuiditur, vt in materiam.* Præterea alioqui sola materia prima esset mistorum materia, sicut & simpliciū, & non minus, quàm elementa, vnum mistum diceretur materia alterius, dum vnum ex alio gignitur. Consequentia probatur, quia definitur, *ex qua fit aliquid, cum insit ex* phys. 1.

Secundò, in misti dissolutione separantur ex illo elementa, ergo præerant. Probatur consequentia, quia in ea dissoluitur vnumquodque, ex quibus constat 5. metaph. tex. 15. & 1. phys. tex. 65. & lib 3. tex. 45. quo item loco ostenditur, non dari quintū elementum, quoniam quatuor solùm ex mistis separantur. Si dicas, mista in elementa dissolui, non quia præfuerint, sed quia dum mistum corrumpitur, generantur. Contra, quia nō adest, a quo produci possint, nam si ab igne comburatur lignum, nō nisi ignem producit ignis, vnde ergo terra, & cinis? vnde aqua, quæ ex ligno viridi distillatur? vnde fumus, qui est aer? an à misti forma? at hæc nec est illis similis, & eorū potius interitum procurauit, vt ipsa produceretur. Præterea ipsa quoque destruitur, & perit, qui potest ergo alia producere?

Tertium argumentū ex operatione colligitur, nā nisi velimus nouam philosophiam condere, fateri oportet, operationes indices esse formarū substantialiū. At in mistis operationes omnes elementorū cernuntur, calefactio, refrigeratio, humectatio, exsiccatio, ac demū is motus, qui simplex est, ac tectus, sursum, aut deorsum, ergo etiā formæ elementorū in ipsis actu sunt. Neque verò responderi potest, has operationes à misti forma proficisci, quòd hæc elementorū formas virtute contineat, quoniam operatio hæc debilior est in mistis, & imperfectior, quàm in elementis, ex eo scilicet quòd elemēta sunt in misto refracta; at verò si prouenirēt à forma misti, vt virtute continente elementorum formas, essent vtiq; perfectiores, quoniam superior virtus, quę inferiorem cōtinet, vt nobilior est, & perfectior, sic nobiliori, & perfectio-

si

ti modo operatur. Confirmatur, quia nec vnius elementi forma ad alteram ordinatur, nec omnes simul ad formam misti tamquam formæ inferiores ad superiorem, sed sicut materia, materiæque dispositiones ad formam; at verò materia non continetur virtute in forma, ergo neque elementa in misto.

Quartum argumentum desumitur ex necessitate omnium elementorum in misto. Nam terram adesse oportet, eò quòd mista perfecta gignantur, & versentur interra, quod signũ est, in ipsis prædominari terram, aquam adesse oportet, vt mistũ sit consistens, & partibus omnibus copuletur, alioqui terra si sola esset, diffluere vtiq;, sicut puluis, & cinis. Iam si terra, & aqua adsint, aerem item, & ignẽ adesse, necesse est, vt ab elementis contrarijs priora illa duo refrangantur, & ad necessariam misto mediocritatem adducantur, qua argumentatione vtitur Aristot. tex. 49. 2. de generat.

Quintò, ex ijsdem nutrimur, ex quibus constamus, at ex quatuor elemẽtis, permistis scilicet, & temperatis, nutrimur, ergo & ex illis quoque constamus, & hoc est etiã Aristotelis in tex. 50. eiusdẽ 2. de generatione.

Sextò, in quolibet misto certum est, aliquod elementum prædominari, ergo quamuis cætera perirẽt, illud certè remaneret, tum quia in illud potius tamquam in robustius oporteret cætera commutari, tum quia nihil adest, à quo possit interimi, non enim à cæteris elementis, quia hæc sunt illo imbecilliora, neque à forma misti, quoniã hæc illi contraria non est. Quòd si elementum illud non perit, neque cætera perire necesse est, quia si elementũ prædominans posset ea corrumpere, in se ea verteret, & consequenter mistio non fieret.

Septimò, mista corpora sunt actu, & re ipsa mista, & composita in substantia magis, quàm sint elementa, nã & propterea à simplicibus distinguuntur, & speciẽ naturalis corporis simplici oppositã constituunt, ergo elementa, ex quibus componuntur, in ipsis existere oportet, alioqui etiã homo cõpositus dici poterit, & mistus ex pane, carne, oleribus, cæterisq; obsonijs, quibus vescitur, si quidem & eorum virtutes complures in eo conseruantur. Præterea si virtute tantùm essent elementa in misto, mistio quidẽ esset, & cõpositio virtualis, vera tamen, realisq; nequaquam.

Octauò, si elementa formaliter non remanerent in misto, nõ differet mistio à generatione nisi accidentaliter propter præcedentem dispositionẽ, quod antiqui nequaquam negabant, quos tamen tamquã non distinguentes generationem à mistione Aristoteles impugnat: nam & in mistione adessent illa tria principia, materia, forma, & priuatio; & illi conueniret definitio generationis ab Aristotele in tex. 23. 1. de generatione tradita.

Nonò, omnia mista habent internum principiũ suæ corruptionis, ergo cõposita sunt ex elementis contrarijs inuicẽ pugnantibus. Antecedens probatur ex illis principijs, quòd omnia, quæ nascuntur, etiã occidunt: Omne quod est cõpositũ, necesse est tandẽ, vt dissoluatur, ergo etiã si nullũ esset ambiens extrinsecũ, adhuc mista cum oriantur, & cõposita sint, corrũpi de-

deberent ab intrinseco. Consequentia patet, quia non potest fieri corruptio, nisi adsit diuersitas, & contrarietas, hæc autem in mistis nulla esset, nisi adessent actu formæ elementorum contrariæ. Confirmatur ex Aristotele lib. de iouentute, & senect. cap. 3. vbi ponit duplicem interitum, vnum à se ipso, quē vocat marcorē, & alterū, qui euenit ab agente extrinseco, & 2. Cœli tex 37. senectutem, & decrementū, quod est in animalibus, tanquā in causam refert in elementa, ex quibus animal cōponitur, quæ appetunt sua loca, graue videlicet descendere deorsum, leue ascendere sursum, quę ratio nulla esset, si elementa actu non essent in misto. Confirmatur secundò experientia. Videmus enim, vnūquodque mistū cōpositū esse ex partibus differentibus, & quasdā esse crassiores, quasdā tenuiores, quasdā humidiores, quasdam, sicciores, ex quo necesse est, vt etiā formis differant, vt vna possit agere in aliam.

Decimò, sicuti se habent accidentia in mistione accidentali, ita etiam formæ substantiales in mistione substantiali, at accidentia remanent in mistione accidentali, sed refracta, ergo idē dicendū de formis substantialibus.

Vndecimò, ex Aristotele multa proferuntur loca præter ea, quæ in argumentis superioribus indicata sunt, quæ diligentissimē colligit Dandinus in 2. de anima digress. 8. part. 3. huius sententiæ acerrimus propugnator. Nos potissima tantùm afferremus. Primò ergo in hoc primo tex. 84. apertè ait, quæ miscentur, non interire, & idcirco negat, ligna cum igne, vel cibū cū alito misceri, quia corrumpuntur, ergo sentit, in mistione nō debere miscibilia corrūpi. Secundò, tex. 39. 2. de an. affirmat, nisi anima esset in corpore, futurū vt elementa distraherentur, & contraria loca capesserent. Tertiò, tex. 52. eiusdē libri, quærit, cur cum in organo sensus sint aer, aqua, ignis, & terra, non sentiantur, quæ quæstio vana esset, nisi elementa actu adessent. Quartò, 1. de anima 40. probat, animā non moueri per se sursum, quia esset ignis, neq; deorsum, quia esset terra, ergo sensit, hos motus nō posse nisi ab elementis prouenire, cū ergo mista his sint prædita motibus, oportet etiam, habere elementa actu. Quintò, 1. de gener. animal. cap. 18 ait, semen non posse decidere ex omnibus partibus animalis, quia decideretur etiam ex elementis. Sextò, lib. 2. metaph. text. 60. sicut syllaba B A præter B, & A significat ordinem illatū litterarum, sic carnem, & ossa, & alia mista præter elementa significare formam misti, ergo sicuti in syllaba B A sunt B, & A formaliter, ita etiam in misto elementa formaliter.

Denique ex ipsa mistionis definitione argumentantur, nam si *alteratorum*, inquit Nobilius, ergo non corruptorum, si *vnio* ergo entium, corrupta autem entia non sunt.

Citantur etiam pro eadem sententia Alexander, Philoponus, & alij veteres Peripatetici, de quorū sententia non existimo, esse debere nos admodum sollicitos, esset enim hominis tempore, & opera abutentis, singulorum Philosophorum mentem curiosiùs inuestigare, & de ea disputationes texere, quoniam tamen etiam sectatores huius sentētiæ inter se diuisi sunt,

n.o.

modos, quibus eamdem explicăt, breuiter indicabimus.

Primus modus antiquiorū fuit Democriti, Leucippi, & Epicuri, qui ex atomorum corpusculorum concursu, & proximo situ mistum resultare credebant.

Secundus videtur fuisse Empedoclis, vt ex Aristotele in tertio de cœlo colligitur, qui qualitates inter se elementorum commisceri existimabat, non autem substantias.

Tertius Chrysippi, & Stoicorū referente Plotino in libro de permistione, qui eandem quoque approbare videtur, elementa se inuicem permeare, & permeare absque vlla cuiusque diuisione, vel refractione.

Quartus modus est Auicennæ, elementa discreta, & in minutissimas partes diuisa ad mistionem concurrere, formasque substantiales integras retinere, earum verò qualitates remitti, & ita ad temperationem quandam reuocari, quæ complexio dicitur; quam sententiam sequuntur Ioan. Fern. libro 2. Physiologiæ cap. 6. & sequent. Albert. Archangel. Mercen. in suis dilucidationibus, Frãciscus Bonamicus lib. 1. de motu. cap. 50. & nouissimè Giorgius Ragusęus disputatio prima. quæstione 10.

Quintus modus est Auerrois 1. de gen. cap. de mistione, quem sequuntur Suess. 1. de gen. com. 218. quæst. vltima, & Zimara theorem. 27. Achill. lib. 2. de elementis art. 3. Iand. 6. phys. quæst. 2. Nobil. in 1. de gen. quæst. vlt. Hieronymus Dandinus. lib. 2. de an. dig. 8. par. 3. qui etiam veteribus Peripateticis eam tribuit volunt hi, formas elementorum substantiales esse intēsibiles, & remissibiles, veluti medias inter substantiam, & accidēs, & idcirco remanere in misto remissas, & refractas.

Sextus modus est Zabarellę lib. de mist. ca. 7. qui contendit, esse ēt Auerr. & Ioan. Baconij in 3. sent. dist. 16. Hi volunt, remanere in misto realitatem formarum elementorum, non tamen formalitatē, quia ex eo quòd refranguntur, existimant, mutare speciem. Dupliciter .n. inquit Zabarella, aliquid potest intendi, & remitti, vel retinendo eandem essentiam, sicut intenditur, & remittitur calor, vel mutando speciem, vt si albedo ita remittatur, vt euadat alius calor specie, & hoc pacto, inquit, remitti formas elementorum.

Secunda sententia negans, elementorum formas actu remanere in misto, longè probabilior.

SECTIO II.

HÆc sententia si non sectatorū numero, rationū certè pōdere priori longè præstat, sequuntur autem eam S. Th. opusc. 33. & p. 1. q. 76. artic. 4. & Caiet. ibid. Scotus item, Gregor. Capreolus, Durand. dist. 30. q. 1. & alij cōplures. Doctores itē Connimb. hic q. 3. Suarez disp. 15. in metaph. sect. 10. Tol. q. 17. 1. de gener. vt veteres omittā, quorū sententiam conantur vtriq; ad se trahere. In hoc etiā oppositæ sententiæ prçualet, quòd ipsius sectatores omnes conueniunt in formis elementorum excludendis, illius verò in includendis maximè inter se differunt, quod non parū falsitatis est argumentum. Hanc igitur si non veritatem tetigisse, proximè tamen ad eam accessisse

arbitror, cuius probabilitas ex impugnatione oppositæ sententiæ facilè apparebit, quod duobus dictis præstabimus.

Dico igitur primùm. Non remanere formas elementorum integras in mistis, est contra quatuor primos modos explicandi contrariam sententiam. Probatur autē. Nam vel volunt, has formas esse in diuersis partibus materiæ, vel omnes in singulis, vtrumque autē magna continet absurda. Si. n. primum dicatur, ergo ex elementis non poterit fieri mistio, nisi per iuxtapositionem, quæ non est vera mistio, vt docet Aristoteles cap. de Mistione, nec quælibet pars mē sti esset mista, cum singulæ particulæ habentes proprij elementi formam, dici non possint mistæ. Si dicas, præter has formas elementares adesse in toto misto formam quamdam totalem mistionis, ratione cuius corpus illud dicitur mistum. Contra, quia forma illa, prout est in ea particula materiæ, vbi est sola forma ignis, non posset dici mista ex elementis, quia ibi esset vnum elemētum tantùm, esset ergo mista ex se ipsa, & forma elementari, sed & hoc quoque est absurdum, quia idem non potest misceri ex se, non enim idem esse potest pars, & totum, miscibile, & mistum. Præterea forma ignis quomodo posset esse integra in misto, & ipsum non combureret, præsertim si hoc mistum sit lignum, vel sulphur? Dicent fortè, habere qualitates refractas, quamuis non substantiam. At substantia quando qualitates remissas habet, potest se reducere ad pristinum statum, & illas in se producere. Ignis igitur se reduceret ad proprium statum, & ita combureret, vel si hoc non poterit, extinguetur, quia non potest ignis conseruari sine proprio alimento. Præterea etiam in illa materia, in qua est forma ignis, poterit etiam esse forma misti, etiamsi sit separata, nam habet sufficientes dispositiones ad illam, & mistorum homogeneorum eadem est ratio totius, & partium, cur ergo esse non poterit? si autem hoc demus, sequetur, vt in vno elemento à reliquis separato sit forma misti, quod est contra omnem rationem mistionis.

Si verò dicatur, omnes formas elementorum esse in eadem parte materiæ, tot sequentur absurda, vt ea de causa, inquit Suarez, à nemine assertum videatur: nam cum formæ elementorum requirāt cōtrarias dispositiones, & inuicem se expellant, quomodo poterunt esse in eadem parte materiæ? qd̄ si possunt, vt quid ab vno elemento corrumpitur aliud, cum simul eorum formæ existere possint? sed de hoc primo dicto satis, nam ferè iam ablegata est à scholis contraria sententia, tamquam omnino improbabilis.

Secundò dico, formas elementorum neque refractas, seu remissas remanere in mistis. Commune argumentum pro hoc dicto est, quòd formæ substantiales non suscipiunt magis, & minus, quā difficultatem remittit Dandinus in tract. de elementis, tamquam in locum proprium, sed in eumdem potuisset quoque remittere quæstionem de mistione, neque enim eius proprius locus est lib. secundo de anima. Alij verò vel non habent pro inconueniendi consequens, vel ad eludendam argumenti vim varias distinctiones adducunt. Contra prio-

res

res igitur probatur esse inconueniens primùm, quoniam ad substātiā daretur motus contra Aristotelem in 5. phys. & vbicunque loquitur de motu. Probatur consequentiæ, quia forma diuisibilis acquiri potest diuisibiliter, sed formæ elementorum substantiales cum sint intensibiles, sunt etiam diuisibiles, ergo acquiri possunt per motum. Præterea est contra experientiam, nam, vt alibi probauimus, formæ elementorum reparant proprias vires, si ab aduersarijs obtundantur, aer enim, & aqua pristinam suam frigiditatem recuperant, at si etiam ipsorum substantiæ remitterentur, numquam possent pristinum statum recuperare, quia non potest aliquid intendere se ipsum. Deinde forma, quæ remittitur, potest in eadem materia contrariam admittere, forma igitur ignis esse poterit simul cum forma aquæ, quod est incredibile, & confirmari potest, quoniam calor, & frigus non possunt esse naturaliter in eodem subiecto, neque in esse refracto, semper enim alterutrū se habet in subiecto violēter, & idcirco nisi adsit extrinsecum conseruans, paulo post recedit, ergo neq; poterūt simul existere formæ, quæ has dispositiones requirunt. Quartò si formæ elementares susciperent magis, & minus, nulla esset ratio, cur idem non diceretur de formis mistorum, nam hæc resultant ex illis, ergo si illæ remitti possunt, & intendi, ita etiam illæ, quæ eas consequuntur. Confirmatur, quia ponamus, formas elementorum in aliquo misto paulatim remitti, vel intendi, Quæro, vel in quocunque instanti, in quo huiusmodi formæ remittuntur, generatur noua forma misti, vel non, si primum, cum infinita sint instantia, infinitæ generabuntur misti formæ; si noua non gignitur; ergo præcedens intenditur, vel remittitur, resultat. n. misti forma ex formis hoc modo temperatis, & sicuti si mutantur accidentaliter partes, oportet, accidentaliter mutari totum, ita etiā si mutantur accidentaliter miscibilia, mutabitur accidentaliter & mistum, sunt enim miscibilia, si actu remanent, partes ipsius misti, neq; enim est aliud mistio, quàm miscibilium vnio, si igitur diuersa sint miscibilia, diuersum quoque erit mistum. Quintò, si forma suscipit magis, & minus, ergo etiā eius cōcretum, erit igitur vna aqua magis aqua, quàm alia, & vnus ignis magis ignis, quàm alius, quod est ridiculum.

Vt igitur hæc incommoda alij vitent, affirmant cum Zabarella, Non suscipere quidem formas elementorum magis, & minus, intendi tamen, & remitti cū variatione speciei, vt supra exposuimus. Verū neque superiora incommoda vitant, & alia maiora incurrunt, nam intensio quoque, & remissio indicant successionem, dabitur igitur ad substantiam motus, et vel erunt infinitæ species, quas formæ elementorum subeunt, vel erit concedendum, intendi, & remitti sine variatione speciei, quod refugiūt; Nam si pro qualibet minima remissione variatur eorum species, cum hæc possit esse minor, & minor vsque in infinitum, erunt quoque infinitæ species, si non pro qualibet, ergo forma, quę permanet sub diuersis terminis intensionis, & remissionis, suscipiet magis, & min⁹. Ad hęc tamen respondere possent, intendi, & remitti per minima indiuisibilia, sicuti etiam de qualita-

tibus quidam dicebant. Verùm tunc elementaris forma nil aliud erit, quàm aggregatio horū minimorum, non igitur erit verè vna, neque per amissionem vnius minimi dici poterit, quòd aliud minimum naturam mutet, quia erunt duo realiter distincta, quorum vnum ab altero non pendebit. Præterea sequetur etiam ex hac sententia aliud inconueniens, quod supra inferebamus, quòd etiam formæ mistorum intendentur, & remittētur ob rationes ibi adductas, quæ æquè hic militant. Habet præterea hæc sententia peculiares alias difficultates: Nam in primis pugnant inter se hæc duo, remanere realitatem alicuius rei, & tamē mutare speciem. Vel enim mutat speciem ratione entitatis, quæ remanet, vel ratione entitatis, quā amisit, illud dici non potest, quia si remanet, ergo est eadem, ac priùs, alioqui si non est eadem, illa prior non remansit, & illa, quæ adest, dici nequit remansisse, cum antea non fuerit, si ratione entitatis, quā amisit, ergo illud, quod remanet, verè non mutauit speciem. Præterea quod remanet, alio deperdito, necesse est, vt ab eo re ipsa distinguatur, si distinguuntur autem, ergo vnum non sumit speciem ab altero. Explicari hoc potest exemplo materiæ primæ, quæ videtur mutare speciem, dum modò est sub anima rationali, modò sub forma equi, attamen reuera vt materia numquam mutat speciem, sed tantùm per denominationē quandam, & ita etiam forma mistionis in homine, quamuis videatur mutare speciem, dum moritur homo, reuera tamen non mutat, quia semper est forma non viuens, etiam quando est in homine, ipsum verò suppositum dicitur mutare speciem non quatenus constat ex forma mistionis, sed quatenus constabat ex anima rationali, & eodem modo fortassis etiam Zabarella existimabit, mutari elementa, quod si ita censet, primùm fateatur, necesse est, elementa non esse corpora simplicia, cum pluribus formis constent. Præterea illud, quod remanet elementi esse quidem positiuè idem, quod erat priùs, priuatiuè verò non esse idem, idest carere tantùm aliqua forma, quam prius habebat, quod non est verè mutare speciem.

Alij respondent, elementorum formas constare ex duplici ratione, vna quasi materiali, quæ sunt materia misti, alia formali, per quam faciunt hoc aliquid tale elementi, & in mistione, inquiunt, illam saluari, hanc verò amitti, sed hæc distinctio est gratis conficta, quæ nulla sufficienti ratione probari potest, & est etiā improbabilis. Primò, quia tollit simplicitatem elementorum, nam si formæ ipsorum diuidi possunt in duas partes, quæ se habent, vt materia, & forma, ergo ex illis componentur, ergo non sunt simplices. Præterea vel illa ratio, quæ non remanet in mistis, est de essentia elementorum, vel non, si secundum, ergo elementa alterantur tantùm penes accidentia, si primum, ergo cum illa non remaneat, neque elementa remanebunt, incidunt igitur in opinionē, quam impugnant, quia & ipsa censet, remanere materiam elementorum, non autem formam, & ruunt omnia eorum fundamenta, per quæ nituntur probare, elemētorum formas remanere.

Tertiò alij respondent, formam e-

elementarem habere partes graduales, sicuti & qualitates, sed nõ esse aptam facere hoc aliquid, & causare subsistentiam vltimam, & completam elementi, nisi sit perfecta, & habeat omnes suos gradus, quia si sit imperfecta, admittit secum formam oppositam, & simul cum illa non habet rationem vltimæ formæ, sed materiæ in ordine ad formam misti, quare forma elementi, vt perfecta est, consistit in indiuisibili, neque suscipit magis, & minùs, & facit hoc aliquid, & propterea ad illam non est motus propriè dictus, quatenus verò est imperfecta, suscipit magis, & minùs. Sed hic quoque modus est gratis confictus, & impugnari facilè potest, quia ex ipso possunt inferri eadem absurda, quæ contra alios attulimus, nam neque elementa erunt simplicia, neque remanebunt formaliter in misto, vt ipsi volunt. Adde, quòd eadem ratione calor dici poterit non suscipere magis, & minus, quia vt perfectus consistit in indiuisibili, si enim minimum detrahes ex octauo gradu, iam non erit calor perfectus. Præterea forma, quæ caret vltima illa perfectione, si non constituit elementum, neque est forma elementi, quid ergo erit? vtique aliquid simplicius elemento, quod est contra rationem ipsius. Repugnat quoque, esse formam substantialem, & nõ facere hoc aliquid, est enim de essentia formæ substantialis, vt ex ipsa, & materia fiat substantia composita, quæ necessariò est hoc aliquid. Si dicant, hoc esse proprium tantùm formarum perfectarum, istæ igitur formæ imperfectæ dicendæ erunt accidentia, quia non habent effectũ formalem substantiæ.

Secundò principaliter argumẽtor. Vel mistum fit ex quatuor formis elementorum, absque eo quòd alia forma illis superaddatur, vel scilicet forma est illis addenda, quæ mistionis dicatur, neutrum autem dici potest. Non prius; nam mistum est simpliciter vnum, ergo debet habere vnam formam, à qua vnitatem recipiat. Deinde formæ elementorum non sunt inuicem subordinatæ, neque se habent, vt actus, & potentia, ergo ex ipsis non potest fieri vnum, nisi per aggregationem.

Tertiò, mista differunt inter se essentialiter per aliquam formam, at si non daretur forma peculiaris mistorum, non possent inter se mista differre, nisi quòd in vno forma vnius elementi esset magis refracta, quàm in alio, quæ esset tantùm differentia accidentalis. Quartò, plures sunt mistorum proprietates, quæ à formis elementorum deriuari non possunt, vt sapor, odor, & qualitates virtuales, qualis est magnetis, ergo non sufficiunt formæ elementorum.

Neque verò dici potest posterius; nam vel hæc forma differret vniuersaliter à reliquis formis vel non differret, dici non potest, quòd non differat, cum formæ elementorum differant inter se, ergo non poterunt conuenire in tertio. Item corrumpitur forma misti, & remanent formæ elementorum, ergo differunt, si autem differunt, ergo forma mistionis est simplex, nam actu non continet formas elementorum, vt patet ex dictis: neque virtute, quia superfluę essent

essent ipsæ formæ. Præterea separet Deus hanc formam mistionis à formis elementorũ, vel erit mista, vel non, si erit, ergo frustra illæ requiruntur; si non erit, ergo absque vlla mutatione intrinseca ex mista facta est non mista, quod est absurdum.

Præterea, illa forma mistionis est natura, ergo erit principiũ motus eius, in quo est, at quis nam erit hic motus? non progressiuus, quia hic est proprius animaliũ: neque augmentatiuus, quia est proprius viuentium: neq; alterationis, quia mista homogenea non se alterant, oportet igitur, vt sit principiũ motus, quo mistum tendit sursum, vel deorsum, at in misto vnicũ tantùm est huiusmodi principiũ, nã in auro exempli causa vnũ est principiũ tendendi deorsum, at hoc est forma misti, ergo non adsunt in eo aliæ formæ elementorũ, quia daretur duplex principiũ eiusdem motus in eodem, quod est absurdum.

Quartò, vel in qualibet parte misti omnes quatuor formæ elementorũ adsunt, vel vnica tantũ, si hoc secundũ, ergo quælibet pars misti non est mista, si primũ; vel istæ formæ, quæ erant priùs in vna parte materiæ, transeunt ad aliã, & tunc daretur transmigratio formarum materialium, vel sunt ibi genitæ de nouo, & sic in mistione generarentur miscibilia, quod est absurdum, & contra Aristotelẽ 1. de gen. text. 84. Confirmatur, quia oporteret, eodem tẽpore disponi materiã ad quatuor formas inuicẽ contrarias, & licet dicant, has formas esse refractas, adhuc est incredibile, quod eadem pars materiæ simul disponatur ad formam aquæ, & ignis, & aeris, & retineat etiã formã terræ, quã habebat. Confirmatur secundò, sequeretur, numquã vnũ elementũ immediatè conuerti in aliud, sed priùs in aliquod mistũ saltem imperfectum. Probatur consequẽtia; quoniã dũ ignis agit in aquam, antequã corrumpat eã, remittet vsq; ad eũ gradum, in quo potest secum compati formã ignis, tunc ergo recipiet formã ignis, erunt q; in eadem materia forma aquę, & forma ignis, ergo etiã mistum conficient, quod aliud nõ est per aduersarios, quàm formas diuersorum elementorũ esse in eadẽ materia. Pręcipuè autem hoc patet absurdũ in forma ignis, quæ non videtur pati posse remissionem, neque in qualitatib⁹, ne dum in forma substantiali. Cõfirmatur etiã, quia formæ substantiales producuntur medijs qualitatibus, at non adsunt qualitates, quibus produci possint oẽs huiusmodi formæ, igitur; nã in hanc particulã materiæ, si est introducenda forma terræ, introducetur vel per siccitatem, vel per frigiditatem, at siccitas disponit materiam ad ignem, per frigiditatem verò introducta est forma aquæ; ergo terra non habet qualitatem, à qua generetur.

Quintò, Refragatur opposita sententia & sensui, & communi cõceptioni omnium hominũ, quis. n. non irrideat è vulgo, philosophũ dicentem in digito suo adesse actu ignẽ, aquam, aerem, & terram, imò digitum suũ esse hæc omnia? nã si habet formam ignis, ergo verè est ignis, neque sufficit euasio, quòd sit in esse refracto, quia sicuti per refractionem non desinit esse forma ignis, ita neque definet constituere, & denominare compositũ, in quo est, verè ignitum. Adde, quòd etiam in piscibus in mari degentibus foret actu ignis, at quomodo tam ingens aqua extinguere

re non potest tātilum ignis? Dicēt fortè, ignem in esse refracto non esse aquæ contrarium, consequenter ad sua dogmata dicent, si supponant, aquam quoque esse in esse refracto, at aquā in statu integro, & perfecto nō esse contrariā igni etiam in esse refracto, nullo pacto dici potest, sicut & calor summus est contrarius frigori in esse refracto, alioqui numquam aqua posset extinguere ignem, quia cum eum reduxisset ad esse refractum, non amplius ei aduersaretur, consequēter neque corrumperet.

Sextò, Dum manent in esse refracto formæ elementorū, vel manent paribus inter se viribus, vel imparibus, si paribus, omnia mista erunt eiusdem speciei, quia omnia habebunt miscibilia æquè refracta, ex ijsdem autem miscibilibus idem etiā mistum consurgit. Si imparibus, ergo quæ habebit maiores vires, destruet reliquas formas. Dicent fortè, non sibi aduersari, sicuti non sibi aduersantur calor, vt 6. & frigus, vt duo: At habebunt ergo gradus eterogeneos, sicut calor, & frigus, & omnino se habebunt, vt accidentia, imò accidentia erunt.

Præterea, vel istæ formæ refractæ reducere se possunt ad statum integrum, vel non possunt, si possunt, ergo cum tā paruū contrariū habeant, & imbecillum, se facilè reducent; si non possunt, ergo neque dissoluetur compositum, neq; poterunt ipsæ separari, nam vel separarentur integræ, & hoc non, qa hunc statum nequissent adipisci, vel refractæ, & neque hoc, quia sicut quando sex gradus caloris sunt in materia, oportet etiam, adesse duos gradus frigoris, ita vbicunq; adesset vnū elementum refractum, oporteret, etiam adesse proportionaliter alia, vel alterum saltem, nū quam igitur mistum resolui poterit in elementa, sed tantùm in id, ad quod agens extrinsecum ipsum impellit.

Septimò, si manent formæ elementorum refractæ, ergo non generatur mistum. Probatur consequentia primò ex communi pronunciato, quòd vnius ortus alteri est interitus, ergo cum neque elementum, neque aliquid aliud intereat, nihil etiam gigni poterit. Quòd si obijcias, dum animal gignitur, remanere formam mistionis corporis organici, quare fieri generationem absque corruptione; occurrendum erit, ibi adesse virtutem seminis, à qua producitur illa anima, at verò in generatione misti nulla adest superior virtus, ergo nisi supponamus, elementa corrumpi, vt generetur mistum, non erit, à quo eius forma gignatur. Confirmatur, quia si diuersa elementa sint iuxtaposita, nisi inuicē agant, nulla sequetur generatio, ergo etiamsi sint eorum formæ in aliqua materia, & tamen se compatiā tur, nullā oportebit gigni formam de nouo. Confirmatur, quia eadem ratione ex frigore, & calore dum se compatiuntur, non gignitur aliquod tertium, tepiditas enim non est qualitas tertia diuersa à calore, & frigore, & idē patet in reliquis omnibus, & qualitatibus, & corporibus, ergo idem dicendum erit de formis elementorum. Confirmatur tertiò, quia generatio formæ præsupponit priuationem, & appetitum materiæ, idest materiam esse incompletam, & imperfectam, neque sufficienter actuatam per formam, quam habet. At verò materia, quæ habet formas elementorum

in

in esse refracto, non est minùs cōpleta, perfecta, & actuata, quàm sit materia habens vnicam formam elementi integram, ergo sicuti hęc non est in potentia ad vlteriorem formam, ita neque illa. Probatur maior exemplo qualitatum, nam philosophi omnes tam censent pfectè actuatam materiam, quæ habet quatuor gradus caloris, & quatuor gradus frigoris, quàm eam, quæ habeat octo gradus caloris, ergo etiam in esse substantiali tā erit perfectè actuata materia, quæ habeat duas formas substantiales refractas, vt quatuor, quàm si alteram earum habeat perfectam, vt octo, nam nec in eodem genere formarum potest aliquid amplius recipere, & illæ optimè se compatiuntur, nulla igitur ratio est, cur generetur alia forma.

Probatur denique ex multis locis Aristotelis. Primus sit in hoc primo de generatione. text. 84. vbi ex professo hanc materiam pertractans, clariùs sententiam hac de re oportuit eum protulisse, apertè igitur ait, *Neque permanent actu, (scilicet miscibilia) vt corpus, & album, neque corrumpuntur, neque alterum, neq; ambo, saluatur enim uirtus eorum*, quod fuit dicere, remanere secundum virtutes. Respondent aduersarij, non remanere actu, idest actu integro, at eadem ratione possumus dicere, dum aliqd corrumpitur, non remanere tantū actu integro. Præterea quando calor remittitur, & refrangitur, non dicitur remanere tantùm virtus, sed verè remanet etiam formaliter, ergo idem dicendum esset de elementis, si tantùm refrangerentur. Secundus locus est 2. de gen. text. 49. vbi docet, quæ miscentur, corrumpere excellentias ad inuicē, & non remanere simpliciter actu talia, sed media, idest non remanere in qualibet in summo, sed in remisso. Tertius locus est 3. de cœlo text. 32. vbi cum in tex. superiori dixisset, ambiguum esse, an elementa insint actu, vel potestate, subdit *in carne & ligno, & vnoquoque talium inesse potentia ignem, & terram*. Quartus est 2. de partibus animal. cap. 1. vbi cum dixisset, mista componi ex elementis, statim se corrigēs sequitur *Sed melius fortasse dici potest confici ex virtutibus elementorum, ijsque non omnibus, humiditas enim, & siccitas, & caliditas, & frigiditas materia ipsorum compositorum, cætera autem differentia, eas consequuntur, vt grauitas, leuitas &c.* Quintò in text. 22. 12. metaph. *Si quid ex frigido, & calido fit vnum, & caro, & os necesse profectò est aliud ab elementis esse illud, quod factum est*. Respondent aduersarij, hunc locum probare tantùm, in mistis esse aliam formā diuersam à formis elementorum, non verò ipsas excludi. Verùm probatur etiam excludi, quoniam si mistum, vt tale, est aliud à formis elementorum, ergo poterit esse sine illis, sunt igitur ipsæ superfluæ.

Sextò, in vltimo cap. lib. 4. meteor. de carne osse, alijsque similibus partibus loquens ait, *Sunt autem omnia, vt ex materia quidem ex elementis, vt autem secundum substantiam ratione*, idest sunt quidē huiusmodi res ex elementis tamquam ex materia ex qua, at verò ipsorum substantia non ex ipsis cōstat, nisi quatenus ipsorum formæ, ipsa virtualiter continent.

Septimò, secundo de gen. cap. 1. negat Aristoteles, elementa esse mate-

materiam rerum naturalium, nam si aer, inquit, remaneret, non generatio, sed alteratio foret.

Argumenta prioris sententiæ eneruantur.

SECTIO III.

Ad primum respondeo, elementa esse materiam mistorum, sed transeuntē, non verò manentem, sicuti caro dici solet materia vermiū quia ex ipsa vermes nascuntur, & ligna materia ignis, sunt tamē etiam materia remanēs aliquo pacto elementa, quatenus manent materiæ ipsorum, & virtutes, & hac ratione concedimus, reuocari ad materiam. Ad definitionem elementi respōdeo, ipsam cōpetere verè, & in rigore sumpto elemē o, qualia non sunt corpora simplicia, quæ nos elementa vocamus. quare & ipsemet Aristoteles vocat ea nō elementa simpliciter, sed vulgata, siue vocata elementa, vt patet ex 2. de gen. ca. 1. & alibi.

Ad confirmationem, quòd mistorum materia esset tantū materia prima, sicuti & corporum simplicium respondeo, verum esse de materia permanenti, non verò de transeunte, & hoc nullum esse inconueniens, sufficit enim, quòd in transeunte differant.

Ad illationem, quòd vnū mistū esset materia alterius, respondeo de materia transeunte id sæpe verum esse, est tamen adhuc disparitas, quia elementa semper sunt materia vel mediata, vel immediata, non sic autem mista. Prætereà elementa manent virtute, non ita autem vnum mistum in alio, illa verò definitio materiæ, *ex qua fit aliquid, cum insit* est definitio materiæ primæ, & permanentis.

Ad secundum respondeo, verè nunquam resolui mista in elementa, nam neque cinis est elementum terræ, neque fumus est aer, neque humor distillans est aqua; Dixi in elementa, quia post multas saltem transmutationes resolui mistum, vel aliquando saltem eius partem in aliquod elementum, non est negandum, sicuti dixit Aristoteles in hoc primo si gutta vini miscere tur decem millibus congijs aquæ, in aquam fore resoluendam, & sicut ignis pabulū videtur in ignem resolui, sed fieri resolutionem in quatuor elementa, cū aliquid corrumpitur, numquam existimo. Cur autē fiat resolutio in res, quæ similes sunt elementis, inde prouenit, quòd in misto sunt diuersæ qualitates, & aliquando etiam diuersæ partes, quæ per corruptionem misti secernuntur, & idcirco diuisæ, & discretæ suam ipsorum naturam magis ostentant. Accidit etiam sæpe, vt diuersa corpora sint simul aggregata, vel vnum sit in poris alterius, quæ secernuntur deindè per calorem, vel ab agente, quod mistum corrumpit.

Adde etiam, posse vel elementa, vel quid simile à corrumpente gigni. Nam & ignis aquam in vapores aëreos resoluit, non quia aer sit in aqua, sed quia dum non potest perfectè simile sibi passum reddere, efficit saltem simile alij corpori sibi minùs dissimili. Ita etiā ignis resoluit lignū ī cineres, quia vincit quidē eius humiditatē, at non pôt densitatem, & siccitatē, quare remanet cinis siccus, & densus, in alia parte superat densitatem, sed simul etiam tam raram, & leuem reddit, vt statim euolet, quare fit fumus.

Præterea retorquetur argumentum contra aduersarios, dum dicunt, elementa separari à mistis, vel loquuntur enim de formis elementorum, vel de formis simul cũ materia, primũ dici non potest, q̃a formæ sunt inseparabiles, si verò secundum astruant, repugnat dictis ipsorum, nam volunt, in qualibet particula materiæ adesse omnes formas elementorum, ergo nõ potest quælibet forma simul cum sua materia separari. Adde contra eos, qui dicunt, formas elementorum esse refractas, quòd separarẽtur etiam formæ refractæ elementorum, quod est inauditum.

Ad tertium respondeo, verum esse, quòd ex operatione colligitur forma, sed duæ sunt adhibendæ moderationes, altera est, quòd non licet semper argumentari ex vna simplici operatione, sed ex collectione omnium. Nam frigefacere non conuenit tantùm aquę, sed etiam terræ, neque tamen licet colligere, eamdem formam esse in aqua, & in terra, quia licet ambæ frigefaciant, altera tamen exsiccat, altera humectat. Altera, quòd ex operatione licet quidem colligere gradum aliquem formę, non tamen ipsam formam realiter ab alia distinctam, nam in homine adest operatio animæ sensitiuæ, neque tamen adest in eo anima sensitiua realiter à rationali distincta, vt multi etiam ex authoribus, contra quos disputamus, arbitrantur. Ad argumentum igitur respondeo, primum quidẽ, ex operationibus colligi diuersitatẽ formarum, si operationes accipiantur collectiuè, quia omnes operationes misti non possunt à formis elementorum prouenire. Pręterea ex qualibet etiam operatione idem colligi, nam licet aliquod mistum calefaciat, vel frigefaciat, non tamẽ in eo gradu, in quo calefaciũt, vel frigefaciunt elementa. Tertiò dico, colligi tantùm, adesse gradũ formarũ elementarium, non verò ipsas realiter ab alijs mistorum distinctas. Dum obijciunt forma superior si virtute continet inferiorem, debet nobiliori modo continere, respondeo, continere nobiliori modo, quia continet simul cũ alijs qualitatibus, ex quo etiã efficitur, vt non possit continere tam intensè, quia hoc repugnat alijs p̃fectionibus ipsius. Ad confirmationem, quòd forma non continet virtute materiam, respondeo verũ esse de materia permanente, non verò de transeunte.

Ad quartum respondeo, ex hoc argumento concludi tantùm continentiam virtualem elementorũ in misto, ad hoc enim vt terra non diffluat, non est necesse, vt aqua conglutinetur, sed sufficit humiditas, & multò magis sufficiẽtes erũt virtutes ignis, & aeris ad temperandas qualitates terræ, & aquę, & hoc tantùm voluit eo loco Aristoteles.

Ad quintum respondeo, eo pacto, quo nutrimur omnibus elementis, ex iisdem etiam nos constare, at quando nutrimur aliquo cibo, non dicitur ille cibus remanere actu in nobis, ergo neque oportet, vt actu sint in nobis elementa. Imò retorquetur argumentum, quia si reuera adessent in nobis elementorum formæ, possent aliquæ ex ipsis saltem prædominans simili elemento nutriri, vel saltem successiuè omnibus elemẽtis omnes formæ, at simplex elementum numq̃ nutrit, ergo signũ est, reuera in nobis non existere.

Ad

Ad sextum respondeo, adesse in mistis elementũ prædominans non quòd ita cætera vincat, vt absolutã victoriã obtineat, ita n. omnia in se converteret, sed ita vt licet cum reliquis corrumpatur, tamen eius qualitates remanent robustiores.

Ad septimum respondeo, esse verè mista, quæ ex elementorum commistione resultant, quia ex illis omnibus corruptis fit aliquod tertium ipsa virtute continens. Nõ dicitur autem homo mistus ex cibis, quia ex cibis, & homine nõ fit aliquod tertiũ, sed cibi oẽs in hominẽ convertuntur. Ad confirmationem, quòd esset mistio tantùm virtualis, negatur consequentia, quoniam non tantùm virtutes concurrunt ad mistionem, sed etiam substantiæ ipsæ elementorũ, quãuis non remaneant nisi secundum materiam, & ipsorum virtutes.

Ad octauum respondeo, generationẽ differre à mistione, tũ formaliter, vt supra explicauimus, q a hæc respicit miscibilia, illa autem terminũ; tũ etiam tamquam genus à specie, quia per mistionẽ generatur aliquid, non tamen in omni generatione adest mistio. Neutrũ autem discrimen agnoscebant antiqui, & propterea impugnantur ab Aristotele.

Ad nonũ respondeo, mista homogenea habere principiũ intrinsecũ suæ corruptionis passiuum, quia possunt à contrario pari, non tamen habere actiuũ, quia nõ agũt in se, sed quia actiuum extrinsecũ non deest, idcirco omnia tãdem corrumpentur. Ad primam confirmationẽ respondeo, marcorem nũquam esse ab intrinseco tantũ, quare videmus, tẽpore hyemis res non putrescere, sed oriri ab ambiente, nam & Arist. 4. meteor. cap. 2. hanc rationem assignat dicens *In frigoribus minus putrescunt, quã in æstu, in hyeme enim paucum est in ambiente aere & aqua calidum, quare nihil potest, in æstate autem amplius.* Ad secundam confirmationẽ respondeo, loqui Aristotelem non de partibus componentibus, sed de integrantibus animalis, quæ cũ sint diuersæ mistionis, habent ẽt diuersimodè elementa prædominantia; at verò de mistis homogeneis loquutus non est, quia videbat, in eis hanc rationẽ locum nõ habere. Præterea in animalibus partes sunt extra propriam regionẽ, quia ab anima sursum ferũtur, & mouentur, cũ sint grauia, quod in mistis locũ non habet. Intelligi quoque potest de euaporatione, quæ fit partium leuiorum, non ꝙ actu sint elementa, sed quia magis assimilantur eis, & propter calorẽ ascendunt, & quia hac ratione elementi virtutẽ participant, dicũtur elementa segregari. Ad secundam confirmationem respondeo, non in omnibus apparere eã differentiam partiũ, sed esto fit, ad eam dicimus sufficere diuersitatem qualitatum, alioqui non minùs multiplicarentur, quàm intenderentur, aut remitterẽtur accidentia, quod est falsum.

Ad decimum respondeo, negandã esse paritatẽ, & ratio est, quia ex accidentibus cũ miscentur, non fit vnũ per se, & idcirco remanere ipsa possunt; at verò ex formis substãtialibus fit vnũ in forma mistionis per se, & idcirco non possunt illæ remanere, vt supra probauim⁹.

Ad primũ locum Aristotelis respondeo, non interire miscibilia, idest non mutari vnum in alterũ, nã affert exemplum de lignis, quæ

mutantur in ignem, neque tamen omnino intereſt intereunt, quia remanent virtute. Ad ſecundum respondeo, argumentari Ariſtotelem contra Empedoclem, quia actu elementa in animalibus ſtatuebat, & ratione ipſorum fieri accretionem, quare videbatur negare animam, & elementa tantùm concedere.

Ad tertium reſpondeo, Ariſtotelem vel loqui de exiſtentia virtuali, nam ignis non ſentitur ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed ſecundum qualitates, quare & ipſe Ariſtoteles ait *inexiſtente igne & terra & alijs elementis, quorum eſt ſenſus per ſe, aut ſecundum ea, quæ accidunt eis*. Confirmatur, quia volebat Ariſtoteles probare, ſenſum nõ poſſe ſentire ſe ipſum, quamuis habeat qualitates ſenſibiles, ad hoc autem inefficax argumentum eſſet ex elementorum ſubſtantijs, quia dicere quis potuiſſet, non ſentiri, quia refractæ ſunt, loquebatur igitur de qualitatibus ipſorum, quæ ſemper ſunt ſenſibiles.

Ad quartum reſpondeo, Ariſtotelem argumentari, animam fore ignem, vel miſtum, in quo prædominatur ignis, ſi ſurſum moueretur, quod vtrumque eſt abſurdum.

Ad quintum reſpondeo, ſenſum Ariſtotelis eſſe, quòd ſi ſemen decideretur ex omnibus partibus ſecundum omnem rationẽ, decideretur etiã ex elementis, non quia elementa ſint acta, ſed quia decideretur ex partibus, quatenus elementis conſtant.

Ad ſextum reſpondeo, aliud ſibi nolle Ariſtotelem, quàm in miſto dandam eſſe aliam formã præter formas elementorũ, non verò, quod re vera remaneant, alioqui ſi liceret ex illo loco colligere, remanere formas elementorũ, oporteret ẽt dicere, remanere integras, ſicut integræ ſunt litteræ B, & A.

Noua quædam quæſtionis explicatio, qua relatæ ſententiæ conciliantur, proponitur.

SECTIO IV.

Quamuis hanc poſteriorẽ ſententiam, ego exiſtimem longè probabiliorem, quia tamen oppoſita ſectatores habet nobiliſſimos, & plurimos, non videtur contemnenda, nos igitur mediã quãdam ſententiam afferemus, qua poterunt hæ ſententiæ facilè conciliari, & fortaſſis etiam tota ipſa res meliùs explicari, & difficultates pro vtraque parte minori negotio expediri.

Noto igitur, aliquid remanere in alio formaliter, poſſe bifariam intelligi vel ſecundum ſuam formam realem, quam prius etiam habebat vel non ſecundum ſuam formam, ſed ſecundum ſuũ gradum formalem, ita vt illi ſuccedat forma, à qua non tantùm virtualiter, ſed etiam formaliter cõtineatur. Sicuti ſi ponamus in embrione adeſſe animam ſenſitiuam, antequam adueniat rationalis, & deinde hæc adueniat, dici poterit, remanere priorem animam formaliter, & non remanere, non remanebit, quia reuera interijt, remanebit, quia aderit anima rationalis, quæ non tantùm virtualiter; ſed etiam formaliter continebit ipſam animam ſenſitiuam. Idem igitur exiſtimo dicendum de formis elementorum; nam reuera entitas formarum elementorũ nõ re-

remanet, quia interit, & rursus dici potest contineri non tantùm virtualiter in misto, sed etiã formaliter, quia formaliter contineat forma misti ipsorum elementorũ formas. Est tamen animaduertendũ, quòd cũ formę elementorũm sint oppositæ, non possunt formaliter contineri secundũ omnẽ, & integram eorum rationẽ, sed quodãmodo in esse refracto, multò tamẽ magis formaliter contineri elemẽtum, quod dicitur esse prædominans. Quoad priorẽ partẽ probata est hæc sententia sufficiẽter supra, quoad posteriorẽ probatur, quoniã formæ subordinatæ ita se habent, vt contineat posterior formaliter priorẽ, vt patet in anima intellectiua, quæ continet sensitiuã, & vegetatiuã, quòd si non contineat, vt accidit ĩ forma mistionis, hæc remanet, at formæ elemẽtorũ non remanẽt, & sunt subordinatę formæ misti, ergo continentur formaliter.

Secundò, quoniã multò melius saluatur ratio mistionis nã continentia virtualis non videtur reuera sufficiens. Quod enim continet virtute plures formas, vt verbi gratia Cęlum formas sublunariũ corporũ, non dicitur ex illis mistum. Cõfirmatur, quoniã in aere adsũt sæpe calor, & frigus remissi, & tamen non dicitur mistũ, & multò magis aqua simplex multis accidentibus affici potest, neque tamen dicetur mista, quia ad hoc oporteret, vt forma ipsa contineret plures alias formas.

Tertiò, quia effectus proprius elementi terræ videtur esse deorsum descẽdere, ergo sicuti anima rationalis, quia sentit, dicitur continere formaliter animã sentiẽtẽ, hæc. n. est eius operatio propria; ita forma misti, verbi gratia auri, debet dici cõtinere formaliter terrã, cũ descendat, quæ est eius operatio ꝓpria. Cõfirmatur, quia alioqui deberet hic motꝰ tribui alicui gradui superiori, qui cõprehenderet formã terræ, & formã mistionis quia debet alicui cõuenire ꝓpriè, & p se. Cõfirmatur 2. quia ab oĩbus dĩ hic motus prouenire ab elemẽto terrę, ergo sentiũt, formaliter formã terræ esse in mistis. Cõfirmatur 3. quia nõ sufficit, ꝙ cõtineat mistũ virtualiter formã terræ, prius. n. diceret ordinẽ ad formã terræ, q̃ ad eius motũ, sicuti vinũ, quia virtualiter est calidũ, põt producere calorẽ, at nõ immediatè caloris effectũ, ergo eodẽ modo nõ posset mistũ descendere, nisi produceret terræ formã. Confirmatur 4. quia eodẽ pacto dicere possemus, animã rationalẽ virtute tantùm continere sentientem.

Quartò principaliter probatur, quia verè homo dicitur terra, iuxta illud Puluis es, & in puluerẽ reuerteris, ergo continet formaliter formã terræ, q a denominationes desumũtur à formis, nõ verò à cõtinẽtia virtuali. Meliùs ẽt hæc ratio ne elemẽti notionẽ seruamus, s. ex quo primũ aliquid componitur, quia licet elementũ non sit in misto secundũ entitatem suam, est tñ secundum formam metaphysicam.

Quintò, non minus miscerẽtur ex cœlo mista, q̃ ex elementis, nã & cœli virtus concurrit, & remanet etiam in ipsis calor à cœlo deriuatus, at in sententia nostra non miscentur ex cœlo, quia non continetur formaliter in misto.

Hac autẽ explicatione conciliãtur sententiæ, quarum altera negat, remanere formaliter in misto ele-

elementorũ formas, quia intelligitur de eorum entitate physica; altera affirmat, quia loquitur de entitate, & gradu metaphysico, qđ verè videtur fuisse concessurum Scotum. nam in 2. sent. d. 15. quęst. vnica inquit, elementa contineri in misto, sicuti anima sensitiua in anima rationali, quæ vtique est cõtinentia formalis metaphysica. Idem fortè hoc sibi voluit Zabarella, quamuis non ita se explicauerit.

Dices, formæ elementorũ sunt indiuisibiles, ergo mistum non poterit eas continere formaliter, & refractas, sed ad totas & integras, vel nullas. Respond. esse indiuisibiles quoad entitatem physicam, nõ tamen quoad entitatem metaphysicam, & consequenter, quãuis verũ sit de ipsarum entitate, quod tota adesse debet, vel non adesse, non tamen de virtute, & formalitate, sicuti anima rationalis est indiuisibilis quo ad entitatem, tamen formaliter continet plures potentias, & prædicata quorũ vnum participari posset sine altero, immò & animæ brutorũ sũt hac ratione indiuisibiles, & separari ab eis non potest ratio animæ sensitiuæ à ratione talis animæ, v.g. leonis, vel vrsi, at verò potest anima rationalis continere formaliter animã sensitiuam, quæ est in leone, absque eo quòd cõtineat differentiã eius. Diuina quoque essentia quid simplicius? & tamen participatur à creaturis non totaliter, sed secundũ aliquã rationem, Simplices quoque sunt intelligentiæ, & tamen homo participat earũ rationem formalẽ quia est intellectiuus, quamuis in gradu remisso, q; a cũ discursu nec tã perfecto, vt illæ. Quid mirũ igitur, quòd etiã formæ elemẽtorum ita participentur à misto, vt dici possint in esse remisso, vel refracto in illo esse? Dices, vel in eo, qđ participatur à forma misti, seruatʼ essentia elementi, vel non, si seruatur, ergo non habet esse refractũ, si non seruatur, ergo malè dicitur, mistũ componi ex elementis. Respond. nõ seruari integram essentiã elementorum, quia tamen ipsorum essentiã participat, & non adest alia res, quę illã essentiam sibi vendicet ita diminutã, idcirco retinere etiã nomen elementi, & rectè appellari formam elementi refractam.

Obijcies secundò, Aristotelẽ asserere, elementa potestate tantùm, siue virtute in mistis remanere text. 84. huius primi ergo non vult, remanere formaliter. Respond. dixisse remanere tantum potestate, vt excluderet eorũ formas, non verò vt excluderet continentiã formalem, imò hanc inclusit, dum.n. dixit, remanere virtutes elementorũ, oportet etiã adesse, fateatur, principiũ ipsarũ, quod est elemẽtorum forma, vel in se, quod dici non potest, vel in alio, vt explicauimus.

An aqua vino mista in ipsum cõuertatur.

QVÆSTIO LII.

Instituitur hæc quæstio, non tãtùm quoniam Aristoteles huiʼ mistionis exemplo, tum ad accretionem, tũ ad ipsam elementorũ mistionem explicandã frequenter est vsus, sed etiã & multo magis, quoniã rei per se scitu dignissimæ explanationem petit. Nam & ad elementorũ, & ad mistorũ vires, & naturam cognoscendã,

&

& ad multas alias dubitationes dissoluendas non parũ confert; & quoniã à reliquis Aristotelis interpretibus vel prætermissa, vel nimis ieiunè pertractata fuit, est animus, eã quàm accuratissimè pro tenuitate nostrarum virium enucleare.

Posse vinum aquam sibi admistam in seipsum vertere prior opinio.

SECTIO I.

AMplectuntur hanc sententiã Flam. Nobil. & Doctores Cõnimb. in hoc eodem lib. 10. quæst. 1. art. 2. & alii apud ipsos, pro quibus tria præcipua argumenta colligi possunt ex philosophia.

Primũ argumentum est. Vinũ potest conuerti in aquã ex Aristotele 1. gener. t. 84. ergo etiã aqua in vinum. probatur consequentia, quoniã mutua actio datur inter cõtraria; si ergo aqua agit in vinum, poterit etiam à vino pati, & in ipsum conuerti.

Secundum argumentum: diuiditur aqua, dum vino miscetur, in partes, quæ sunt minores minimo naturali, ergo corrumpitur, & in vinũ vertitur. prior pars consequẽtiæ patet, quia illa pars est minima, sub qua minori conseruari nõ potest; posterior pars probatur, quia cum corruptio vnius sit generatio alterius, nõ potest dici, quid aliud generetur ex aqua corrupta, quàm vinum illi, cui est admista, simile.

Tertium argumentum ex Arist. authoritate deducitur, qui in libris de generatione videtur huic sententiæ fauere, nã lib. 1. text. 88. asserere dicitur, aquæ guttã multo vino infusam in vinum verti. præterea textu 39. eiusdem libri, vt explicet, quomodo fiat accretio, inquit fieri, *haud secus atque si quis vino aquam infundat, & idem id, quod admistum est, efficere possit.* vbi Auerroes, & reliqui expositores asserunt, vinum in se aquã conuertere, & textu 34. probat, augeri id, quod nutritur, non ipsum nutrimentũ exemplo vini, nam & illic inquit, *quod euincit, & superat in ipsa mistione, augeri dicitur, ceu vinũ.* Denique textu 41. modum, quo decretio fit, eodẽ exemplo explicat dicens, *Vt cum vino subinde plus aqua admiscetur, quæ tandem vinũ aqueum reddit, facitque aquam.*

Contraria sententia præfertur, & auctoritate probatur.

SECTIO II.

PRobabiliorẽ esse sententiam, vino hanc vim in se aquã vertendi negantem, non erit difficile, & authoritate, & experimentis, & rationibus ostẽdere, exordiemur autem ab authoritate in hac sectione.

Primò ergo loco Aristoteles prodeat philosophorũ coriphæus, qui multis in locis hanc sententiã se amplecti ostendit, quorum prim9 est in cap. 23. suæ poeticæ, vbi volens excusare poetas, quòd aliqua minùs propriè, aut verè enunciẽt, inquit, non immeritò hoc ab ipsis fieri, vt vulgi sermonẽ, & communẽ consuetudinẽ imitentur, & affert exẽplum, vt quando vinum aqua temperatum, vocant simpliciter, & absolutè vinum, verbum enim græcum κεκραμένος, vt etiam interpretes reddidit, nil aliud significat,

ficat, quàm mistũ, ex aqua, f.& vino; censet igitur Aristoteles, illud mistum ex aqua, & vino, in quo tã parum aquæ reperitur, vt vulgò simpliciter vinũ appelletur, non esse verè totum vinũ, non alia videlicet ratione, nisi quia aqua non est in vinum versa; alioqui enim malè diceret Aristoteles, Poetas non propriè, & verè appellare vinum, cui aqua fuit admista, quid enim refert, quòd ex aqua, vel aliunde sit genitum, si verè est vinum?

Secundus locus est in libro 2. de gener. textu 50. vbi docet, mista quælibet constare ex omnibus elementis, & probat, ex eo quòd ijsdem nutriuntur, ex quibus constamus, at nullum simplex elementũ nutrire potest, ergo neq; vllũ mistũ ex simplici elemẽto constat. Cõfirmat, quia neque plantæ ex aqua simplici nutriuntur, & eadẽ ferè repetit c.5. De sensu, & sensibili; Verba eius sunt, *testificari autem videtur, & nutrimentum vniuscuiusque. omnia enim nutriũtur ex ijsdem ex quibus sunt, omnia verò ex multis nutriuntur; etenim quacumque viderentur vno solo nutriri, vt aqua planta, multis nutriuntur, mista est enim aqua terra, ideo agricolæ tentant, cum miscuerint, irrigare*, quę verba possunt adduci pro nostra sententia formaliter, & consecutiuè, siue immediatè, & mediatè, immediatè, & formaliter, quia conuersio aquæ in vinum si daretur, esset nutritio, de qua loquitur Aristoteles, ergò malè diceret, aquam non nutrire. Probatur antecedens, quia ibi non loquitur de nutritione strictim, sed latissimè sumpta, nam subdit immediatè, *ex omnibus corporibus simplicibus solum ignem nutriri*, constat autem, ignem non propriè nutriri. Sub hac igitur nutritione continebitur etiam conuersio aquæ in vinum, quia sicut ignis in se ligna conuertit, ita etiam per eos vinum in se vertit aquam, vel igitur aqua non erit nutrimentum vini, vel malè Aristoteles dixit, aquam vino mistam aptam non esse nutritioni. Confirmatur, quia intendebat probare, omnia mista, tam viuentia, quàm non viuentia constare ex omnibus elementis, probat autem, quia omnia eisdẽ aluntur, ex quibus constant, cum ergo nullum corpus sit, quod simplici tantùm elemento alatur, argumento est, nullum corpus simplici elemento constare, qua ratione sicut intendit probare Aristoteles, nulla esse corpora mista, quæ ex omnibus elementis composita nõ sint, ita etiam nulla esse, siuè viuentia, siuè non viuentia, quæ ex simplicibus alantur; & sicut opposuit sibi irrigationem plantarum, profectò etiam opposuisset aquæ conuersionem in vinum, si fieri credidisset.

Præterea probatur nostra sententia ex hoc loco consecutiuè. Primò ratione Aristotelis, quæ æquè militat de vino, ac de viuentibus, nam si repugnat, viuentia nutriri ex simplici elemento, quia constant ex omnibus, ergo cum vinum quoque ex omnibus elementis constet, nõ poterit suo modo aqua nutriri. Ratio enim, cur hoc negetur viuentibus, non est ex eo, in quo differunt viuentium nutritio, & aquæ in vinum conuersio, sed ex eo, in quo conueniunt: differunt in modo conuersionis, conueniunt, quia res, quæ conuertitur, transmutatur in conuertentem, & conuertens coalescit ex ea,

tam-

tamquàm ex parte, porrò non dicit Aristoteles, viuentia non posse nutriri ex elemento simplici, quia hoc repugnet modo nutritionis, sed quia repugnat termino, nempe simplex elementum fieri partem, & esse id, ex quo coalescit nutritum, in quo conueniunt nutritio viuentium, & conuersio aquę in vinum, vel ergo sophisma fuit ratio Aristotelis, vel tam verum est, vinum aquam in se conuertere non posse, quàm verum, viuentia ex aqua non nutriri.

Amplius quæuis alia ratio, quæ afferatur, cur viuentia non possint ex aqua nutriri, locum etiam habebit in vino. Si enim dicas, non posse calorem naturalem in substãtiam aliti ipsam aquam conuertere, multò minùs poterit vinum, quod eo est impotentius, & ab eo vincitur; Si dicas, aquam non esse aptam nutritioni, eò quòd sit valde dissimilis, ẽt idem dicendum erit de eadem respectu vini, non enim apparet, habere aquam maiorem similitudinem cum vino, quàm cũ sanguine, vel cũ flegmate. Adde, quòd calor naturalis nõ per vnicam tantùm trasmutationem conuertit in se alimẽtum, sed per multas; si ergò aqua apta esset conuerti in vinum, esset etiã apta, vt saltem mediatè conuerteretur in sanguinem, ergò calor naturalis per varias transmutationes eã posset in se transmutare, & saltem quando simul cum vino potatur, posset simul cum vino in vinum eam conuertere, ac deinde in sanguinem, quod nemo non irridebit.

Præterea nõ põt aqua deseruire pro nutrimento vitibus, ergo multò minùs poterit conuerti in vinum. Antecedens est Aristotelis ibidem, inquit enim, plantas aqua pura non nutriri. Consequentia probatur, quia nutrimentum vitis est succus quidam medius inter vinum, & aquam, vitis enim trahit humorem è terra, quo nutritur. & eumdem vertit in vinum; si igitur aqua est inepta ad id, quod est propinquius, multò magis erit ad id, quod est remotius, & si non potest esse nutrimentum vitis, multò minùs poterit in vinum conuerti, quod non nisi ex vitis nutrimento conficitur, quare meritò Hieronymus Dandinus lib. 2. de anima digressione 25. hęc Aristotelis verba pertractans, tãdem concludit, *quòd sicuti corpus simplex in mistum mutari nequit, ita neque elemẽtum in viuens.* Respondent quidã, intelligendum Aristotilẽ de aqua, quæ sit elementum purum, qualis apud nos non reperitur. Hos autẽ ego percunctabor, an loquãtur de puritate aquæ quoad substantiam, uel quoad accidẽtia. Si quoad substantiam, falsò dicunt, huiusmodi aquã, non reperiri apud nos, alioqui deesset vnum ex 4. elementis. Non liceret ea vti ad baptizandũ, omnes deciperentur, qui eam pro elemento aquæ habent, Aristotelis doctrina vana esset, cum loqueretur de aqua, quæ nullibi reperitur, & alia sexcenta incõmoda sequerentur. Si autem de impuritate accidentali loquantur, concedo, vt plurimum apud nos talẽ aquã esse, sed non hinc efficitur, nutrire posse, quia non nutrimur nos accidẽtibus sed substãtijs, & ridiculũ esset asserere, aquã quidem frigidam nutrire non posse, posse autem calidam.

Verùm non est hic ommitenda

Zzz obie-

obiectio, quam ex hoc textu elicit Nobilius q. 5. in cap. 5. 1. de gen. contra nostram sententiam, ita autem argumentatur, *dum agricola aquam fimo admiscet ad arbores nutriendas, aut verè mistum corpus ex illis fit, aut confunduntur dumtaxat, si verè mistum corpus, ergo in ventriculo item nostro ex aqua hausta, & alijs cibis ingestis poterit fieri mistũ corpus, quod nos poterit alere, & ita ad nutritionem pro sua parte concurret. Praeterea si ex aqua, & fimo factum est verè mistum corpus, profectò simplex in mistum est conuersum, quod negant, si confusa dũ taxat sũt, ac tamen nutriunt, vt certè nutriũt, profectò tam aqua, quàm fimus, suum in nutritione locum habebit.* Ad Aristotelem autem respondet, *aquam ab eo asseri non posse nutrire, quia nõ facilè nutrire potest*, hæc ille. Quibus non exponit Aristotelem, sed verè peruertit, nam tota eius ratio corruit, qua nititur probare, mista constare ex elementis, si vel simel concedatur, aquam nutrire. Ad eius etiam sententiam confirmandam plures alias possem afferre rationes, quas omitto, ne quæstionibus quæstiones inferendo, & prolixior, quàm par sit, euadam, & extra rem nostram nimium euager. Ad argumentum igitur Nobilij responderi potest, aquam fimo, vel cibo mistam non efficere cum eo aliud mistum, sed confundi duntaxat, & ad consequentiam, (ergo tam aqua, quàm fimus, siuè cibus in nutriendo locũ habebit,) non rectè inferri, sed tantùm sequi, aquam deferre nutrimentum, vt inquit Galenus 4. de vsu partium. Præterea dicere possemus, ex cibo, & aqua fieri vnũ mistũ, verbi gratia chylum, dum autem infert, ergo simplex in mistum est conuersum, respondeo, dupliciter simplex posse verti in mistum, vel per mistionem, vel per generationẽ sine vlla comistione. Priori modo non negamus nos, simplex verti in mistum, immo id maximè asserimus, nam concedimus, hac ratione elementa componere mista, & hoc pacto etiam aqua hic conuertitur, quia ex ipsa, & cibo fit vnum tertium. Posteriori verò modo negamus, neque hic modus interuenit in suppositione facta à Nobilio, quia aqua non vertitur in cibum, v. g. in panem, vel caseum, sed cibus, & aqua vertuntur in tertium, & hoc pacto aqua mediatè nutrit, & optimè Aristotelis doctrina seruatur, & nihil ex eo contra nostram doctrinam colligitur.

Tertius locus est primo de Gen. tex. 34. vbi quærens Aristoteles, quid sit illud, quod augetur; An cui apponitur aliquid, aut quod apponitur.

Respondet dicendum, crus ipsum esse, quod augetur, non cibũ, quoniam cruris substantia manet post auctionem, cibi autem non manet, *quando illic quoq;* (scilicet in mistura vini) *quod eminet & superat in ipsa mistione, augeri dicitur, ceu vinum; nam vniuersa mistura, vini, non aquæ, functionem exercet:* Vbi patet, Aristotelẽ ponere discrimen inter alimentum, & aquam nam, illud non remanere, inquit, quia vertitur in substantiam aliti, hanc verò, non ait, non manere, vt exempli ratio postularet, si verè dici posset, sed inquit, *vinei, & vniuersam misturam, vini functionem exercere*; non ait vinũ, sed misturã, vt innuat, aquam verè remanere, sed eius vires à maiori copia vini habe-

hebetari, ita vt non sentiantur.

Quartò adducere possumus cap. 10. lib 1. de Gener. in quo de mistione agit, & nunquàm ait, aquã mistam vino, in ipsum verti, quãuis enim nec apertè neget, & ex auctoritate tantùm negatiua nihil concludi soleat, non est tamen hic locus prætermittendus, tum quia ab aduersarijs pro sua ipsorum sẽtentia falsò citatur, tum quia ex eo nonnulla pro nostra sententia eliciemus: tandem quia auctoritas negatiua, quando occasio requireret, vt aliquid affirmaretur, non sine pondere existimari debet. Primùm igitur inquit Aristoteles tex. 83. quod in aliud conuertitur, non posse dici cum eo misceri, & exemplum affert de ligno, quod comburitur, & de alimento, quod corpori alito non misceri dicitur: Subsumamus igitur. Atqui omnes vno ore affirmant, aquam misceri vino, ergo non in ipsum conuertitur. Duas video, afferri posse respõsiones; alteram, quod de propria mistione loquatur Aristoteles, impropriè autẽ posse dici, quod etiã illud, quod conuertitur in aliud, cum eo misceatur: alteram, aquam vino priùs misceri, ac deinde in ipsum conuerti, ita vt non quatenus conuertitur, misceri dicatur, sed quatenus in priori tempore illi commiscetur. Neutra tamẽ subsistit; Non prior, quia neq; auctoritatem, neq, exemplum vllum afferre possunt, quo ostendãt, illud, quod in aliud vertitur, dici illi cõmisceri; quis enim vnquam dixit, vel audiuit, ligna igni commisceri? Propterea Aristoteles non frustra vsus est verbo, dicimus, quia videlicet neminem taliter loqui sciebat, & ipse loquebatur non tantùm de propria mistione, sed etiam de impropria, de ea scilicet, quæ vulgi sermone mistio solet appellari, quamuis propriè talis non sit. Nã de impropria tantũ paulò infra intelligens, inquit: *Illo igitur modo mista esse dicuntur vt hordeacea grana furmentaceis, cum quod libet iuxta quodlibet positum est.* Quãdo ergo supra negat, id, quod conuertitur, misceri cum eo, in quod conuertitur, intendit excludere omnem tam propriam, quàm impropriam mistionem. Posterior responsio neq; satisfacit, quia eadem ratione dici possent, ligna igni commisceri & alimentum corpori, quia nec lignum, nec alimentum statim corrumpitur, sed illud ab igne prius penetratur, & alimẽtum cum sanguine, non minùs, quàm aqua cum vino vnitur; non dicuntur tamen commisceri, quia terminus vnionis attenditur, quæ est corruptio alterius extremi. Sed clariùs tex. 88. hanc expositionem excludit Aristoteles dicens: *Eorum verò actiuorum, & passiuorum, quæ facilè diuisibilia sunt, multa quidem paucis, & magna paruis composita mistionem non faciunt, sed augmentationem dominantis. Nam alterum in id, quod exincit, verti solet, vt gutta vini decies millenis aquæ mensuris non miscetur. Etenim forma vini perit, atq; vinum in totam aquam vertitur.* Hæc Aristoteles.

At quando multa paucis vniuntur, non statim fit corruptio paucorum: possent igitur secundum datam responsionem dici misceri, quod negat Aristoteles. Cum ergo aqua, & vinũ misceri dicantur, nullo pacto dici potest, quòd vnũ in alterum vertatur, nisi in casu, de quo loquitur Aristoteles, quando

gutta vini decies millenis aquæ mensuris infunditur, quia tunc ét non dicetur vinũ illi aquę misceri.

Sunt autem etiam in hoc exemplo aliqua pro nobis notanda.

Primò notandũ est,non attulisse Aristotelem exemplũ de aqua in vinum conuertibili,cum tamẽ frequentiùs accidat,paruam aquã vino multo misceri, quàm vini guttã maximæ aquæ quantitati:nõ est igitur credibile, menti philosophi non occurrisse, sed ille prudentissimè noluit illo exemplo vti,quia videbat, falsum esse, vinum aliquando in se aquam conuertere.

Secundò notandum est, quantum amplificauerit aquæ quãtitatem, potuisset enim dicere, millenis aquę mẽsuris,sed addit, decies millenis,vt ostenderet,non quemlibet excessum aquæ supra vinum sufficere, vt illud in se conuertat, sed requiri maximum. Atqui multò facilius est, vinum conuerti in aquam, quàm aquam in vinum, tũ quia aqua multò minores dispositiones requirit,tum quia faciliùs aliquid resoluitur in elementa, ex quibus componitur, & fit corruptio in prius, quàm elementum conuertatur in mistum perfectissimum, quomodo ergo credibile est,vinum,quod paruo cyatho cõtinetur, aquã in se vertere, vt aduersarij contendunt?

Alter ẽt est locus in hoc capite, in quo de mistione vini,& aquę loquitur in tex. scilicet 86.vbi habet hæc verba. *Dicimus aũt si quid misceri debeat, quod mistũ est similium esse partium, & quemadmodũ aqua pars aqua est, ita, & temperati*. Ex quo loco si quid potest colligi,est, aquã verè misceri uino, qa inquit, partẽ uini tẽperati esse tẽperatã,quod si colligatur, non erit contra nos, sed pro nobis,quia si pars vini tẽperati temperata est, ergo non est aqua in vinum conuersa. Verè tamen neq; hoc colligi potest, sed hoc tantùm dicere voluit Aristot. quòd ad hoc vt vinũ dicatur verè, et propriè mistũ cũ aqua,requiritur, vt sicut pars aquę est aqua, ita pars vini misti sit mista; an autẽ talis sit vini mistio cũ aqua,non definit.

Ne decipiaris igit lector,quãdo videris, aduersarios hoc caput Aristotelis pro se allegare,tanquam si expressis verbis ipsorum sententiã pronunciaret, cum(vt ex his,quæ diximus,videre potes) ne verbum quidem pro illis proferat, & totus sit pro nobis; atq; hinc conijce, quid de reliquis eorum citationibus sit existimandum.

Quintus locus est 4. Mett. Sũm. 2. cap. 3. vbi ait,aquã coctioni, & nutritioni ineptam esse, quia crassescere nequit, sed si cõuerteretur in vinum,oporteret tã crassescere, quia vinũ crassius est, quã aqua,igitur. Resp.Nobilius,impossibile ab Arist. sumi pro difficili. At falsam esse hanc interpretationẽ, probatur, tum quia experimur, aquã potius in aerem resolui ab igne, quã coqui, & crassescere;tũ ẽt,quia nõ concluderet Aristot. id,quod intẽdebat, eã nutritioni ineptam esse.

Tandem pro nobis faciunt multa problemata Aristotelis Sec. 3. in quibus frequenter loquens de vino diluto, ita semper loquitur, vt supponere videatur, aquam nõ esse in vinum conuersam, nam ex ipsius natura rationes reddit multorum problematum, vt cur vinum dilutum magis inebriet, quàm merum. Vbi nota, non posse eum loqui de vino valdè diluto, quia

non

non inebriaret, sed de modicè tẽperato, de quo iudicarent aduersarij, in se aquam vertisse. Item cur diluium citius vomitũ prouocet, & alia huiusmodi, quæ quia clarioribus, & firmioribus abundamus, consultò prætermittimus.

Quòd vero spectat ad alios philosophos Flam. Nobil. in cap. 5. l. 1. de gen. quæst. 5. ait, oẽs ferè latinos, aquã non conuerti in vinũ, affirmare, ꝙ ẽt ex eo colligitur, ꝙ est omniũ ferè sententia simul cũ Aristot. vt inter alios testantur doctores Connimbricenses in cap. 5. 1. de gen. quæst. 7. art. 2. aquã, sicuti neq; aliud elemẽtũ simplex, nutrire nõ posse: Difficilius. n. est, à vino aliquid cõuerti in propriã substãtiam, cui vis nutritiua nõ tribuitur, quàm ab animali; quare Nobil. loco supra citato, vt defendat, aquã conuerti in vinũ, non veretur concedere, aquã quoq; nutrire, cuius tamen contrarium ex professo probauit Arist. 2. de gen. t. 50.

Qui præterea expressis verbis docuerit, aquã in vinũ non conuerti, neminẽ ex veteribus vidi, sicuti neq; facilè erit reperire, qui conuerti asserat, quia videlicet hanc quæst. silentio præterierint, potius quàm tractauerint. Connimb. quidem pro affirmante afferunt Alex. in libello de mixtione. Verùm potius pro negãte afferri posset, nam vt ẽt testatur Nobil. ibidẽ, docuit Alex. aquã seiungi à vino posse.

Eò quòd in mistione nõ omnino interierit: ex philosophis autẽ nullum aliũ supradicti Doctores, qui in aliorũ placitis notandis nõ parum cõsueuerunt esse diligẽtes, pro affirmãte sententia adducunt. Recentiores tamen ferè omnes nostram sententiam docẽt, vt Zabar. in lib. de accret. cap. 19. Francisc. Piccolom. in tex. 74. lib. 1. de gen. Bonamicus 7. de motu cap. 24. & 3. de alimentis cap. 3. Fortunius Lycheius lib. 2. *de his qui diu viuũt sine alimento* cap. 41. Hieronym. Dand. ex Societate Iesu digress. 25. in lib. 2. de an. Eiusdem quoq; societatis præstãtissimus mathematicus Franciscus Aguilonius idem sentit lib. 5. opticorũ proposit. 18. cuius verba digna mihi videntur, vt hic adtexantur, præcipuè cum eius liber non facilè cuilibet esse possit in prõptu, ita aũt se habent. Nõ quod quidã pertinacissimè astruunt, aut aqua fit vinũ, aut vinũ in aquam trãsmutatur, cũ semper liceat ex diluto id, quod facultatẽ vini, ac vim habet, subiecti caloris beneficio stillatitijs organis segregare, vt experientia compertũ est. Deinde quã vi, amabo te, vinum aquã in se, aut aqua vinũ in se conuertit? Vitis agnosco proprietatẽ, quæ aquã, succumq; e terræ prolectũ in vuam traducit, vnde postea fit vinum: at expressum nõ magis potest aquã in suam naturã commutare, quã emortuus arboris ramus alimẽtũ capessere, ac nutriri: Nã vinũ nec seminalẽ, nec plantalẽ vim habet. Deinde si ceræ liquatæ olei portio infundatur, fiet ne cera? Non autumo. Et plumbũ auro mixtũ in aurũ conuertetur? Credant illi, qui aquã in vinũ mutari contendunt, & cellas diluto repleant, arcasq; impuro auro. professores quoq; publici philosophiæ in almo gymnasio Patauino oẽs huic sententię subscribũt, vt ex fide dignissimis habui, et Iulius Cęsar Scaliger exercit. 101. cõtra Cardanum, vt alios plures, & doctissimos viros viuentes omittã. Philo-

sophi ergo à nobis stãt quorũ authoritas in reb⁹ physicis magni facieda est, vt docet Cano. 7. de locis theolog. cap. 3. Bannes p. 1. q. 1. artic. 8. dub. 5. conclusione 2. & Christophorus Gillius lib. 1. cõm. theologie tract. 7. cap. 12.

Rationibus eadem veritas demonstratur.

SECTIO III.

HArum prima, & potissima est: Non habet vinum accidentia, quibus corrumpat aquam, ergo non potest in se eam conuertere. Consequentia est euidens, quia neq; potest aqua in aliud cõuerti, nisi corrumparur, neque vinum immediatè per suam substantiam potest in eam agere.

Antecedens probatur: Vel hæc accidentia essent ex his quibus formaliter afficitur subiectum, vel ex his, quæ dicuntur esse virtualia; non ex prioribus, quoniam vinum est formaliter frigidum, & humidum, vt sensibus patet; frigus autem, & humiditas, cum sint aquæ consentanea, non possunt eã corrumpere; & quamuis dici possit, esse quoq; aliquem gradum caloris in vino, cum non sit summè frigidum, tamen hic calor est tam tenuis, vt sicuti non denominat simpliciter vinum calidum, ita neq; potest corrũpere frigus aquę, quod est longè potentius. Adde, nec illum calorem remissum esse aquæ corruptiuum, nam longè maior sæpe in aqua reperitur absq; ipsius corruptione; ergo etiam si illum reciperet à vino, non propterea corrumperetur. Et idem dici potest de siccitate; Cum autem cęteræ qualitates, quibus formaliter afficitur vinum, sint secundæ, & non ex corruptiuis, patet, per qualitates formales non posse vinum corrumpere aquam. Quòd verò neq; per virtuales, præcipuè per calorem probatur, quia huiusmodi qualitates nisi reducantur in actum secundum, & fiant formales, nullo modo possunt agere: quod patet tum experimẽto, quia vinum per suum calorem virtualẽ nunquam calefacit, nisi priùs à calore naturali excitetur: tum etiam ratione, quia idem subiectum non potest simul calefacere, & frigefacere; at si vinum per suum calorẽ virtualem calefaceret, simul etiam per frigus, quod formaliter habet, frigefaceret. Præterea constat experientia, aquam vino mistam nõ amittere frigus, neq; humiditatẽ, quę sunt eius dispositiones necessariæ ergo non eã vinũ, siue formalibus, siue virtualibus qualitatibus corrumpit. Confirmatur, quia venena certè maximam vim habent ad hominem extinguendũ; attamen, nisi & ipsa à naturali calore foueatur, & in actum reducatur, nihil proficiet, vt Seneca expertus est, qui, vt refert lib. 15. ann. Cornel. Tacitus, *durante tractu, & lentitudine mortis Statium Annaeum diu sibi amicitiæ fide, & arte medicinæ probatum, orat, prouisum primum venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret, allatumque hausit frustra, frigidis iam artubus, & clauso corpore aduersus vim veneni.* Sed concedamus, alias etiam virtutes in vino adesse, & agere posse, non hinc tamẽ continuo efficitur, has qualitates virtuales esse corruptiuas, tum quia hoc propriũ est primarũ qualitatũ, tum quia contrario carent.

Piget

Piget referre, quod nonnulli pro calore virtuali respondent; referam tamen, ne quia refutatum non sit, non potuisse refutari, credant, Dicunt igitur, posse calorē virtualem vini agere in aquam, quamuis in formalem non transie-rit; quia etiam Sol, quamuis non calefiat ipse formaliter, potest tamen per suum virtualem calorem calefacere hęc inferiora. Frigidum sanè pro calore argumentū: Quis enim vidit vnquam, experimentis clarissimis similitudinem, & valdè remotam opponi, cum nihil sit experimento certius, nihil argumento ex similitudine ducto infir mius? Cum igitur experiamur, vinum non calefactum formaliter per suum calorem virtualem agere non posse, vt quid nobis Solis similitudinem obtrudunt? eadem ratione possemus, & nos argumentari, Solem esse calidum formaliter, quia alioqui non calefaceret, ex vini similitudine, & etiā longè probabilibus, tum quia ex aromatibus, ex herbis, & ex omnibus alijs rebus sublunaribus, quę virtualiter tantùm sunt calidę, eamdē similitudinem ducere possemus, tum etiam quia neq; experimento, neq; diuina reuelatione nobis constat, Solem non esse calidum formaliter. Cognoscant igitur, esse longè disparem rationem: Primò enim Sol non est formaliter calidus, sed neq; formaliter frigidus: At vinum ita non est calidum, vt sit etiam frigidum. Secundò Sol est incapax caloris, ac proinde, quamuis produecere possit calorem, non tamen potest recipere; at vinum est capax; si igitur posset producere, in se ipso priùs produceret, quàm in alijs. Tertiò Sol est causa ęquiuoca, & vniuersalis, quæ effectum sibi dissimilem producere potest; at vinum est causa vniuoca, & particularis, quæ sibi similes producit effectus. Quartò habet Sol aliud instrumētum, quo producat calorem, scilicet lucem, vinum autem nullum. Ecce quot in vna similitudine dissimilitudines? Vinum igitur agere non posse in aquam per suum calorem neq; formalem, neq; virtualem, est, ni fallor, tam abundè probatùm, vt nihil vltra addere sit necesse.

Secundò principaliter argumentor. Per quamlibet etiam minimā aquæ mistionem redditur vinum debilius, & simpliciter non potest dici, quod augeatur, ergo in illud aqua non conuertitur; antecedens quoad priorem partem est clarissimum, & communi consensu receptum, alioqui enim si nihil deperderet vinum ex aquæ mistione, nemo esset, qui aquam ei non misceret. Si dicas, non curare homines, quia oportet, aquam esse in minima quantitate. Contra; primò quia minimi etiam lucelli auidissimi sunt, ergo non hoc prætermisissent. Secundò nec est tā parua quantitas, nam si vinum, quod est in cyathis, potest in se conuertere tres, vel quatuor aquæ guttas, vt aduersarij dicunt, ergo illud, quod est in dolio, poterit tres, vel quatuor sextarios. Tertiò quia ex multis modicis fieret vnū magnum, nam si vinum, admista guttà aquæ, nihil deperdit, sed illam in se transmutat, ergo idem potest efficere de secunda, idem de tertia, & sic in infinitum, poterit igitur quis vinum augere in infinitū guttatim, quod quamuis multi optent,

optent, nemo tamē affirmabit; idq; declaratur exemplo ignis, qui potest simili ratione augeri ī infinitū, quia nihil deperdit, dum ligna in se conuertit. Non potest igitur dici, quòd nihil vinū deperdat per admistionem, etiam minimæ guttulæ aquæ, consequenter etiam dici non potest propriè, quòd fiat maius, quia hoc propriè dicitur, quando sine sui deperditione aliquid est in maiori quantitate, ac erat priùs; ac sicuti non est maior cera, quæ fit longior, sed minùs latior, ita nec uinum si accrescat in quantitate, & in eadem proportione in uirtute minuatur, sed si velint etiam contendere, fieri maius, dummodo mihi concedant, eadē prorsus ꝓportione fieri debilius, verbis non pugnabo, sufficit enim mihi, quòd omnibus pensatis nihil acquirit vinum. Si verò contēdas, acquirere, quia alioqui homines non admiscerent aquam. Respondeo, miscere, non vt acquirat, sed vt vires remittat, quòd homini melius esse solet, quamuis non vino; & nemo est, qui tanti emat vinum aqua dilutum, atque vinum purum. Firmum igitur manet nostrum antecedens, nihil sibi acquirere vinum per admistionē aquæ.

Probo nunc consequentiam, ergo non conuertitur aqua in vinū: primò ex modo operandi naturæ, quæ nihil frustra facit, neq; alicui tribuit virtutē aliquam nisi in sui vtilitatē: at virtus hæc conuertendi in se aquā est inutilis vino, non ergo est illi à natura tributa. Neq; sufficit, se dicas, esse vtilem propter bonum hominum, vel vniuersi, quod magis intenditur à natura; Primò, quia hoc bonum habetur commodius, si dicamus, aquā non conuerti in vinum, ad hoc.n. vt ipsum moderetur, & contemperet, non est necesse, vt in ipsum cōuertatur, sed sufficit, vt cum ipso accidētaliter misceatur. Secundò hæc est actio, quæ primò terminatur ad ipsummet indiuiduum agens, ergo debet esse in bonum ipsius. Tertiò natura, quæ suauiter omnia disponit, nunquam ordinat actionem alicuius indiuidui in bonum vniuersi, quod etiam in bonum ipsius agentis non redundet: Nam generatio ipsa animalium, quæ maximè videtur bonū vniuersi tantùm respicere, non est sine bono ipsius indiuidui, tum sanitatis, quia ipsum exonerat, tum etiam voluptatis.

Probatur eadem consequentia principalis argumenti ex alijs capitibus, Primò quia si vinum in se aquam conuertit, ergo viribus eā superat, ergo magis agit, quàm repatiatur, ergo plus acquirit, quàm sit illud, quod deperdit. Præterea, quando excessus agētis supra passum est valde magnus, agit, & non repatitur, sed maximus erit excessus, quem supra guttam aquæ habebit dolium vini plenum, ergo nihil ab ea repatietur, nō ergo fiet debilius, si gutta ei admisceatur; quòd si non per primam, ergo nec per secundam, vel tertiam, & sic in infinitum, vt supra diximus. Tertiò quando agens de passo uictoriam perfectam obtinet, quamuis in pugna aliquid repassum sit, tamen post uictoriam se in pristinū statum reducit; ita enim aqua pristinum frigus recuperat, animal ad sanitatem, ignis ad pristinum suum uigorem se reducunt, & sic de singulis. Et ratio etiam id persuadet,

suadet, quia repassio aliud non est, saltem in non viuentibus, quàm receptio alterius contrariæ qualitatis, quæ longè minor, & debilior est in repasso, quàm fuerat in passo, quod eam produxit. Si igitur agens potuit destruere passum ipsum, multò magis poterit ipsius reliquias, scilicet qualitatem illius in se receptam, ergo quamuis vinum aliquid repateretur ab aqua, tamen ipsa corrupta posset vtiq; se reducere ad pristinum statum, quare nihil per ipsius mistionem deperderet.

Confirmatur hic discursus ex doctrina philosophorum de nutritione hominis, aiunt .n. quòd virtus conuersiua in principio iã fortis est, vt possit conuertere non solum, quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiã ad augmẽtum: Postea verò non potest conuertere nisi quantùm sufficit ad restaurationẽ deperditi, & tunc cessat augumentum. Demum nec hoc potest, & fit diminutio. Si ergo vinum habet virtutem conuersiuam, saltèm in principio hæc tã fortis esse deberet, vt aquam in se converteret, absq; eo quòd aliquid deperderet, immo semper deberet augeri vinum, quia animal non semper augetur, quoniam licet in se conuertat alimentum, tamen aliunde consumitur, ergo cum vinum ab intrinseco nõ consumatur, semper ex hac conuersione deberet magnum additamentum sibi acquirere.

Verùm ad infirmandum hoc argumentum posset aliquis dicere, aquam vino mistam in vinũ quidem conuerti, non tamen tam perfectum, sicuti illud, à quo conuersa est, & quò plus aquę infunditur, etiam imperfectius vinum euadere, sicuti & animal, quia non potest ex alimento substantiam gignere tam perfectam, quàm est illa, quæ deperditur, tandem senescit, & moritur, hoc enim ipsum tex. 42. lib. 1. de generatione exẽplo vini, cui admiscetur aqua, declarat Aristoteles.

Respond. Si aqua verteretur in vinum, non esset eius conuersio nutritio, sed generatio; cum enim vinum non sit viuens, nutriri non potest; consequenter tam perfectum vinũ fieri deberet, ac illud, à quo conuertitur, generatio enim tendit in perfectè simile, non solũ in igne, & in alijs elementis, sed etiam in viuentibus ipsis, alioqui filius semper esset patre debilior, & imperfectior, quod est falsum.

Præterea data etiam illa responsione, non euacuatur argumẽtum, quia tunc mistio aquæ non magis vini vires eneruaret, quàm si potentiori vino debilius admisceretur, quod falsum esse, experimento constat: immo sicuti caro illa, quæ per nutritionem additur, vel nullo pacto, vel minimè videtur differre ab ea, quæ habetur per generationem, ita non differret sensibiliter vinum ex aqua genitum, ab eo, quod ipsum genuisset. Aristotelis autem auctoritati satisfaciemus sect. 5. ad 3. ex philosophia.

Tertium hinc etiam principale argumentum deducitur; quia natura his tantùm rebus virtutem alia conuertendi in se concessit, quæ absq; huiusmodi conuersione non possent diu se conseruare, talia sunt viuentia, & ignis, quæ alimẽto indigent, mistis verò quã vis perfectissimis non concessit,

quia non indigebant; elementa reliqua videntur aliquo pacto participare, quia dicuntur in se mutuò conuerti; Sed hoc factum est ex necessitate consequentiæ, quia nō erat aliud elementum, in quod conuerterētur, dū corrumpuntur, neq; semper ex ipsis poterant generari mista, nec sine indigentia, cum inuicē agant, & corrūpantur, & ex ipsis mista omnia componi debeant. Vinum autem mistum est perfectissimum, nec alimento indiget, ergo nō est, cur ei hanc virtutē conuersiuam tribuamus. Si dicas, vinū ob varias causas deficere, præcipuè potatū, & idcirco rectè naturā, ne totaliter deficeret, hanc vim illi tribuisse. Respondeo, satis prouidisse naturam, dū quotannis vitis vinum producit, non solet autem, quibus tribuit esse per huiusmodi generationē, tribuere, vt se etiam multiplicare possint, vt patet in omnibus fructibus.

Quartò principaliter argumentor. Accidentia aquę manent, dum ipsa miscetur vino, ergo etiā ipsius substantia. Antecedens probatur primò auctoritate aduersariorum; nam Suarez inquit, vinū manere affectum, & temperatum qualitatibus aquę. Secundò experientia, quia videmus, vinum aqua mistū participare colorē, frigiditatem, & alia accidentia ipsius aquæ, & clarius apparet, si apponatur aqua amara, vel alterius saporis, q̃ licet minima totū inficit vinum. Si ergo manēt accidentia, vnde quęso colligūt aduersarij, defecisse substantiā? Si .n. tam acutis oculis præditi sunt, vt sub proprijs accidentibus substantiā nō adesse videāt, poterunt ēt naturaliter cognoscere, sub specieb. eucharistię nō adesse panis, & vini substantiā, q fateri non audebūt, certè nullū aliud inditiū præsentiæ substantialis habemus, quā accidentia; cū ergo hic fateantur, adesse aquę accidentia, quis nō videat, quàm parum consequenter negent, ibi adesse substantiam?

Sed vlteriùs probemus, nō solū absq; ratione, sed ēt contra rationē concedi ab ipsis accidētia, & negari substantiā. Primū quia non corrūpitur substantia, nisi priùs corrūpantur accidētia, manentib. n. integris suis dispositionib. nō discedit à materia forma substātialis, & quò magis hæc est imperfectior, maiorē prærequirit accidentiū corruptionē, quia pauciorib. indiget dispositionibus, talis aūt est substātia aquę, quę dūmodo comitē habeat humiditatē, nulla ferè alia videtur dispositione indigere: Cum igitur mista vino, & humiditatē, & frigiditatem, & cętera omnia accidētia retineat, quis nō videat, quā immeritò dicatur esse corrupta?

Pręterea quāuis non essent accidentia aquæ ante formā substātialem corrupta, saltem ad corruptionem ipsius dependerentur, repugnat igitur, corrūpi substantiā, & non eius accidentia, ea saltem, quę cum accidentibus vini repugnantiam habent, & sunt propria ipsius aquę. Probatur antecedens primò, quia illa accidentia sequuntur substantiam aquæ, ergo hac corrupta, ēt ipsa corrūpentur. Secūdò quod potuit vincere substātiam, poterit etiam multò magis accidētia, quæ dum nō habent formā conseruantem, facillimè expelluntur. Tertiò si vinum aquā in se cōuertit, ergo eius materiā suis proprijs dispositionib. afficit, ergo excludit contrarias dispositiones, quæ erāt aquæ.

Adde,

Addo, quòd cum forma subſtātialis in aliquam materiā ingreditur, ſuis proprijs accidentibus eam ſtatim ornat, ſi igitur in materiā aquę ingreſſa eſt forma vini, cur non in ea ſuas proprias diſpoſitiones produxit? Confirmatur exēplo alimēti in nutritione viuentiū, cum.n. aliquid conuertitur in ſanguinē hominis, videmus, induere colorē, ſaporem, & reliqua omnia accidētia ſanguinis, & idem cernitur in omnibus alijs conuerſionibus, ita vt quāuis homines rubrum vinū bibant, lotiū tñ nunquā rubedinem induat, & ſi aliquādo induit, ſignū eſt euidens, non fuiſſe vinum concoctum, & perfectè conuerſum; ergo cū in vino color, & ſapor aquæ permaneant, ſignū apertiſſimū eſt, ipſam non eſſe in vinum conuerſā.

Video, quid ſint dicturi, vt argumenti vim videantur effugere. Primò dicent, non remanere integra accidētia aquæ, ſed refracta, & hoc ſufficere, vt ipſa meritò dici poſſint corrupta, vel in vino nō adeſſe propria accidētia aquæ, non.n. accidens transmigrat de ſubiecto in ſubiectum, ſed accidentia aquæ, dum corrumperentur ab accidentibus vini, ſimul in accidentia vini egiſſe, & ea alteraſſe, ita vt videantur remanſiſſe ipſius aquæ accidentia. Sed hęc omnia facilè refellentur.

Quod .n. primò dicunt, accidentia aquæ remanere refracta, falſum comperiemus, ſi aduertamus, eſſe compenſandam intenſionem cum extenſione, & cum contrarij admiſtione. Quare ſi aqua duos gradus albedinis, exempli gratia, habeat, antequam admiſceretur, duos etiā gradus albedinis habet admiſta, ſed priùs vnitos habebat, nunc diſperſos, & cū rubedine permiſtos, quod ita oſtendo, quia ſi vino rubro admiſceamus vinum album, vel alium liquorem album, vel ēt puluerem; qui non poſſit à vino rubro corrumpi, videbimus, non magis reddi album illud vinum tu brum ab his rebus, quàm ab aqua, ſed in his rebus non fuit albedo refracta, vel diminuta, ergo neq; in aqua. Confirmatur, quia quoad colorem, & ſaporem, & cæteras huiuſmodi ſecundas qualitates, cum hæ propriè non ſint actiuæ, non poteſt dici, quòd refrangentur, niſi quatenus ex contrariarum admiſtione minùs ſentiuntur. Quo ad primas verò, humiditas certè nullo pacto frangitur, calor verò, vel frigus, ſi diſſimilia ſint in aqua, & vino, alterātur quidem, ſed clariſſimè in hoc apparet, non magis pati aquam, quàm vinum; atquè hoc eſſe per accidens, & nullius momenti ad aquæ conuerſionem, vt etiam ſupra diximus.

Sed & ſi concedamus, hæc omnia accidentia eſſe refracta, adhuc hoc non ſufficit ad aquæ corruptionem, quia cum eius forma ſit imperfectiſſima, minimis diſpoſitionibus contenta eſt; quare, & ſi refrangatur ſapor, vel color, vel aliud accidens, non propterea deſinet forma aquæ, vt experimentis patet.

Quod prętérea dicebatur de reactione accidentium aquæ, ſi ſermo ſit de primis qualitatibus, iam diximus, has non eſſe contrarias in aqua, & vino, ac proinde ratione ipſarum non eſſe dandā hanc reactionem; ſi de ſecundis, patet, has qualitates nō ita eſſe actiuas, vt cū corrumpuntur, ſimiles ſibi valeāt generare; alioquin, vt paulò ſupra

argumētabamur, sanguis, & excrementa in homine viderentur affecta coloribus alimentorum; quod est manifestè falsum.

Præterea idē comprobatur, quia, si per actionem aquæ accidentia refrangerentur, vt ipsi volunt, sequeretur, quòd diu post aquæ mistionem longè minùs apparerent, & magis diminuta essent, quàm statim, postq̄ admista fuit aqua, quod est falsum. Probatur maior, quoniam fatentur aduersarij, nō in instanti aquam à vino absumi, sed non minimum temporis debere intercedere, toto ergo hoc tempore aget vinum in aquam, at quò diutius aget, eius accidentia magis corrumpet, magis igitur erunt corrupta, siue refracta post diutinam actionem, quàm in principio ipsius actionis: atquí hoc esse falsū, experimento conuincitur, quia nullum omnino percipi potest discrimen inter vinum, quod paulò ante, & illud, quod multò antea fuit mistum; nisi fortè quatenus non ita statim aliquod vinum penetrari, & permeari potest ab aqua, ergo signum est, nullam verè dari actionem vini in aquam, ne dum aquam à vino corrumpi.

Quintò principaliter argumentor. Ab extremo ad extremum nō fit transitus nisi per medium, ergo aqua non potest immediatè cōuerti in vinum, sed priùs conuertetur in aliquem liquorem mediū inter aquam, & vinum, in genere enim liquorum aqua est extremū imperfectissimum, vinum verò est inter perfectissima. Antecedens est per se notum, saltem in alterationibus, & corruptionibus, quæ successiuè fiunt, non enim aliud est successiuè fieri, quàm paulatim per media ab vno extremo ad aliud transire. Si dicas, generationem substantialem fieri in instanti, & ita opus non esse, vt fiat transitus per medium, hoc non obstat, quoniam formæ substantiales sequuntur accidentia, quare dum magna distantia est inter duas formas substantiales, dantur etiam dispositiones mediæ inter earum dispositiones, quæ ad mediam formam substantialem disponunt. Hinc enim antequam materia recipiat animam rationalem, priùs recipit formam mistionis, & secundum aliquos, animam vegetatiuā, & sensitiuam. Sed ad rem nostram propius, maiorem proportionem, & affinitatem habet vinum cum sanguine humano, quàm cū aqua; sed vinum antequam conuertatur in sanguinem, varias patitur trasmutationes, ergo etiam aqua multas pati debet, antequam vertatur in vinum. Sed clariùs.

Vitis ipsa, quę vinum producit, terræ humorem in vinum vtique transformat; sed quot præuijs alterationibus, & mutationibus? alteratur enim priùs in radice, deinde in stipite, tertiò in ramis, quartò in ipso fructu, & ad hęc saltem integer annus requiritur; quo modo ergo in spatio vnius horæ poterit vinum immediatè in se conuertere aquam? vnde.n. hanc virtutem habebit? vtiq; non aliunde, quàm à vite; at poterit ne vitis maiorem illi virtutem tribuere, quàm ipsa habeat? nequaquam: oporteret igitur, aquam saltem in aliquem medium liquorem conuerti, antequam conuerteretur in vinum: Sed quis hunc alium liquorem vnquam somniauit? ergo cum in hunc non transmutetur, neq;

debet in vinum transmutari.

Sextò. Nunquàm alimentum conuertibile est tam simile, & proportionatum conuertenti, vt totū in ipsum conuerti possit, sed semper remanet aliquid, quod non conuertitur, ita videmus, ex alimento ignis remanere cineres, & fumum, quamuis ignis sit maximè actiuus, & ad res conuertendas potens; & si aquam in se cōuertat, quia non possunt remanere cineres, magna pars ipsius aquæ in aerem vertitur; in viuentibus remanent excrementa, quod & in plantis euenire, docet Arist. lib. 2. de Generat. tex. 50. In distillationibus fæces, & ita in omnibus, ergo idem dicendum est de aqua, si in vinum conuertitur: at huius rei nullum apparet vestigium, ergo signum est, non conuerti. Cui argumento, cum eo idem ipse Aristoteles cap. 5. supracitato vtatur ad probandum, elementum simplex non nutrire, qui Aristoteli repugnare noluerit, manus dare cogetur. Sed experientia quoque roborari potest, vt clariùs aduersarios vrgeat. Constat enim, aquam æqualem locum occupare mistam vino, atque extra vinum, exempli caussa, impleenda sit phiala continens sex cyathos, æquè plena erit, si illi infundantur 6. cyathi vini, quā si quinque sint uini, & sextus aquæ, si ergo in vinum conuertatur, opotiebit non plus, minùsuè vini ex aqua gighi, quàm antea fuerit ipsa quantitas aquæ: atqui hoc est incredibile tum ob rationem allatam, quod in qualibet cōuersione semper aliquid superest, cum etiam, quia, & si daremus, totam omnino aquam in vinum cōuerti, adhuc non posset eadem esse mensura vtriusque, quando enim aliquid rarius vertitur in densius, eius proculdubio magnitudo minuitur, & quando aliquid densum in rarum, è contra augetur: quare dicunt omnes philosophi, ex aquę substantia, si in aerem conuertatur, fieri substantiam decuplo maiorem, eò quòd aer sit lōge rarior aqua: At cum omnibus vinis non potest aqua habere æqualem raritatem, & dēsitatem, cum enim ipsa vina inter se non parum differant, & quædam sint longè densiora alijs, impossibile est, aquam omnibus illis æqualem esse. Confirmatur, quia eumdem omnino locum, quem occupat aqua immediatè, postquam est vino mista, semper retinet, atqui si tempore procedente verteretur in vinū, uel maiorem locum occuparet aqua, si illud esset rarius, vel minorem, si esset densius. Immo etiamsi non verteretur in uinum, sed tantùm ab ipso pateretur, adhuc ipsa aqua minueretur, videmus enim, aquā igni appositam diminui, quamuis in ignem non conuertatur, sed tātùm ab ipso patiatur, & calefiat. Similiter aurum in igne aliquod detrimentum patitur, & quia solent nonnulli aurum deglutire, vt ab inuasoribus custodiant, ac dein de egerere, pondere diminutum ipsum reperiunt ob actionem caloris naturalis, quomodo igitur credibile est, aquam à vino oppugnatam, victam, ac tandem expugnatam, & corruptam nihil omnino vel magnitudinis, vel ponderis amisisse?

Septimò. Vel vinum aquam in se conuertit virtute animæ vegetantis sibi in generatione communicatæ, vel alia virtute, quæ non

sit

sit animæ vegetantis: si prius dicas, ergo vinū verè nutritur, quia per virtutem animæ potest in se alimentum conuertere: Si posterius, ergo illa virtus erit īsufficiēs: Probatur cōsequētia, quia vinū opus est animæ vegetantis, est.n. fructus plantæ, ergo nō poterit produci à qualitate inferioris ordinis.

Octauò. Cōuersio aquę in vinū tunc solū contingit, quando à virtute vini aquæ vires non modicè superantur; quando igitur nō superantur, cùm nihilominus hostiliter inuicē agant, miscebuntur, & fiet ex illis vnum tertium, ꝙ nec vinū erit, nec aqua; at quidnā hoc erit? certè est contra cōmunem omniū opinionē, qui vinum maximè dilutū bibentes, nihil tamen aliud se bibere putant, quàm aquā, & vinū.

Nonò. Daretur aliquod vinum, quod nō esset corpus mistum. Probatur consequentia. Corpus illud, quod ex vnico tantùm elemēto gignitur, non est mistum, ex vno.n. simplici elemento, quomodo pōt resultare mistum? Si dicant, esse mistum, quia ex vna parte ad eum cōponendum aqua cōcurrit, ex altera vinū. Cōtra, quia vinū non ingreditur cōpositionem huius noui misti, alioquin corrūperetur, q̃a mistum nō nisi ex miscibilibus corruptis cōsurgit. Si occurrant, formam substantialē esse formā mistionis, idest talē, qualis ex mistione solet oriri, & hoc sufficere, vt cōpositum dicatur mistū. Instabo, quia sequeretur, fieri mistum ex nō misto sine mistione præcedēte, quod non minùs naturaliter pugnát, quā dari genitum sine generatione, & mutatū sine mutatione. Si rñdeant, esse mistū, quia recepit qualitates vini misti: Rursus vrgebo: primò quia hoc non sufficit ad verā mistionē, cū sit mistio accidentalis, nō substātialis. Secundò quia sequeretur, aquā quando recipit colorē, vel saporē ab aliquo misto, fieri corpus mistum. Tertiò quia accidentia nō dicuntur misceri cum subiecto, vt docet Arist. primo de ortu, & interitu cap. vltimo: quare meritò ipse Aristot. negat, elementum simplex posse nutrire. vt vidimus.

Decimò Vinum non est opus solius naturę sed etiā artis, ergo non potest vi sua producere aliud vinū. Antecedens experimēto patet, natura .n. producit vuam, ars vero inde exprimit vinū. Consequentia probatur tū ex parte principij, tū ex parte termini: ex parte principij, q̃a vinū quatenus ens naturale nō potest producere nisi ens naturale, quatenus verò artificiale, nullā habet vim producēdi: ex parte termini, quia effectus imitatur suam causam quoad naturalia, nō vero quoad artificialia; hinc.n. est, quòd seminatur granum sine cortice, & tamē cum cortice nascitur, ergo si per vim naturalem deberet vinum aliquid producere, vuam potius, quàm vinum gigneret.

Experimentis eadem conclusio corroboratur.

SECTIO IIII.

Qvamuis argumenta sectione superiori allata, nō sine experientiæ adminiculo cōsistant, cū ab ipsa omnis ferè nostra cognitio originē trahat, in hac tñ afferemus experimenta, quæ magis directè, & immediatè manibus ferè contingere nos faciant, aquam vino mistam in vinum non conuerti.

Primū igitur experimentum, est

quo

quo aqua mista vino, potest ab eo denuo secerni, si .n. in ipsum iã cõuersa esset, procul dubio separari nõ posset, quasi autẽ præuidisset natura, multos negaturos, aquã vino mistã, suam formam retinere, multos quoq; instituit modos, quibus aquã à vino secernere licet, ex quibus nõnullos hic cõmemorabim⁹.

Primus est, quem refert Colleg. Conimbr. li. 1. de Gener. c. 10. q. 1. art. 1. spongia videlicet oleo imbuta, q̃ ex vino aqua misto puram aquam attrahit, quod alij tunc fieri asserunt, quãdo spõgia vasis spiraculum obturatur, & ipsum vas inuertitur, per ipsam spongiam aqua pura effluente.

Secundus, quẽ Plin. lib. 16. naturalis historiæ, c. 35. his verbis explicat: *Mira Hadera proditur natura ad experiẽda vina, si vas fiat ex ligno eius, vina transfluere, & remanere aquã, si qua fuerat mista.* Quod etiã antedocuerat Cato de re rustica c. 151. Dissentit tamẽ Ioannes Bapt. Porta Neapolitanus. li. 8. suæ Agriculturæ. cap. 18. qui ait, experimẽto se competisse, nõ vinum effluere, sed aquam, oportere tamẽ, ait, lignum esse viride; cui magis credendũ est, cum dicat, se expertũ esse, Plin. autẽ, ab alijs se audiuisse narret; Immo verissimũ esse, quod ait Porta, & ego experimẽto didici, & alij multi testificantur præsertim Carolus Stephanus lib. 5. suæ Agriculturæ cap. 53.

Quartus, vt alij asserũt, est per filum, siuẽ linteum lineũ recẽter lotum, siue, vt ait Flam. Nobil. lib. 8. de Gener. cap. 5. q. 5. succo mentæ madefactũ, in vinũ immissum, q etiã dicitur ad se tantũ aquã attrahere. Scirpo exsicato hoc idẽ alij tribuunt ex Mizaldo cent. 7. n. 77.

Quintus. Si arundo, Papyrus, fænum, lignum, aut aliquod sarmentum oleo illitum, dolco misti vini mandetur, deinde extrahatur, aquæ guttulæ oleo adhærebunt.

Sextus. Si in ollã nouã nullo antea perfusam humore vinũ mistũ aqua infundatur, ac biduum asseruetur, aqua, quæ mista erat, p eã extillabit; hos aũt, siue alios etiã modos aquã à vino extrahẽdi videre poteris apud Petrũ Crescentiũ l. 4. c. 31. Ioan. Bapt. Portã lib. 8. Agricul. c. 18. & li. 2. Magiæ naturalis, c. 18. Gabrielẽ de Herrera lib. 2. de Agricult. c. 24. & Carolũ Stephanũ li. 5. de Agricult. c. 53. Cũ igitur tot habeantur de hac re experimẽta, & grauissimi authores ea approbẽt, imprudẽtis, immo impudẽtis sanè esset, ea negare: quare neq; ipsi aduersarij negare audẽt, quãuis, vt infirmẽt, dicãt primò, illã excretionem fieri posse, cũ vinum est ita imbecillũ, vt nequeat in se cõuertere aquã, vel ẽt si possit, nondũ tñ ei per tempus licuerit. Secũdò vbi istæ circumstantiæ vel potius fugæ cauilli locum nõ habẽt, dicunt, id, quod è vino eximitur, non esse aquã, sed liquorẽ ipsius vini, nondũ videlicet exquisitè decoctum, qui etiam ex puro vino elici potest.

Cęterùm nõ perfectè decoctã, nec sine falsitatis admistone hanc esse respõsionẽ, facilè ostẽdemus. Nã cũ primo loco dicunt, aquã aliquando secerni, quia nondũ fit cõuersa in vinum, vel propter tẽpus, vel propter vini imbecillitatẽ, cõcedunt vtiq; aquã aliquãdo misceri vino, & in ipsũ non conuerti. At rogo, explicẽt, an possit vllo signo dignosci, quando aqua in vinũ est conuersa: Respõdebunt necessariò, non posse: nam nulla apparet mutatio, postquàm aqua diu mista fuit, quæ nõ appareat etiã statim.

Nullum

Nullum igitur habent signum conuersionis aquę in vinum, quomodo ergo pertinaciter asserere audeant, aquam in vinum conuerti? Et cum fateantur in principio mistionis non commutari aquam, cur nullo inditio de nouo addito affirmant, tantam transmutationem in ipsa fieri? An fortè ratio eos cogit? Etiam si adesset ratio, cum experientia refragetur, suspecta illis esse deberet; nam sensum dimittere, & rationem quærere, infirmitas quædam est intellectus, vt inquit Aristot. 5. phys. tex. 22. cuius infirmitatis radicem optimè in comm. super hunc locũ detexit S. Thomas dicens. *Procedit. n. ex hoc, quòd intellectus nõ est sufficiens ad dissoluendum sophisticas rationes, quæ repugnant ijs, quæ sunt manifesta secundum sensum.* Et paulò post concludit idem S. Doctor: *vnde contra istam positionem non oportet dubitare propter stultitiam dicentis.* Sed cum nullam adesse rationem ex supradictis cõstare possit, quid philosopho indignius videtur, quàm aliquid præter rationem, & experimenta docere? Præterea authores citati dicunt absolutè, illis experimentis posse cognosci, an vinum sit aqua dilutũ, atqui si experimenta hæc non semper essent vera, tutum non esset, illis vti, neque ex ipsis liceret aliquod argumentum desumere.

Quod verò secundo loco aiunt, esse liquorem ipsius vini aquę persimilem, vt cognoscant, quàm liberaliter cum ipsis agamus, non respuo, sed hoc illis cõcesso, aquã non conuerti in vinum, probo. Non habet vinum tantam virtutẽ, vt illum liquorem penè decoctum pleniùs decoquat, & in se perfectè conuertat, quomodo igitur aquam sibi maximè aduersantem poterit perfectè decoquere, & in se ipsum conuertere? Præterea si ille liquor aquæ similis cum reliqua substãtia vini benè cohæret, neq; inuicem corrumpuntur, quomodo etiam non cum aqua bene cohærebit vinum, absq; eo quòd ipsam corrumpat? Velint igitur, nolint, nostræ sententiæ suis responsionibus fauent. Melius ergo respondet Alex. Aphrodisiensis in libello, quem de mistione inscripsit, idcirco secerni aquam à vino, quòd in ea mistione non interierit, quod Nobilius cap. 5. quæst. 5. in 1. de Generatione ad suam sententiam trahit de actuali permanẽtia formali elemẽtorum in misto, quam cum nos supra falsam esse ostenderimus, vt etiam concedunt plurimi ex authoribus, cõtra quos disputamus, relinquitur, vt verè nunquàm fuerit vini pars, neq; in ipsum conuersa. Adde, quòd etiã data ea sententia, quod elementa manerent formaliter in misto, non tamen inde sequeretur, è misto posse elementum simplex absq; corruptione misti educi, vt aqua è vino educeretur, alioqui liceret etiam eam educere è ligno.

Secundum experimentum, mihi ipsi aliud cogitanti facere contigit: cum enim iter haberem per Galliam Cisalpinam hyemis tempore, & maximum frigus sæuiret, minimos quosdã glaciei globulos dum vinum potarem, in ipso animaduerti, idemq; alijs postea cõtigisse audiui, quos globulos ex aqua, quæ vino mista fuerat, concretos fuisse, nulli dubiũ esse potest, cũ. n. vinũ sua vi frigori resisteret, aqua, quæ cũ eo mista erat, in gla-

ciem condensabatur, quod fieri non potuisset, si in vinū iam conuersa fuisset; erat autem illa aqua ante multos menses vino permista, scilicet in dolio. Quid hic dicent aduersarij? nihil aliud credo quàm vinum illud non fuisse generosum, vel aquam in nimia quãtitate illi fuisse permistam, sed neutra responsione euadent; nam quo ad priorem, & si concedamus, vinum non fuisse admodum generosum, non tamen neque admodũ tenue erat, nam & frigori resistebat, & cęteris, quæ sunt apud nos in vsu communi, non erat infirmius.

Præterea si fatentur, vt necessariò fateri debent, in hoc casu aquã non fuisse in vinum conuersam, cum tamen exterius ita videretur à vino absorpta, vt nihil amplius desiderari posset, vnde cognoscũt, aliàs cõuerti? certè hic adsunt omnia signa, quę possunt afferri conuersionis; & tamen non est conuersa, ergo temere, & absque vllo sufficienti inditio aliquando affirmatur in vinum transmutata.

Deinde quamuis vinum non esset adeo generosum, tamen permista fuit aqua per multos menses, & in dolio, vbi & est lõgè maior vini quãtitas, & habet longè maiorem vim. Si igitur his circunstantijs adiutum vinum nõ potuit aquam in se vertere, certè vel nullum, vel rarissimũ erit illud, quod in cyatho positũ, vt aduersarij cõtendunt hoc possit. Quod dicebatur de aquæ quantitate, primò falsum cognoscitur, quoniã paruuli erant illi globuli, & rari, duo scilicet, vel tres in vno cyatho.

Deniq; si non potuit vinum illam quantitatem in se vertere, ergo multò minùs potuisset, si denuò in cyatho aquæ gutta illi super infusa fuisset, eam conuertere, ex congelatione etiam aliud desumitur lepidum experimentum. Contingit.n. aliquando, vt in dolio, in quo vinum aderat aqua mistum, tota aqua in glaciem uersa, vinũ liquidum, vt priùs, remaneret, quare accedentes ad ipsum hauriendum, solito longè præstantius vinũ exhauriri experti sunt, ex eo scilicet quòd ab aqua separatum erat, sed nõ diu, post in mœrorem versum est gaudium, cum resoluta glacie, loco vini aquam ferè solam repererunt.

Tertium experimentum. Ad cognoscenda vina, quibus aqua fuerit admista, multa traduntur media, ergo signum est, aquam non fuisse in vinum conuersam. Antecedens probatur multorum authoritatibus. Nam si pyra siluestria, hoc est crudissima, ait Socion, in mustum quis conijciat, si in hoc aqua fuerit, fundum petunt, & demerguntur. De ouo etiam dicitur, teste Antonio Mizaldo cent. 9. Arcanor. Memorab. nu. 33. quòd si musto, cui mista sit aqua, imponatur, statim descendit, cum contra accidat, si sit purum.

Præterea vinum calefactum, inquit Crescentius supracitato loco, si in vas nouũ fictile mittatur, si aquam habet, degenerat in acetũ.

Demum teste eodem, si in sartaginem oleo feruenti plenam vinum aquam habens effundatur, obstrepet, & ebulliens exiliet.

Probatur autem consequentia, quoniam si aqua verteretur in vinum, illud vinum ex aqua genitũ non differret ab alio vino essentialiter, sed ad summum accidentali-

Bbbb ter

ter ratione debilitatis, vel alterius similis qualitatis, sed nec imbecillitas, nec alia qualitas vini sufficit ad id præstandum, quod dicitur præstare in hoc experimẽto aqua mixta, quia si vinum fit imbecillũ, vel alterius cuiuscũque qualitatis, dũmodo sit purũ, per hęc experimẽta tale dignoscitur, ergo aquæ in sua substãtia permanẽti supradicti effectus sunt accepti referendi.

Quartum experimentum. Multi sunt, qui degustando quodlibet vinum antea ipsis incognitum, statim agnoscunt, an aqua fuerit ei permista, sed hoc nõ possent agnoscere, si aqua in vinum conuersa esset, igitur. Negabunt minorem, vel dicent, agnoscere, si aqua in magna quantitate fuerit apposita, non autem, si in parua. Probatur igitur primò minor, quia alioqui non possent id cognoscere, nõ solùm ex aqua ipsa, quæ nõ existeret, sed neque ex eo quòd accidentia vini essent refracta, vel vinum redditum debilius, quia aliqua reperiuntur vina, quæ quãuis aquam appositam habeant, adhuc potentiora & sunt, & apparent, quàm alia, quibus nulla fuit aqua apposita, & idem dici potest de colore, & alijs accidentibus, ergo signum est, cognoscere ipsos aquã reuera inexistentẽ, non verò vinum ab aqua refractum, Quod secundo loco dicunt, cognoscere tantùm, si in magna fuerit quantitate, est contra experimenta. Præterea quando aqua est in tanta quantitate, vt non admodum superetur à virtute vini, facillimè quilibet admistionem aduertit, at isti, de quibus loquimur, profitentur, se agnoscere mistionem, quæ alios lateat, ergo etiam illam, in qua aqua valde exceditur à vino, & secundum aduersarios deberet in vinum conuerti.

Quintum experimentum. Apponitur aliquando aqua vino, ita tamen, vt cum illo non misceatur, sed contingat tantùm, quòd frusto panis prius immisso, & aqua paulatim super ipsum infusa, facillimè fieri videmus, tunc autem nulla pars aquæ in vinum conuertitur, ergo signum est, non habere vinum vim in se aquã conuertendi. Consequentia probatur, quia ad hoc, vt contraria inuicem agãt, non requiritur, vt inuicẽ sint permista, sed sufficit, vt se tangant, in supradicto autem casu vinum, & aqua se tangunt, & tamen nulla actio corruptiua inter ipsa intercedit, alioquin.n. paulatim vinum totam aquam deglutiret, ergo verè non habent contrarias qualitates, quibus mutuo se corrumpant.

Sextum experimentum. Vinum si aqua maris diluatur, faciliùs, & diutius conseruatur, quod se ab agricola patruo Columella didicisse fatetur lib. 12. cap. 21. & 22. de quo & Cato cap. 24. & 106. de re rustica, & Dioscorides cap. 20. l. b. 5. de eodem quoque Athenæus ita loquitur apud Eustatium in Homerum. *Vina diligentius mista aqua maris crapulam impediunt, & ventrem soluunt, mordicant ventriculum, nec inflationes efficiunt, & conferunt ad nutritionem.* Accedit oraculum, cuius meminet Plut. quæst. 10. naturali, olim piscatoribus redditum, quo videbãtur mari Bacchum immergere, indicabatur autem, infundendam esse vino aquam maris, vt alia omittam, quæ ex antiquis profert eruditissimus, ac plurimæ lectionis vir

Lælius Bisciola lib. 2. horarum subsecivatum cap. 5. Ex hoc autem experimento colligo, aquam non conuerti in vinum, quia falsum esset, qd supracitati authores tradunt, vinum faciliùs, & diutius conseruari; Nam omne agens agendo repatitur, ergo si vinum egit in aquam, in se illam conuertens, repassum est ab ea, factum est igitur debilius, ergo non poterit diutius cōseruari. Si dicas, post victoriam se in pristinum statum reducere, hoc est contra ipsorum mentem, & contra experientiam, neque inde sequeretur, ipsum diutius conseruari, sed ad summum non minùs, quàm antea. Dices, hominem per nutritionem diutius conseruari. Respond. in homine per nutritionem reparari deperditum per actionem caloris naturalis, quod de vino dici non potest. Præterea idem dici posset de vino aqua dulci diluto, quòd scilicet illam in se cōuertens, diutius conseruaretur. Occurres, remanere vinum affectum qualitatibus, quæ ipsum magis conseruant, at hoc etiā parum probabiliter dicitur, quia illę qualitates essent extra proprium subiectum, ergo nec ipsæ diu conseruari possent, neç ab ipsis vinum.

Dices rursus, non conuerti; quia in magna quantitate infunditur, ac contra, cùm aqua maris fit salsa, si in magna quantitate esset, totum vinū redderet salsum, debet igitur esse in minima quantitate.

Præterea si verum est, quod aduersatij pro fundamento suæ sententiæ supponunt, videlicet aquam, & vinū tamquam duo contraria inuicem agere, & corrumpi, quando miscentur, vel aqua vertetur in vinum, si hoc fit potentius, vel vinum in aquā, si huius vires excedant, vel si neutrum alterum superabit, ambo corrumpentur, & fiet mistum tertium, ita enim docet Aristoteles, fieri mistum lib. 1. de generat. cap. 10. At in casu nostro nullum horum dici potest, non enim factum est mistum tertium, quia vinum esset corruptū, quod est contra experientiam: non est aqua in vinum conuersa, quia vt supra probauimus, vinum nō diutius conseruaretur; nec aqua in se vinum conuertit, vt patet, ergo falsum est illud principiū, quòd aqua, & vinum mutuo se corrumpant, falsum inquam communiter, & per se. Nam si aqua absque vlla mistione etiam accidentali reperiatur, tunc quia prædita erit frigore, & humiditate in summo, non mirum, si corrūpat vinum, quod cum sit mistum, habet huiusmodi qualitates in gradu remisso; quod etiam aliquando efficit per accidens, quatenus ipsum penetrat, & ad recipiendas extrinsecas exhalationes, & ad vim propriā euaporandam disponit, quibus ex causis etiam sine aqua vinum quandoque corrumpitur.

Septimum experimentum, quod quotidie cernitur. Si vinum mistum aqua, super linteum, effundatur, videmus, aqua vtpote subtiliori vinum circunfundi, & quodāmodo ab eo secerni, ergo in vinū conuersa nō erat. Respondebunt fortasse aduersarij, aquā non esse, quę circunfluit, sed partes vini subtiliores, addentque, id etiam fieri in vino puro. Sed quod attinet ad priorem responsionis partem, sufficienter supra impugnata est. Quoad posteriorem dicendum, vel falsum esse, id in puro vino contingere, sæpe enim mistum est, quod vt purum datur, vel certè magnum cerni discrimen inter vinum mistū,

& purum, nam si purum sit, partes quidem subtiliores vini fortassis circunfunderentur, non ita tamen, vt vinum esse non cognoscantur; at verò si mistum sit aqua, longè clarius hæc circumfluens apparebit.

Octauum experimentum. Nulla omnino alia res in vinum proiecta à vino in suam substantiam conuertitur, non palea, non fructus, non farinæ puluis, non oleum, imo nec ipsa vua, etiamsi acinum decorticatum in cyathum vino plenum immitatur, aut aliquid aliud, ergo neque aqua. Consequentia non deberet indigere probatione, quo modo enim credibile est, aquæ tantummodo se præbere vinum hostem, & nullis omnino alijs rebus molestiam exhibere? Nam hoc proueniret vel ex similitudine, quam habet cum aqua, vel ex contrarietate, si ex similitudine, alia sunt illi magis similia, vt succus vuarum acerbarum; si ex dissimilitudine, vel contrarietate, alia sunt etiam ei magis contraria, vt oleum, vel acetum, enimuerò cum in acino sit in potentia proxima vinum, mirum est, quòd inde non possit ab alio vino elici, possit verò ex aqua, vbi est in potentia remotissima.

Nonum experimentum. Nullum aliud mistum inanimatum, siue fluidum sit, siue densum, vt metalla, fructus, oleum, potest aliquid in se conuertere, ergo neque hoc asserendum est de vino. Si enim dicas, vinum esse calidum virtualiter, piper est vel æquè, vel magis calidum; si dicas, posse contrarium vndique cingere, cum sit fluidum, etiam piper si in puluerem redigatur, potest vndique suum contrarium circundare, si dicas, vinum esse fluidum, dantur etiam multa alia fluida, & virtualiter calida, quæ hac vi prædita non sunt. Adde, condensationem virtutem agendi coadiuuare, quare densa magis, quàm fluida possent aliquid in se conuertere; Si dicas, retinere virtutem animæ vegetantis, multò magis est hoc verum de feminibus, in quibus vis generatiua residet, & tamen non videmus, habere hanc virtutem conuersiuam, nec ipsius vuæ grana.

Cum igitur sit præter omnem ordinem rerum à natura institutarum, vinum solum ex omnibus mistis aliquid in se vertere, & aquam solam ex oībus rebus verti à vino, profectò non debemus hoc asserere, nisi ratione efficaci, vel euidenti experimento ad id cogamur, quæ hic non adesse, ex dictis patet.

Prioris sententiæ fundamenta conuelluntur.

SECTIO V.

AD primum respōdeo negādam consequentiam, cum potius ex illo antecedenti contrarium colligatur. Nam quod potest aliud vincere, & in se vertere, vtique ab illo nō vincitur, neque in se conuertitur. Ad probationem concedo, aliquam alterationem posse aquam à vino pati, sed non, quæ sufficiat ad eius corruptionem, cum, vt supra notauimus, hæc primas qualitates intensiores habeat. Dices, vini virtutem adiuuari à quantitate quæ sæpè est multo maior, quàm

aquæ. Respondeo, quantitatem maiorem non posse esse rationem, vt qualitatem magis intẽsam producat, cum ergo qualitates vini ratione remissionis non possint destruere aquam, nil refert, quòd sit in magna quantitate. Secunda ratio negationis est, quia vinum cũ sit mistum, potest saltem per multas transmutationes resolui in elementa, ex quibus componitur, ac potissimum in aquam, at verò simplex conuerti in mistum, est omnino impossibile.

Ad secundum respondeo, quòd si concluderet, probaret etiam, vina diuersa quoties miscentur, corrumpi, quia non minùs quodlibet ipsorum per alterius mistionem in minimas particulas dissecatur, quã aqua; immo aqua verti etiam posset in aurum, & argentum, si liquefactis infundantur, quia eodem pacto cum eis commiscetur. Dicendum igitur primò quidem, in aqua non dari minimum quoad paruitatem, ita vt sub minori existere nequeat, nisi ab agente extrinseco corrumpatur; Secundò, huiusmodi minimas aquæ particulas vniri cum partibus vini in humiditate sibi similibus, & cum eis efficere vnum totum continuum, & simul à contrarijs se tueri, tantũ abest, vt per huiusmodi mistionẽ debeat dici, quòd aqua corrumpatur. Potest hoc confirmari exemplo æris liquefacti, quod si auro commisceatur, ita cum eo copulatur, vt nequeat ab eo discerni; & omnino videatur in ipsum conuersum, & tamen adhibita aqua illa admirabili, quæ separationis appellatur, facillimè ab eo segregatur.

Ad tertiò, quoad primam autoritatem respondeo, falsò citari ab eis Aristotelem, nõ enim ait, aquã conuerti in vinum, sed quòd si gutta vini misceretur decem millibus congijs aquę, solueretur, & conuerteretur in aquam, cuius rationem supra reddidimus, & dici etiã potest cum Lycheto, Aristotelẽ loqui de conuersione ad apparentiam, siue morali. Ad reliquas autoritates Aristotelis respondeo, exempla quæ adducuntur declarationis gratia, non debere in omnibus similia esse, alioqui.n.eamdem difficultatem, atq; obscuritatem haberẽt, ac proinde inepta essent ad id, quod volumus, declarandum. Cum igitur ad explicandam veram nutritionem exẽplum mistionis aquæ, & vini afferat Aristoteles, non ita est intelligendus, quasi velit, aquã in vinum verti, ac per hoc vinum augeri, cum neq, nutriri, neq; verè accretionem accipere vinum, constet; sed ex morali aquæ in vinum conuersione manu ducit nos ad veram nutrimenti accretionẽ intelligendam; quapropter, & Philip. in tex. 41. quia sciebat, aquam in vinum non conuerti, cum ab eodem post mistionem separari posse, testetur in tex. 54. aduertit, hanc similitudinem de aquæ admistione, non ad omnia quadrare, qua in re eum sequuntur Toletus, & doctores Connimb. nec cæteri expositores, qui eodem modo, atq; Aristoteles, loquuntur, alio pacto, quàm ipse Aristotelis, sunt intelligendi. Quę verò tex. 34. Aristoteles dicit, nostræ sententię fauere, supra Sec. 2. ostendimus, textu etiam 39. non absolutè inquit, vinum in se aquã conuertere, sed si possit, sciebat.n. re vera non posse. Esset denique occurrendum argumento, quod

addu-

adducunt Doctores Connimb. nisi difficultatem inuolueret, quam nõ attingere, potius quàm ieiunè, & non pro dignitate expedire (quod hic exequi importunum esset) satius ducetemus. Ne quis tamen manus illi det. Nota, quòd si vim aliquam haberet, probaret vtique, non solum aquam verti posse in vinum, sed etiam necessariò semper verti, atqui hoc non semper contingere, etiam aduersarij fatentur.

An detur Mistum æquale ad pondus.

QVÆSTIO LIII.

MVltiplicem sensum habere potest hęc quæstio, qui vt eruatur, notandum est, duplicem æqualitatem considerari à philosophis, altera dicitur ęqualitas ad iustitiam, altera ad pondus; Prior est, quæ eam proportionem seruat inter qualitates, quæ congruit ei misto, in quo sunt, & dicitur ad iustitiam, quia iustitię est, vnicuique tribuere, quod suum est, & sicuti quoad magnitudinē dici possunt digiti manus ęquales ad iustitiam, quamuis vnus sit alio simpliciter maior, ita quamuis in misto vna qualitas aliam excedat, si tamen debita proportio, & misto conueniens inter eas seruatur, dicentur habere æqualitatem ad iustitiam. In posteriori verò æqualitate non attenditur hæc proportio, sed gradus, quare etiā ab aliquibus æqualitas ad gradum appellatur, Si ergo aliquod mistū habeat quatuor gradus frigoris, & quatuor caloris, dicētur in eo hæ qualitates esse æquales ad pondus. Posset etiā alia æqualitas considerari non inter gradus, sed inter vires tum agēdi, tum resistendi, & tunc aderit hæc æqualitas, cum omnium qualitatum vires ita erunt temperatæ, vt nulla possit in aliam agere. Omissa igitur priori æqualitate ad iustitiam, quam omnes concedunt reperiri in mistis, de posteriori loquendum erit, quæ iterum potest attendi, & in qualitatibus motiuis, & in alteratiuis, & in omnibus simul.

Quid de æqualitate ad pondus in qualitatibus motiuis sit dicendum.

SECTIO I.

DAri non posse tale mistum, sentit Auerr. 1. cœli comm. 7. hoc argumēto motus, quia vbicunque poneretur, quiesceret, cum non sit maior ratio, cur hoc motu potius, quàm illo moueatur.

Præterea probari potest. In omni misto datur vnica forma substantialis, quæ debet habere vel grauitatem, vel leuitatem, nam si neutram haberet, esset sicuti cœlum, neque haberet principium sui motus, quod est impossibile, non potest autem esse grauis, vel leuis, nisi aliqua ex his qualitatibus motiuis dominetur, ergo non erunt omnes æquales.

Tertiò. Omnia mista sunt grauia, quia omnia descendūt in aere, ergo nullum potest dari æquale.

Contraria tamen sententia est communis, dari posse huiusmodi mistum. Probant aliqui, quia dato misto, in quo prædominetur grauitas, applicari ei poterit agens, quod leuitatē inducat, quoadusq; fiat

fiat æquè graue, ac leue. Hæc tamen ratio me non mouet, leuitas .n. non est qualitas, sicut calor, aut frigus, quæ introducatur per alterationem, quia non est actiua, sed per generationem communicatur simul cum forma substātiali, consequenter non potest mistū, quod est graue, reddi leue, nisi per corruptionem, vel per separationem aliquarum partium substantialiū.

Secundò. Probatur, quia potest dari mistum, in quo prædominetur aer, & consequenter leuitas, ergo etiam, in quo leuitas, & grauitas sint æquales. Fateor tamen, nō esse adeo clarum, dari mistum, in quo prædominetur aer, non enim omnia, quæ aquæ innatant, habent aerē prædominantē, nam eadē in aere descendunt, quænā igitur est maior ratio, cur dicatur in eo prædominari potius aer, quā aqua? Immo videtur hęc magis prędominari, quia velociùs, & faciliùs per aerē descendunt, quā per aquam ascendunt, quamuis dici posset, hoc ex medij densitate prouenire, aqua enim, quæ est densior, difficiliùs discinditur. Lignū ascendit super aquam non tam ratione propriç leuitatis, quàm extrinsecæ, quia scilicet in poris multum continet aeris, quæ ipsum sursum eleuat.

Dices, fumum habere aerem prædominantem, vel etiam ignē, nam sursum tantùm ascendit, ergo datur mistum leuius, quā grauius. Respondeo, meritò dubitari posse, an fumus sit mistum perfectū. Sed esse perfectum, probatur, quia componi ex igne, & aere, nulli videtur esse posse dubium, nam & eleuatur ab igne, & est calidus, ergo non caret igne. Item cum aere maximam habet similitudinem, & illi videtur magis similis. Aquam continere probatur, quia magis eleuatur ab humidis, quàm à siccis lignis, & nutrit ignem, flamma .n. est fumus succensus, vbi autem nihil est humoris, non potest adesse ignis: Denique continere terram, probatur ex fuligine terrea, quam relinquit.

Probabile est quoque, plumas, & alia huiusmodi, quæ vix in aere descendunt, plus habere leuitatis, quàm grauitatis. Si autem datur aliquid, quod sit magis leue, & aliquid magis graue, clarum est, posse dari etiam æquale.

Hieronymus Dandinus lib. 1. de an. corp. temp. cap. 3. nullum dari huiusmodi mistum, probat, quia deorsum omnia mista mouentur, & in grauibus elementis iuuant aqua, & terra, vt est in tex. 49. Secundi de generatione, ergo in ipsis abundat grauitas.

Confirmari potest ex alia eiusdē doctrina, quòd in quolibet misto maior terrę, & eorum, quæ minus agunt, debeat esse moles, alioqui ea, quę ad agendum sunt robustiora, imbecilliora cętera omnia corrumperent, atque in suam naturā commutarent, nullumque fieret mistum, sed simplicis vnius corporis ortus, & alterius interitus.

Ad primū pro sententia Auctr. responsio communis est, hoc mistum motum iri in igne, quia tria reliqua elementa deorsum traherent, & in aere, quia duo, vnū aūt tantùm sursum, nam aer in propria sphæra non leuitat. Verùm difficultatem habet hæc responsio in sententia eorum, qui volunt, virtutes motiuas singulorum elementorum specie differre si enim

specie

specie differunt, ergo idem numero motus non poterit ab eis prouenire, neque ab aqua, & terra trahi deorsum, quando erit in in igne, vel aere. Confirmatur, quia si grauitas terræ, & aquæ sūt diuersæ speciei, ergo saltem differrent penes velocitatē motus, quia u. g. grauitas aquæ erit causa velocitatis vt 3. terræ verò vt 6. ergo aqua resisteret excessui velocitatis suæ, non ergo terræ grauitas adiuuabitur à grauitate aquæ.

Dicendum igitur, ex eo quòd grauitas terræ & aquæ sunt eiusdē speciei, & similiter leuitas aeris, & ignis, effici, vt mistum huiusmodi non sit simpliciter neque graue, neque leue, ac proinde in confinio aeris, & aquæ degat.

Ad secundum respondeo, aliquid non esse neque graue, neque leue, posse intelligi dupliciter, vel omnino negatiuè, idest vt nullum grauitatem, vel leuitatem habeat, vel ratione excessus, ita vt non excedat in eo grauitas, vel leuitas. Cœlum non est graue, neque leue priori modo, at hoc mistum, de quo nos loquimur, non est graue, neque leue posteriori modo, & idcirco nullum est absurdum.

Ad tertium negamus, omnia mista descendere, & esse grauia, vel omnia esse tantùm in terra, & in aqua, licet hoc sit verum de viuentibus, de quibus tantùm loquitur fortasse Dandinus. Aristoteles autem text. 49. 2. de gener. non inquit, omnia mista esse in aqua, & in terra, sed mista ea, quæ circa hæc versantur, continere omnia elementa, vt excluderet meteorologica, quę ex omnibus elementis non constant.

Ad confirmationem negandū est, in omnibus elementis maiorē esse terrę molem, in liquidis enim videtur esse maior aquæ, & in quibus etiam prædominatur aer, maior erit aeris moles. Ad eius probationem respondeo, non semper elementa concurrere ad mistionē viribus integris, sed sæpe refractis, vt non sit mirum, si elementum aliud quamuis natura debilius, non possint corrumpere. Adde actiuitatem vnius compensari resistentia alterius.

Quid de eadem æqualitate in qualitatibus alteratiuis.

SECTIO II.

IN his quoque negat Auerr. reperiri posse mistum æquale ad pondus, & cum eo sentiunt Auicenna, & alij Arabes. Probant primò. In mistione non potest esse æqualitas ad pondus, ergo nec in misto. Probatur antecedens, quia si qualitates essent pares, nulla posset agere in aliam, nulla ergo fieret mistio.

Secundò. In singulis mistis vnica est forma, ergo etiam debet esse vna qualitas dominās, quæ sit veluti forma respectu cęterarum, si enim multæ essent æquales, non posset mistum vnitatem per se habere.

Tertiò. Mista perfecta consistentiam habere debent, ergo abundare terra, & aqua, consequenter & earum qualitatibus.

Secunda sententia est, dari posse huiusmodi mistum ad pondus, quam sequitur Galenus, & recentiores ferè omnes. Probatur. Vbi datur maius, & minus, debet etiā dari æquale, at datur mistum, in

quo

quo superminet calor, datur etiã, in quo dominatur frigus, ergo debet dari æquale.

Secundò. Vbi est vnum contrariorum, debet dari, & reliquum, primo cœli tex. 44. at datur mistũ inæquale in pondere, ergo dabitur etiam oppositum, quod est mistum æquale.

Tertiò. Cutis humana, vt possit tangere omnes qualitates, nullam debet in excessu habere, erunt igitur in ea æquales ad pondus.

Tertia sententia est distinguentium de temperatione innata, & aduentitia, siue influxa, & illã dicunt esse non posse æqualẽ ad pondus, hanc autem posse. Probatur prius dictum, quoniã mista consistentiam habere debent, ergo debet in eis abundare terra & aqua. Probatur posterius dictum, quia non potest fieri transitus ab extremo ad extremum sine medio, sed aliquod subiectum ex calido fit frigidum, & ex humido siccum, ergo etiam aliquando est mediũ inter omnes has qualitates.

Hæc sententia mihi videtur vera, quamuis quoad priorem partẽ non videatur satis probata, quia non est reddita sufficiens ratio, cur non possint æquè cætera elementa, ac terra, & aqua abundare, & cur quamuis non æquè abundent quoad substantiam, non possint æquè abundare quoad qualitates, præcipuè cum dari possit mistum ęquale in qualitatibus motiuis.

Moueor igitur ego primũ, quia in omnibus mistis video prædominari frigus, nam hominis membra, quæ maximè videntur calida, vt cor, & hepar, si animæ sint expertia, statim frigescunt. Si respiciamus quoque mista impetfecta, vt niuem, grandinem, &c. omnia longè frigidiora reperiemus. Idem apparet in liquoribus, in quibus omnibus frigus actuale dominatur, ergo signum est, non posse dari mistum, in quo prædominetur calor, siue etiam, in quo cæteris ęquetur. Ratio autem est, quoniã ex elementis tria sunt frigida in summo, aer, terra, & aqua, & hæc sunt, quæ secundũ propriam substantiam concurrunt ad mistionẽ, ignis n. concurrit tantùm extrinsecè calefaciendo, vel potius cœlum eius vicem subit, ergo nõ mirum, si numquam calor prævaleat; & hinc apparet ratio, cur magis repugnet, dari mistum ęquale in virtutibus alteratiuis, quàm in motiuis, quia scilicet hę æqualiter inter elementa sunt distributæ, nam duo sunt leuia, duo autem grauia; at verò secus est de alterascibilibus, vt diximus.

Hinc etiam patet, multò minùs dari posse æqualitatem ad pondus in omnibus qualitatibus simul, tũ alteratiuis, tum motiuis; multòque minùs in toto eterogeneo, quoad omnes suas partes.

Argumẽta primæ sententiæ nõ indigent solutione, quia nostrum primum dictum tantùm probant.

Ad primum secundæ negatur, dari magis, & minus, quia non datur mistum, in quo dominetur calor.

Ad secundũ respõdeo, esse verã illam maiorem de contrarijs positiuis, non autem priuatiuis, cuiusmodi sunt æquale, & inæquale.

Ad tertium negamus, cutem humanam habere temperationem æqualem natiuam; nam in cadauere apparet esse frigidam. Influentem verò, vel compositam ex a-


tiua, & influente esse æqualem, vel ei proximam, nihil prohibet.

Hinc etiam fit, non esse nouem temperamentorum genera, vt cõmuniter asseritur; nam primò non datur temperatum æquale ad pondus, secundò neque datur id, in quo calor supereminet tertiò neq; illud, in quo calor, & siccitas, quartò neque in quo calor, & humiditas. quintò neq; illud, in quo siccitas, neque tantùm humiditas. Tria igitur tãtùm erunt genera temperamentorum. Primum, in quo dominatur frigus, humiditas autem, & siccitas sunt æquales. Secundũ, in quo dominatur frigus, & humiditas. Tertium, in quo siccitas, & frigus semper enim videtur prædominari frigus ex his, quæ diximus. Possunt autem hæc tria in membra alia diuidi penes gradus plures, vel pauciores, quibus hęc, vel illa dominatur. Vel dicere possumus, esse quinque. Primum, in quo dominatur frigus, secundum, in quo humiditas. Tertium, in quo siccitas. Quartum, in quo frigus, & humiditas. Quintum, in quo siccitas, & frigus, quamuis enim respectu caloris semper dominetur frigus, nihilominus respectu cæterarum qualitatum non semper dominatur. Non sunt tamen reprehẽdendi Medici, qui nouem posuerunt, quoniam non tantùm innatam, sed etiam influxam considerauerunt, ratione cuius non negamus dari temperamenta, in quibus prædominetur calor, vt patet in multis hominibus, qui calidæ cõplexionis dicuntur, cum tamẽ constet, innatam complexionẽ membrorum frigidam esse, cum in omnibus prædominetur terra.

FINIS PRIMI LIBRI.



ARI-



ARISTOTELIS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE

LIBER SECVNDVS.

SVMMAE LIBRI.

In Prima elementorum principia, & eorum numerum inquirit.
In Secunda de elementorum Generatione pertractat.
In Tertia de Mistorum generatione sermonem facit.
In Quarta Generationis, & Corruptionis causas inuestigat.

Summæ primæ caput primum. De huius libri intentione, de principio materiali generationis elementorum opiniones & Antiquorum & propria.

DE mistione igitur, & tactu, & de ipso facere, & pati dictũ est quomodo existũt in rebus, quæ transmutantur secundum naturam. Amplius autem de generatione, & corruptione simplici, quomodo est, & cuius, & propter quam al quod *causam. Similiter autem & de al-* alterati. *teratione dictum est quid alterari, & quam habet differentiã eorum vnumquodque. Reliquum autem est considerare circa vocata Elementa corporum. generatio enim & corruptio omnibus natura consistentibus substantijs, nõ sine sensibilibus corporibus.*

Horum autem subiectam materiam hi quidem inquiunt esse vnã, vt aërem ponentes, aut ignem, aut aliquid medium horum, & corpus Tex. 1.

stens, & separabile. Hi autem plures secundum numerum vno: hi enim ignem, & terram: hi autem & hac, & aërem, tertium: hi autem & hac, & aquam, quartum, ut Empedocles, ex quibus congregatis, & segregatis, aut alteratis contingere generationem, & corruptionem rebus. Empedocles.

Tex. 3. *Quod igitur prima principia, & elementa bene se habet dicere, sit confessum, ex quibus transmutatis aut secundum congregationem, & segregationem, aut secundum aliam transmutationem contingit generationem esse, & corruptionem. Sed facientes quidē vnā materiam præter dicta, hanc autē separabilem, & corpoream, peccant. Impossibile enim est sine contrarietate esse corpus hoc sensibile existens. aut enim leue, aut graue, aut calidum, aut frigidum necesse est esse infinitum hoc, quod quidē dicunt esse principium.*

Tex. 4. *Vt autem in Timæo scriptum est, nullam habet determinationē. Non enim dixit manifeste illud, omne recipiens, si separatur ab elementis: nec vtitur vllo, dicens esse. subiectum aliquod vocatis elementis prius, vt aurum, operibus aureis: sed & hoc non bene dicitur, hoc modo dictum. sed quorum quidem alteratio est, ita, quorum autem generatio, & corruptio, impossibile illud appellāt, ex quo generatum est: quamuis, inquit, longe verissimum esset aurum dicere vnumquodque esse.* πανδεχές.

Sed elementis existentibus solidis, vsq; ad planities facit dissolutionem: impossibile autem materiam primam planities esse.

Nos autem dicimus aliquam materiam corporum sensibilium, sed hanc non separabilem, sed semper cum contrarietate, ex qua generantur vocata elementa. determinatum est autem de his exactius in aliis. Sed tamen quoniā & hoc modo sunt ex materia corpora prima determinandum est & de his, principium quidem, & primum existimantes esse materiam, inseparabilem quidem, subiectam autem contrariis. neque enim calidum materia est frigido, neque hoc calido, sed subiectum amborum. Quapropter primum quidem potentia corpus sensibile principiū est: secundum autem contrarietates: dico cūt vt caliditas, & frigiditas: tertiū autem iam ignis, & aqua, & talia. hæc enim trasmutantur in seinuicem, & non, vt Empedocles & alij dicunt, neque enim esset alteratio. contrarietates autem non trasmutantur: sed non minus &, vt corporis, qualia, & quot dicendum principia. alij enim supponentes vtuntur, & non dicunt quare aut talia, aut tot. a l. supponentes.

PROPOSITIONES ex capite primo.

1 *Generatio, & corruptio substantiis omnibus naturalibus non sine sensibilibus corporibus competunt.* tex. 1.

2 *Prima principia meritò elementa dici, pro certò habendum est.* tex. 3.

3 Qui

3 *Qui materiam primam corpoream, atque separabilem ponunt, errant.*

4 *Corpus sensibile sine contrarietate existere nequit.*

tex. 4. 5 *Subiectum alterationis prædicari potest de eiusdem termino, non autem subiectum generationis.*

tex. 6. 6 *Datur materia ex qua elementa fiunt, quæ semper est cũ cõtrarietate, & separari non potest.*

7 *Inter principia primo loco numeranda est materia, secundo contrarietates ipsæ, ceu calor, & frigus, tertio elementa, veluti ignis, & aër.*

8 *Elementa inuicem transmutantur, non autẽ contrarietates.*

NOTATIONES.

IN primã propositionẽ. Per corpora, sensibilia intelliguntur elementa, quæ anthonomasticẽ appellantur sensibilia, sine ipsis autẽ non fit generatio, aut corruptio, quoniam omnis generatio vel est inter elementa, vel inter constantia ex elementis.

In 2. propositionẽ. Per prima non intelligit absolutè prima, nã, vt infra dicit, materia est prior, sed prima inter cetera corpora.

In 3. propositionẽ. Errat igitur Zabarella, qui vult, materiã esse corpus, & illi quoq; qui existimarunt, aliquod elementum esse principiũ primum, quæ sententia in 1. phys. impugnari solet.

In 4. propositionẽ. Difficultatem patitur hæc propositio quoad corpora cœlestia, quæ & sensibilia sunt, quia videntur, & tamen contrarijs qualitatibus carere dicuntur, alioqui essent corruptibilia. Respondeo, vel per sensibile Aristotelem intellexisse tantùm obiectum sensus tactus, nam hoc propriè dicitur sentiri, quod videtur autem, non solet dici, percipi sensu, vel per contraria intelliguntur non ea tantùm, quæ mutuo se interimunt, sed ea omnia, quæ opponuntur quocumque modo, cuiusmodi sunt etiam in cœlo, nam adsunt raritas, & densitas. Sed prior responsio est melior, nam in textu 7. definit, sensibile illud esse, quod tactu sensum facit.

In 5. propositionẽ. Ponit Arist. hãc propositionẽ contra Plat. qui dicebat, materiam prædicari de compositis, vt aurum de statua aurea, & ait, hoc esse proprium subiecti alterationis, dicere enim possumus, hoc album est Socrates, non verò, Socrates est materia, ratio huius dicti est, quia subiectum alterationis est compositum, subiectum verò generationis est pars compositi, quod autem est compositum, & quoddam totum, prædicari potest in recto, quod verò est pars, nequaquam. Dubitari verò potest, an aurum prædicari possit de statua: quidam enim negant, asserentes, dici debere statuam auream, non verò aurum. Mihi verò videtur, & Aristoteli, & veritati conformior contraria sententia: Aristoteli, quia apertè asserit, subiectum alterationis prædicari de eo, quod per alterationem fit, at statua fit per alterationem, vel saltem per aliam mutationem accidẽtalem, quæ alterationi potius, quã generationi est propior, veritati, quoniam dicimus, statuam esse aurum effigiatum, aut conformatum in similitudinem alterius.

In 6. propositionẽ. Loquitur de materia prima, & hanc, inquit, num-

numquam separari à contrarietate, quia semper est coniuncta cum qualitatibus primis. Dices, ergo materia Cœlorum non erit eiusdem rationis cum elementari, quia separatur à contrarietate. Resp. vel contrarietates esse intelligendas eo modo, quo superiùs diximus, vel loqui Aristotelem, non de materia in specie, sed in indiuiduo; nam hæc numero materia, quæ semel contrarietatem recepit, ea numquam spoliari potest.

In 7. propositione. Difficultas est in hac propositione quid per contrarietates intelligat, nam si qualitates, ergo hæ erunt principia substantiarum, quod est falsum, & sibi ipsi repugnabit Aristoteles, cũ 1. phys. huius principij non meminerit. Si dicamus, per has contrarietates intelligere formas substantiales elemẽtorum, sequetur, ipsas formas elementorum esse accidentia. Multi nomine contrarietatum intelligunt formas substantiales; Sed hoc videtur durum; quia statim Aristoteles se ipsum explicat, inquiens, ceu calor, & frigus, neque formę substãtiales dici possunt contrariæ.

Crederem igitur, per contrarietates ipsum intelligere formam, & priuationem, hoc est enim consonum dictis ab ipso in 1. physicorũ, vbi ait, principia debere esse contraria: quòd verò afferat exemplũ de frigore, & calore, nihil officit, quia attulit ad explicandam contrarietatem, non verò naturam formæ. Vel ipsas primas qualitates intelligit, vt tex. 7. se explicare videtur, quomodo autem hæ principia dici possint, capite sequenti, propositione secunda explicabimus.

In 8. propositione. De elementorum transmutatione agimus in quæstionibus, quòd verò contrarietates non transmutentur, patet, quia non dicitur calor fieri frigus, aut priuatio forma.

CAP. II.

Quod qualitates tãgibiles sint Elementorum principia, primæque eorum differentiæ.

Quoniã igitur quærimus sensibilis corporis principia, hoc autem est tangibilis: tangibile autem, cuius est sensus tactus, manifestum quòd non omnes contrarietates corporis formas, & principia faciunt, sed solum quæ secundum tactum: secundum contrarietatem enim differunt, & secundum tangibilem contrarietatẽ. Ideo neque albedo, neque nigredo, neque dulcedo, & amaritudo, similiter autem neque aliarum sensibilium contrarietatũ aliqua facit elementum. quamuis prior visus est tactu, quapropter & subiectũ prius: sed non est corporis tangibilis passio, secundum quod tangibile, sed secundum alterum, etsi fuit natura prius. Tex. 7. Hic subiectum sumitur pro obiecto. Idẽ 2. de Anima cõ. 136. et 174. & 315 in sol. primæ quæstionis.

Ipsorum autem tangibilium diuidendum quales primę differentiæ, & cõtrarietates. Sunt autem contrarietates secundum tactum hæ, Calidum, Frigidum, Siccum Humidum, Graue, Leue, Durum Molle, Lubricum Aridum, Asperum Leue, Crassum tenue. Horum autem, Graue quidem, & Leue, Tex. 8. Contrarietates secundũ tactum.

neque

neque actiua, neque passiua, non enim faciendo aliquid alterũ, neque patiendo ab alio, dicuntur. Oportet autem actiua, & passiua adinuicem esse elementa: misceantur enim & transmutantur in seinuicem. Calidum autem & frigidum, & siccum, & humidum, illa quidem, quia actiua sunt: hæc autem, quia passiua, dicuntur. Calidum enim, est quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis. segregare enim, quod inquiunt facere ignem. congregare est ea, quæ eiusdem generis sunt contingit enim excipere aliena. Frigidum autem quod coniungit, & congregat similiter & ea, quæ eiusdem generis, & quæ non eiusdem generis.

Tex. 9. *Humidum autem, quod interminabile proprio termino, facile terminabile existens. Siccum autem, facile terminabile proprio termino, difficulter autem terminabile.*

Humidũ interminabile proprio termino, sed terminabile alieno è contra vero siccũ. vide idẽ 4. Meteo. primo, & 28.

Tenue autem, & Crassum, & Lubricum, & Aridum, & Durũ, & Molle, & aliæ differentiæ, ex his. Quoniam enim repletiuum est ipsius humidi, quia non est terminatum quidem, facile autem terminabile existens, & quia sequitur tangens, tenue autem repletiuum, subtilium enim partium, & quod paruarum partium repletiuum, totum enim totum tangit, tenue autem maxime tale est: manifestum est quòd tenue quidẽ erit humidi, crassum autem sicci.

Tex. 10 a. l. paruarum.

Tex. 11 *Rursum autem lubricum quidem humidi. Lubricum enim humidum aliquid passum est, velut oleum.*

Aridum autem sicci. Aridum enim est, quod perfecte siccũ, adeo vt & congelatum sit propter defectionem propriæ humiditatis. Tex. 12

Amplius molle quidem humidi, durum autem sicci. Molle enim, quod cedit in seipsum, & non obsistit: quod quidem facit humidum. & ideo non est: humidum molle, sed molle humidi, durum autem sicci. Durum enim est, quod congelatum est: congelatum autem siccum est. Tex. 13

Dicuntur autem Siccum, & humidum multifariam. opponitur enim sicco & Humidum, & vdũ, & rursus humido, & siccum, & congelatum: omnia autem hæc sunt sicci, & humidi primorũ dictorum. Quoniam enim vdo opponitur siccum, & Vdum quidẽ est, quod habet alienam humiditatem superficie tenus: Irrigatum autẽ, quod in profundo, siccum autem priuatur hac, palam est quod vdũ quidem erit humidi, oppositum autem siccum primi sicci. Tex. 14 τὸ διε-ρόν.

Rursus autẽ humidum, & cõgelatum similiter. Humidũ enim est, quod habet propriam humiditatem in profundo, Congelatum autem priuatur hac. quapropter & horum erit hoc quidem sicci, illud autem humidi. Manifestũ est igitur, quòd omnes aliæ differentiæ reducuntur ad primas quatuor. hæ autem non amplius in minores. neque enim calidũ quod humidum, vel quod siccum, neque humidum, quod calidũ, aut quod Tex. 15

longè plura videmus, quàm tangamus.

Dices, at primæ qualitates vidẽtur esse nobiliores qualitatibus visiuis, quia sunt magis actiuę, & independentes. Respond. simpliciter esse nobiliores qualitates visiuas. Primùm quoniam inter eas est lux qualitatũ nobilissima, quę est etiam actiua, & producit calorem primarum qualitatum præstantissimam. Præterea nobiliores etiam sunt ipsi colores, quia sequuntur formam nobiliorem, scilicet misti, & ex eo etiam, quòd pendent à primis qualitatibus, eorum nobilitas arguitur, quia posteriora generatione sunt nobiliora, & reliqui sensus, qui à tactu pendent, ipso præstantiores.

Dices secundò. Aer est tangibilis, & non visibilis, ergò obiectum tactus est vniuersalius. Respond. etiamsi hoc admittamus, nullum esse inconueniens, quia se habebunt vt se mutuò excedẽtia in vniuersalitate. Prætereà, antecedens non simpliciter admittendum; Nam aer tactum etiam ipsum refugit. Si verò dicas, tangi, dum aliqua qualitate excedenti est præditus; & vento cietur; ita ego dicam, videri, dum crasso vapore densatur, & per reflexionem radiorum solis coloratur. Addunt alij, neq; cętera elementa esse visibilia, quibus tamen ego non assentior, experientia enim contrarium docet. Dices, at color est passio corporis misti, ergo non cõuenit elementis. Respond. hoc non obstante, videri posse elementa. Primò, quia recipiunt aliunde colores saltem apparentes, vt apparet in aqua, & aere. Secundò quia opacitas ipsa additis præsertim sensibilibus communibus, vt figura, motu, &c. est visibilis, & hæc est maxima in terra, minor verò in aqua, sed tamen sufficiens ad terminandam aliquo pacto visionem. Ignis verò cum numquam sit nisi in corpore misto, patet, semper videri. De aere supradiximus. Quare quod dicitur, colorem esse passionem corporis misti, intelligerem de colore perfecto, & connaturali.

Decimò. Vt multiplex acceptio harũ vocum percipiatur, Notandum est priùs, sæpe euenire, vt idẽ sit nomen generis, & alicuius etiã speciei. Ita negatio est genus quoddam, quod diuiditur in negationem in subiecto apto, & negationem in subiecto nõ apto, sed prior illa species priuatio appellatur, hæc posterior retinet nomen generis, & negatio dicitur. Ita se habet in humido, & sicco, nam genericè sumpta continent sub se humida, & sicca cuiuscunque naturę, at verò humidum specificè sumptum differt ab vdo, & madido, & siccum à concreto.

Humidũ ergo genericè sumptũ est illud, quod humore est præditum.

Humidum specificè sumptum, quod totum & in internis, & in externis, in summis, & in imis partibus humore proprio est præditũ, vt aqua.

Madidum est, quod alienum humorem habet in partibus internis, vt ebrij, qui dicuntur madere vino. Vdum verò, quod alienum humorem habet in summis partibus, vt terra irrigata.

Siccum verò in genere est, quod siccitate est præditum.

Siccum specificè, quod totum, & vbique humiditate caret.

Concretum, quod caret interno humore proprio, etiamsi vdum sit.

Aridum verò dici potest, quod neque est madidum, vel vdum, quamuis hæc nomina sępe confundantur.

Cæterę propositiones in quæstionibus exponentur.

CAP. III.

Quot sint qualitatum primarum cõiugationes: Quotúsque Elementorum numerus, Quaternarius scilicet.

Tex. 16 *Quoniam autem quatuor elementa sunt, ipsorum autem quatuor sex coniugationes: cõtraria autem non nata sunt coniungi: (calidum enim & frigidum esse idem, & rursus humidum, & siccum impossibile est) manifestum est, quòd quatuor erunt elementorum coniugationes, calidi & sicci, & calidi & humidi, & rursus frigidi & sicci, & humidi & frigidi. Et secuta sunt secundum rationem simplicia apparentia corpora, & ignem, & aërem, & aquam, & terram. (Ignis enim calidus, & siccus est: Aër autem calidus, & humidus: velut euaporatio enim aër: Aqua autem frigida, & humida: Terra autem frigida, & sicca) vt rationabiliter distribuantur differentiæ primis corporibus, & multitudo eorum sit secundum rationem.*

Tex. 17 *Omnes enim qui simplicia corpora elementa faciunt, hi quidem vnum, hi autem duo, hi autẽ tria, hi autem quatuor faciunt. Quicũque igitur vnum solum dicunt esse, deinde densitate, & raritate alia generant: his contingit duo facere principia, & rarum, & densum, aut calidum, & frigidum. hæc enim, quæ operantur: vnum supponitur, quemadmodum materia.*

Qui autem mox duo faciunt, vt Parmenides, ignem, & terram, intermedia misturas faciunt horum, vt aërem, & aquam. Tex. 18 Vide 1. Physic. 41. Tex. 19

Similiter autem & qui tria dicunt, quemadmodum Plato in diuisionibus, medium enim misturã facit. Et ferè eadem dicunt, & qui duo, & qui tria dicunt, præterquã quòd hi quidem in duo diuidunt medium, hi autem vnum solum faciunt. Quidam autem & mox, quatuor dicunt, vt Empedocles, congregat autem & hæc in duo: igni enim omnia alia opponit. Plato. Empedocles.

Non est autem ignis, & aer, & vnumquodque prædictorum simplex, sed mistum. Simplicia autẽ talia quidem sunt, non tamen eadem, vt quod simile igni est, igneũ, non ignis, & quod aeri, aereum. similiter autem & in alijs. Tex. 20

Ignis autem est superabundantia caliditatis, quemadmodum & Glacies frigiditatis. Congelatio enim, & Exarsio superabundantiæ quadam sunt, illa quidam frigiditatis, hæc autem caliditatis. Si igitur glacies est congelatio humidi, & frigidi, & ignis erit exarsio calidi, & sicci, ideo nihil ex glacie generatur, neque ex igne. Tex. 21

Exi-

Tex.22 *Existentibus autẽ quatuor sim plicibus corporibus, vtrumque duorum vtriusque locorum est. ignis enim, & aer eius, qui ad terminum fertur: terra autem, & aqua eius, qui ad medium. Et extrema quidem, & sincera ignis & terra: media autem, & mista magis aqua, et aer. Et vtraque vtrisque contraria. igni enim contraria aqua, aeri autem terra. hæc enim ex contrarijs passionibus cõstituta sunt.*

Ignis, et terra sunt sinceræ: aqua, & aer magis mista vide pro hoc 4. Cæ. com. 6

Tex.23 *Sed tamen simpliciter quatuor existentia, vnius vnumquodque est. Terra enim sicci magis, quàm frigidi: Aqua autem frigidi magis quàm humidi: Aer autem humidi magis, quàm calidi: Ignis autem calidi magis quàm sicci.*

PROPOSITIONES ex capite tertiò.

tex.16. 1 *Ex quatuor primis qualitatibus, quatuor coniugationes oriuntur, quibus elementa quatuor respondent.*

tex.20. 2 *Nec ignis, nec aer, neque dictorũ elemẽtorum quicquam simplex est, sed mistum, simplicia autẽ talia quidem sunt, non tamen eadem.*

tex.21. 3 *Ignis est excessus caloris, quemadmodum glacies frigoris, quod in causa est, quòd neque ex glacie, nec ex igne quicquam fiat.*

tex.22. 4 *Ex quatuor simplicibus corporibus duo obtinent locum sursum, duo verò locum deorsum.*

5 *Extrema, maximèq; sincera sunt ignis, & terra, media autem, & mista magis aer, & aqua, & vtrisque contraria.*

6 *Vnumquodque ex quatuor elementis vnã qualitatẽ sibi magis propriam vendicat, terra siccitatem, aqua frigus, aer humiditatem, ignis calorem.* tex.23.

NOTATIONES.

PRima, quòd ait Aristoteles, ex quatuor qualitatibus quatuor tantùm oriri coniugationes, verissimum est. Nam duæ reliquæ impossibiles sunt, quia ex contrarijs, non enim possunt esse simul frigus, & calor, humiditas, & siccitas. Consequentiam verò, quòd tantùm sint quatuor elementa, ostendimus in quæstionibus esse tantùm probabilem, sicuti etiam falsum esse, quod de aeris qualitatibus communiter dicitur, & verã esse Empedoclis sententiam, qui præter ignem cætera elementa frigida esse asserebat.

Secunda, magnam continet difficultatem hic tex, quòd enim ait Aristoteles, elementa non esse simplicia, sed mista, quidam referunt ad ipsorum compositionem ex materia, & forma, quasi nolit, esse prima principia: alij ad mistionem accidentalem, quòd scilicet qualitatibus extraneis pdita sint: alij ad mistionem etiam substãtialem, ita vt velit, elemẽta, quæ sunt apud nos, non esse pura elementa, sed mista corpora. Potest etiam adhiberi quarta expositio, vt per mista intelligat non habentia vnã simplicem qualitatem, sed duas. Simplicior tamen sensus, & germanior, me iudice, est, vt nolit, esse vera, & simplicia elementa, quæ à nobis ignis, aer, terra, & aqua appellantur, vt in secunda, vel

tertia explicatione dicebatur, simplicia tamen elementa esse his val de similia.

Tertia difficultas hic quoque adest, quid per ignem intelligat, an illum, quem dixit esse mistum, & non simplex corpus, an verò ipsum purum elementum. Si dicas, intelligere corpus mistum, ergo volet corpus mistum excedere in calore ipsum elementum, at quomodo hoc dici potest? vnde enim mistum calorem habet, nisi ab igne? Si dicas, intellexisse corpus simplex, ergo etiam glacies erit aqua simplex, quod est absurdum.

Dicendum existimo, per ignem intellexisse illum ignem, quem supra dixerat, esse corpus mistum, neque tamen nolle hunc ignem esse magis calidum, quam elementum ipsum ignis, sed solum ratione materiæ habere calorem magis sensibilem, & exardescentem, & idem dicendum de frigore glaciei.

Quarta, quomodò sit intelligēda hæc propositio, explicauimus in quæstionibus, & ostendimus, ignem non habere locum sursum.

Quinta, Rationi congruum est, vt elementa, quæ media sunt magis etiam extrema participent, & idcirco sint minùs simplicia, quod verificatur etiam in partibus ipsorum elementorum mediorum, nam aer, qui prope terram est, impurior habetur quàm qui ab ea longiùs distat.

Sexta, explicauimus hanc propositionem quæst. 11. Sec. 3.

In Librum Secundum de Generatione.

DISPVTATIO I.

De Elementis.

DVplici ratione ad Philosophū spectat agere de elementis. Altera, quatenus sunt partes vniuersi integrantes, Altera, quatenus sunt principia mistorum. quāuis enim quodlibet ens dici possit pars vniuersi, peculiari tamen ratione hoc de elementis dicitur, q a simul cum cœlo constituunt veluti substantialiter vniuersum, reliqua verò entia videntur esse veluti accidentia, & ad ornatum ipsius. Quare, & in capite primo geneseos in principio legimus creatum cælum, & elementa, in diebus verò sequentibus diuersa illis ornamenta addita, & sicuti substantia eadem permanente, accidentia modò accedunt, modò recedunt, ita præter elementa, & cœlum, cętera omnia sunt corruptibilia iuxta illud sapientis *Generatio praterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* incorruptibilia, inquam, sunt elementa, non secundum omnes suas partes, quēadmodum creditur cęlum, sed secundum se tota; nunquam enim corrumpitur tota terra, vel totus aer, vel tota aqua, ob illud ergo prius munus, dedit natura elementis qualitates motiuas, quibus in sua loca ferri possint, & vniuersi ordinem seruare: ob hoc posterius, qualitates actiuas, quibus inuicem agere possint, & pati. priori modo ea considerauit Aristoteles

les in libris de cœlo, posteriori in his de generatione, quæ propterea etiam aliquando de elementis appellantur. Nos autem commodioris doctrinæ gratia, vtroque modo de ipsis hic agemus. Dicuntur autem elementa considerari, quatenus partes vniuersi, vel quatenus principia mistorum sunt, nō quia per se etiam non sint considerabilia tamquam corpora naturalia à physico; sed quia omnis consideratio ipsorum ad hæc duo capita commodè reduci potest, & dum considerantur, vt partes vniuersi, verè etiam per se considerantur.

Quid sit elementum.

QVÆSTIO I.

Elementi nomen (vt ab eo. n. exordiamur, ordo doctrinæ postulat) non est naturæ nomen, sed officij; non enim cōuenit cunctis elementis secundum ipsorum substantiam, sed quatenus ad mistum componendum concurrunt, quare si nulla daretur amplius mistio, non mutarentur secundum substantiam, & tamen desinerent esse elementa; dum igitur quærimus, quid sit elementum, potest esse sensus, quæ nam sit ratio elementi, secundum quam hoc nomen simplicibus corporibus tribuitur, vel etiam, quę nam sit substantia eorum corporum, quæ elementa vocantur: vtrumque autem hac quæstione expediemus, non enim magnam continet difficultatem.

De nomine, & definitione elementi.

SECTIO I.

Elementum, si vim nominis spectes, est vltimum, in quod resoluitur aliquod compositum, & primum, ex quo componitur, qua ratione etiam litteræ dicūtur elementa orationis, & suppositiones, quæ fiunt à mathematicis, elementa Geometriæ. Multipliciter tamen vsurpari solet hoc nomen, modò latius, modò pressius, vt notat Aristoteles 5. metaph. aliquando enim sumitur latè, vt tribuatur etiam principijs in fieri generationis, vt patet ex 12. metaph. tex. 23. vbi dicit idem Aristot. elementa esse tria, materiā, formam, & priuationem, aliquando autem tam strictè, vt soli materiæ primæ adscribatur ex 5. metaph. 4. aliquando secundum quādam analogiā, illud, quod vnum, & primum est, cum sit ad multa vtile, dici solet elementum, & hoc modo vniuersalia dicuntur elementa ab Arist. 5 met. tex. 4. quia vna est ipsorum ratio à multis participata, & loca, ex quibus argumenta deducūtur, elementa vocantur ab eodem Aristotele 2. phys. cap. vltimo. Communior tamen vsus huius vocis elementi est, vt sumatur pro quatuor primis, & simplicibus corporibus, nempe igne, aere, aqua, & terra, quatenus ex ipsis componuntur mista. Definitur autem ab Aristotele elementum varijs in locis. Primus locus est 3. cœli t. 31. vbi hæc habet Aristoteles, *Sit itaque elementum illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest* po-

potentia, aut actu (hoc enim vtro modo adhuc ambiguum est) ipsum verò est indiuisibile in diuersa specie Quæ definitio non est elementi in genere, sed tantùm pro vt cõuenit quatuor vulgatis elementis, quoniam materia prima, & alia, quæ videri possunt elementa, excludũtur per illam particulam (*corporum*) quatuor autem conditiones elementorum explicat in hac definitione Arist. Prima est *vt sint corpora*, quare excluduntur, vt diximus, materia & forma; secunda, *quòd alia corpora in ea diuidantur*, per quam excluditur cœlum, in quod nullum aliud corpus diuiditur: tertia, *quòd sint indiuisibilia in diuersa specie*, vt non comprehendãtur mista, quæ possunt diuidi in elemẽta, ipsa autem elementa quamuis diuidi possint in partes, tamen non diuiduntur in diuersa specie, quia ipsorum partes sunt eiusdem speciei, & essentiæ cum toto: quarta *quòd insint potẽtia, vel actu*; nisi enim inessent, non essent propria elementa, an autem actu, vel potentia, nondum definierat Aristoteles.

Secundus locus, in quo definitur elementum, est 5. metaph. t. 4. his verbis. *Elementum dicitur, ex quo componitur primò inexistente indiuisibili specie in aliam speciem*.

Dicitur. *Ex quo*, ad excludendas causas extrinsecas. nam efficiens potius est à quo, & finis propter quẽ: componitur. vt excludatur priuatio, ex qua res non componuntur. Dicitur *primò inexistente*, vt significetur, elementũ debere esse illud, quod omniũ primũ in compositionẽ veniat. Dicitur tandẽ (*indiuisibili specie in aliam speciem*) quia licet possit diuidi in partes, nõ tamẽ põt diuidi in alias distinctas specie, vt paulò ante diximus. Dubitari autẽ potest, An cõprehendatur materia prima in hac definitione, S. Thomas in cõmentarijs hoc negat, quoniã inquit, materia non est species, vt supponit definitio, dũ tradit, nõ posse diuidi in alias species: Nõ approbant hoc Doctores Conimbr. dicunt enim, materiã esse speciem secundũ rationẽ potentię passiuę; quandoquidẽ materia in cõmuni distribuitur in materiam cęlestem, & sublunarem, tamquam in veras species; sed & ipsi falso innituntur fundamento, quia non possunt plures species materiæ reperiri, vt alibi monuimus. Dicendum potius, vel Aristotelem speciei nomen largo modo sumpsisse, vel etiam si strictè sumpserit, verè dici de materia, quòd in alias specie diuersas non diuidatur, quia quò magis ipsa recedit à ratione speciei, eò quoque longiùs distat ab huiusmodi diuisione, ac proinde, cur excludi debeat ab hac definitione materia, nõ apparet. Tertius locus, in quo definitur elemẽtum est 7. metaphis. in fine, vbi dicitur *esse id in quod existens diuiditur vt materiam*. quæ definitio videtur pati difficultatem, eò quòd relinquat potissimam conditionem elementi, népe *vt indiuisibile in alia specie distincta*, siue quod idem est vt, *sit illud, ex quo primùm aliquid componitur*. Respondere tamen posset, hanc conditionem comprehensam fuisse in illa particula, *vt materiam*, quia videtur materia propriè non vlterius diuidi, cum sit subiectum primum. quare etiã existimant multi, hanc definitionem soli materiæ primæ conuenire.

Præter has definitiones, aliam attulere Doctor. Conimbricenses quæ-

quæst. 1. in cap. 3. huius lib. videlicet *elementum esse corpus simplex, in quod alia corpora resoluuntur. Simplex* dicitur ad remouenda mista: *In quod alia resoluuntur* ad excludendum cœlum. Non caret tamẽ scrupulis hęc definitio, primus est quoniam per *alia corpora* ex vi verborum comprehenduntur omnia alia ab elementis, sed non omnia huiusmodi in ipsa resoluuntur, nã cœlum in ipsa non resoluitur, ergo non rectè elementum est definitum. Respondere tamen possent, per alia corpora non intelligi alia ab elementis, sed alia à corpore simplici, scilicet omnia composita. Sed adhuc vrgeri posset, quia neque omnia corpora composita resoluuntur in omnia elementa, quia quædam sunt composita ex duobus tantùm elementis, vel tribus, quæ non resoluuntur in quartum, quod tamen non desinit esse elementum, quamuis non sit elementum respectu illius misti.

Secundus scrupulus posset esse, quia non videtur tradita per essentialia. Nam esse illud, in quod aliquid resoluitur, est proprietas, non essentia elementorum. Sequitur enim ex eo quòd elementum componit.

Breuissima autem, & optima definitio elementi, vt elementum, est, abstrahens ab hoc, vel illo hæc mihi videtur. *Elementum est illud, ex quo primò aliquid componitur, cum insit:* immo, & illa verba *cum insit*, demi possunt, quia si componit, oportet etiam, vt insit.

Dices. hac ratione conueniet elementi ratio materiæ tantùm, & formæ, non vero corporibus simplicibus, quia ex ipsis non componitur res primùm, sed tantùm ex illis. Respondeo, mista posse concipi vt mista, & vt corpora sunt, si vt corpora, elemẽta ipsorũ sunt materia tantùm, & forma; si verò vt mista, illorum elementa erunt corpora simplicia, non enim mista sunt quatenus componuntur ex materia, & forma, sed quatenus ex alijs corporibus simplicibus, sed quoniam vulgus latet compositio ex materia, & forma, & non præterit compositio ex corporibus simplicibus, hinc effectum est, vt nomine elementi hæc quatuor simplicia corpora intelligerentur. Ad quę etiam coarctari poterit supradicta definitio, addito tantùm corpore, videlicet *elementum esse corpus, ex quo primùm aliquid componitur cum insit* siue, vt excludamus composita ex substantia, & accidente, *esse corpus ex quo primùm aliud corpus componitur cum insit*, siue *ex quo primùm mista componuntur*, & in hac posteriori significatione nos elementi nomẽ post hac vsurpabimus.

De forma Elementorum multorum opinio.

SECTIO II.

Constare elementa ex materia, & forma, nulli dubium est, cum ex eorum mutua transmutatione hoc apertè colligatur, eãdem quoque materiam cum cœteris sublunaribus habere, & illi, qui materias specie diuersas confingunt, fatentur; remanet ergo tantùm de forma ipsorum dubium. Est autem sententia plurium, & non ignobilium Philosophorum, præcipuè grecorum. Allexan-

Allexandri Afrodisi. 12. metaph. cõmento 12. Ammonij, Io. Grammat. Galeni 1. de vsu partium, & primo de elemẽtis, quos etiam secuti sunt Zimara lib. 2. de an. ad tex. 18. & quidam non obscuri nominis Philosophi nostri temporis, elementorum formas constituentes esse ipsorum qualitates actiuas.

Probatur hęc sententia primò, quoniam rerum ordo poscit, vt vltimum superioris vniatur cum primo inferioris. sic enim videmus, infimas ex intelligentijs vniri tanquam formas assistentes nobilissimo corpori, nempe cœlo, & nobilissimam formam mistionis deseruire tamquam materiam animæ, ergo etiam nobilissima accidentia, quę sunt primæ qualitates, vniri debent tamquam formæ cum ignobilissima substantia, quæ est materia elementorum.

Secundò ex operationibus dignoscitur forma, at in elementis nulla adest operatio, ex qua dignosci possit alia forma substantialis præter ipsorum qualitates, ergo.

Tertiò, illa est forma substantialis alicuius rei, per quam potest illa sibi simile producere; sed elementa per qualitates actiuas producunt sibi alia similia, ergo hæ sunt ipsorum formæ.

Quartò, forma, quæ intenditur, & remittitur, est accidentalis, huiusmodi est forma elementorum, quia alioqui nõ posset ingredi cõpositionem mistorum, ergo.

Quintò, saltem ignis forma nõ videtur esse substantia; nam duæ formæ substantiales non possunt esse in eadem materia præsertim si non sint subordinatę, at ignis semper est in materia cum alia forma substantiali, quæ illi non est subordinata, ergo non est substantia.

Probatur minor, quoniã forma ignis semper est in aliquo misto, vt in ligno, ferro, stuppa, fumo. Pręterea non potest ignis esse sine alimento, hoc autem nil aliud est, quã mistum aliquod, in quo est forma ignis.

Sextò, formę elementorum sunt contrariæ, ergo primę qualitates. Probatur antecedens, quia alioqui incorruptibiles essent, quidquid enim fit, & interit, ratione contrarietatis fieri, & interire, docet Aristot. 1. de gener. tex. 50. Probatur deinde consequentia, quia cum non componantur ex alijs contrarijs, oportet, ipsas esse contraria prima, sed primæ qualitates sunt prima contraria, ergo.

Denique probatur multis Aristotelis auctoritatibus, vt 2. de gener. tex. 24. vbi *elementa*, ait, *contrarietatem inuicem habent, quia differentia sunt contraria*, quòd loquatur autem de differentijs specificis, probatur, quia hinc colligit, elementa in se transmutari, quod nõ nisi per differentias specificas contingere potest: textu item septimo eiusdem libri asserit, primas qualitates elementa constituere.

Opposita sententia probatur.

SECTIO III.

Contraria sententia est communis, & vera latinorum, quæ solet his rationibus comprobari. Quod vni est accidens, alteri non potest esse substantia ex Arist. 1. phys. tex. 23. & 30. at primæ qualitates sunt accidentia mistorum,

rum, ergo non possunt esse substantia respectu elementorum. Respondent aduersarij, falsam esse maiorem: quia intellectio est substantia in diuinis, quæ in nobis est accidens. Verùm valde analogiè conueniunt hæ duæ intellectiones, quare non possunt dici idem, sicuti primæ qualitates, quæ non solùm specie, sed etiam numero non diuersę, modò essent accidentia, modò substātia. Prętereа, quia sequerentur multa absurda, vt quòd elemētorum generatio esset alteratio tantùm: quòd materia existeret sine forma substantiali: & sine eadē compositum physicū, & quòd eodem pacto mista dici possent constitui his accidentibus: vel quòd omnes substantiæ proprietates confunderentur, cum hæ formæ elementorum susciperent magis, & minus: contrario essent obnoxiæ, & motui; immo quòd plures formæ substantiales, & constituentes essent in eodem, cum quodlibet elementum duabus ex primis qualitatibus gaudeat. Efficaciter quoque probari potest ex his, quæ diximus supra in primo libro, probantes, dari formas substantiales, quæ in elementis quoque, vt plurimum, locum habent, præcipuè illud, quòd se reducant elementa ad propriā integritatem, cum fuerint eorum qualitates remissæ.

Idem quoque sensisse Aristotelem, posset pluribus locis probari, sed duo sufficient.

Alter erit in libro de sensu, & sensili cap. de sapore, vbi inquit *ignem non quà ignem agere, sed quà calidum*, non est igitur calor forma constituens ignem, quia tunc idem esset, quatenus ignis, & quatenus calidus, sicut idem est, quatenus homo, & quatenus rationalis. Alter verò est tex. 54. huius libri, vbi docet Aristoteles qualitates primas esse substantiarum instrumentum, veteresque reprehendit, quòd qualitates solùm, non autem formas substantiales cognouerint.

Eorum, quæ opponebantur depulsio.

SECTIO IIII.

AD primùm respondeo, vltimum superioris ordinis esse quidem magis propinquum, & simile supremo inferioris, non tamen opus esse, vt fiant vnum, alioqui non erunt diuersi ordinis, sed eiusdem, & sicut nobilissimum corpus non vnitur formaliter vltimæ intelligentiæ, & hęc non dat esse ipsi corpori, sed tantùm motum: ita sufficiet accidenti nobilissimo, vt vniatur substantiæ infimæ, non verò poterit eam constituere, quod esset transcendere suum ordinem: Adde, quòd primæ qualitates non sunt nobilissima accidentia, habitus enim, & actus vitales, & multò minùs accidentia spiritualia illis non conceduntur, neque accidentia, & substantiæ, sunt ita sibi subordinata, vt infimum superioris debeat vniri cum supremo inferioris, quia non tantùm infima substantia, sed omnis essentia debet vniri accidentibus, & nullum accidens potest esse naturaliter sine substantia, quare possumus etiam respondere, illam maiorem veram esse in rebus, quæ verè sunt alijs subordinatæ, vera autem subordina-

tio requirit, vt in eadem recta linea vnum subijciatur alteri, vt animal corpori; quare ea, quæ sunt in diuersis prædicamentis, non rectè dicuntur subordinata.

Ad secundum respondeo, ex duabus præcipuè operationibus cognosci formam substantialem elementorum, altera est, qua elementa se reducunt ad pristinum statum, vt supra diximus: altera, qua producunt substantias tum elementares, tum etiam mistas, nã si ignis non aliam operationem haberet, quàm eam, quę prouenit à calore, vt calor est, posset quidem calefacere, non tamen producere alium ignem, qui secum lucem, & alias qualitates fert, quas non gignit calor, nisi vt instrumentum formæ substantialis ignis, neque etiam simul cum alijs elementis produceret mistum substantiale, ex accidentibus enim inter se commistis non potest oriri nisi accidens mistum.

Ad tertium distinguenda est maior, esse enim, quo producitur aliquid, contingere potest dupliciter, vel vt instrumentum, vel vt formam agentis principalis, maior ergo vera est in posteriori sensu, minor verò in priori, & idcirco argumentum nihil concludit.

Ad quartum negamus, formas elementorum intendi, aut remitti, vel id necessarium esse ad mistionem, vt patet ex his, quæ supra diximus de mistione.

Ad quintum vide, quid dicatur quæstione sequenti ad quartum.

Ad sextum respondeo, formas elementorum esse contrarias, intelligi posse dupliciter; vel per se, vel ratione dispositionum; posteriori modo concedimus antecedens, sed negamus consequentiã; priori verò modo, negamus antecedens, nam formæ substantiales elementorum non sunt contrariæ per se, substantiæ enim, vt inquit Aristoteles, nihil est contrarium.

Ad primum locum Aristotelis respondeo, Aristotelem primas qualitates appellare differentias elemẽtorum, quia per eas cognoscuntur differre, nõ verò quòd per eas essentialiter differant, sicut ẽt sæpe ipsa elementa primarum qualitatum nomine profert: nec mirũ, eum obscuritate, & perplexitate sit semper gauisus. Ad id, quod additur de transmutatione respondeo, rectè dixisse Aristotelem elementa transmutari, quia contraria sunt, medijs enim qualitatibus cõtrarijs inuicem agunt, non verò quòd formaliter ratione qualitatum transmutentur.

Ad secundum vel dicendum, Aristotelem nomine primarum qualitatum intellexisse differentias specificas, quæ, quia nos latent, vocabulis accidentium sæpe eas significamus, vel locutum fuisse de elementis, non quatenus substantiæ sunt, sed quatenus sunt principia mistionum actiua, & passiua, ita enim constituuntur per qualitates, vt idem ipse dicebat: *ignis non agit, vt ignis, sed vt calidus*: vel denique dici posset, constitui elementa per primas qualitates effectiuè, quia per eas generantur, & corrumpuntur.

An quatuor sint Elementa.

QVÆSTIO II.

Sententia negans quibus argumentis fulciri possit.

SECTIO I.

EX antiquis Philosophis, vt refert Aristoteles 3. de cœlo c. 4. & 5. quidam existimarunt, infinita esse elementa, vt Anaxagoras, qui atomos omnium elementa, censebat; alij verò vnum tantùm reperiri asserebant, & hoc vel vnum ex quatuor vulgatis, vel aliud ab ipsis, vt qui ponebant esse quoddã elementum aqua quidẽ subtilius, aere verò densius. Ex recentioribus autem quidam, vt Cardanus, negarunt, ignem esse elementum, & consequenter tria tantùm esse recensenda volunt. Sinenses contra quinq; elementa numerant, vt tradit Pater Nicolaus Trigautius libro 4. de christiana expeditione in finas, hæc sunt metallum, lignum, terra, aqua, ignis nostrates scilicet, nam qui fingitur sub concauo lunæ non illis videtur possibilis.

Non igitur esse quatuor suaderi potest primò, ex elementorum commistione omnia mista generãtur, at mistionum species sunt infinitæ, vel saltem plurimæ, ergo elementa debent esse plura, quàm quatuor. Probatur consequentia, quoniam composita vel mista non possunt esse diuersa, nisi etiam cõponentia, vel miscibilia ipsa diuersa sint; non potest ergo intelligi, quomodo ex quatuor tantùm elementorum diuersa compositione, & combinatione tot rerum diuersitates oriantur.

Secundò, media oriuntur ex participatione extremorum, sed ex quatuor elementis duo dicuntur extrema esse, & duo media, ergo hęc media, quæ ex participatione extremorum oriuntur, non sunt elementa, quia hæc non debent ex alijs fieri.

Tertiò, Vnicum tãtùm videtur esse elementum, nempe terra, nam ex ea oriuntur vapores, qui sunt aer, ex ipsa scaturiunt fontes, & in multis locis etiã ignis, vt in Ethna monte, ergo cum ex ipsa cętera, quæ dicuntur elementa, oriantur, sola elemẽti nomine decorari merebitur.

Quartò, ignis saltem videtur excludendus ab elementorum numero, nam tãtùm abest, vt aliquid ex eo componi possit, vt omnia potius ab ipso deuorẽtur. Pręterea superfluus omnino est, nam calor, qui posset ab ipso experi, à cœlo commodiùs habetur. Tertiò si esset elementum, propriam haberet sphęram, sed non habet; quia si alicubi esset, vtique infra concauum lunæ reperiretur, at ibi est aer; ergo. Quartò, ignis est accidens, ergo non potest esse elementum, probatur antecedens, quia duę substantiæ corporeę nõ possunt esse simul in eodem loco, at ignis est simul cum alijs substantijs, ergo non est substantia. Probatur minor, quia flamma nil aliud est, quàm fumus accensus, ergo ignis simul est cum fumo. Item est in ferro, & in ligno, & omnino sine aliquo subiecto reperiri non potest, quo nõ potest certius argumentum haberi, ignem esse accidens. Quod enim aduersarij respondent, esse in poris

ferri, vel ligni, vel alterius rei, nihil est; primò, quia flamma est cōtinua, ergo non tantùm est in poris, neque etiam apparet, qui nam pori esse possint in fumo. Præterea, quò substantia est densior, eò minores habet poros, ergo etiā minùs ignis, rarior igitur esse deberet ignis in materia densa, velut in ferro, quàm in rara, velut in ligno, cuius oppositum videmus. Tertiò si potest esse in poris, cur etiam non poterit conseruari in aere extra subiectum? in poris enim nulla adest substantia præter aerem, si potest igitur in aere solo esse ignis, non erit ratio, cur non possit etiam extra aliud corpus; quod tamen falsum esse, experientia docet.

Quartò, quando ignis paulatim lignum, aut aliquod aliud cōsumit, & deuorat, negari non potest, quin peruadat substantiam ipsius ligni, nam inter porum, & porum adest aliqua pars sine poro; dum ergo ignis ab vno poro transit ad alium, cum non agat in distans, oportebit, eum transire etiam per corpus solidum, idq; oculi ipsi testantur, & tactus. Quintò, si in poris reperitur ignis, ergo ascendet, & relinquet ferrū; quid enim excogitari poterit, à quo retineatur? figmentum igitur videtur, ignem esse in poris, non verò in ipsa rei substantia; vel igitur duo corpora erūt simul, quod affirmari non potest, vel fatendū erit, ignem non esse corpus.

Sententia affirmans probatur.

SECTIO II.

Constans est, & peruulgata in omnes, non tantùm Philosophos, sed etiam idiotas sententia, quatuor esse elementa, quod non paruum est veritatis argumentum; quoniam tamen philosophi est munus, rationem magis, quàm auctoritatem sequi, inuestigandum est, an huius numeri sufficiens possit afferri ratio, nam etiam Aristoteles nonnullas attulit.

Prima igitur ratio ex qualitatibus motiuis desumitur ab Aristoteles 2. cœli capit. 3. hoc pacto. Datur in medio mundi terræ elementum grauissimum, & frigidissimum, ergo etiam debet dari elementum illi contrarium, leuissimū scilicet, & calidissimum, quia dato vno contrario, debet dari, & alterum, alioqui dabitur in natura aliqua potentia frustra, nam cū materia, quę potest recipere vnum contrarium, sit apta etiam recipere alterum, si hoc non daretur, illa potentia esset frustra. Iam verò datis extremis, scilicet terra, & igne, consequens est, vt etiam dentur elementa media, scilicet aer, & aqua, vt seruetur debita proportio inter elementa. Verùm hæc ratio, si, vt congruentiam quandam afferens, & vt probabilis tantùm proponatur, recipienda est; si verò vt efficax, non est magni facienda.

Primū .n. sicuti in ea colligitur, dari duo elemēta media, ita posset aliùs colligere, dari vnum tantùm, vel

vel dari tria, nam, vt videbimus paulò post, ex quatuor qualitatibus item colligit Aristoteles quatuor elementa, quomodo autem idem numerus colligitur ex duobus contrarijs, & ex quatuor? cur etiam hic constituit media participantia ex extremis, ibi autem ipsa tantum extrema? Dicam liberè, quod sentio: Ego numquam magnifeci hæc argumenta ex congruentijs, & combinationibus collecta, quia pro quolibet numero non deerunt suę congruentiæ, & potiùs acutè excogitati, quàm ex ipsa rei natura deduci videntur.

Præterea quod dicitur *si datur vnum contrarium, debet dari & alterum*, si rectè perpendatur, petit id, quod probare intendit. eatenus enim, exempli causa, est verum, si datur calor, debet dari, & suum contrarium, quod est frigus, quia videmus, frigus esse caloti contrarium, at si in rerum natura non daretur frigus, tunc calor non haberet contrarium, eatenus igitur probatur, dari frigus, quatenus priùs suppono, ipsum esse, alioqui si nescio esse, quomodo scio, caloti esse contrariũ? Confirmo magis alio exẽplo iuxta hãc doctrinam, valet argumentum. datur albedo, ergo etiam nigredo, quæ est eius contrarium, at quæro, cur non valet, datur lux, ergo etiam debet dari suum contrarium positiuum? Respondebis, quia lux non habet contrarium. Sed vrgeo, vnde scis album habere contrarium, & non lucem? videntur enim habere inter se magnam similitudinem, & affinitatem lux, & albedo, quare videtur dicendum, si datur vni contrarium, debet dari & alteri.

Respondebis, quia video, albedini opponi nigredinem, huic verò nihil opponi, ergo infero, non propterea probas dari nigrediné, quia sit albedini contraria, sed id circo dicis, albedinem habere contrarium, quia datur nigredo, quando ergo fit argumentum, si datur vnum contrariorum, debet dari & alterum, cum dicis datur vnum contrarium, iam supponis, alterum dari, quia si non daretur illud, non diceretur hoc esse contrarium, quare re vera ad petitionem principij reducitur huiusmodi ratio. Ad hæc, esto irreprehensibilis sit hæc maior, si datur vnũ, &c. adhuc claudicabit minor, nam ignis non est terræ contrarius, nisi ratione qualitatum, satis igitur erit, vt dentur qualitates illæ, quæ terræ qualitatibus opponuntur, non verò necesse erit, dari formam ignis, nam illæ qualitates contrariæ etiam extra ignem reperiuntur, siccitati enim terræ opponitur humiditas aquæ, frigori calor, siuè aeris, siuè cœlestis, grauitati leuitas aeris. Vlteriùs, si hic modus argumentandi est efficax, licebit etiam concludere, ignem esse humidum, vt omnino terræ opponatur, quæ est sicca; si verò fiat vis in qualitatibus motiuis præter aeris leuitatem, dici poterit, respondere grauitati terræ leuitatem cœli; si dicant, cœlum neque esse graue, neque leue, argumentabor, debere aliquid dari in centro illi respondes, quod neque graue sit, neque leue. Denique si huiusmodi argumentationibus aditus patefiat, nihil erit, quod non possit concludi.

Secun-

Secunda ratio ex primis qualitatibus deducitur, vnicuique enim elemento duæ, inquiunt, tantùm qualitates ex primis tribui debēt, at verò quatuor tantùm possunt esse combinationes earum, nempe calidum, & siccum, calidum, & humidum, frigidum, & siccum, frigidum, & humidum, quia duæ reliquæ, scilicet humidum, & siccum, & calidum, & frigidum repugnāt, ergo sicut sunt quatuor combinationes, ita etiam quatuor elementa, & hoc etiam argumentum tribuitur Aristoteli in hoc secundo tex. 16. re vera tamen non adducit Aristoteles huiusmodi distributionem qualitatum, ad probandū elementorum numerum, quia iam constituerat, esse quatuor; sed tantùm vt ostendat, quomodo qualitates hę possint elementis distribui; re vera enim nullam vim habet ad aliquid probandum hæc enumeratio combinationum, nam plura supponit longè magis incerta, quàm sit ipse numerus elementorum; primum est, cuilibet elemēto debere tribui duas qualitates cōnaturales, dicet enim quis, quod dam habere vnam tantùm, aliud duas, &c; secundum, elementa non posse differre nisi per has qualitates; tertium, supponitur, combinationem eamdem esse nō posse diuersimodè participatam in diuersis elementis, nam alioqui si in vno, exempli causa, sit humiditas in summo, & frigiditas remissa, in alio frigiditas in summo, & humiditas remissa, iam habebimus duo elementa. Item si in alio sit frigus in summo, & siccitas remissa, in alio autem siccitas in summo, & frigus remissum, erunt duo alia elementa. Item si in alio sit calor in summo, & humiditas remissa, in alio humiditas summa, & calor remissus, erunt duo alia, & consequenter sex elementa, & similiter ex calore, & siccitate duo alia elementa colligi poterunt. Præterea dici posset, adesse cœlum, quod influit calorem, siccitatem, atque adeo nō oportere constituere elementum ignis, quod sit calidum, & siccum. si dicas, omnia elementa debere inter se qualitatem aliquam repugnantē habere, & aliā simbolam, & idcirco non posse duo esse calida, & humida. Primò hoc gratis dicetur, immo nos infra ostendemus, falsò dici. Præterea sufficiet, quòd adsit aliqualis contrarietas penes intensionē, & remissionem, nā sicuti à plerisque ponitur aer calidus remisse, & non in summo, & hac ratione aquę dicitur opponi, ita etiam si poneretur frigidus remisse, eidem opponeretur. Dices, quòd esset humidum in summo, & calidum remisse, identificaretur cum humido in summo, & frigido remisse, quia calor remissus est simul cum frigido remisso. Respondeo, quòd quādo calor, & frigus sunt in eodem gradu in subiecto, scilicet ambo vt quatuor, tunc illud subiectum non dicitur neque calidum, neque frigidum, at quando dicitur habere calorem remissum, intelligitur de calore excedente frigus, quare non est idem frigidum remissum cum remisso calido.

Tertia ratio desumitur ex eo, quòd mistum constat ex quatuor ipsis elementis, nam in homine adsunt quatuor humores, qui respondent quatuor elementis, sanguis aeri, flaua bilis igni, atra bilis terræ, pituita aquæ, sed facilis esset respon-

responsio ei, qui quinque elementa poneret, nam diceret, carnem, & ossa respondere terræ, quatuor verò humores quatuor elementis reliquis; si verò pauciora poneret, diceret, sanguinem respondere cœlo, vel ex combinatione varia elementorum ortos esse huiusmodi humores, vel aliquos tribuendos esse elementis, alios animæ.

Quarta ratio desumitur ex motibus localibus, simplicibus, sunt enim tres motus locales simplices, primus est circularis, qui fit circa medium, & conuenit cœlo, secundus est à medio, idest à centro ad cœlum, tertius est ad mediũ, idest à cęlo ad cẽtrũ mũdi, at hi duo iterum subdiuiduntur, nam cum motus à medio, & ad medium esse possint tales, vel simpliciter, vel secundum quid, efficitur, vt quatuor sint motus simplices, cumque tot sint corpora simplicia, quot sunt motus simplices, quatuor erunt corpora simplicia præter cœlũ, quod mouetur circa medium. Verùm qui tria tantùm elementa admitteret, facillimè responderet, inter motum simplicem à medio, & aliũ simplicem ad medium, vnum tantùm secundum quid participare extrema, nam & aqua, quæ dicitur moueri ad medium secundum quid, aliquando mouetur à medio, dum supra terram effluit, ergo participat ambo extrema: qui verò plura elementa, quàm quatuor afferret, dicere posset, esse plures motus secundum quid, ex eo scilicet, quòd magis, vel minùs de vno, vel altero extremo participarent.

Probatur quintò ab Auicenna prima par. tract. 1. can. text. 8. dum resoluitur mistum, videmus remanere quatuor corpora respondentia quatuor elementis, ergo illud corpus ex quatuor elementis constabat, quia non potest vnum agẽs quatuor diuersa producere, antecedens patet in combustione ligni, quod resoluitur in fumum, qui est loco aeris, & in cinerem, qui est terra, effluit etiã ex eodẽ humor, siue aqua, & tãdem fit ex eo ignis. Verùm infirma quoque est hæc ratio, quoniam non apparet, quomodo ex resolutione misti ignis oriatur, vel quid ei simile, nisi quando mistum comburitur, tunc autem virtuti agentis tribuitur, non ipsius misti compositioni. Potest quoque hæc diuersitas corporum resultantium tribui qualitatibus, vel partibus etérogeneis ipsius misti. Nam alioqui multa comburuntur, ex quib⁹ nullus effluit humor, & sæpe præter cinerem remanent etiam carbones, quibus tamen nullum elementum dicitur respondere. Quamuis autem lignum sit homogeneum quo ad substantiam, adest tamen semper aliqualis dissimilitudo inter partes ipsius ratione qualitatum. Hæ igitur sunt rationes, quæ circunferuntur pro numero quaternario elementorum, & ad has reducuntur omnes, quas afferunt Tol. quæst. 4. huius secundi, & Connimb. in 3. de cœlo quęst. prima. art. 1.

Cum igitur hæ rationes sint adeo infirmæ, quid dicendum erit de numero elementorum? Duo mihi videntur dicenda. Alterum est, nõ posse assignari rationem à priori, cur potius quatuor sint, quã quinque, vel tria, nam constare nobis nequit, non potuisse Deum efficere, vt plura, vel pauciora elementa extitissent, sicuti enim modò calore

esse motus simplices, quia videmus, aquam ferri supra terram, aerem supra aquam, & ignem supra aerem, ergo licebit etiam concludere, quatuor esse corpora simplicia, & consequenter quatuor elementa. Dices. Ligna locum sibi vendicant inter aquã, & aerẽ, ergo dabitur alius motus præter supradictos. Respondeo, ligna sibi vendicare illum locum ratione aeris, qui in illis prædominatur, & consequenter non constituere motum nouum diuersum, at verò motus aeris, & aquæ non possunt in aliud referri, quare sunt verè motus simplices, & ex illis elementorum numerus colligi potest.

Argumenta contrariæ sententiæ expugnantur.

SECTIO III.

AD primum respondeo, ex multitudine mistorum non rectè inferri, plura esse elementa, quàm quatuor, quia non tantùm ab elementis diuersitatem, & speciẽ desumunt, sed etiã ab influentijs cœlorũ, & ab alijs mistis, quorum virtute gignuntur; quãuis .n. in quolibet misto elemẽta cõtineãtur, nõ tñ illa sola cõtinẽtur, sed p̃terea ẽt ꝓpriæ differentię cuiuscunq; misti.

Ad secundum respondeo, duo elementa dici media, non quia participent naturam extremorũ, cum habeant qualitates proprias ab alijs non participatas, sed ratione loci, quia loci mediũ obtinent, quæ autem hoc pacto sunt media, non est necesse, vt fiant ab extremis, & consequenter desinant esse elementa.

Ad tertium respõdeo, estò quòd ex terra quidem gigni possint cętera elemẽta, non tamen tamquam ex materia, quę inexistat, sed tamquam ex termino à quo quare non desinent alia esse vera elementa, quia non est contra rationem ipsorum, quòd non fiant ex alio tamquam ex termino à quo, sed solùm tamquam ex materia componente. Ad quartũ respõdeo, rationes quæ adducuntur cõtra elementũ ignis, non esse efficaces. Ad primã .n. dico, quòd quãuis ignis substãtia nõ possit mistũ componere, potest tamẽ eius virtus, scilicet calor, vt supra de mistione agẽtes, explicauimus. Ad secundã dico, calorẽ posse quidẽ efficienter haberi à cœlo, attamen non potest cœlum formaliter cõtineri à mistis, sicuti elemẽtum, oportuit igitur, dari ignem, qui formaliter ab ipsis cõtineretur, & esset verè materia mistionis.

Præterea quamuis ad multa mista non concurrat ignis substantia, nec calor ab eo productus, valde tamen vtilis est ad multa mista cõseruanda, & ad alia producenda; quare non otiosè fuit à natura productus. Ad tertiam. de hac difficultate constituemus quæstionem sequentem. Cõmunior autem respõsio est, sub concauo lunæ adesse ignem, qui verò hoc negaret, dicere posset non hoc esse necesse ad elementi rationem, vt patebit quæstione sequenti. Ad quartam negatur, ignẽ esse accidẽs, & meritò, quoniam lux, & voracitas, quæ in igne apparent, nõ possunt esse proprietates alicuius accidentis, quod gignatur per calorem, erunt igitur substantiæ passiones. Præterea omne accidẽs habet proprium subiectũ, quod perficit, at ignis omnia cõsumit, ergo non est accidẽs.

Ad probationem respondeo, rectè quidem probari, ignem non tantùm in poris, sed etiã in ipsa substantia esse debere, non vero hinc sequi, duo corpora esse in eodem loco, quia duo corpora requirunt duas materias, & duas formas, hic autem est vna tantùm materia cũ duabus formis, ignis scilicet, & ligni, vel ferri, nam posse duas formas substantiales esse in eadem materia, suprà lib. 1. ostendimus, & quamuis hæ non sint naturaliter subordinatæ, tamen hoc non obstat, quia hinc sequitur tantùm, vt pacificè non possint simul commorari, neque se omnino compati, quare altera alterius machinatur interitum. Est igitur huius naturæ ignis, vt nequeat esse nisi in materia informata alia forma, & ratio est, quia, vt ita dicam, est summæ edacitatis, cum ergo non possit agere in se ipsum, relinquitur, vt cum oporteat esse cum alia forma, quam depascat, & ea consumpta, etiam ipse intereat, in quo mirabilis quidem est natura ignis, non tamen propterea neganda tũ quia experientia eam confirmat, tum quia alia multa mirabilia sunt in rerum natura, quorum causas minùs etiam possumus penetrare, vt virtutem magnetis trahẽtis ferrum, & ipsius conuersionem ad stellam polarem, & pleraque alia; non enim alligandus est Deus regulis quibusdam definitis, vt omnia ad eamdem normam producere debeat. possunt etiam dici illæ aliæ formæ igni subordinatę, non tamen vt materia, sed vt cibus.

Hinc verò deducitur, falli eos, qui dicunt, ignem apud nos elementum nõ esse, sed corpus quoddam mistum, in quo prædominatur ignis. Nam coalesceret vtique hoc mistum ex igne, & ex illo alio corpore, in quo residet, exempli causa, ligno, vel ferro; aliunde enim componi non posset: atqui hoc falsò dici, probatur, quia non potest idẽ agere in se ipsum actione corruptiua, cum vnumquodque, quantum potest, se tueatur, at forma ignis corrumpit formam ligni, & quãcumque aliam formã in eadem materia existentem, ergo est diuersa ab omnibus illis. Neque occurras, hominem quoq; corrumpere se ipsum, quia homo constat diuersis partibus eterogeneis, quarum vna agit in aliam, & mutuo corrumpuntur, ignis autẽ neq; cõstat partibus eterogeneis, & secundum se totum agit in quã libet aliam formam, quæ si ab eo corrumpi non potest, vt sæpe accidit in ferro, post ignem extinctũ remanet, vt antea erat, nõ igitur ex forma ignis, & forma ferri facta fuerat vnica forma tertia, sed vtraque semper retinuit suã propriã naturam. Confirmatur etiam, quia quod habet duas tantum qualitates primas, & has in summo, non potest esse mistum, quia continet virtutes vnius elementi tantùm, at ignem apud nos esse calidum, & siccum in summo, & consequenter omni frigiditate, & humiditate carere, & sensibus patet, & ex eius effectis facilè comprobari potest, omnem .n. humiditatem, & frigiditatem vincit, & expellit, & quoad humiditatem, de qua maior posset esse dubitatio, probatur ex cinere, quo nihil potest excogitari siccius, omni scilicet humiditate per ignem expulsa. Quamuis igitur forma substantialis ignis sit in corpore misto, non tamen

ipsa

ipsa est mista, quia non vnitur, nec permiscetur cum alia forma, sicuti neque mista est humiditas, licet sit in substantia calore, & alijs accidentibus prædita.

Obijcies, ergo in eadem materia cum calore, & siccitate in summo poterit esse aliquis gradus humiditatis, & frigiditatis. Nā ignis est calidus, & siccus in summo, & cum his qualitatibus est in ligno, in quo cum sit mistum, non potest quoque non adesse aliquid humiditatis. & frigiditatis, ergo calor, & siccitas in gradu summè intenso sunt cum aliquo gradu humiditatis, & frigiditatis. Respondeo, ignem esse quidem semper calidū, & siccum in supremo gradu quoad actum primum, at non semper saltem quoad siccitatem in actu secundo, immo videmus, ignem requirere aliquid humiditatis in materia, & hac penitus exsiccata, ipsū deficere. Hinc efficitur, vt per suū actum primum possit ignis expellere omnem humiditatem à subiecto; & tamen in actu secundo non repugnet secum aliquid humiditatis compati, & nos rectè ex his qualitatibus probasse, ignem non esse mistum, quia duas tantū qualitates habet sibi connaturales, & in summo, cum alias duas expellat, quamuis quia, & ipsæ pugnāt, non in instanti; & licet humiditas videatur igni necessaria, vt conseruetur, non hinc tamen sequitur, eam esse illi connaturalem, sed cōnaturale esse igni, contra ipsam pugnare, & ipsam depasci. Dices, ergo idem erit in duplici specie, idem enim suppositum erit ignis, & ferrum, falsa quoque erit illa sententia, omne, quod aduenit enti in actu, esse accidens, nam hic non valet illa responsio, aduenire secundam formam enti in actu incompleto, materia enim est completa per formam ferri, vel ligni. Respondeo ad primum, secundū diuersas formas non esse inconueniens, quòd idem sit in diuersis speciebus, nam potest etiam esse in diuersis prædicamentis, homo enim albus, vt homo, est in prædicamento substantiæ, vt albus, in prædicamento qualitatis. Ad secundū respondeo, non aduenire formā ignis enti in actu, vt actuet ipsum, quia sic esset accidens, sed aduenire materiæ, quę est sub alio actu, ipsa tamen materia semper est in potentia ad vltimum actum, neque efficit vnum cum alia forma, nisi valde per accidens.

An detur ignis sub concauo Lunæ.

QVÆSTIO III.

Affirmans sententia suadetur.

SECTIO I.

Receptissima est sententia affirmans apud Philosophos, & apud indoctos etiam, quare non est opus, eius sectatorum indicem texere, cū paucis exceptis, quos infra adducemus, reliqui omnes in hanc pedibus eant, rationibus igitur est comprobanda. quarum.

Prima est, & potissima, quia ignis in quacumque parte sit, sursum fertur supra aerem, ergo supra aerem habet propriam sphęram, ad quam tendit. Consequentia videtur euidens, quia omnis res materialis ad proprium locū tendit, si

igitur ignis aſcendit ſurſum, ergo ibi eſt eius proprius locus. Confirmatur, quia non alia ratione terræ aſſignamus tamquã proprium locũ centrum mũdi, niſi quia videmus, omnes eius partes eò tendere. Cõfirmatur ſecundò, quia alioquin nullum haberet ignis naturalẽ locũ, & nulla eſſet ratio, cur ſemper ſurſum tenderet, niſi ibi proprium locum haberet; ſi dicas, nõ ſurſum aſcendere, ſed ſequi pabulum, vbicunque hoc ſit, ſiue ſurſum, ſiue deorſum, ſiue dextrorſum, ſiue ſiniſtrorſum. Cõtra quia tũc ignis nõ mouetur, ſed vnus ignis generat aliũ ignẽ, ſequitur ergo, vt quãdo verè mouetur, nõ aliò feratur, quã ſurſũ.

Secunda ratio. Spatium inter cœlum, & terrã eſt plenũ aliquo corpore, cũ non detur vacuũ, non poteſt autem totũ eſſe plenum aere, quia tunc aer nimis excederet alia duo elementa, & non ſeruaretur inter ea debita proportio, ergo debet eſſe plenũ alio corpore, quod non poteſt eſſe, niſi ignis.

Tertia. Cœlum ſuo motu, ac lumine ſemper magis calefacit actione directa corpus ſibi propinquũ, corpus ergo vltimo cœlo proximum erit maximè calidum, & cõſequenter ſiccum, ergo erit ignis, hę enim ſunt ipſius qualitates proprię, nec poſſet corpus, cui hæ qualitates non eſſent connaturales, perdurare ſemper in ſtatu violento, Confirmatur, quia videmus, multa in his inferioribus tardiori, & breuiori motu attrita corpora ignem concipere, ergo cùm cœli velociſſimè moueantur, & ſint etiam maximè ſolidi, aerem maximè terent, conſequenter magis calefacient & ignem producent.

Quarta. Datur elementum graue ſimpliciter in medio mundi, & infra omnia alia elemẽta quieſcens, ergo debet dari aliud elementum ſimpliciter leue in ſuperiori mundi parte, & ſuper omnia alia elementa. Si dicas, hoc eſſe aerem, contra, quia ignis eſt leuior aere, ergo non eſt aer ſimpliciter leuis.

Quinta. ignis eſt elementum, ergo debet habere locum propriũ, in quo conſeruetur, alioqui non ſeruabitur debita proportio inter elementa, immo contingere facilè poterit, vt mundus careret aliquo elemento, nam per accidens eſt, vt hic, vel ibi accendatur ignis, ergo ſi nullibi accendatur, nullibi erit, Confirmatur, quia ſaltem aliqua regio carebit aliquando elemento, quia credibile eſt, aliquando diebus calidioribus nullibi eſſe ignem accenſum,

Sexta, quia alioqui, vt argumentatur D. Baſilius hom. 6. exam. abſque igne manca eſſet mundi vniuerſitas, pulcherrimo, & nobiliſſimo, atque ad agendum maximè apto elemento carens.

Septima. Prope concauum cœli Lunæ accenduntur cometes, & aliæ exhalationes, ergo ibi adeſt ignis ſphæra, à qua inflãmantur.

Octaua. Dari ignem in concauo Lunæ, probatur. Totum hoc ſpatium, quod eſt inter cœlum, & terram, eſt plenum, quia vacuum non datur, vel ergo eſt plenum aere, vel aere, & igne, vel aere, & alio corpore, non alio corpore, quia ibi eſſet violenter; nec dici poteſt, qualenam corpus hoc eſſet. neque aere, tum quia ibi eſſet perpetuò violenter, cum enim non ſit leuis ſimpliciter, neque eſſe in loco ſuperiori

ſimpli-

simpliciter, erit ei connaturale, tũ quia excederet fine proportione alia corpora, ergo erit plenum igne, & aere.

Denique eadem videtur Aristotelis sententia, nam & 2. cœli probat, dari ignem, & terram, quia sunt duo loca sursum, & deorsum, ergo supponit, ignem esse sursum, & 1. meteor. sum. 1. cap. 4. inquit, non cogi nubes in aeris suprema regione, quia non adest ibi aer solus, sed magis ignis.

Oppositam sententiam Firmioribus niti rationibus, ostenditur.

SECTIO II.

EX recentioribus Cardanus in principio lib. 2. de subtil. hanc sententiã contra cõmunem recentiorum, non est veritus defendere, quẽ deinde secuti sũt Valesius. lib. de sac. Phil. c. 1. Frãc. Patritius li. 4. disquisit. Peripat. Scipio Capitius li. 2. de pricipijs Villaspanico, Martinus Delrio lib. 4. disq. sit. mag. c. 2. q. 2. Alex. Tassonius in q. varijs, quas lingua etrusca edidit quęst. 1. & Tyco Brahe Astrologus peritissimus, & acutissim⁹ Philo quoq; philosophię pitissimus, et Hebræorum Plato calculo suo hãc sententiã approbat in lib. de somnijs ait. n. p scalam illam, q in somno vidit Iacob, fuisse significatũ aerẽ, qui à lunari orbe vsq, ad superficiẽ terrę p totum id interstitium extenditur, & alij, quorum sententiã, quoniã ego quoque probabiliorẽ censeo, primùm rationibus, deinde veterum auctoritatib⁹ cõfirmare conabor.

Prima igitur ratio deducitur ex operationibus, & accidẽtib⁹ ipsius ignis, quorũ nullum apparet in sublimi illo loco, ergo ibi non adest ignis. pbatur consequẽtia, quoniã nos aliud argumẽtũ nõ habemus, quo possimus substantiã ostẽdere, nisi accidentia, & operationes, & Philosophi oẽs hanc viã seruauerũt ex effectib. ad causas. Probatur 2. quoniã indignũ est Philosopho, aliquid asserere sine sufficiẽti aliqua ratione, ergo cũ nullum adsit signũ ignis in superiori illa regione, non debet hocà Philosopho astrui, immo ẽt si ratio suppeteret, non deberemus relinquere sensũ, hoc. n. esse infirmi itellectus, docet ipse Arist. 8. phy. t. 22. vt supra etiã notauimus q. 47. immo in superiori libro t. 59. inquit, esse insani. Cõfimatur 3. quia nullũ corpus est magis actiuũ, & visibile, quã sit ignis, quare in ipso multò magis, quàm in alijs corporibus vera erit hęc cõsequentia; antecedens patet sensibus, nam neque lucet, neq; cõburit, neq; habet aliud signum ignis corpus illud, quod est sub concauo lunæ, nomine ergo tantùm est ignis, & potior ipso est ignis pictus, quia hic licet non cõburat, occulorũ tamẽ obtutũ terminat, at ille neq; cõburit, neq; videtur, nec alio sensu pcipitur, aut percipi vnquã potuit, est ergo merũ figmentũ. Ad hoc argumentũ communis est responsio, ignẽ illũ non lucere, neq; cõburere propter maximã ipsius raritatẽ, neque videri à nobis, pter eamdẽ raritatẽ, & pter distantiã. Addunt alij, simpliciter ignẽ in ppria sphęra nõ comburere, sed tantũ extra. Sed facilè hęc reijciũtur, primò q naturales pprietates alicuius entis pcipuẽ simplicis, qualis est ignis, nõ pugnãt inuicem; nõ potest. n. eadẽ natura sibi met esse contraria, at raritas, fulgor, & potentia cõburendi sũt oẽs eiusdẽ ignis pprietates,

ergo non possunt inuicem repugnare, & consequenter vna non tollet aliam. Præterea raritas à magnitudine compensari solet, nam agens non solùm ex densitate, sed multò magis ex magnitudine vires ad agendum desumit, at ignis ille esset in maxima quantitate, & ferè absque vlla proportione excederet reliqua elementa, ergo quamuis esset rarus, non ob hoc priuaretur virtute agendi, & reliquis suis proprietatibus. Præterea si caret ille ignis proprietatibus, quibus hic nostrates fulget, ergo ab ipso est diuersus natura, nō magis igitur ignis est appellandus, quàm aer, immo potius aer dicendus est, quia multò magis est aeri similis. Adhęc, vel erunt quinque elementa, vel tria tantùm; si dicas enim, & ignem nostratem, & sublunarem esse elementa; cum sint diuersæ naturæ, erunt quinque, si alterum neges esse elementum, vtrumque excludes, & sublunarem, quia non concurrit ad generationem, & est otiosus, & nostratē, quia propria sphęra carebit, & non erit simplex. Denique etiam si ob raritatem posset nō lucere, adhuc non posset nobis constare, an nō luceret, quia ibi nō esset, an verò quia rarus esset, cōsequenter nō deberemus certò asserere, ibi adesse, sicuti non asserimus, vbique esse angelos, quamuis natura sua sint inuisibiles.

Secunda ratio, ignis quando alimento caret, deficit, vt experimentis exploratissimum est, sub concauo autem lunæ nullum adest ignis pabulum, ergo non potest ibi cōseruari.

Respondent, non indigere pabulo, eò quod sit in propria sphæra, seu ob raritatem, sed neutra ratio sufficit: non prior, quia ob loci tantùm mutationem non potest ignis mutare naturam. Dicent, non mutare naturam, sed nō indigere pabulo, quia est in maxima quantitate, quare suis viribus potest niti, nec indigere alterius adminiculo, & rectè dicerent, si pabulum requireret ignis, ex eo quòd à contrario patiatur, sed non ita se habet, quamuis enim nullum adsit contrarium, non potest ignis esse apud nos sine pabulo. nam in fornace clausa nullū patitur ignis contrarium, & tamen deficiente materia statim euanescit, ergo non propter actionem contrarij, sed propter ipsius naturam indiget pabulo; cum ergo eādem habeat naturam sub concauo lunæ, ac apud nos, vtique non minùs ibi, quàm hic alimento indigebit. Altera quoque ratio ex raritate desumpta, non minori negotio reijcitur, tum quia, quò res est densior, facilius se tuetur, & consequenter quò magis est densus ignis, minùs indigere deberet extrinseco alimento; tum etiam quia apud nos quoq; posset esse rarus ignis, & consequenter pabulo non indigere.

Denique, si velimus admittere huiusmodi responsiones, nihil erit tam absurdum, quod defendi nequeat. dicam enim, exempli causa, cœlos ex glacie, vel recenti caseo confectos esse. Ad obiectiones autem, quę contra fieri possent, dicam, diuersam esse rationem de glacie apud nos, & in cœlis, vel quia ibi sit densior, vel rarior, vel ob aliam similem voluntariam rationem. Posset quoque defendi opinio illorum Philosophorum, qui,

qui, vt refert Plutar. opusc. de macul. in orbe lunę, dicebant, ab hominibus habitatam esse lunam. dicent enim, homines ibi non indigere nutrimento, eò quòd sint extra locum, vbi fiunt corruptiones, & esse immortales, & huiusmodi alia figmenta. oporteret ergo ostendere, ignem ob raritatem posse sine alimento conseruari, & tunc facilè crederemus, hoc contingere sub concauo lunæ.

Tertia ratio, si talis esset sphęra ignis, qualem auctores cōfingunt, nunquam apud nos hyems esset, immo maximos calores pateremur semper, probo consequentiam, quia maximus ille ignis calefaceret vniuersa, non enim sol est magis virtualiter calidus, quàm ignis, cum ignis habeat caliditatē in summo, at ille ignis esset longè maior, quàm sol, & nobis etiā longè propinquior, ergo multò magis calefaceret, quàm vnquam calefaciat Sol. Respondetur Doctores Conimb. corpora cœlestia cohibere ignem, ne reliqua elementa consumat, potissimùm verò Saturnū, & Lunam, sed hęc responsio & cōtra Aristotelem est, & contra veritatem; Contra illum, qui semper tribuit corporibus cœlestibus vim calefaciendi, nunquam verò cohibendi calorem: Contra veritatem etiam, quia influxus cœlestes fiunt medio lumine, quod est virtualiter calidum, & quamuis concederemus, aliquid frigoris à planetis deriuari, multò tamen maior est calor, qui à sole, & ab alijs stellis procedit, quare cum magis adiuuetur ignis, quàm impediatur à cœlo, non possumus ad ipsum recurrere, vt impediat ignem. Est etiam responsio voluntaria, qua vti licebit ad omnia absurda vitanda, nam & poterimus dicere, glaciem esse sub concauo lunę & ab ipsa luna impediri, ne diffluat.

Secūdò inquiunt, detineri ignis acrimoniam ab aere vicino illi repugnante humiditate, & frigore. verùm experimur, supra montes altissimos aerem nullam, aut minimam humiditatem habere, non igitur hac igni poterit resistere: quoad frigus autem, hoc est contra ipsorum placita, qui censent, aerem esse calidum, sed vtcunque sit, videmus, apud nos aeris frigus facillimè ab igne superari, non igitur est sufficiens ignis aduersarius. Confugiunt denique ad raritatem; quod effugium vt penitus pręcludamus, ostendam ex ipsorū principijs, rariorem esse apud nos ignem, quàm in propria sphæra, nam ignis apud nos est tantùm in poris alterius substantiæ, verbi gratia ferri, vel ligni, porrò in ipsis poris est tam rarus, quàm ipsius natura postulat, sicuti enim aer in poris existens, non est magis densus, quàm extra, ita etiam dicendum est de igne. Confirmatur, quia quando ignis in paruo spatio coarctatur, vt se rarefacere possit, magno cū impetu foras exilit, & aliquando corpora ipsa disrumpit, vt videmus in ęneis tormentis, at in poris non habet, à quo violenter detineatur, si igitur magis esset dēsus, quàm ipsius natura postularet, foras prosiliret, cum igitur ibi permaneat, signum est, habere raritatem sibi congruentem; at verò inter poros datur, alia substātia intermedia, ratione cuius partes ignis non inter se vniri, & condensari possunt, ergo re vera est maximè rarus, quia præter raritatem sibi

conna-

connaturalem, habent etiam hanc aliam accidentalem, quæ licet non tam propriè dicatur raritas, vt q. ę stio. 31. libri primi explicauimus, non minùs tamen actioni officit, in propria autem sphæra, quãuis habeat raritatẽ sibi congruentem, nõ habet tamen corpus aliquod inter medium, ergo minùs ibi dici debet ratus, quàm apud nos. Si verò dicant id, quod dicendum esset, ignẽ nostratem esse non tantùm in poris, sed etiam in substantia, vt nos supra explicuimus, fateantur quoque oportebit, non adesse sub cęlo ignem, quia ibi nulla est huiusmodi substantia.

Præterea etiam si demus, ignem ibi esse rariorem, quàm apud nos, libet calculos subducere, vt videamus, quid tandem ab hac raritate sit deducendum. Quæro ergo, quã proportionem habeat raritas ignis ad raritatem aeris? Dicunt fortasse sis esse decuplam, ego autem etiã si tantam esse non existimem, quia in cucurbitulis non est verisimile, aerem ex igne progenitum decimã tantùm partem spatij, quod est inter illas, occupare, quoniam oporteret, à carne totum reliquum spatium impleri, videmus autem intumescere quidem carnem, non tamen in ea proportione, nolo tamẽ in hoc eis repugnare. Sit igitur décuplo maior raritas ignis, quàm raritas aeris, hoc tamen posito, argumentor, aer quando in æstate est calidus, verbi gratia vt sex, magnũ etiam calorem in nobis gignit, raritas igitur aeris non impedit, quin calefaciat, vel frigefaciat, ergo ignis iuxta proportionem raritatis, etiam ipse calefaciet decuplò scilicet minùs, quàm aer, dũmodo cętera sint paria, at verò si cœtera non sint paria, erit diminuendus ille excessus, ea autem, ex quibus virtus agendi desumitur, sunt præcipuè duo, quantitas materiæ, & intensio qualitatis, at ratione hau͂ ignis magis excedit aerẽ, quàm ab eo ratione densitatis excedatur, ergo ignis magis calefacit, quã aer, quando est calidissimus. Probatur minor, quia sola ipsa quantitas ignis compensat excessum densitatis aeris; cũ enim ignis ambiat aerem, oportet, esse longè maiorem quòd si velimus, proportionem inter elementa seruare, quod maximè conantur Aduersarij, ea debet esse proportio totius ad totum, quę est in parte ad partem ex Aristot. 1. meteor. cap. 3. ita vt si particula aeris sit decuplo minor particula ignis, quæ in ipso aere gignitur, etiam totus aer sit decuplo minor, quàm totus ignis, iam igitur raritas ignis quantitate compensatur; remanet autẽ intensio caloris, quæ longè maior est in igne, quàm sit in aere, ergo multò magis simpliciter ignis calefaciet, quàm aer calidissimus, videmus autem, vix nos posse sustinere calorem ipsius aeris æstiuis diebus, quid ergo de igne iudicandum erit? nec refert quod ignis sit distans, nam multò magis distat sol. Præterea saltem aerem vicinum facillimè incendet; pręcipuè cum auctores, contra quos disputamus, velint, aerem esse calidum, & sic totus aer maximè calefiet ab igne, nunquam igitur erit hyems. Confirmatur, quia reperiuntur montes altissimi excedentes secundam regionem aeris, ergo cum hi sint igni valde propinqui, deberent ab ipso calefieri, cuius tamen contrarium experimur, quia in ipsis sęper hyems frigidissima

ſima regnat. Cōfirmatur ſecundò, quia cometes vnus, qui appareat, maximos calores gignere ſolet, cuius tamen nulla eſt proportio ad ignē qualis ergo erit calor, qui à tāto igne prodibit? Reſpondent non nulli, nō prouenire illū ęſtum à comete, ſed ab exhalationū multitudine, quarum ſignum eſt ipſe cometes; ſed hoc etiā parum refert, nā exhalationes illę & magnitudine, & caloris intēſione, igne elemētari erunt lōgè inferiores, ergo ſi ab illis tātùs calor emanat, quātus erit ab ipſo igne expectādus? Cōfirmatur tertiò, quia alioqui eſſet otioſus ibi ignis, immo in vniuerſum ignis eſſet otioſus, nam natura ſua eſt ita ratus, vt in propria ſphæra reperitur, atcum illa raritate non poteſt calefacere, fruſtra igitur natura dediſſet illi calorem ſummum, cum eo vti non poſſit ad calefaciendum, & fruſtra eſſet ibi ſub cœlo tanta moles calida, & ſicca, cum neq; calefacere, neq; exſiccare poſſit. Cōfirmatur quartò. Natura ſuperuacanea vitat, & ſi vno medio adipſci aliquid poteſt, nō adhibet duo, at ad res omnes fouendas, & calorem in rebus ſublunaribus conſeruandum habet potentiſſimum medium, nempe ſolem, ergo non eſt credendum, aliud etiam adhibuiſſe, nempe ignem. Quintò ex motu alicuius corporis iudicium ferre poſſumus de eius quiete, natura enim eſt principium motus, & quietis, at nunquam ignis ita mouetur, vt perueniat ad ſphæram illam, quæ ponitur eſſe ſub concauo lunæ, ergo neque ibi quieſcit: Minor probatur, quoniam cum alia materia non poteſt ignis ad eam aſcendere, quia ab ea detinetur, ſine ea verò non poteſt apud nos exiſtere, ergo verè numquam ad eam pertingit. Confirmatur, quia ſi verum eſſet, quod aliqui ſomniantur, flammam reſolui in quemdam ignem inuiſibilem, qui aſcendat vſque ad concauum lunæ, quando adeſt ignis in aliquo cubiculo, totum illud cubiculum hoc igne inuiſibili repleretur, & trabes comburerentur; ſi dicas, ab aere corrumpi, ergo multò magis extra cubiculum, vbi & aer eſt frigidior, & in multò maiori quantitate.

Auctoritatibus idem probatur.

SECTIO III.

Auctoritate nos maximè vrgent aduerſarij; dicunt enim, ſuam ipſorum ſententiam omniū philoſophorum, immo, & omniū hominum eſſe. Agè igitur oſtendamus, neque nos auctoritate deſtitui, immo illis præſtare, ſi non multitudine, certè grauitate auctorum. Im primis ergo.

Pythagoreorum ſententiam fuiſſe, ignem non ſub concauo lunæ eſſe, ſed in centro mundi, teſtatur Ariſtoteles 2. cœl. tex. 73. & Plutar. 3. de plac. phil capit. 11. quare nobiſcum verè ſentiebant, immo doctrinæ noſtrę fidei, quæ docet, ſub terra eſſe ignem inferni, non poterant congruentiùs loqui.

Sed quod caput eſt, Ariſtoteles verè cenſet, nullum eſſe ignem ſub concauo lunæ, atque id etiam probat primo meteor. capite 4. eius enim hæc ſunt verba. *Su-*

periores distantia plena sunt corpore aliquo, & igne quidē impossibile, quia exsiccarentur vtiquè alia omnia. Et infra; *quod enim est sursum, & vsque ad lunam dicimus esse corpus alterū, & ab igne & aere, quinimmo, & in ipso loco quidem purius esse, illud autē minùs sincerum. & differentias habere, & maximè quà definit ad aerem.* Nota nō dicere *quà definit ad ignē, sed ad aerem*, censet igitur Aristoteles, inter aerem, & cœlum lunæ, esse corpus aliud ab igne, & ab aere, quod veritati quidem non videtur admodum cōsonum, quia non potest explicari, quod nam sit hoc corpus, nobis tamen sufficit, non esse ignem: Et infra inquit, hoc corpus appellari quidem ignem, tamē re vera ignem non esse, ait enim. *In medio igitur, & circa medium est grauissimum, & frigidissimum segregatum terra, & aqua, circa hæc autem, & contigua his etiā aer, & quod per consuetudinem vocamus ignem, non est autem ignis excessus enim calidi, & caloris feruor est ignis.*

Respondent Conimbric. Aristotelem non de essentia ignis loqui, sed de nomine, quamuis enim existimet, supra aerem esse essentialiter ignem, tamen inquiunt, nō propriè appellari ignem, quia hic significat non ignem tantùm, sed ignem cum materia, sicuti glacies non tantùm aquam significat, sed aquam concretam. Verùm difficultate non caret hæc responsio, primùm quia liceret hoc pacto eludere omnes auctoritates, diceremus enim, non loqui de re, sed de nomine. Præterea Aristotelem balbutientem, & loqui nescientem faciunt, dum volunt, ipsum re vera admittere ignem sub cœlo, & tamen ibi eum negare, quasi tam infans fuerit, vt nesciret hoc asserere, si hoc voluisset. Tertiò rationes eius conuincunt, se loqui verè de elemento ignis, nam inquit, omnia conflagratura, si tantus ibi adesset ignis, & tandem explicat, quid per ignem intelligat, scilicet excessum calidi, item inquit, corpus illud, quod est sub cœlo, esse veluti materiam potentia calidam, & frigidam, siccam, & humidā, idest nullam sibi intensam qualitatem vendicare, sed aptam esse ad omnes recipiendas, quæ de igne nequaquam dici possunt, hic enim est actu calidus maximè, & siccus, Aristoteles igitur ostendit, se non existimare, ignem verè esse supra aerem, & potius dicendum est, ipsum admittere nomen, & negare essentiam, quam concedere essentiam, & nomen negare, vt Conimbr. affirmant. Aristoteli annecti potest Hyppocrates, qui in lib. de flat. ait, totum spatium, quod inter cœlum, & terram intercedit, aeris plenum esse, græcè autem est *πνεύματος* idest spiritus, quo Conimbricenses inquiunt, comprehendi non solùm aerem, sed etiam ignem, sed falsò. nam spiritus nomine vetus, atq; aer intelligi solet, non autem ignis, cumque Hyppocrates asserat, totum hoc spatium plenum esse spiritu, ostendit, se nō de duplici corpore loqui, sed de eodem, cum autem totum hoc spatium non possit esse plenum igne, sequitur, vt plenum dicatur aere. Seneca quoquè in eadem est sententia, & eādem tamquam ab omnibus receptam, tradit lib. 2. natural. quæst. cap. 4. & sequentibus inter alia enim hæc etiam habet: *Aer est, qui cœlum terramquè connectit, qui ima, ac summa sic separat,*

vt ta-

vt tamen iungat, & infra *aer autem, vt dicebã, & cœlo, & terris cohæret*. Testis *accedit* etiam Plinius, qui li. 2. cap. 38. de aere agens, *hoc*, inquit, *cœlum appellauere maiores, quod alio nomine aera omne*, quod *inani simile*, hoc autem extendi vsque ad concâuum lunę, nec aduersarij negant.

Fauet huic sententiæ etiam sacra scriptura, quæ in descriptione creationis mundi meminit terræ, aquę, & aeris, non autem ignis, inquit enim. *Creauit Deus cœlum, & terram, & spiritus domini ferebatur super aquas*, nomine spiritus aerem intelligens, totum etiã ipsum aerem sæpe cœlum vocat, vt dum aues cœli nominat, qua locutione ostendit, cœlo ita proximum esse aerem, vt veluti vnum corpus cum ipso efficiat, quem loquendi modũ sunt diuersimodè imitati poetę, vt ille, qui dixit: Ante *Mare, & terram, & quod tegit omnia cœlũ*, & Ausonius in Gripho Ternarij: *Tres charites, tria fata, triplex vox, trina elementa* & ante eum Plautus in amphis: *ita mihi videtur oĩa Mare, terra cœlum consequi*. quare, & M. Tull. lib. 5. de finib. *Natura* (inquit) *sic ab his inuestigata est, vt nulla pars cœlo, mari, terra, vt poeticè loquar, prætermissa sit*. Addit autem *poeticè*, vt Auctor adagiorũ in adagio *aut terra aut mari*, notat, quia poetæ tria tantùm elementa agnoscunt; Idẽ etiam ex eo ostẽditur, quòd dicunt, Prometheũ ignẽ è cœlo suffuratum esse, innuentes, è cœlo haberi ignem, non verò ab aliqua sphęra, in qua consistat. Eidem sententię subscribit S. Hieronimus epis. ad Fabiolã, vbi mysteria vestis Aaronicę enarrans inquit, *vestis hyacintina à capite vsq; ad talos veniens indicat, aerẽ de cœlis vsq; ad terram fusum, mala autem punica, & tintinnabula in inferioribus posita, fulgura tonitruaq; demonstrant, siue terram, & aquam, & omnium elementorum inter se consonantiam, & sic sibi vniuersa perplexa, vt in singulis omnia reperiantur*. S. Augustinus ab ijsdem non dissentit, nam lib. 2. de gen. ad litter. cap. 3. inquit *ignẽ velle quidem sursum ascendere, sed circũfusi, & superfusi aeris præpoliẽti constipatione subinde extingui, & in eius qualitatem subinde commutari*, quare concludit, non alium esse ignem supra aerem, quàm cęlum. *Itaque*, inquit, S. Augustinus *super aerem purus ignis dicitur esse cœlum, vnde etiam sydera, atque luminaria facta coniectant*; quæ fuit etiam opinio Timęi, & Platonis, immo etiã Ægyptiorũ, & Chaldęorum, vt refert Franc. Patritius to. 4. disquis. Peripateticar. lib. 7. Qui li. 22. Pãcosmias Zoroastem quoque, Hermetem, & Orpheum philosophorum antiquissimos sub cõcauo lunæ ignem non agnouisse, testatur. His addi possunt Rabanus, & Strabus, quos refert Mag. Sentent. in 2. distinct. 17. asseruisse, Paradisũ terrestrem pertingere altitudine sua ad lunarẽ globum, ex quo intelligitur, eos tamquam certum supposuisse, ibidem non esse ignis sphærã, nõ enim locus aptus fuisset tam amæno loco. S. quoque Basil. homil. 7. in exam. eidem suffragatur, nam supponit, aquam esse in longè maiori quantitate, quàm sit ignis, & huius rationem reddit, porrò si daretur ignis sphęra, falsa esset eius suppositio, longè enim maior esset ignis, quàm aqua.

Gggg 2 Deni-

Denique neminem fortè ex veteribus inuenies contrariæ sententiæ pattocinari, nam veteres per ignem supra aerem nil aliud quàm solem, & astra intelligebant, quæ ignea esse credebant, vt refert Aristot. lib. 1. meteor. cap. 3. Antiquorum enim referens opinionem inquit. *Quicunque autem ignẽ purum esse aiunt id, quod ambit, & non solum, quæ feruntur corpora, idest non solum astra, sed etiam cœlum, quod autem intermedium terræ, & arborum aerem, &c.* & quàuis Anaxagoræ videatur tribuere hanc sententiã de sphæra ignis sub cœlo, tamen re uera non de sphera ignis, sed de cœlo ipso loquitur, nam sequitur, Anaxagoram *æthera vocasse corpus illi proximum.*

Hunc autem fuisse sensum antiquorum, dum dixerunt, supra aerem esse ignem, confirmari etiam potest ex verbis S. Augustini supra adductis, quibus cœlum dicit esse ignem supra aerem ad illorum mentem, & ex ijs etiam, quæ ait Seneca libro 2. natural. quęst. capit. 10. de aere enim loquens ait *Summa pars eius est siccissima, calidissimaque, & ob hoc etiam tenuissima propter vicinitatem æternorum ignium, & illos tot motus syderum assiduumq; cœli circuitum.* Peruulgata igitur fuit hæc sententia, cœlos, vel saltem sydera ex igne constare, & ex ea videtur hæc alia longè improbabilior dimanasse, quòd ignis inter cœlũ & aerem reperiatur, improbabilior, inquam, nam sol, & stellæ calefaciunt instar ignis, & fulgent, non autem sphæra illa posita sub concauo lunæ.

Argumentis Prioris Sententiæ satisfit.

SECTIO IV.

Ad primum, quod est potissimum huius sententiæ fundamentum, respondent quidam, falsum esse, quòd ignis sursum ascendat, neque probabilitate hæc responsio caret, nam videtur sequi motum materiæ, in qua est, in prunis enim ardentibus descendit, in flamma autem ascendit, quia flamma nil aliud est, quàm fumus accensus; cum ergo fumus ascendit, simul cũ eo ascendit ignis. Cõfirmari potest hęc sententia, quia si ignis ascẽderet deberet secũ ferre, lignum, sicuti .n. vter aere plenus aquę supernatat, & alia ẽt, quę alioqui descenderent, si aere impleantur, super aquam ascendunt, ita vt etiam cadauera hac ratione super aquam fluitent, quia aere referta sunt, cum tamen viua ad ima descendant; ita etiam ignis si verè leuis esset, secum ferret materiam nõ adeo grauem, qualis est lignum. Confirmatur etiam ex tormentis bellicis, ignis enim re vera fertur in eam partem, quam tormentum ipsum respiciebat, vel quaquauersum expanditur, at si ad ascendendum propensionem haberet, statim ac extra tormentum esset, sursum eleuaretur.

Dices, in eodem tormento adest pila plumbea, quæ quamuis grauis sit, tamen & ipsa rectà fertur ob impetum vi tormenti explosi illi impulsum, ergo non mirum, si etiam ignis non sursum feratur. Est tamen adhuc aliquale

le discrimen quia pila plumbea vi ignis, eijcitur, quare non mirum, si propriam grauitatem non sequatur, sicuti neque proiecta, quia determinantur à virtute proijcientis; at verò ignis non ab alio compellitur, sed à se ipso, quamuis etiam dici possit, ex resistentia, quam reperit, ex parte superiori effici, vt in anteriorem tantùm feratur. Præterea igneę impressiones, vt capræ saltantes, lanceæ, columnæ, fulgura, & id genus alia non sursum ascendunt, cum tamen in illis videatur prædominari ignis. Adhæc, si quid probat hoc argumentum, licebit etiã concludere, fumi sphætam adesse sub cœlo, cũ fumus quoque ascendat. Vel non erit maior ratio, vt hinc colligamus, adesse ignis sphęram sub cœlo, quàm ipsum cęlum, vel sydera esse ignem, & ad ea tendere hunc nostratem. Verum cum constet, fumi sphæram sub cœlo non adesse: posset quis quærere, cur fumus ascendat, sicuti etiam cur exhalationes calidæ, nullaque alia videtur afferri posse ratio, nisi ipsemet calor, qui videtur secum leuitatem ferre, quamuis enim dicere possimus, hoc prouenire à cœlo, quod calida ad se trahat tamquam sibi magis affinia, attamen non videtur cœlum id efficere alio instrumento, quàm ipsomet calore, ex propria igitur natura calor tendit sursum, quare cum ignis sit calidissimus, videtur maximè in superiora niti, & hoc nihil videtur probabilius. Concedendum est igitur argumento, ignem tendere sursum, sed neganda consequentia. ergo sphęra ignis, quæ siue adsit, siue non, nihil refert ad motum ignis, cum constet (vt rectè dicebat S. Augustinus) ignem numquam totum aerem transcendere, non ergo ascendit, vt ad suam sphæram pertingat, quia semper frustraretur suo fine, quod in motibus naturalibus non est concedendum.

Præterea notandum est, non semper ex grauitate, vel leuitate elementorum, eorum etiam ordinem, & locum licere colligere, quod in aqua extra controuersiam est, nam locus eius naturalis, si leuitatem spectemus, esset supra totam terram, & tamen plurimi montes sunt, quos nunquam aqua superat, & maxima pars terrę aquis non est operta, quod prouidentissima sapientia ita disposuit Deus ob hominum habitationem, & bonum ipsius vniuersi. Eodem igitur modo fateor ego quidem, locum ignis proprium ratione leuitatis esse supra aerem, eum tamen locum assero non posse ignem adipisci.

Primò, quia semper coniunctus est cum aliqua materia, quam semper ibi habere non posset.

Secundò, quoniam nimium calorem, & siccitatem in hæc inferiora produceret.

Tertiò, quoniam melius fuit, hoc totum spatium aere repleri, qui & aptior est ad quaslibet cęli influentias recipiendas, & minùs impedit cęlorum conspectum, & meteororũ generationi est magis accomodatus.

Quartò, quoniam in centro terræ ad pœnas ab impijs desumendas locus est igni destinatus.

Dices, ergo ignis semper erit in statu violento, quia semper extra suã sphęrã, & tota species priuata erit, & frustrata suo fine, otiosaque esset

esset ipsius leuitas, si nunquam locum ipsi congruentem posset attin gere. Respondeo, etiamsi hoc daremus, nullum fore inconueniens, ob vniuersi enim bonum decet par tẽ aliquid incõmodi pati. Præterea addo, non esse ignem in statu violento, quamuis enim ratione leuitatis illi conueniat locus sursum, quia tamen indiget pabulo, per accidens est illi etiam naturale, materiæ pabuli affixum esse, non igitur patitur violentiam ab extrinseco, sed suopte ingenio in inferioribus moratur. Vrgebis, ergo proprietates contrarias habebit. Respondeo, non habere contrarias per se, quia indigere pabulo non repugnat per se leuitati; sed aliquã do tantùm per accidens, quod nullum est absurdum.

Præterea neque semper est in statu violento, aut suo fine frustratur alia ratione, quia scilicet naturale est igni, non solùm esse in loco sublimiori, sed etiam ascendere, & hi duo actus ad eãdem potentiã spectant, quamuis igitur non habeat priorem actum, quo quiescat in sublimi, habet tamen posteriorem, quo ascendit, sæpe supra aerem, quod sufficit, ne dicatur ignis esse in statu violento, aut otiosa vel suo fine frustrata leuitas. Vide etiam responsionem ad quintum:

Ad secundum respondeo, si vim haberet hoc argumentum, longè minorem, quàm, ab omnibus constituatur, fore aeris sphæram, nam etiamsi paululum tantùm altissimos montes excederet, proportionem in quantitate cum terra, & aqua non seruaret. Dicendum est igitur, proportionem, quam seruare debent elementa inter se, esse in actiuitate, non verò in quantitate, ne scilicet ab vno elementa cętera consumãtur, & quia ignis est maximè actiuus, detrahendum illi fuit ex quantitate, ne nimium alia elementa superaret.

Ad tertium respondeo, ob hanc rationem dici posse aerem illũ, qui cęlo proximus est, esse calidissimũ, vt dicebat Seneca, non verò Ignẽ, quia ignis per motum excutitur tãtùm ex corporibus solidis, non autem ex aere. Ego tamen, vt liberè dicam, quod sentio, illum aerem existimo frigidum esse potius, quã calidum, nam dato quòd cœlum lunæ moueatur, (quod tamen Astrologi, huius tẽporis potissimũ, negant, vt supra monuimus, quibus in his rebus magis est habenda fides quàm philosophis) motu frigesit potius aer, quàm calefiat, vt patet ex illo, quem flabellis ciemus, & constat, quòd si quis globũ aliquem velocissimè moueat, non propterea aerem vicinum calefaciet, vel si calefaciet, hoc non erit ob motum immediatè, sed quia globus ille motu calefiet, & calore ipsius etiam aer, cum autem cę'um non possit calefieri, neque aer, ex eo quòd mouetur, calorem concipiat, nulla est ratio, cur motus cęli dicatur, ipsum aerem calefacere. Si dicas, aerem atteri ab ipso cęlo. Respondebo, hoc falsum esse, nã & ille aer cęlo propinquus cęli motum sequitur, & licet non sequeretur, nõ propterea attereretur, quia adhoc opus est, vt fit inter duo corpora solida, quæ ibi non adsunt.

Ad quartum respondeo, vel argumentum loqui de corpore actu existente in loco superiori, vel de eo, quod in superiora ferri potest; si de priori, respondendum est, esse aerem, hic enim occupat supremũ

premum locum actu: si de posteriori, fatemur, hunc esse ignem, nō tamen concedimus, eum locum sibi vendicare, ob rationes in respō sione ad primum adductas.

Ad quintum respondeo, vel per locum proprium, intelligunt connaturalem, & hunc fatemur esse supra aerem, addimus tamen, non indigere hoc loco ignem, vt conseruetur, quia in loco nulla adest virtus conseruatiua corporis, nisi fortè per accidens, quia locus coniunctus sit cum corpore sibi simili; vel per locum proprium intelligunt locum, quem sibi de facto vendicat elementum, & ita dicimus, ignem de facto esse in centro mundi, & in multis alijs partibus diuisim, quia ita congruebat bono vniuersi, vt supra diximus. sicuti etiam ob eumdem finem videmus, non exactè reliquorum elementorum loca seruari, nam aqua, quæ totam terræ superficiem operire deberet, in partem quamdam est compulsa, terra ipsa etiam cacuminibus montium aeri non modico supereminet, aer verò etiam in cauernis sub terra sæpe latitat, neque inconueniens esset, quòd aliqua regio, vel ciuitas careret igne actuali, quia non careret virtuali, & facillimè posset denuo gigni ignis, vel ex lapidibus, vel ex reflexione radiorum solis.

Ad sextum dicimus, non carere mūdum elemento, nam ponimus, ignem esse elementum, sed in quātitate, quæ maximè decet conseruationem, & pulchritudinē ipsius vniuersi.

Ad septimum respondeo, ex cōmuni Philosophorū placito, ignitas impressiones non sub concauo lunæ, sed in suprema regione aeris accendi, neque verò ab igne, nam & aduersarij fatentur, ignem in sua sphæra ob raritatem non cōburere, sed ob luminis reflexionē, ob motum, & ob antiperistasim, vt Aristot. docet 1. meteor. sum. 2. c. 1. Confirmatur, quia exhalationes sæpe etiam accenduntur prope terram, vt ignis fatuus, capræ saltantes, & qui dicuntur Castor, & Pollux, vel in media regione aeris, vt fulgura, neque tamen ibi adest ignis. Retorquetur etiam argumentum, quoniam cometæ aliquando visuntur supra lunā, vt docet Tyco lib. 2. de recentioribus phenomenis, ergo si est exhalatio, ascendit supra totam sphæram ignis, quod est impossibile, tum quia transcenderet locum proprium ignis, tum quia ab igne tam magno tota exhalatio consumeretur: Si non est, ruit totus discursus de cometis, & omnino si exhalationes in sphęra ignis accenderentur, ab eadem etiam consumerentur.

Ad octauum respondeo, totum hoc spatium, quod est inter Cœlum, & terram, esse plenum aere, & ad primam impugnationem negatur, ibi esse aerem violenter, quia loca elementorum naturalia, non iuxta maiorem, vel minorem distantiam à Cęlo, vel à centro, sed tantùm penes ordinem aliorum corporum sunt distinguēda, quare dummodo aer non sit supra ignem, vel infra aquam, aut terram, semper est in loco suo naturali; sicuti etiam aqua, si terra peruia esset, descenderet vsque ad centrum, neque tamen esset ibi violenter, sed naturaliter, quia supra se non haberet aliud corpus grauius, nec infra, aliud leuius.

Ad vltimum respondeo, Aristotelem

telem 2. cęli probare quidem, dari elementum ignis, quod & nos cōcedimus, non tamen ignem actu existere sub concauo lunæ, cū hoc alibi neget; 1. autem meteororum. cap. 4. dum inquit, in suprema regione aeris adesse ignem, respondeo, loqui de igne in potentia, non in actu, scilicet de exhalatione sicca, nam immediatè antea dixerat. *Et est vapor quidem potentia velut aqua exhalatio autem potentia velut ignis*; & immediatè sequitur: *Cur igitur in eo, qui sursum est, loco non cogantur nubes hanc existimandum est esse causam, quia non inest aer solum sed magis ignis* scilicet potē ia, de quo supra dixerat. Denique clarissimè suā sententiā exposuit Arist. 1. meteor. sum. 2. cap. 1. his verbis: *Propterea hoc modo ordinatum est, quòd in circuitu: primo enim sub circulari latione est calidum, & siccum, quòd dicimus ignem: innominatum, .n. est, & commune in omni fumosa disgregatione: attamen quia maximè natum est tale corpus exuri, sic necessarium est uti nominibus, sub hoc autem natura aer.*

Dices, adhuc Aristoteles est cōtra nos, quia censet, non adesse ibi aerem. Respondeo, Aristotelem velle spatium supra aerem plenū esse exhalationibus siccis. quas etiā nos fatemur sursum ascēdere frequentes, & idcirco negasse ibi esse aerem, quare verè non est contra nos.

De elementorum proportione quoad magnitudinem.

QVÆSTIO IV.

Prima sententia de proportione decupla.

SECTIO V.

NOn defuerunt, qui dicerent, elementa habere inter se decuplam proportionem, ita vt aqua sit decuplo maior terra, aer decuplo maior aqua, ignis verò aere, ita Doctores Parisienses 1. metaph. quæst. 3. Probatur hæc sententia 1. ex Aristotele 3. cœli tex. 47. & 1. meteor. sum. 1. cap. 3. Sicuti se habet pars ad partem elementi, ita etiam se habet totum ad totum, sed ex vna minima parte aquæ fiunt decem minimæ aeris ex secūdo de generatione tex. 37. ergo etiam totus aer est decuplo maior tota aqua, idemq; de cœteris dicendum.

Secundò, 1. meteor. sum. 1. c. 3. probat Aristoteles, inter cœlum, & terram non esse vnum tantùm corpus, quia aliàs non daretur proportio quantitatis inter elementa. Supponit ergo, dari proportionem, non autem aliam, quàm ab ipso explicatam tex. 37. 2. de gen. scilicet decuplam.

Tertiò. Datur proportio inter elementa quoad qualitates, & locum, ergo vt ordo inter ipsa optimè seruetur; & vnum non sit potentius alio, debet esse quoque proportio quoad magnitudinem.

Quartò. Aequa pars materiæ cuilibet elemento est tribuenda. Diuinæ

naturæ.n. prouidentiæ ratio id postulare videtur, sed eadẽ quantitas materiæ, quæ ob densitatem efficit vnam partem terræ, propter raritatem efficiet decem partes aquæ, ergo inter hæc elementa datur decupla proportio.

Communis, & vera sententia.

SECTIO II.

COmmunis sententia est, non solùm non adesse decuplam proportionem inter elementa, sed etiam nullam posse assignari. Probatur prior pars diffusè ab Alex. Piccolom. lib. de quãtitate aquę & terræ, à Christophoro Clauio cõm. in c. 1. sphęræ, & à Doct. Conn. 2, de cœlo c. 5, q. 2. Et quidem aquã non esse maiorem terra, probant; quoniã superficies terrę aquis detecta non maior est, vel non valde minor, quàm sit superficies aquæ. Nam verè an sit maior, vel minor, cum nondum totus orbis sit cognitus, non potest certò definiri; at verò profunditas terræ longè maior est, quàm aquæ, huius enim altitudo vix ad duo, aut tria milliaria peruenit, cum terræ profunditas, siue Diameter iuxta communiorem Mathematicorum sententiam milliaria 6070. contineat, ex quo planè efficitur, vt longè maior sit quantitas terræ, quàm aquę.

Noto tamen, non adeo firmam, ac ipsi putant, esse hãc rationẽ. Nã quis scit, an totus ille diameter, quẽ terrę ascribunt, verè terrã vbique pertranseat? Infernus certè iuxta theologorũ doctrinam nõ minimũ sub terra spatij occupat. Pręterea sicuti in mari post aquã reperitur terra, ita etiam pluribus in locis, si fodiatur terra, aqua inuenitur, vt frequẽtes putei testãtur, quare quãta sit quantitas terræ, & aquæ, nõ potest certò sciri, licet aquã nõ esse decuplo terra maiorem, meritò in dubium verti non possit.

Quoad aerẽ autem cõmunis sententia est, longè maiorẽ profunditatem habere, quã terrã, dicunt.n. eam continere 52. milliaria, aut circiter, probant, quoniam si vlterius protẽderetur aer, altiùs quoq; apparerent impressiones ignitę. Nam cum his prędominetur ignis, dicendum est, eas ascendere supra totũ aerem, sed non ascendunt nisi ad 52. milliaria, ergo tanta est, & non maior aeris altitudo.

Verũ infirmum est hoc argumẽtum, nõ.n. credibile est, ignitas exhalationes ascẽdere supra totũ aerẽ, ex eo quòd accẽsę sunt, nã eadẽ ratione carbones accensi supra aerem ascenderent, quod est falsum. Confirmatur, quia multę etiã ignitę impressiones in media aeris regione degunt, alioqui fulgura nũquã ex nubibus deciderent, cũ nubes sint in media aeris regione, sed vel sursũ eleuarentur, vel ex suprema aeris regione absq; vllo fragore, & tonitruo descẽderent. Cõfirmatur, quia si accẽsio esset causa, vt ascẽderẽt, multò magis impediret, ne descẽderẽt, atqui videmus sępe, huiusmodi exhalationes igneas descendere, veluti stellas cadentes, ergo nõ ex eo quòd sunt ignitę, simpliciter ascẽdunt. Præterea si supra aerẽ volitare deberent huiusmodi exhalationes igneæ, nõ minùs etiã supra ignẽ ascenderent. Ratio est, quia ignis sub concauo lunæ ponitur ab ipsis maximè rarus, ergo ẽt minùs leuis, quàm ignis densior, densitas enim non est causa grauitatis, sed augęt virtutẽ, quã reperit,

rit, & sicuti inter grauia, quæ sunt densiora, sunt etiam grauiora, ita inter leuia leuiora sunt minùs rara; sicuti enim non minùs calor, quàm frigus, à densitate roboratur; ita etiam leuitas, & densitas, cum enim totus ignis sit leuis, quò plus ignis simul reperitur, plus quoque leuitatis aderit, idque cernimus in igne nostrate, qui quò est densior, cœteris paribus eò facilius etiam ascendit, magna enim flamma, & densa citiùs ascendit, quàm parua, & rara. Ratio ergo, cur altius non ascendunt exhalationes igneæ, duplex est, altera, quia eleuantur virtute solis, cuius radij e terra reflectuntur, hæc autem virtus cum minor sit, quò magis à terra distat, non potest vlterius eas eleuare. Altera est nimia frigiditas ipsius aeris, quæ earum ascensum impedit, nō quidem per se, sed per accidens quatenus resistit calori, sine quo eleuari non possunt, quò enim aer à terra magis distat, magis etiam est frigidus, cum neque à reflexione radiorum solis, neque ab igne vicino, qui nullus est, calefiat.

Prætereà non est omittenda eorum sententia, qui affirmant, non solùm ad supremam, quæ fingitur, regionem aeris ascendere posse exhalationes, sed etiam vsque ad firmamentum stellarum, quod ex stella, quæ anno Domini 1572. in constellatione Cassiopeę apparuit, & alijs similibus, quæ varijs temporibus effulserunt, ac deinde euanuerunt, non parum confirmari videtur, eas enim stellas non fuisse partes cœli, ex eo ostenditur, quòd & cum antea in cœlo non essent, inceperunt, & nō diu post euanuerunt. Videntur igitur fuisse exhalationes? Porro non extitisse in aeris regione, probatur, quia periti astrologi notauerunt, eam stellam eundem situm retinuisse inter stellas fixas, quacunque ex parte mundi aspiceretur, quod si infra lunam fuisset, non contigisset, sed pro regionum diuersitate, diuersum etiam situm in ordine ad stellas ostentasset.

Verior tamen sententia est eam stellam exhalationem non fuisse, quia cum magnitudine cęteras omnes stellas superaret, immo etiam ipsum solem, vt testatur Tycho, totum terræ, & aquę globum, oportuisset, in exhalationes verti ad ipsius materiam constituendam. Negandum tamen non videtur, vsq; ad concauum lunæ aliquādo exhalationes ignitas pertingere, vel si cœlum, (vt recentiores astrologi docent) est fluidum, super lunam etiam ascendere, præcipuè si cometas non aliud esse, quàm exhalationes ignitas, defendere voluerimus. Sæpe enim super lunam fuisse visos docent astrologi, præcipuè Tycho lib. 2. de Mundi Aetherei recentioribus Phęnomenis. Hanc porro stellam anni 1572. genitam fuisse in cœlo, est communior astrologorum opinio, in quam valde propendet Christophorus Clauius in c. 1. sphęræ, cuius verba hic non grauabor referre, inquit igitur. *Quæ cum ita sint, ita mihi persuadeo, Stellam, vel tunc à Deo Opt. Max. procreatam esse in cœlo octauo, vt magnum aliquod portenderet (quod cuiusmodi sit, adhuc ignoratur) vel certè in ipso cœlo gigni posse Cometas, sicut in aere, licet rarius id contingat: quod quidem apertè fatentur non pauci ex antiquis philosophis, multiq; ex recentioribus*

tioribus complures auctoritates, & historias, adducunt, quibus persuadeant, sæpius stellas eiusmodi longis temporum interuallis, alias ad aliud significandum, in cælo exortas esse, Hoc si verum est, videant Peripatetici, quomodo Aristotelis opinionem de materia cæli defendere possint. Dicendum enim fortasse erit, cælum non esse Quintam quamdam essentiam, sed mutabile corpus, licet minùs corruptibile sit, quàm corpora hæc inferiora: quod sanè ante Aristotelem Plato cum multis alijs philosophis sensit & post Christum nō pauci, inter quos D. Ambrosius, Basilius, Gregorius Nissenus, & cætera ferè Ecclesiæ lumina non obscurè docuerunt. Hactenus Clauius.

Quoad ignem autem, omnium elemētorum maximum ipsum esse, qui sub luna eum statuunt, fingunt, tribuunt .n. illi profunditatem milliarium 120578. cumq; orbis quoque eius sit longè maior, quàm reliquorū, efficitur, vt ignis proportionem habeat ad aerem maiorem, quàm 865803. ad terram verò maiorem, quàm 38289. vt deducit Clauius loco supracitato.

Verùm quis non videat, quàm improportionata, & indecens sit hæc proportio? si enim parua scintilla apud nos magnam struem lignorum succendit, quomodo tantus ignis reliqua omnia elementa non vorabit? scio, ipsos recurrere ad raritatem, sed est debile effugium, quamuis .n. ponamus hanc remittere vires ignis, attamen non tollit, quin sit summè calidus, summus autem calor in tam magna mole non posset non summum gignere calorem in hæc inferiora. Nam & Aristoteles 1. meteor. ca. 3. argumentabatur, totum mundum calore consumptum iri, si cœli essent ignei, quāuis sint remotiores, & dici posset, non esse densiores igne. Confirmatur ex ipsorum dictis, nam & Clauius, & Doctores Connimb. asserunt, exhalationes igneas ab aere supremo, qui ignis vicinitate est valde calidus, absumi; si ergo calor ab igne deriuatus in aerem hoc potest, quid non efficiet in ipso igne? Confirmatur, quia licet sit rarus, est tamē in suo statu naturali, ergo in statu, quo potest optimè vti calore, & siccitate ad agendum, quia omnes res meliùs vtuntur instrumentis suis naturalibus, quādo sunt in statu sibi connaturali, quàm quando sunt in statu violento, quia status connaturalis supponitur esse optimus, cum ergo calor, & siccitas sint instrumēta, quibus ignis agit, raritas, quæ est illi connaturalis, nō poterit impedire eorum actionem. Omitto, quod etiam supradixi, & probaui, ignem per aduersarios esse rariorem in ferro, in quo tamen maximè comburit, quàm in propria sphæra. Quare concludēdum est, quod etiā supradiximus, commentitiam omnino esse hanc sphæram ignis.

Dices, nos admittere in aere eādem, immo etiam maiorem improportionem, quàm sit illa, quam in igne impugnamus, respondeo, in aere nullum inferre inconueniens hanc improportionem, quia aer quamuis sit summè frigidus, non est tamen admodum actiuus, & à cœlesti calore continuè refrangitur, quare non est improportionatus aer, quia conferendus est etiam cum cœlis, at verò ignis, & est maximè actiuus & adiuuaretur etiam à calore cœlesti, quare nihil

obstaret, quin omnia consumeret, non est ergo in eo admittenda hęc tam magna quantitas.

Altera pars sententiæ cõmunis, ꝙ scilicet inter elemẽta non possit assignari certa proportio, cui ego quoque subscribo, probatur facilè tum quia certa quantitas cuiuslibet elementi non potest certò sciri, tum etiam quia eorum quantitas sæpe variatur, cum modò crescant pluuijs aquæ, modò calore absumantur.

Argumenta in contrarium discutiuntur.

SECTIO III.

AD primum respondeo, maiorem esse falsam, & minorem incertam, falsa est maior, quia nulla est necessitas, vt eamdem proportionem habeat totum ad totum, quã pars habet ad partem, nisi sumantur partes proportionatæ, & determinatæ, vt si quis diceret, decima pars terræ est minor decima parte aquæ, ergo etiam tota terra est minor aqua, at in supradicto argumento sumitur pars terræ indeterminata, & ex maiori densitate fit transitus ad maiorem quantitatem, quamuis autem minimum terræ habeat decimam proportionem ad minimum aquæ, non tamen certum est, terram non habere plura minima, quã habeat aqua. In sensu ergo, in quo assumitur ab aduersarijs, quòd scilicet eamdem proportionẽ in magnitudine habeat tota aqua ad totam terrã, quã habet aquæ pars ad partem terræ, quę fit ex ea producta, negatur illa maior, quia alioqui sequeretur ẽt, omnes res rariores esse maiores.

Minor quoque, quòd pars aquæ habeat decuplam proportionem ad partem terræ, est incerta, quia neque potest terra immediatè cõuerti in aquam, neque etiam si cõuerteretur, possemus certi esse, nõ etiam aliquam partem esse conuersam in aerem, quare non liceret veram proportionem inuenire.

Ad secundũ conãtur aliqui explicare Aristot. quasi nihil aliud sibi voluerit, quã quod si ex tota terra fieret aqua, aquam declupo maiorem futuram, quàm terram. Alij verò, Aristot. considerasse id, quod debuisset esse secundum elemẽtorum naturam, non autem id, quod est de facto propter salutem viuentium: Alij, Aristot. voluisse tantũ, esse aliquam proportionem inter elementa, assignasse autẽ decuplã exempli gratia. Verũ non videtur satisfacere, quia verè Aristot. intẽdebat probare, non vnum tantùm elementum esse inter cęlum, & terram, ergo oportet, de facto voluisse, esse aliquam determinatam proportionem, & non excedentem eã, quæ inter partes ipsorũ reperitur. Dicendum ergo potius mihi videtur, Aristotelẽ illam rationem attulisse tamquam probabilem, non tamquam certam, cum .n. tempore ipsius maxima pars orbis incognita esset, & eam crederent antiqui aquis obrutam esse, non mirum, si iuxta id, quod per quasdam rationes probabiliores verisimiliùs videbatur, philosophatus est.

Ad tertiũ. Iam supra ostendimus, etiam quoad qualitates, & locum non esse obseruandas has proportiones inter elementa, sed considerandũ potius vniuersi bonum, & viuentiũ salutẽ, & cõmoditatẽ.

Ad quartũ, negamus ęquã partẽ materiæ singulis elementis esse tributam,

batam, quia bonum, & ordo vniuersi hoc non postulabat, & nulli iniuria fiebat.

De elementorum figura.

QVÆSTIO V.

Sphæricam figuram sibi vendicare elementa ex multorum sententia.

SECTIO I.

IMpugnat Aristoteles 4 cœli c 8. Plat. & alios antiquos, qui diuersas, & determinatas figuras elementis tribuebant, quibus tamen non obstantibus contendunt nonnulli, elementa habere figurā sphæricam tamquā sibi connaturalem, quibus assentiūtur ēt Doct. Conn. 4. cœli c. 8. q. 1. Probatur hęc sententia primò, quia cum totum vniuersum globosum sit, æqum fuit, primarias illius partes, idest elemēta eādem formā suo modo fortiri.

Secundò, quia & cœlesti corpore, quod circulare est, continentur, & centrum ambiunt, quod est circuli fundamentum.

Tertiò. Natura, vbi non adest repugnantia, tribuit rebus sphæricā figuram tamquam perfectiorē, & vnitati magis affinem, videmus. n. hanc figurā, & animantiū mēbris, & arborum truncis, & fructibus, & lapidibus, prout cuiusq; ratio ferebat, tribuisse, ergo non est credendum, eādem elementis denegasse.

Quartò. Terram, & aquam sphęricam figuram habere Mathematici, & Atologi pluribus probant, vt videre est in Sacrobosco c. 1. suę sphæræ, & eius commentatoribus, vt quod omnibus tum in terra, tū etiam in aqua degentibus non simul oriatur, & occidat sol, vt cōtingeret, si essent in plano, & quod è portu soluentibus priùs bases ędificiorum abscondantur, quàm tecta, & alijs similibus.

Quintò. Eadē figura toti aquę, & partibus conuenit, partibus autem competere figuram sphæricā, multis ostenditur; Nā & guttæ, siue in aere, siue ēt in terra cadētes conglobātur in orbē, & in poculis repletis media maximè tument. Et cōfirmatur à Doct. Connimb. quia cum inclinatio illa ad rotunditatē conseruādi sui gratia à forma oriatur, oportet illi esse connaturalē.

Sextò. Quod verò ad ignem, & aerem spectat, probatur idem, quoniā claudūtur hinc orbe lunę, hinc verò globo terræ, & aquę, ergo & ipsi figura orbiculari præditi sunt.

Opposita sententia.


SECTIO II.

EContra, quòd alia figura, quā sphęrica, cōstent, suadetur primo, quia ignis, vt patet in flamma, figuram pyramidalem imitatur.


Secundò. Si aqua figura sphærica affecta esset, totum terræ globū ambire eam oporteret; Nam terra est in centro, cum ergo etiam aqua tendat in centrum, oporteret vndique terram cingere.

Tertiò. Si terra esset sphęrica, multa sequerētur absurda. Primū, quòd homo, dū mouetur, vel ambulat, velocius moueret caput, quā pedes. Probatur consequentia, quoniam in motu circa centrum, quæ magis distant à centro, maiorem circulum efficiunt, si autem terra est sphærica, ergo dum quis circa eam mouetur, efficit motū circularem, & æquali tempore capite describit

scribit circulũ maiorẽ, quã describat pedibus, ergo caput velociùs mouetur. Item sequeretur, ędificia ad perpendiculum constructa, latiora esse in parte superiori, quàm in inferiori. Nam lineę rectæ tendentes à circunferentia ad cẽtrum, quò magis centro appropinquant, eò minus etiam inter se distant, sed perpendicula per lineam rectam tendunt ad centrum, ergo si terra sit sphærica, minùs in inferiori loco distabunt, quàm in superiori. Tertiò efficietur, nullum pauimentum ad perpendiculum constructum planum esse, sed sphæricum. Nam perpendicula cũ per rectas lineas tendant in centrum, efficient necessariò circulum. Et confirmatur, quia à superficie plana nõ possunt plures rectè lineæ, & æquales ad centrum deduci, vt patet in hac figura.




Sed perpendicula, quibus pauimenta librantur, sunt æqualia, & tendunt ad idem centrum, ergo non poterunt terminari in pauimentum planum, sed in sphæricum, aut curuum, vt in hac alia figura patet.




Quartò,

Quartò, sequitur etiam, si aqua ex eo quòd tendit ad centrum mũdi, esset sphærica, quòd vas quodcunque plus aquę reciperet in loco inferiori, quàm in superiori, verbi gratia, ad radices montis altissimi, quàm in cacumine eiusdem. Nam quò minor est circulus, eò et partes ipsius magis sunt sphęricę, quare palmus circunferẽtię circuli minoris, multò magis curuus apparebit, quã palmus circũferentię maioris circuli, sed superficies aquæ in vase existẽte in loco inferiori erit pars circuli minoris, & superficies eiusdem in loco superiori erit pars circuli maioris, ergo in loco inferiori magis intumescet. Consequenter plus aquæ in eodem vase erit, vt in sequenti figura videri potest.



Quintò, sequitur etiam, vt si quis in pauimento, vel solo verè plano ambulet, non rectè incedat, sed ascendat, aut descendat. Nam ille ascendit, qui à centro recedit, ille verò descendit, qui centro appropinquat, at qui in plano ambulat, numquam est in æquali distantia à centro, sed semper vel in maiori, vel in minori, ergo semper ascendit, aut descendit, vt ex subiecta figura patere potest.

Quid



Quid in propositâ difficultate sit dicendum.

SECTIO III.

Elemento figuram aliquam cō uenire, dupliciter intelligi potest, vel ex eo quòd illud elementū eam figuram naturaliter exposcat, vel quia illum habeat, vndecūque tamen illam receperit. In priori sensu.

Sit prima conclusio, elementis nulla figura per se, & ab intrinseco competit. Probatur ab Aristotele hæc conclusio pluribus argumentis 3. cœli tex. 66. & sequentibus primò, quia pyramis non componitur ex pyramidibus, neq; in eas resoluitur, at ignis componitur ex partibus, quæ habent naturam ignis, & si diuidatur, partes etiam eamdem retinebūt. Secundò, quia si haberent propriam figuram, necessariò daretur vacuum. Tertiò, quia elementa figurantur à continente, ergo nullam habent propriam. Quartò, quia tunc multum non posset componi ex elementis, cum hæc retinere non possint in mistis proprias figuras. Probatur præterea, quia videmus, elementorum naturas conseruari sub quacunque figura, cum sint corpora homogenea, & nullam habeant determinatam quantitatem.

Secunda. Conclusio figura, quā habēt elemēta in propria sphæra, maximè accedit ad circularem. Probatur argumentis supra relatis pro prima opinione. Diximus tamen, accedere, non habere, quia re uera excepto fortassis aere, quoad partem conuexam, quæ cum sit contigua cœlo, necessariò est omninò sphærica, reliqua elementa non eam perfectè possident, non terra, & aqua, quia cum simul efficiant vnum globum, altera earū per se sumpta non erit perfectus globus; aer etiam secundum partem concauam, à montibus, & vallibus impeditur, ne sit figuræ perfectè circularis. Ignis verò, vt sæpius diximus, non habet propriam sphæram, nisi dicamus, esse in inferno, quem probabilissimum est esse figuræ sphæricæ, apud nos autem, vel retinet figurā misti, quod depo-

depascitur; vel habet figuram pyramidalem, eò quòd materia, in qua est flamma, nō est vniformis, sed habet partes crassiores, quæ in imo detinent flammam, & leuiores, quæ faciliùs ascendunt, & quia inter has sunt quædam etiam leues magis, idcirco paulatim in modũ pyramidis se conformant.

Argumentis pro contraria parte satisfit.

SECTIO IV.

PRimum, & secundum argumẽtum pro prima sententia supra relata probant tantùm primam nostram conclusionem, scilicet elemẽta in propria sphœra ab extrinseco circularem figuram recipere.

Ad tertium fatemur, circularẽ figuram esse perfectissimam, & à natura in multis rebus intendi. Dicimus tamen, magis congruum fuisse elementorum naturæ, & vniuersi bono, vt nullam sibi vendicarent figuram, ita enim, & vacuũ faciliùs excluditur, & ab extrinsecis terminis nullam patiũtur iniutiam.

Quartum argumentum est pro nostra prima conclusione.

Ad quintũ respondeo, partes minimas aquæ in orbem conglobari, tum vt contrariã siccitatem fugientes vndique circumobsistẽtem, se faciliùs tueantur: tum etiã quia cum sint fluidæ, si qui anguli in eis essent, statim aliò confluerent; dum etiam è tegulis, vel alio loco decidit aqua, orbicularem figuram assumit, quia partes eius omnes descendere satagunt, nec priores tantum habent ponderis, vt ab alijs euelli possint. Ad confirmationem respondeo, figuram circularem per accidens conferre ad aquæ cõseruationem, quatenus scilicet non habet partem ab alijs diuulsam, per se autem nihil confer re, cumque hoc non proueniat ex coniunctione, quam figura circularis cũ aqua habeat, potius quã cũ alia re, sed ex natura figuræ circularis absolutè, non hinc sequitur, figuram circularem esse aquæ connaturalem, sicuti etiam ex eo quòd plures homines in orbem conglobati ab inimicis faciliùs se tuentur, non potest colligi, figuram circularem connaturalem esse pluribus hominibus.

Sextũ argumentum non indiget solutione, probat enim tantũ nostrum primum dictum.

Ad primum pro secunda sententia iam responsum est in secunda conclusione. Reliqua dicimus rectè concludere, neque esse absurda ea, quæ ab ipsis inferuntur, quã uis videantur esse contra sensum, quia tam minimas differentias sensus non percipit.

An detur elementum purum?

QVÆSTIO VI.

PVrum illud dicitur, quod admistum non habet aliquod extraneum, saltem se ignobilius; Nam in hominum existimatione impurum non censetur, quod nobiliori se est mistum, non.n. dicitur impurum argentum, quod est auro mistum, sed aurum impurum, quod argento. Hic tamen sumitur purum latiori significatione, vt ignobilius; & nobilius etiam excludit. Sed hoc etiam contingere potest dupliciter, vel quoad substan-

tiam, vel quoad accidentia, quoad substantiam, vel vt excludat mistionem tantùm substantialem, vel etiam, vt excludat accidentalem. Dicetur .n. impurum substantialiter, si non ex simplici forma, & materia elementari constet; accidẽtaliter verò, si habeat interpositum aliud corpus. Denique dicetur impurum quoad qualitates, si non habeat qualitates sibi connaturales, vel non in gradu connaturali, vt si ignis non sit summè siccus, & calidus, & hic est sensus magis communis, sed nos omnes examinabimus.

Quod igitur spectat ad puritatẽ qualitatũ, respondent Doct. Conimb. sect. 1. problem. de terra, quæ est post lib. de cœlo problem 1. ignem prope cœlum, & terram prope centrum esse hoc pacto puros. Alij dixerunt, nullum dari posse elementum purum, quia cũ qualitates primæ augeri possint in infinitum, & elementis debeãtur qualitates in summo, sequitur, numquam eas habere in statu connaturali.

Dicendum tamẽ mihi videtur, non solum ignem, & terram; sed etiam aquam, & aerem aliquando in sua puritate reperiri, non quidem secundum se tota, sed secundum aliquas partes. Probatur, quia elementa, nisi adsit extrinsecum impedimentum, se reducunt ad suum cõnaturalem statum, sed nõ semper, & vbique adsunt hæc impedimenta, ergo. Confirmatur, quia ignis est maximè actiuus, & facilè omne contrarium ex se expellit, aer in media, & multò magis in suprema regione secundum nos est frigidus, & siccus, præcipuè autem sub polis, aqua etiam ipsa in aliquibus locis est summè frigida, & siccitatem non admittit, terra autem ob densitatem suam non videtur contrarium admittere in partibus suis maximè abditis, & profundis. Est tamen de hac peculiaris difficultas, quoniam sine humiditate non videtur posse consistere, vt docet Aristoteles 2. de gener. tex. 49. ergo cum in profundioribus suis partibus sit maximè consistens, non poterit esse pura, quod & probabile est, & si admittamus ob vniuersi bonum, nullum videtur inconueniens. Respondere tamen poterit, si contrarium sentiamus, intelligendum esse Aristotelem de terra, vt concurrente ad mistionem, quia tunc oportet, redigi in minimas particulas, quæ nisi humore contineantur, diffluent.

Ad illud, quod elementis debetur qualitas in summo, quæ non potest esse nisi infinita, respondeo, saltem naturaliter non posse qualitates vsque in infinitum intendi, elementis autem deberi in summo gradu, quem naturaliter tantùm assequi possunt.

Quoad puritatem verò à mistione accidentali, dicendũ est, elementa secundum totum ambitum suæ sphœræ aliquod corpus extrinsecum habere interpositum, nam aqua habet pisces, terra metalla, aer exhalationes, & meteorologica, ignis verò, qui non habet sphærã, saltem vt plurimum intra se aliquod aliud corpus retinet.

Sed maior difficultas est de puritate à mistione substantiali, quãuis alijs visa sit longè minor; Nam simpliciter affirmant, hanc reperiri in omnibus elementis, alioqui enim, dicunt, elementa non essent.

Mihi

Mihi autem duplex occurrit difficultas. Prior est de igne, cuius forma requirit materiam informatam alia forma, apud nos.n. patet, ignē numquam reperiri, nisi in aliquo misto, verbi gratia in ligno, in ferro, in fumo, ignem autem illum, quem ponunt in concauo lunæ, iā ostendimus commentitium esse, ostendimus etiam superiùs, ignem non tantùm esse in poris, sed etiā in ipsa substantia ligni, vel ferri, hic igitur ignis erit ne dicendus purus quoad substantiam? Videtur non dicendus, quia semper habet admistam aliam formam. Dicerem ego, esse quæstionem de nomine, quia de re iam satis constat iuxta nostram sententiam, poterit igitur dici purus, quatenus non habet aliquid, quod suæ naturæ repugnet, cum hæc postulet esse in misto, poterit dici impurus, quatenus est simul cum alia forma. Posterior difficultas est, an elementa cœtera, quę sunt apud nos, sint verè elementa, nam quamuis rectè nonnulli dicant, elementa non fore elementa, si non haberent formam simplicem, sed mistam, hoc tamen ipsum est, de quo quærimus, an terra, quam pedibus calcamus, sit verè elementum terræ, vel sit aliquod mistū. in quo tamē quia valde excellit, & prædominatur terra, elementum terræ à nobis vocetur, & idem quæri potest de cęteris elementis. Qua in re mihi videtur dicendum, esse verè elemēta, quamuis saltem vt plurimum, quæ sunt apud nos, & mistionem accidentalem habeant, & non sint pura quoad qualitates. Probatur prima pars, quoniam si elementa, quæ sunt apud nos, non essent vera elementa, nullam nos possemus cognitionem habere de veris elementis. Omnis enim nostra cognitio ortum ducit à sensibus, si ergo sensibus elementa vera non patent, ergo neque intellectui, & quā uis aliquam cognitionem de ipsis ex ipsorum effectibus habere possemus, non tamen esset adeo clara, & certa. Præterea videmus, ex his elementis, quæ sunt apud nos, cōponi mista, & nūquam cernimus, ea resolui in alia elementa, ergo sunt vera elementa; Nam cum mista omnia non sint perpetua, & debeant aliquando resolui in ea, ex quibus constant, sicuti videmus, resolui & lapides, & metalla, terra etiam, & aer, quæ sunt apud nos, aliquando dissoluerentur, si essent mista. Confirmatur, quia elementorum proprium est, non posse nutrire, at constat, hoc verum esse de elementis, quæ sunt apud nos. ergo verè sunt elementa. Secunda verò pars patet sensibus quoad mistionem accidentalem, at ex ea etiam sequitur alia pars de impuritate qualitatum, quia si diuersa corpora sint propinqua, sibi vtique inuicem qualitates proprias communicabunt, & hac ratione Aristoteles in hoc 2. tex. 20. negat, elementa apud nos esse simplicia.

Disputatio Secunda.

De qualitatibus Elementorum actiuis.

TRia genera qualitatum in elementis ponuntur, quædam enim motiuæ appellantur, & sunt, grauitas, & leuitas, quibus elementa ad sua loca feruntur: quædam verò actiuę, quę dicuntur esse qua-

tuor, calor, frigus, humiditas, & ſiccitas. Tertium verò genus eſt qualitatum ſecundarum, quales ſunt raritas, denſitas, figura, opacitas, & id genus aliæ. Motiuę datæ ſunt elementis, vt vniuerſi ordo ſeruaretur. Actiuæ ad miſtorum generationem: Reliquæ verò præcipuè quidem ob ipſa elementa, tum verò etiam vt vtrique muneri accommodata eſſent, & quoniam de elementis in hoc libro agitur in ordine ad miſtionem, & generationem, tractatus de qualitatibus actiuis eſt in eo præcipuus, & diſputationem de motiuis meritò antecedit.

An rectè quatuor elementorum qualitates actiuæ, primæ qualitates appellentur.

QVÆSTIO VII.

Negans ſententia non paucis roboratur argumentis.

SECTIO I.

IMmeritò dici primas, nõ paucis ſuadere poſſumus argumentis. Primum eſt: ſunt aliæ qualitates his priores, ergo hæ non ſunt primæ: conſequentia eſt euidens. Probatur antecedens multis addu-ctis teſtibus. nam lux prior eſt his omnibus qualitatibus; illa enim qualitas eſt prior, cuius ſubiectum eſt prius, ſed prius eſt cœlum, quã elementum, ſaltem ordine naturę, & nobilitatis, ergo etiam lux, quæ eſt propria eius qualitas, antecedet elementorum qualitates.

Confirmatur, quia inter primas qualitates calor eſt prima, & potiſſima, & tamen à luce producitur, ergo eſt ea poſterior.

Secundum, ſunt in elemẽtis qualitates virtuales actiuæ, quibus medijs hæ formales producuntur, ergo hæ non ſunt primæ. Probatur maior, quia aqua calida formaliter, eſt virtualiter frigida, non minùs quàm piper, ſiue vinum, quando ſunt frigida formaliter, adhuc ſunt virtualiter calida, ergo vtrobique eſt admittenda qualitas virtualis, vel nullibi. Sed clarum eſt, debere admitti in vino, & pipere, ergo etiam in aqua.

Tertiũ, non poteſt aſſignari ratio, cur potius hę qualitates actiuæ dicantur primæ, quàm raritas, leuitas, figura, &c. nam omnes proueniunt immediatè à forma ſubſtantiali, ergo nulla eſt ratio, cur vna prima vocetur, potiuſquàm altera. Si dicas, raritatem conſequi calorem, calor quoque aliquando conſequitur raritatem, & attritionem. Cõfirmatur, quia Ariſt. prius agit de grauitate, & leuitate in ſecũdo, & tertio de cęlo, quã de qualitatibus actiuis, de quibus agit in hoc ſecundo.

Quartũ, qualitates, quę dicũtur ſecũdę, vt color, odor, ſapor, ſonus, &c. ab illis quatuor nõ depẽdent. nam albedo coniuncta eſſe poteſt & cũ maximo frigore, vt patet in niue, & cum maximo calore, vt in calce, & idem dici poteſt de alijs.

Quintũ, in quolibet genere vna eſt tantùm prima cõtrarietas ex 1. phyſ.t.50. at ſi eſsẽt quatuor primę qualitates, duæ eſſent primę cõtrarietates in eodẽ genere qualitatis.

Sextũ, frigus, & ſiccitas nõ ſunt aliud q̃ priuationes caloris, & humiditatis, q. a recedẽte calore, cõſurgit frigus, & recedẽte humiditate, conſe-

consequitur siccitas, ergo nō sunt inter qualitates actiuas reponendæ.

Septimū, ex his qualitatibus frigus tantū, & calor sunt actiuę ex 4. meteor. capit. 1. ergo reliquæ duæ non debent inter actiuas connumerari.

Octauum, vel essent primæ in genere qualitatū, vel in genere qualitatū actiuarum, nō prius, quia lux est prior qualitas, non posterius, quia vel est sermo de actione perfectiua, & in hac quoq; lux est prior; vel de corruptiua, & hæ tantū quatuor sunt hac virtute agendi prędítę, ergo non sunt primæ, quia non est primus, qui non habet secundum.

Nonum, primæ qualitates dicūtur, quæ nec ex alijs, nec ex se mutuo fiunt, sed ex ipsis oriuntur cœterę at hæc definitio non conuenit prædictis qualitatibus, ergo hę nō sunt primę. Probatur minor, quia ab influētijs cœlestibus hæ omnes qualitates gignuntur, experimur .n. in mūdo sublunari maximā variationem in his qualitatibus ex sola variatione syderū aspectus, ergo non est vera prima pars, quòd non fiant ex alijs, neque verò secunda, quòd neque ex se mutuo; nam à calore oritur siccitas, & aliquando etiā humiditas. Si dicas, non oriri per se, vel non actione vniuoca, idem etiam dici poterit de qualitatibus, quæ secundæ appellantur, non enim vniuoca actione à primis producentur; & omnino videtur falsa tertia pars, vt ex quarto argumento patet.

Qua ratione admittēdū sit, supradictas qualitates eße primas.

SECTIO II.

NOn esse prædictas qualitates simpliciter primas ex dictis facilè cōstare potest, quia re vera lux & aliæ cœli qualitates priores sūt, quia tamē non est recedendum à cōi modo loquēdi, & nō est credibile, hūc loquēdi modū absq; ratione cōgruēti introductū fuisse, vidēdū est, quo in sēsu vsurpari debeat.

Primùm autem constat, nō fieri comparationē cum accidentibus cœli, sed tantū cū qualitatibus corporum corruptibiliū. Verùm cum multipliciter aliquid dici possit primum, vt origine, dignitate, causalitate, aut alio modo, rursus inquirendum est, qua nam ratione dicātur hę qualitates primæ.

Doct. Connimb. in hoc 2. c. 3. q. 2. art. 2. affirmāt, esse primas origine, & probant, quia generatio rei antecedit ipsius perfectionem, ergo ēt qualitates, quæ disponunt ad generationem, & illi sunt necessariæ, debent præcedere eas, quæ ad perfectionē eiusdem cōducunt. Cum igitur hæ quatuor per se requirantur ad generationem rerum, cœterę verò ad earū perfectionē; efficitur, vt meritò primę sint appellandę. Verū non caret difficultate hęc ratio. Nam & ex illis qualitatibus, quę secundæ appellātur, multę requirūtur ad generationē, raritas .n. & dēsitas plurimū generationi cōferunt, & in animalibus est quoq; necessaria figura, & organizatio. Dici īn posset, huiusmodi qualitates, .s. figurā, & densitatē, siue raritatē (nā organizatio nō est quali-

tas

tas distincta à figura & cęteris) cōuenire etiam corporibus cœlestibus, & idcirco excludi ab hac comparatione; qua moderatione adhibita verum est, esse primas origine, & requiri solas ad generationem saltem elementorum, quæ reliquas antecedit.

An sint primæ causalitate.

MAius dubium est, an sint primę causalitate, ideſt an omnes aliæ ex ipsis oriantur, quidam enim sine vlla limitatione simpliciter affirmant, oēs alias qualitates ex his primis oriri, immo addunt, etiā lumē in his inferioribus gigni à calore. Probāt primū quia nec in igne, nec in alio subiecto reperitur lumen sine aliquo calore, cuius rei nulla alia potest afferri ratio, nisi quia ab hoc illud oritur; Et confirmatur ex his, qui etiam in tenebris aliquid vident ob copiam calidorum spirituum in oculis residentiū, vt de Tiberio Imperatore Suetonius refert cap. 68. vitæ eius.

Quoad reliquas verò probatur, quia de ijs, quæ tactu percipiūtur, id docet Aristot. tum hic, tum etiā 2. de part. anim. cap. 1. in lib. verò de sensu; & sens cap. 4. tradit, sapores ex commistione humidi, & sicci, & actione calidi, & frigidi oriri. Idemque asserit de odoribus cap. 5. eiusdem libri, & cap. 9. lib. 2. de anima, & de coloribus sect. vltima problematū. & de somnijs idem innuit sect. 11. problem. Quòd etiam grauitas, & leuitas ab eijsdem proueniant, docet Arist. 2. de part. anim. cap. 3. & etiam ex eo probatur, quòd terra cum nimium incalescit, in exhalationem vertitur, & leuis fit, & aqua è conuerso frigore concreta grauior efficitur. Tandem idem colligitur, quia experimur, ex varietate harum qualitatum reliquas ferè mutari, vt sapores longè diuersi sunt in fructibus acerbis, ac in maturis, & in cibis crudis atq; coctis ob diuersitatem harum qualitatū, & idem dici potest de coloribus, & odoribus, vt notat Arist. lib. de sensu, & sens.

E contra non videtur credibile, qualitates omnes secundas ex primis oriri; quis enim sibi persuadeat, virtutes omnes herbarum, & tot differentias qualitatum secundarum ex sola commistione primarum qualitatum consurgere? profectò.n. si hoc verū esset, liceret nobis, leui artificio quoslibet sapores, quoslibet colores & omnino quoslibet alias qualitates producere, nā primas qualitates possumus diuersimode inuicem contēperare, per ignem .n. possumus calefacere frigida, & exsiccare humida, per aquam verò, calorem, & siccitatem remittere. si ergo color viridis, aut sapor dulcis resultat ex contemperatione qualitatum, in qua exempli gratia, calor, & humiditas duobus gradibus contrarias qualitates excederent, hac cōtemperatione ad inuenta, statim ille color, vel sapor consurget.

Præterea videmus, quòd quamtumuis inuicem contemperentur à nobis huiusmodi qualitates, nūquam possumus aliquem saporē, vel odorem, aut aliam similem qualitatem producere; ergo hæ nō ex illis simpliciter oriuntur. Tertiò quamlibet formam substantialem sequuntur suæ propriæ qualitates; si enim formæ elementorum, quæ sunt imperfectissimæ, habent suas pro-

proprias qualitates ab ipsis emanentes, cur non idem erit dicendum de formis substantialibus mistorũ, quæ sunt longe perfectiores? hę igitur qualitates, quę à forma substantiali dimanant, non vtique ex primis qualitatibus oriri dicendę sunt, quam sententiam adeo mordicus amplexus est Iul. Cęsar Scaliger, vt dicere non dubitauerit, exercitatione cõtra Cardanum 344. *Qui ad elementorum manifestas omnia reducunt qualitates, ipsi nihil aliud, quàm elementa sunt.*

Quæstionis resolutio.

PRo solutione notandũ est, primas qualitates causas esse secundarum, intelligi posse dupliciter, vel scilicet, vt ex ipsis tãtùm diuersimode commistis immediatè secundæ qualitates resultent, vel quia primæ qualitates prærequirantur necessariò, concurrantq; vel proximè, vel remotè ad ipsarum productionem. Priori modo negandum censeo, primas qualitates esse causas secundarum, vt rectè probant argumenta paulò antè adducta. Posteriori videtur concedendum, quoniam qualitates secundę vel oriuntur ex primis, vel ex forma substantiali misti, at hæc etiam forma substantialis medijs primis qualitatibus producta fuit, ergo qualitates secundæ vel proximè, vel mediatè à primis oriuntur. Adde, easdem primas qualitates esse veluti dispositiones ad qualitates secundas recipiendas. quare non mirum, si ad illarum corruptionem, hæ quoque aliquando deperdantur.

Ad primum pro contraria sentẽtia negandum est, calorem esse causam luminis; quod eo argumento potius colligitur, quã id, quod intendebant aduersarij. nam si calor est aliquando sine lumine, & lumen nunquã sine calore in sublunaribus, signũ est, lumen secũ deferre calorẽ, tamquam proprium effectum, non verò calorem gignere lumen. Antecedens negari quoq; posset, nam & noctilucæ, siue nitedulæ, & ligna putrida noctu lucent, & tamen calore prædita non sunt: auem etiam quamdam noctu instar ignis splẽdorem emittere, non solùm noui orbis exploratores tradunt, sed & Plin. lib. 10. cap. 4. Alb. Mag. de animalibus lib. 23. & Solin. cap. 21. & Simon Maiolus colloq. 6. dierum canicul. Ad experientiam de videntibus in tenebris respondeo, illam lucem non oriri ex calore, qui maior est in alijs partibus corporis, quàm in ipsis spiritibus, sed ex natura ipsorum spirituum, & pupillæ, quæ, vt apparet in fellibus, aliquid luminis participare videtur, sed de hoc pluribus in lib. de anima. Ad secundum in vniuersum respondere possumus, reduci secundas qualitates ad primas, tum ob quamdam proportionem, quam habent inuicem, sicuti etiam quatuor humores in homine ad quatuor elementa reducuntur, sanguis ad aerem, flaua bilis ad ignem, atra bilis ad terram, flegma ad aquam; tum quia prærequirũtur tamquam dispositiones: ex quo efficitur, vt nõ parum secundæ qualitates mutentur ad primarum mutationem. Præcipuè autem de sono hoc clarissimum est, quia sonus non potest effici formaliter à primis qualitatibus, sed tantùm dispositiuè, alioqui non posset de nouo effici sonus

in ali-

in aliquo subiecto, nisi etiam mutarentur eius qualitates, quod est manifestè falsum; & hoc pacto intelligendus est Aristoteles.

Maiorem difficultatem continet argumentum de leuitate exhalationum. Confirmari potest exemplo hydrargirij, quod igni appositum eleuatur velut fumus, & quodammodo euanescit; sed paulò post cum refrigescit in propria specie, deorsum recidit, ergo idem corpus modò est leue, modò graue solius caloris aduentu, vel recessu. Hoc autem argumentum in omni opinione difficultatem habet, vel enim dicendum erit, leuitatem comitari calorem quemcumque etiam extrinsecus accedentē, & tunc terra calida erit leuis, quod est contra experientiam, vel tantū de calore connaturali, & tunc experimenta adducta non erunt ad rē, in quibus calor leuitatem tribuens est extrinsecus. Si dicant, non sufficere calorem, sed requiri etiam raritatem, siue tenuitatem substantiæ, adhuc creditu difficile est, quòd remanente eadem forma substantiali elementari, à qua grauitas, & leuitas proueniunt, propter solam tenuitatem substantiæ, siue calorem etiam additū grauis fiat leuis. Immeritò enim diceremus, grauitatem esse proprietatē terræ, & leuitatem ignis, sed dici deberent hæ virtutes motiuæ sequi crassitudinem, siue tenuitatem substantiæ.

Quare alterum horum mihi videtur dicendum, vel scilicet huiusmodi exhalationes nō amplius retinere formam substantialē terræ, vel alterius corporis solidi, ex quo eleuantur, vel non acquirere leuitatem, sed impelli, siue trahi ab extrinseco. Si enim magnes vim habet trahendi ferrum, absquè eo quòd ipsum leue reddat, cur non poterit sol sursum trahere exhalationes, vel ignis sursum pellere vapores, absque eo quòd eorum substantia leuior re uera reddatur? Quod etiā ex eo confirmatur, quia si leues re uera redderentur, non tā citò cessante calore descenderent, cum leuitas non habeat contrariū; vel dicēdum esset, minui etiam simul cum calore, cuius nos contrarium cernimus. Confirmatur idē, quia res densa, quamuis calida, nō apparet leuior, & ratio est, quia grauitas rei densæ nō potest superari à leuitate caloris, sicuti quando per impulsum conamur mouere lapidem, sed irrito conatu, remanet lapis grauis, vt antea: at si per calorem, siue impulsum res fieret leuis, oporteret etiā minui eius grauitatem, antequam omnino superaretur. non igitur eo argumento probatur, leuitatem innatam à calore prouenire, vel à frigore, quod etiā ex eo impugnatur, quòd aer naturaliter est frigidus (vt infra videbimus) & tamen naturaliter est leuis, & licet etiam concedamus, esse naturaliter calidum, vt multi existimant, adhuc argumentum nobis suppeditat, quia in hyeme, quando est maximè frigidus, non desinit esse leuis, non igitur leuitas est effectus caloris, & grauitas frigoris.

Ad experimenta, quæ pro hac sententia adducuntur, respondeo, duplici ex capite mutari qualitates secundas ad mutationem primatū. Alterum est, eò quòd etiā fiat mutatio substantiæ, vt cū caro assatur, partes enim quædam humidiores, & frigidiores extrahuntur,

& idcirco partes remanentes aliũ saporem inducunt, nam si ex solo calore, & tenuitate, quas ab igne recipiunt, cibi forent sapidiores, sequeretur, vt si deinde frigescerent, vel aqua aspergerentur, pristinum saporem reciperent, quod falsum esse constat. Alterum caput est, quia qualitates primæ sunt dispositiones ad secundas. Hinc videmus, quòd quamuis eidem igni plurimi cibi apponantur, omnes tamen diuersum saporẽ recipiunt, & quamuis omnes fructus à calore solis ad maturitatem perducãtur; non tamen omnes eodem sapore, aut colore affecti sunt, non igitur calor, siue ignis, siue solis, est simpliciter causa saporis, aut coloris, sed tantùm disponit, præparatq; materiam, vt faciliùs qualitates huiusmodi recipiat, & in hoc sensu est Aristoteles intelligendus. Tertiò dici quoq; possunt hæ qualitates priores virtute, siue actiuitate, nam multò magis sunt actiuæ, quàm cęteræ. Quartò, communitate, quia nullũ datur ens, quod his qualitatibus careat infra cœlũ, mistum quidem nulla earum, quia eius contrariam qualitatem oporteret esse in summo, si autem aliqua ex his qualitatibus in summo reperiretur in aliquo misto, ipsum corrumperet, elementa autem duobus saltem prædita sunt, vt patet, at verò qualitates secundæ, vt sapor, odor, & id genus aliæ nõ sunt in omnibus, qualitates autem motiuæ sunt quidem in omnibus, sed diuisæ, quamuis etiam minùs graue dici possit leue respectu grauioris. Quintò, dicuntur primæ subiecto, quia conueniunt corporibus primis, scilicet elemẽtis, & quãuis qualitates motiuę elemẽtis quoq; insint, hæ tamen non ordinantur ad generationem, siue corruptionem rerum, neque sunt dispositiones ad alias qualitates, quare meritò nomen primarum qualitatum non sibi vsurpant.

Rationibus in contrarium adductis satisfit.

SECTIO III.

Ad primum concedimus, lucẽ esse priorem his qualitatibus actiuis, sed est extra ordinem qualitatum, de quibus hic loquimur, quia est perfectiua, non corruptiua, & conuenit primò, & per se corporibus incorruptibilibus.

Ad secundum à peritioribus philosophis non admittuntur hæ qualitates virtuales in elementis, & iure merito, quia actio, quæ illis tribuitur, congruentius formæ substantiali ascribitur. Maior autem dubitatio solet esse de qualitatibus virtualibus mistorum, quidam enim, quos refert. Colleg. Cõnimbricense in hoc 2. quæst. 2. art. 2. assert. 2. ita has qualitates virtuales negant, vt velint piper, vinum, & alia huiusmodi nõ insita caliditate ventriculum calefacere, sed accepta ab ipso ventriculo, quos rectè redarguunt iidem auctores, quia non posset piper maiorem calorem producere, quàm à ventriculo recepisset; Adde, quòd posset augeri calor in infinitum, nam ventriculus à pipere calefactus posset magis ventriculum ipsum calefacere, & iterum deinde magis à ventriculo calefieri, & ita progrederentur in infinitum.

Hinc argumentãtur Connimbr. necessariò concedendas esse huiusmodi virtuales qualitates, quæ

tamen necessitatem ego nō video, cur enim sicuti dicimus, ab aquæ substantia produci immediatè frigus, dicere quoque nō poterimus, à piperis substantiali forma prodire calorem? hæc enim virtualis qualitas, quę ab ipsis ponitur, oportet, vt habeat aliquam formalem entitatem, quia per esse virtuale non cōstituitur aliquid actu in suo genere. At quæ nam erit hæc formalis entitas? non possumus certè fingere, quidnam futura sit, nam deberet esse nobilior calore, & posset producere aliam qualitatem sibi formaliter similem, cuius tamē nullum vestigiū videmus. Censeo ergo probabilius, nō dari huiusmodi qualitates virtuales, neq; in mistis, sed ita nego qualitates, vt tamen virtutes admitiā, sed non distinctas ab ipsa substātiali forma.

Ad tertium patet ex dictis. Ad confirmationem respondeo, Aristotelem priùs egisse de grauitate, & leuitate, quam de calore, & cęteris. Quia elemēta priùs ab eo cōsiderantur, vt sunt partes constituētes vniuersum, quàm vt concurrūt ad mistorum generationem, qualitates autem motiuæ conueniunt elementis sub priori ratione consideratis, actiuæ vero sub posteriori. Dices, ergo illæ sunt priores, quia & ratio, sub qua eis conueniunt, est prior; respondeo, si considerentur elementa tantùm in ordine ad mista, verum esse, quòd motiuæ qualitates censeri possunt priores; at qualitates actiuæ deseruiunt etiam elementis secundum se, quia sunt dispositiones necessarię ad ipsorum formam substātialem. Aristoteles enim non seiunxit has duas considerationes primatū qualitatū, & meritò, quia ipsarū natura ex actione melius, quā aliūde cognoscitur, & ipsarū actio ad corruptionē, & generationē ordinat.

Ad quartum non est necesse respondere, quia confirmat nostram sententiam supra explicatam.

Ad quintum respondeo, textum illum Aristotelis intelligendum de differentijs contrarijs, siue contradictorijs, quæ proximè diuidunt genus, hę autē qualitates non sunt differentiæ diuidentes genus, & probabile est, non habere idem genus proximum.

Ad sextum cōcedit Cardan. lib. 2. de subtil. frigus, & siccitatem esse tantùm priuationes: quam sententiam defenderūt etiam quidā antiqui, vt refert Plutar. in opusc. de primo frigido, & ei etiam fauere videtur Aristot. qui in hoc 2. tex. 18. & 12. meteor. t. 22. appellat frigus priuationem caloris.

Præterea probatur, quia frigus gignitur ex caloris absentia, & siccitas ex absentia humiditatis, sicuti cœcitas ex absentia virtutis visiuæ, ergo sicuti hæc nil aliud est, quàm priuatio, ita etiam illæ. Confirmatur, quia hyeme omnia inuadit frigus, cuius nulla potest assignari causa positiua, sed tantùm negatiua, scilicet solis distantia, cuius præsentia, & calore hæc sublunaria priùs fouebantur: Confirmatur secundò, quia & frigus, quo in febri afficimur, non aliunde oritur, quàm ex absentia spirituum, à quibus membra calefiebant, & idē accidit in morte, statim enim ac anima recedit, frigescit caro.

Meritò tamen hæc sententia à Scaligero exercit. 18. contra Cardan. & ab alijs philosophis reijcitur, contra quam est potissimum argumentum, quòd nulla priuatio

aut

aut agere, aut resistere potest, & hinc fit, vt qualitates, quæ contrario carent, in instanti producantur, quia nulla adest in subiecto recipiente resistentia, at frigus, & siccitas & agunt, & resistunt. Ergo sunt qualitates positiuæ. Probatur minor sensibus, qui & dolore non paruo afficiuntur ob nimium frigus, pati autem non possent à priuatione; & non statim ad ignis præsentiam recipiunt calorem ob frigoris resistentiam. Præterea frigus non solùm frigefacit, sed etiã condensat, congelat, congregat eterogenea, & similia: nulla etiam daretur generatio, vel passio, neque vllum foret mistum, quia priuationes non miscentur habitibus. De siccitate maiorem video esse dubitandi rationem, quia non apparet tam claré eius actio, resistentia verò, quam patitur humiditas, oriri potius videtur ex densitate, quàm ex siccitate. Nihilominus nõ videtur discedendum à sententia communi, quam tradit etiam Aristoteles hic, & alibi sępe. Probat eam Scaliger, quia sequeretur, terram, vel aliquid aliud humectatũ non amplius exsiccari posse, quia si siccitas non est contrarium positiuum, ergo non est, à quo expellatur humiditas. Sed parũ est hoc argumentum firmum, quia qualitates, quæ contrario carent, solent ex se, nisi adsit contrarium, deficere, vel statim vt lux, vel paulatim, vt virtus impressa, qua mouentur proiecta. Probabilius videtur argumentum, quia quod contrario caret, non agit actione corruptiua, sed tantùm perfectiua, & ratio est, quia priuatio non videtur esse per se dispositio necessaria ad aliquam formam, quæ proinde ea recedente corrumpatur, at humiditas agit actione corruptiua, ergo verè destruit aliquod accidens positiuum. Adde, quòd neque videtur probabile, humiditati à sola densitate resisti, quare non est recedendum à communi.

Ad primum argumentum ex Aristotelis authoritate deductum respondeo, moris ipsius esse, ex duobus contrarijs positiuis, quod est ignobilius, priuationem appellare, eò quòd maior sit perfectio, qua subiectum priuatur, ipsum recipiendo, quàm perfectio, qua afficitur.

Ad secundum, respondeo, frigus non oriri ex absentia caloris, sed calorem deficere ob præsentiam frigoris. Ad primam confirmationem respondeo, absentiam solis non esse causam frigoris, nisi per accidens, quatenus scilicet desinit conseruare calorem. At vera causa frigoris est forma aeris, vel aquæ, vel terræ, quæ frigoris est productiua, & recedente contrario ad pristinum suum statum naturalem regreditur, aerem autem esse naturaliter frigidum, infra probabimus. Ad secundam confirmationem de frigore in febribus respondeo, nón oriri tantùm ex caloris absentia, sed etiam ex frigidis humoribus, qui remanent in partibus illis exterioribus, & ab ipsa forma mistionis, in qua cum prædominetur elementum terrę, adest etiam virtus frigefaciendi, & eadẽ ratione caro hominis mortui euadit.

Ad septimum principale dicendum est, omnes has quatuor qualitates esse actiuas, nam siccitatem, de qua posset esse maior dubitatio, esse actiuam, ostendit boreas frigidus, & exsiccans.

Dices, humiditas non videtur esse posse sine aqua, ergo res fit humida non per actionem humiditatis, sed quia ipsa humida substantia penetrat. respondeo, aquæ substantiam non posse omnes partes terræ, vel alterius corporis penetrare, consequenter necessariò concedendam aliquam actionem ipsi humiditati, cum totam terrã, vel aliud corpus totum videamus humidum reddi.

Ad octauum, iam explicuimus, quomodo hę qualitates sint dicendę primę, scilicet in ordine ad alias qualitates, quæ propriæ sunt corporum corruptibilium.

Ad nonum respondeo, illam definitionem esse primorum principiorum, non verò primarum qualitatum, quibus tamen aliquo pacto cõgruere potest. Nam hę non fiũt ex alijs in eodem genere, lux.n. de qua oritur calor, non est de genere earum, de quibus modò loquimur. Neque ex se mutuo, non quòd aliquãdo per accidens vna ab alia nõ fiat, sed quia non habent inuicem necessariam dependentiam, sicuti ab ipsis habent qualitates secundę, quę semper supponunt primas. Hæ verò non supponunt aliquam, nam & siccitas potest esse sine frigore, vel sine calore, & quælibet alia potest esse sine vnaquaque earum. Quomodo etiã ex ipsis oriantur cœteræ, iam supradiximus.

An rectè ab Aristotele fuerint qualitates definitæ.

QVÆSTIO VIII.

Definire videtur has qualitates Aristoteles in hoc 2. tex. 8. hoc pacto. *Calidum est quod congregat homogenea, & segregat eterogenea: frigidum quod congregat homogenea, & eterogenea simul: Siccum, quod facile terminatur termino proprio, & non alieno: Humidum, quod facile terminatur termino alieno, & non proprio, & eadem ferè reperit* 4. *meteor. cap.* 1.

Difficultates, quibus hæ definitiones premuntur.

SECTIO I.

Mvltas autem patiuntur difficultates hæ definitiones. Nam quod primo loco dicitur, calorem congregare homogenea, & segregare eterogenea, videtur potius tribuendum humido, quàm calido, quoniam effectus debet potius tribui causæ proximę, quàm remotę, at supradicti effectus calor est causa remota, humiditas proxima, ergo. Probatur minor, quoniam noalia ratione calor congregat homogenea, quàm liquefaciẽdo, quod est humidum reddere, dũ.n. metalla liquescunt, tunc eterogenea separãtur, & homogenea vniuntur, si verò calefiãt, & non liquescant, nulla fiet segregatio, aut vnio. E cõuerso etiãsi aliquod mistũ non calefiat, sed aqua dissoluatur, videbimus, eũdem effectũ sequi. Nam partes grauiores descendent, leuiores verò supernatabũt, ergo hic effectus non sequitur calorẽ, sed humiditatẽ. Confirmatur, quoniam si quando calor exsiccat, tunc congregat etiã eterogenea, vt patet in luto, in quo sunt paleę, vel capilli, quod si exsiccetur magis, quàm antea, cum illis eterogeneis efficiet vnum, si verò per aquam dissol-

dissoluatur, statim segregabuntur eterogenea. Confirmatur secūdò, quia non alia ratione frigus cōgregat omnia, nisi quia condensat, & exsiccat, ergo è conuerso segregatio ex liquefactione proueniet, nō verò ex calore. Dices fortasse, metalla nō magis esse humida, post quam igni fuerunt apposita, quàm antea, & tamen antea non patiebātur segregationem, sicuti postea, ergo hoc non humiditati, sed calori erit acceptum referendum. Verùm si hanc responsionem admittamus, in aliam dificultatem grauiorem incidemus, non rectè scilicet fuisse ab Aristotele definitum humidum, & siccum. Nam illud dicitur esse facile terminabile termino alieno, hoc difficile; at metalla antequā liquescant, non sunt facile terminabilia, liquescentia verò maximè, ergo vel hæ definitiones bonę non erunt, vel dicendum, metalla dum non terminantur termino alieno, esse sicca, dū verò nō proprio, esse humida. Dices, tunc humidum esse terminabile termino alieno, quando ab excedente frigore non condensatur, & à suo effectu impeditur. Sed rursus & ego instabo, idem dici posse de congregatione homogeneorū, nam eodem modo humidū ad hęc duo se habere videtur, statim.n. ac est terminabile alieno termino, segregat eterogenea; si verò hæc non segregat, neque est alieno termino terminabile, ergo vel vterque effectus est calori tribuendus, vel neuter.

Confirmatur etiam, quia vinum dum ebullit per calorem, nondum est purum, & defęcatum, at verò temporis progressu fœces subsidunt, & vinum purum relinquitur, quo fit, vt vinum vetus melius sit. Immo aliquando putrescit vinum ob nimium calorem, eò quòd è fœcibus ipsius vapores sursum ascendant, & vinum labefactent, quare solent trasfundi vina, & subduci fœces, vt ab hoc periculo eximantur, ergo calor cōgregat, & confundit eterogenea, & idem argumentum fieri potest de calore solis, à quo eleuantur vapores, & exhalationes, & aeri commiscentur, cum tamen sint diuersę naturæ; frigus verò est causa, vt iterum descendant, & ab extrinsecis impressionibus liberetur aer.

Præterea pharmaca componuntur ex mistis eterogeneis, neque tamen perfici possunt nisi medio igne, ergo à calore eterogenea vniuntur, & idem argumentum fieri potest de cibis diuersis, qui in vnum chylum à calore naturali ventriculi vniuntur.

Tertiò. Calor intensus vasa vitrea, & terrea frangit, ergo separat homogenea. Similiter dum glacies dissoluitur, aqua in varias partes diffluit, est igitur aqua ratio, vt homogenea segregentur. Si dicas, hoc fieri per accidens, dicam ego quoque, per accidens à calore homogenea vniri, vel eterogenea segregari, quia per se tantùm calefacit, vel rarefacit, & ex hoc per accidens sequitur, vt leuia sursum tendant, & grauia deorsum, atque segregentur eterogenea, & homogenea congregentur, quare si eterogenea sint æqualis ponderis, non ea calor segregabit.

Quartò. Etiam frigus segregat eterogenea; Nam vt diffusè docet Aristoteles 4. meteor. sum. 2. c. 3. quædam sunt, quæ calido, & sicco condensantur, vt sal, & vas

fictile,

fictile, quæ è contra frigido, & humido soluuntur: quædam verò ab igne liquefiunt, à frigore verò cõdensantur, vt metalla, ergo quoad congregationem, & segregationẽ par est uis, tum frigoris, tum caloris. Nam in his, quæ dissoluuntur à frigore, & humido, vt est sal, & lutum, eterogenea etiam segregantur, & cum ignis aliqua condensat, simul etiam congregat eterogenea, ergo totum discrimen in illis definitionibus allatum, vanũ est, & falsum.

Quintò. Aristoteles ipse 4. meteor. cap. 1. videtur hoc descrimen inter frigus, & calorẽ tollere ait. n. *Videntur autem in omnibus caliditas quidem, & frigiditas terminantes, & copulantes, & transmutantes, & ea quæ eiusdem generis, & ea, quæ non eiusdem generis.*

Sextò. Ignis est minimè humidus, immo in summo siccus, & tamen non minùs est terminabilis termino alieno, quã aqua, & idẽ di cĩ põt de aere, qui vel naturaliter est siccus, vt infra ꝓbabim⁹, vel saltem per accidens sæpe est talis, & tamen non minùs, quando est siccus, quàm cũm est humidus, est alieno termino terminabilis. Puluis etiam est siccus, & facillimè terminatur, ergo falsò dicitur, hoc esse proprium humiditatis. E contra verò aqua humidissima difficilè terminatur termino alieno, quia facilè effluit, & multò difficilius etiam oleum, quia magis penetrat, eò ꝙ sit humidius. Aquæ etiam gutta in orbem se conformat, quare habet terminum proprium, & multò magis in glaciem concreta.

Tandem etiamsi daremus, verũ esse, quod in his definitionibus dicitur, non adhuc concedendum esset, eas bonas esse, quia nõ datur per genus, & differentiam, sed per effectum secundarium, qui nullo pacto ad ipsorum essentiam spectat.

Quomodo intelligendæ sint dictæ definitiones.

SECTIO II.

OB difficultates supra adductas non ab omnibus eodem pacto hę definitiones intelliguntur, & recipiuntur. Pomponatius enim, & Buccaferr. 4. meteor. quos etiam sequuntur Connimbr. cap. 3. quæst. 3. art. 2. existimant, has definitiones non semper veras esse, sed tantùm vt plurimum. Magnus verò Albertus lib. 4. meteor. cap. 4. & Zimara proposit. 17. in theorema. asserunt, calidum dupliciter considerari posse, vel scilicet vt secundum propriam naturam operatur, vel vt est instrumentum animalis, priori modo sumptum dicunt congregare homogenea, & segregare eterogenea, posteriori verò etiam eterogenea congregare. Telesius autem ex definitione humidi colligit, ignem humidum esse, ex eo quòd facilè terminatur, quasi verò res debeant nostris definitionibus accõmodari, & nõ potius definitiones rebus, & satius non sit, definitionem humidi improbare, quàm sensus testimoniũ reijcere, addunt Connimb. Arist. non tam ex propria sententia, quã ex antiquorum philosophorũ sensu has difinitiones tradidisse, vt indicant illa eius verba (*vt aiunt*) tex. 54. Verùm alij rectiùs notant, Aristot. in eo textu non attribuere definitiones, quas hic afferr antiquis,

quis, sed tantùm quod calidum segreget, & frigidum congreget, cum ipse in tex. 8. dixerit, calidum non simpliciter segregare, sed tantùm eterogenea. Adde, quòd quã do definitiones ipsas tradidit, nullam fecit antiquorum mentionem.

Communis ergo sententia est, Aristotelem ex propria sententia, & tamquam verissimas has definitiones tradidisse; vt autem argumẽta contra ipsas allata; ac præcipuè contra definitionem calidi diluere possint, notant duo: Alterum est, per homogenea non ea tantùm intelligenda esse, quæ sunt eiusdem speciei infimæ, sed ea etiam, quæ sunt similia in grauitate, & leuitate, vel quæ facilè in vnam naturã conuenire possunt: Alterum, calorem congregare homogenea, quia efficit rara, quæ calefacit, ex rarefactione autem sequitur coniũctio partium homogenearum, quia quodamodo eis patefit aditus, qui per densitatem intercludebatur, & ita inter se facilè vniuntur, dilabentibus aliò partibus eterogeneis.

Verùm hæc non implent animũ meum. Quoniam si calor quatenus tantùm rarefacit, dici posset segregare, hoc potius tribuendum esset humiditati, vt in primo argumento dicebatur, vel saltem raritati, nec magis diceretur segregare eterogenea, quàm homogenea, cum hæc quoque rarefaciat, sicut frigus vtraque congregare dicitur.

Dicerem ergo, aliam virtutem considerandam esse in calore, videlicet sursum eleuandi, vt etiam notauimus quæstione præcedenti, hinc enim efficitur, vt homogenea æqualiter eleuata congregentur, eterogenea verò separentur, sicuti triticum purgari solet, dum ventilatur, quando & grana citius descendunt, & ventus quisquilias lõgiùs proijcit, triticum aũt, vtpote grauius, mouere nequit. Frigus verò dicitur congregare omnia, quia condensat, & exsiccat. Dices, ergo hic effectus tribui potius deberet siccitati, quàm frigori; respondeo, tribui potius frigori primò, quoniam hoc magis conuenit siccitati, quando est coniuncta cum frigore, quàm cum calore, vt patet in igne. Secundò quia considerauit hic Aristoteles effectum non in proprio subiecto, sed in alieno, vt enim probaret, calidum, & frigidum esse actiua, dixit, calidum oĩ gregare homogenea, frigidũ cõnia, actio autem respicit alterum. Quamuis ergo siccitas in subiecto, in quò est, sit causa condensationis, & congregationis, non tamen est causa respectu alterius subiecti, quia est minimè actiua; frigus verò habet hanc vim etiam extra proprium subiectum, quæ ratio etiam in humiditate, & calore locum habet.

Quoad definitiones autem sicci, & humidi notandum est, duplicem esse terminabilitatem, vel interminabilitatem. Prior est quodamodo passiua, & ab extrinseco. Posterior verò etiam actiua, & ab intrinseco. Dicitur illa passiua, & ab extrinseco, quia nullam conferente vim passo reducitur ad actũ, sed tantùm alterius actionem recipiente, hoc pacto facile est terminabile quodlibet rarum, quia facilè actionem alterius admittit, & in varias secatur partes, vt caseus recens: Altera verò dicitur actiua, quia prouenit ex fluxibilitate partium,

tium, quæ non constituunt, sed faci lè difluunt, quare indigent aliquo terminante, & facillimè cuiuslibet rei continentis formam, & figurā recipiunt, & de hac posteriori terminabilitate intelliguntur definitiones.

Tandem notandum est, has definitiones non explicare essentiam harum qualitatum, quia neque ex genere desumuntur; neque ex differentia, sed ex effectu, & hoc non primario, sed secundario, quare neque pro definitionibus ab Arist. allatæ fuerunt, sed tantùm adductę tamquam propositiones verę ad confirmandum id, quod ibi intendebat. Quamuis autē hæ non sint veræ definitiones, non tamen meliùs primæ qualitates definiri poterant, & ratio est, quia cum sint simplices qualitates, & sensibus notissimę, non poterat aliquid afferri, quod iam notum non supponeretur. Effectus. n. primarius caloris est calefacere, siue calidum reddere, at quis huiusmodi definitionem, calor est, quo calidi dicimur, non irrisisset? satius ergo fuit, aliquid de ipsis dicere, quod non omnibus esset peruium, quàm nugatoria definitione eas definire. Dices, at simili modo definiuit Aristoteles qualitatem dicens. *Qualitas est, qua quales dicimur.* Respōdeo, non esse prorsus similem modum, quia per quales non intellexit Aristoteles tantùm hoc ipsum nomen Qualis, sed omnia accidentia, quæ nos hac ratione denominant, nam & calor, & frigus, & habitus, & potentia, quales nos denominant, idest pręḍicantur in quale accidentale; Sicuti ergo rectè definitur genus esse illud, quod prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, ita qualitas, quæ prædicatur in quale, non fuit igitur definitio nugatoria, quia per eam nos re uera discernimus qualitates ab alijs entibus; at verò in illa calor est, quo calidi sumus, idē omnino explicatur per idem. Adde, quòd qualitas, cum esset summum genus, & latissimè patens, nō poterat alio pacto definiri, aut explicari, cum autem calor habeat determinatos effectus, meritò ab illis desumpta est eius definitio, siue descriptio.

Si autem quęras, cur potius calori tribuerit congregare homogenea, quàm segregare eterogenea, cum vtrumque illi conueniat. Respondeo, illud esse quid nobilius, & habens magis rationem positiui, quare meritò fuisse alteri prælatum.

Difficultates supra allatæ enodantur.

SECTIO III.

AD primum respondeo, dupliciratione, vt patet ex supradictis, non tribui segregationem eterogeneorum humiditati. Altera est, quia ad eam conuenit humiditas per accidens, scilicet patefaciendo aditum, per quem partes eterogeneę separari possunt, at calor non hac ratione tantùm, sed etiam per se sursum eleuando leuiora idē præstat. Altera est, quia humiditas non est causa huius effectus in alieno subiecto, sed tantùm in proprio, & licet videatur hoc etiam efficere in alieno subiecto, vt in sale, hoc tamen est rarius, & consequenter dici potest per accidens.

Ad

Ad confirmationem primū dici posset, per accidens calorem lutum exsiccare, & condensare. Sed obstare videtur; quia exsiccare est magis proprium caloris, quàm humectare, ergo potius dicendum est, calorem per accidens liquefacere metalla, & per se exsiccare lutum. Secundò ergo dici poterit, & ex luto segregare eterogenea, quia ab ipso eleuat vapores tenuiores, & tandem resoluit in pulverem, & tunc eterogenea separantur. Vel dicendum, impediri à condensatione ipsius luti, ne omnino segreget eterogenea, sursum eleuando leuiora.

Ad secundam confirmationem respondeo, quòd quamuis calor vim habeat sursum eleuandi per se, non tamen frigus vim habet deorsum mouendi, nisi per accidēs condensando. Ratio est, quia calor est proprius effectus cœli, & ignis, quibus locus supremus congruit, ac proinde non mirum, si semper in altum tendat. At verò frigus nō tantum aquæ, & terræ cōgruit, sed etiam aeri, qui est leuis, & consequenter est indifferens ad leuitatem, & grauitatem. Dices, contrariorū est eadem ratio, ergo si calor fert sursum, frigus deorsum detrudet. Respondeo, contrariorum eamdem esse rationē in eo, in quo sunt contraria, in hoc autem non sunt contraria calor, & frigus, quia licet calor conueniat tantùm corpori leui, frigus tamen & graui, & leui cōgruit. Ad illud de metallis frigidis respondeo, tunc esse tantū humida virtualiter, siue in actu primo, per calorē verò fieri humida etiam formaliter, vt colligitur ex Aristotele 4. meteor. summa 2. cap. 3. vbi inquit. *Liquescit autem & elaboratum ferrum ità, vt humidum fiat*, supponit ergo, priùs humidum non fuisse.

Ad tertiam confirmationem de vino ebulliente, & putrescente respondeo, per ebullitionē vini separationem eterogeneorum incipere, perfici verò tēporis decursu, nō quidē vi frigoris, sed suapte natura, & ui etiā caloris, quare alicubi moris est, vinū igni apponere, vt facilius ab eterogeneis secernatur; alioqui enim non conseruaretur. Ad aliam partem de putrefactione vini, multa essent dicenda, si totam hanc quæstionem profligare vellemus, sed ne discedamus à proposito, dicemus tantum per calorem eleuari è fœcibus exhalationes leuiores, quod est proprium caloris, per accidens verò hinc sequi, quòd vino commisceantur, sicuti etiā à calore solis eleuantur vapores, & segregantur ab eterogeneis, sed quia oportet eas in aliquo loco esse, non possunt non esse intra aerem. Adde, à vino ob nimium calorem extrinsecum euocari, & secerni partes aeris, subtiliores, & calidiores, & hinc sequi vini putredinem, vt doctè notat Zabarella libro de putredine.

Ad secundum principale respondetur, pharmaca confici medio calore, non quia calor congreget eterogenea, sed quia attenuat, & rarefacit, & consequenter facilius deinde inter se misceri possūt, quare solent pharmacopolę ea miscibilia versare baculo, ne grauiora in olla subsidant, & non perfectè misceantur. Ad aliud de cibis in ventriculo respondetur, à calore non congregari eterogenea, sed ex eterogeneis fieri homogenea, quia per actionem ipsius caloris conficitur

chylus, & deinde sanguis eiusdem rationis, adde, &c. separari eterogenea, quia cum eodem cibo calor eijcit diuersas substantias, & varios humores, & separat à fecibus, quas deinde per secessum emittit.

Ad tertium rectè ibi respondetur, per accidens aliquando igne, siue calorem soluere homogenea, eò quòd rarefaciat, & attenuet, sicuti aliquando etiam frigus comprimens comprimit eterogenea, vt è cerebro pituitam, quæ per nares effluit, ea autem, quæ huiusmodi rarefactionem pati nequeunt, & tamen à calore vincuntur, non mirum, si frangantur. Ad impugnationem iam ostensum est, quomodo per se calor congreget homogenea, quia scilicet habet vim sursum eleuandi.

Ad quartum respondetur, à frigore re uera nihil dissolui, sed tantùm ab humido, nam sal non minùs ab aqua calida, quàm à frigida liquefit. Ad Aristotelem respondeo, tribui ab ipso hanc liquefactionem frigido, non per se, sed ratione humiditatis, quæ solet illi cõnexa esse; sicuti enim calor condensat, non quatenus calefacit, sed quatenus exsiccat, ita etiã frigidũ non per se dissoluit, sed quatenus cum humido coniungitur.

Ad quintum respondeo, vel Aristotelem coniunxisse tàm ea, quæ per se, quàm ea, quæ per accidens tum à calore, tum à frigore oriuntur, vel confusè enumerasse effectus caloris & frigoris, lectori autem reliquisse, vt effectus proprios vnicuique assignaret.

Ad sextum negandum est, ignẽ esse terminabilem termino alieno eo pacto, quo nos supra explicauimus, immo nihil est, quod difficilius terminari possit. Nam facillimè erumpit, & contineri difficillimè patitur. Ad illud de aere respõdeo, non habere aerem illam terminabilitatem, de qua hic est sermo, quia aer non indiget termino, ne effluat, & diffugiat; sicuti aqua, sed quia est vbique diffusus, implet omne spatium, quod ei relinquitur, & ob suam tenuitatem cuilibet corpori resistenti cedit; qui verò credunt, aerem esse humidum, dicere poterunt, non habere eum perfectam terminabilitatem, sicuti aqua ob eius raritatem, & tenuitatem. Ad illud de puluere dico, non habere terminabilitatẽ, de qua nos loquimur, quia puluis cõponitur ex pluribus corpusculis, quorum vnũ quodq; est proprio, & intrinseco termino terminatum. Ad aliud de aqua effluente respondeo, hoc ipsum esse terminari termino alieno, effluere, quousq; adsit obstaculum, quòd si aliquando hoc euertitur, non prouenit ab humiditate, sed à grauitate, qua deorsum magno impetu fertur aqua: in oleo verò ob eius tenuitatem, & penetrabilitatem, qua tamen non obstante non habet propriam figuram, sed alieno termino terminatur. Ad aliud de aquæ gutta respõdeo, se in orbẽ conformare ob contrarij obsistentiam, vt ab eo se tueatur, sicuti etiã supra monuimus, facillimè tamen alium quoque terminum, siue figuram recipere. Ad instantiam de aqua in glaciem cõcreta respondeo, etiam ibi adesse in actu primo terminabilitatẽ, impedire tamen actum secundum à nimia densitate, & concretione, quæ non permittit, partes diffluere.

Quam

Quam virtutem habeant singulæ primæ qualitates tum ad agendum, tum ad resistendum.

QVÆSTIO IX.

Sententia communis breuiter explicatur.

SECTIO I.

CONueniunt in primis omnes ferè Philosophi, has qualitates oẽs actiuas esse; de calore.n.& frigore patet, de humiditate, & siccitate probant, vt supra notauimus.

Cõueniunt secundò multò magis, actiuas esse duas priores, calorem scilicet, & frigus, quàm humiditatem,& siccitatem,quod etiã experientia ipsa docet.

Conueniunt tertiò quo ad resistentiam contrario modo philosophandum esse, ac de actione, nam quò magis qualitas est actiua, eò minùs vim resistendi habere dicũt. Quare maximam resistendi vim siccitati tribuunt, secundo loco humiditatem collocant, tertio frigus, quarto denique calorem. A posteriori probatur hæc sententia, quia ignis, in quo dominatur calor, est maximè actiuus, & minimè resistens: terra è contra ob suam siccitatem est maximè resistens, minimè verò agens: aer verò, & aqua medio modo se habent. Ratio à priori esse potest, quia maior resistentia videtur oriri ex maiori inhæsione in materia, quò autem forma est magis materialis, eò magis adhæret, at illa, quæ est magis materialis, est etiam minùs actiua, quia actio prouenit à forma, nõ autem à materia; ergo quò magis qualitas resistit, minùs erit actiua. Confirmatur etiam, quia videmus formas, siue substantiales, siue accidentales, quò perfectiores sunt, eò minus resistere, quia requirunt materiam magis dispositam, & magis è contra agere: Ita & in sensibus maximè omnium resistit tactus, qui nunquam nisi simul cum vita amittitur, minimè tamen omnium est actiuus,quia indiget obiecti præsentia, vt ipsum percipiat: at verò oculi obiectum quidõ maximè distans percipiunt,sed etiam inter omnes sensus facillimè amittuntur.

Difficultates contra allatam sententiam proponuntur.

SECTIO II.

QVoad primum punctum cõmunis opinionis difficultas præcipua est ex Aristotele, qui sæpe duas ex his qualitatibus passiuas,& duas actiuas appellat, sicut etiam ex elementis terram,& aquã passiua vocat, nam 4. meteor. summa secunda cap. 2. hæc habet verba *patiens itaque, aut humidum, aut siccum, aut ex his ponimus aut humidi corpus, aquam, sicci autem, terrã. Hæc enim humidorũ, & siccorũ passiua.*

Præterea siccitas nullo pacto videtur actiua. Nam siccum appositum humido nunquam ipsum exsiccabit. Quid enim siccius lapidibus? & tamen, si aquam contingãt nunquam in ipsius humiditatem aget, & nihilò plus agit terra, quę tamen magis videtur exsiccare, nõ quia aliquid siccitatis producat, sed quia ebibit ipsa humorem.

Præterea contra doctrinam traditam de resistentia, multa possunt obijci. Primum est, siccitatem in igne minimè resistere, non minùs scilicet quàm calorem; alióqui non tam citò ignis à contrarijs contemperaretur, & similiter siccitatem, siue humiditatem in aere, qui facillimè quamlibet impressionem recipit. Præterea resistentia non cognoscitur, nisi ex actione cótrarij; sed neque ex hac potest certò colligi, ergo nulla datur ratio certa eam inuestigãdi; probatur minor, quoniam ex eo quòd calor difficilè vincat frigus, non magis potest colligi resistentia ex parte frigoris, quàm parua virtus agendi ex parte caloris, quia ex vtroque capite oriri potest tarditas; cur ergo potius frigoris resistentiæ, quàm paruę actiuitati caloris hoc acceptum referemus? Confirmatur, quia dicitur calor esse maioris actiuitatis, & frigus maioris resistentię; Cur ergo ex eo quòd frigus citò destruit calorem, colligimus paruam resistentiam in calore, & non maiorem uim agendi in frigore? & è contra, cur ex eo quòd calor citò destruit frigus, colligimus magnã actiuitatem caloris, & non paruam resistentiam frigoris? Certè tam illud, quàm hoc videtur dici posse, absq; ratione; igitur dicitur hæc qualitas minimæ resistentiæ, & nó potius contraria maximæ actiuitatis; & hęc alia maximę resistentiæ, & non contraria minimæ actiuitatis.

Accedit, quòd tota hæc differentia videtur potius colligi ex conditione materię, scilicet densitate, vel raritate, quàm ex ipsis qualitatibus. Nam siccitas in materia densa maximè resistit, in rara verò parum, ergo ex densitate prouenit resistentia, non verò ex siccitate, & idem ferè dici potest de calore, & frigore, quæ in materia densa multò magis, quàm in rara resistunt.

Ad hęc, siccitas videtur minimè omnium resistens. Nam terra, quę est maximè sicca, facillimè aquæ aspersione humida redditur, sicuti etiam vestes, & alia multa.

Videntur etiam pugnantia admitti in sententia communi, dum magna resistentia humiditati tribuitur, & minima actiuitas siccitati; Ad resistendum enim minimę actiuitati non magna virtus requiritur, è contra cum dicatur calor esse maximę actiuitatis, neq; tamẽ frigus sine difficultate ab eo superetur, dici deberet magis resistens frigus, quàm humiditas, quę minimæ actiuitati siccitatis resistet.

Præterea sequeretur, nunquam dari actionem inter humiditatem, & siccitatem, nam parum actiuitatis est in vtraq; & plurimum resistentiæ, ergo actiuitas non poterit superare resistentiam, consequenter nunquam actio dabitur.

Denique contra humiditatem pugnant calor, frigus, & siccitas: contra siccitatem verò humiditas tantùm, ergo hæc est potentior ad resistendum, quæ plurium hostium impetum sustinet.

Quęstionis resolutio, & difficultatum explanatio.

SECTIO III.

Primum punctum huius quęstionis, omnes scilicet quatuor qualitates actiuas esse, sufficienter supra probatum fuit. Cur verò ab Ari-

Aristotele duæ passiuæ dicantur, Doctores Connimbr. in hoc secundo cap. 3. art. 3. respondent, considerasse eas Aristotelem, quo ad rationem vniendi, & terminandi, in quibus calor, & frigus se habent actiuè, siccitas verò, & humiditas passiuè. Non existimo tamen, hoc esse ad mentē Aristotelis, qui priùs absolutè docet, duas esse passiuas, & duas actiuas, & postea ad hoc confirmandum, adhibet eas definitiones, siue propositiones, quòd calor congregat, &c. Non igitur de hac actione tantùm loquitur, quia vel nugaretur, vel peteret principium; esset enim, ac si dixisset, calor in congregando est actiuus, quia congregat. Crediderim igitur, eas appellasse passiuas non absolutè, sed respectiuè sicuti etiam aliquando affirmat, frigus esse priuationem, non quòd absolutè priuatio sit, sed quia est imperfectius calore, ita etiam appellat siccitatem, & humiditatem qualitates passiuas, quia respectu aliarum cum sint longè minùs actiuæ, dici possunt passiuæ.

Quoad tertium punctum (Nam in secundo vel nulla est difficultas, vel non separata à tertio) ob primum argumentum de igne Zabarella libro de reactione capit. 5. existimat, resistentiam, quæ in aliqua actione interuenit, non esse referendam in aliquam singularē qualitatem, sed in coniugationem talium qualitatum; quare inquit ipse, non est siccitas maximè resistens, sed coniugatio siccitatis cū frigore, cum è contra calidum cum humido magis resistat, quàm cum sicco. In quam sententiam crediderim descendisse Zabarellam, quia non aduertit, aliud esse, ignē resistere, aliud, siccitatem ignis, cum tamen (meo iudicio) sint longè diuersa, quia ad extinctionem ignis non requiritur, vt & calor, & siccitas corrumpantur, sed alterius tantū corruptio sufficit; immo etiā ex alijs causis ignis deficit; Non valet igitur argumentum, ignis est minimæ resistentiæ, ergo etiam omnes eius qualitates, peculiariter verò de siccitate hoc esse falsum, ostenditur]: nam si ignis in ferro sit, siue in ligno, sępissimè extinguitur, sicco remanente vel ferro, vel ligno. Verum est tamen, quod inquit Zabatella, vnionem cum alia qualitate augere posse virtutē vel agendi, vel resistendi; quia enim verbi gratia frigus condensat, calor verò rarefacit, siccitas cū calore minùs resistit, quia raritas in omnibus resistentiam minuit, eò quòd aditum faciliùs cōtrario præbeat, & virtus non vnita sit debilior.

Existimo igitur, non esse discedendum à sententia communi, quę rationibus à priori sufficienter corroborata fuit. Ratio verò illa, quæ ab effectu desumebatur, nō videtur, nisi aliud addatur, cogere, quia & ignis potest deficere ex alijs causis, vt modò notauimus contra Zabarellam, & resistentia terræ alijs posset eius conditionibus tribui. Non erit tamen inutile hoc argumentum, si considerabimus, ex parte quidem ignis, quod quamuis sępe non deficiat ignis, ex eo quòd vincatur eius calor à frigore, semper tamen ad corruptionem ignis sequitur etiam vel corruptio, vel diminutio caloris, quia calor in summo non remanet sine igne: Ergo si calor summus,

vel conseruari non potest sine forma ignis, vel difficillimè, & breuissimè, signum est, ipsum esse minimę resistentiæ. Ex parte verò terræ quamuis fatendum sit, eius resistentiam maximè adiuuari à densitate, videmus tamen in ea ipsa magis resistere siccitatem, quàm frigus, ergo signũ est, maiorẽ esse resistentiã siccitatis, quàm frigoris.

Ad primam ergo obiectionem, quoad priorem partem iam responsum est, quoad alteram de aere dicendum est, etiam in ipso aere magis resistere humiditatẽ, & siccitatem, quàm calorem, & frigus. Nulla enim est regio, in qua aer nõ sit modò calidus, modò frigidus, cum tamen quoad humiditatem, siue siccitatem, in aliquibus regionibus numquam ferè mutari videatur, quod enim dici solet, alicubi aerem grauem esse, alibi subtilem, & salubrem, non aliunde oritur, quàm ex humiditate, & siccitate. aer humidior est etiam grauior, & insalubrior; quamuis autem dici possit, hoc prouenire ab exhalationibus q̃ è terra, vel aqua eleuãtur, adhuc tñ argumẽtũ est in suo robore, qa ab his humidis euaporationibus nõ tã facilè liberari põt aer, & si eius tenuitas, & raritas facilè mutationibus obnoxiũ eum reddat.

Ad secundum respondeo, si non aliunde resistentia, & actiuitas qualitatum, quàm ex mutua actione contrariorum cognosci posset, mihi certè videretur argumentum cõcludere, quia non apparet ratio, cur ex victoria vnius de alio, minor huius resistentia, quàm maior illius actiuitas potius colligatur: vnde ergo eas colligemus? ex actione, vel resistentia respectu aliarum, & etiam ex modo actionis. Nam calor agit magis in distans, quàm frigus: calor etiam faciliùs humiditatem expellit, quàm frigus; cum tamen vtrumque ei aduersetur, ergo meritò colligimus, calorem esse magis actiuum, quàm frigus. Videmus è contra, calorem facilè expelli, & frigidum, & calidum mutuo inter se agere, & contemperari, ergo cum iam constet, calorem habere maiorem vim agẽdi, oportet dicere, habere vim minorem resistendi, alioquin frigus semper succumberet, & facillimè. Humiditatem quoque experimur esse magis actiuam, quàm siccitatem, quia citiùs aqua humectat, & in remotius agit, quàm terra exsiccet; ergo etiam, vt earum vires contemperentur, oportebit, siccitatem magis resistere.

Ad tertium respondeo, densitatem valde quidem conducere ad resistentiam, non tamen esse totam rationem, quia videmus, calorem, vel frigus multò minùs cum densitate resistere, quàm siccitatem.

Ad quartum respondeo, facilè multa humectari ab aqua, quia hęc penetrat, & peruadit ipsorum corpora; cumque quælibet minima pars sit vndiq; ab aqua circundata, non mirum, si diu resistere nequeat, sed neque humiditas cũ victoria discedit, quia non parum aquæ in hoc conflictu absorbetur, neque omnino perit siccitas, alioquin liquesceret terra, quod numquam accidit; vel dicamus fieri per substantiæ coniunctionem, non verò per siccitatis corruptionem, quãuis & hæc paulatim deinde sequatur, sicuti paries dicitur dealbari per appositionem albedinis.

Ad quintum dici posset, resistentiam humiditatis dici magnam, &

frigoris

frigoris paruam, non ex collatione ipsarum inter se, sed cum suis aduersarijs; quia videlicet humiditas difficiliùs à suo contrario vincitur, quàm frigus, quicquid sit de virtute ipsorum aduersariorum; Adde præterea, humiditatem non solùm siccitati resistere, sed etiam calori multò magis, quàm frigus; Nam aqua longè faciliùs calefit, quàm humiditate priuetur. Dices, non mirum, quia calor ignis agit per se in frigus, per accidens verò in humiditatem: sed hoc non obstat, tum quia ignis est etiā siccus, tum etiam quia calor habet maximam quoque vim ad exsiccandū, vt patet ex eo, quòd etiam remotè valde exsiccat.

Ad sextum respondeo, quamuis resistentia humiditatis sit magna, & actiuitas siccitatis parua, aliquādo tamen esse maiorem huius actiuitatem, quàm illius resistentiam, siue ex alijs adiunctis, scilicet densitate, & quantitate, siue etiā, quia ex natura sua actiuitas est superioris ordinis, q̄ resistētia; rectè tamē concludit argumentum, sæpe nullam dari actionem inter humidū, & siccum, quamuis propinqua sint.

Ad septimū respondeo, resistere pluribus ostib' simul, esse maioris virtutis, quàm vni tantùm: at verò resistere pluribus diuisim sumptis, idem esse, ac resistere vni: humiditas ergo nunquam resistit omnibus hostibus simul, sed vt plurimum duobus, sicuti etiam aliquando siccitas, cui non rarò repugnat etiam calor, à quo rarefit eius subiectum, & consequenter diminuitur eius virtus.

Si quis tamen vellet defendere, humiditatem vim resistendi maiorem habere, quàm siccitatem, non difficilè crederē, hāc prou nciā tueri eū posse, eiūtq; hoc supposito ita coordināndæ qualitates, vt duæ dicantur actiuę, scilicet calor, & frigus, duæ verò passiuę, scilicet humiditas, & siccitas, & sicuti calor est maximè actiuus, ita humiditas maximè resistens.

Quæres, quænam combinatio magis resistat? Toletus quæstione decima quinta ait, calorem cum siccitate magis resistere. Ego tamen existimo, humiditatem augere resistentiam; tum cum calore, tū etiam cum frigore. Moueor primùm, quia siccitas actionem ipsorum adiuuat, humiditas verò retundit, vt experientia patet, ergo è contra humiditas magis debet resistentiam adiuuare; secundò humiditas est contraria calori, & frigori, vtrumque enim siccitatem producit; ergo è conuerso siccitas erit illis consentanea, ac proinde non ita illis resistet, sicuti humiditas, hęc enim hebetat calorem sibi coniunctum, ergo etiam obtundit vim caloris sibi cōtrarij ad agēdum, & consequenter magis resistit, atq; idem dici poterit de frigore.

Quaenam ex primis qualitatibus vnum quodque elementum, ac in primis aer sibi vendicet.

QVÆSTIO X.

De tribus elementis nulla ferè est concertatio inter Philosophos (vno excepto Telesio, qui humiditatem igni affixit, de quo quęstione præcedenti egimus.) omnes enim conueniunt, ignem esse calidum,

dum, & ficcum, aquam frigidam, & humidã, terrã frigidã, & ficcã. Tota ergo difficultas eft de aere, & idcirco nos quoque cæteris omiffis, de quibus experientia omnem tollit dubitandi locum, de aeris qualitatibus difputabimus: hic enim maximè omnium cum fenfum fugiat, & omnium videatur qualitatum capax, philofophis diuerfimode de fuis qualitatibus opinandi, occafionem præbuit.

Communis opinio aerem calidum, & humidum ftatuit.

SECTIO I.

DE fumpta eft hæc fententia ab Ariftotele 2. de gen. cap. 3. vbi apertè ait, aerem effe calidũ, & humidum, & eam tanquam fui præceptoris amplexi funt omnes ferè eius difcipuli eodem loco. Humiditatem quoq; ab aeres colligit idem Ariftoteles fect. 25. problem. quæftione 3. 10. 11. 12.

Prima autem probatio huius fẽtentiæ defumitur ab eodem Ariftotele: Tot funt elementa, quot sũt coniugationes primarum qualitatum; hæ autem non poffunt effe nifi quatuor: vel enim calor coniungitur cũ ficcitate, & habemus ignem, vel frigus cum ficcitate, & habemus terram, vel frigus cũ humiditate, & adeft aqua; vel calor cum humiditate, quæ coniugatio debet alicui elemento conenire, non poteft autem alij, quàm aeri, igitur eft calidus, & humidus.

Secunda, aer eft medius inter aquam, & ignem, ergo, vt elemẽtorum colligatio feruetur, debet in vna qualitate cum igne conuenire, & in altera cum aqua: conueniet igitur cum igne in calore, & cum aqua in humiditate.

Tertia, fi aer eft frigidus, tunc effent tria elementa frigida, & vnũ tantùm calidum, immo fecundũ eos, qui tollunt ignem, nullum calidum; non igitur qualitates primę effent rectè diftributæ, neque inter elementa feruaretur debita proportio.

Quarta, proprium caloris eft rarefacere; at aer eft fummè rarus, ergo eft calidus. idem probatur ex leuitate, nam calore leue redditur corpus; at aer eft leuis, ergo etiam calidus. Confirmatur, quia è contrario frigori conuenit per fe condenfare, & graue reddere; fi ergo frigus effet per fe in aere, haberet vtiquę in eo effectum per fe, quare aer effet grauis, & denfus.

Quintò, fi aer non effet natura fua calidus, effet perpetuò in ftatu violento, faltem in ea parte, qua igni coniungitur, quia femper ab eo calefit, quod eft abfurdum.

Sexta, aqua per calorẽ vertitur in aerẽ, & aer per frigus in aquã; ergo aer eft calidus, & aqua frigida: antecedẽs quoad priorem partem probatur, quoniam aqua, appofita igni in vafe paulatim confumitur, neque tamen vertitur in ignem, vt patet, ergo in aerem, vt etiam oftẽdunt euaporationes calidæ, quę ab aqua calefacta eleuãtur. Pofterior pars probatur primò, quoniam diebus æftiuis fi aqua frigida infundatur phialę vitreæ, aer contingens partem exteriorem vertitur in aquam, fecundò ex 1. meteor. fum. 4. cap. 1. vbi fontes aquarum generari dicuntur actione frigidi condenfantis aerem, in montium cauernis inclufum, & conuertentis eum in aquam.

Septi-

Septimò, omnia mista, in quibus prędominatur aer, vt oleum, mel, calida sunt, & humida; ergo etiam talis est aer alioquin non ipse prædominaretur, sed cuius illa accidentia essent.

Octauò, in regionibus calidis, & in æstate aer purior seruatur, ergo signum est, calorem esse illi connaturalē, alioquin ab ipso citius corrumperetur, & à naturali suo esse diuelleretur.

Nonò, non posset esse diuersus ab alijs elemētis, nisi esset calidus, & humidus: nam si esset frigidus, & siccus, conueniret cum terra: si frigidus, & humidus, non differret ab aqua: si calidus, & siccus non distingueretur ab igne, cumque primæ qualitates sint vel formæ, vel passiones elementorum, sequitur necessariò, vt neque essentialiter differret aer à reliquis omnibus elementis.

Neque verò dici potest, aerem habere omnes qualitates contemperatas, quia tunc non esset corpus simplex, neque verò carere omni qualitate, quia non posset corrumpi: nullum enim haberet contrarium; sed esset, sicut materia prima capax omnium formarum; & accidentium. Præterea repugnat, formā determinatam nō etiā requirere determinatas dispositiones.

Decimò, aer est facilè terminabilis termino alieno; ergo est humidus.

Quibus argumentis superior sententia confligetur.

SECTIO II.

AB explicata sententia non solùm Stoici discesserunt, vt refert Plut. in libr. de 1. frigido, & comprobat Sen. lib. 2. quæst. nat. cap. 10. sed etiam M. Tull. lib. 2. de natura Deorum, Philo. Iudęorum Doctissimus in lib. de plantatione Noë, Clemēs Alex. in exhortatione ad gentes, Gal. de vsu partium 8. cap. 4. & ex recentioribus Card. lib. 2. de subtil. Vallesius de sacra philosophia lib. 1. cap. 1. Ioan. Bapt. Porta lib. 1. de trasmut. aeris cap. 5. & alij; quorum authoritas, licet non sit peripateticæ scholæ præferenda, adsunt tamen rationes adeo efficaces contra communem sententiā, vt contra veritatem, & sensum pugnare mihi videantur, qui eam tuentur.

Est autem potissimum contra eam argumentum: Quòd aer ablatis omnibus causis extrinsecis est frigidus, & siccus, ergo frigus, & siccitas sūt eius cōnaturales qualitates: consequentia est certissima; quoniā si non recipit ab extrinseco frigus, sequitur, vt ab intrinseca sua forma oriatur: sed neque minùs certum est antecedens; quamuis ab aduersarijs negetur, & probatur multis experimentis, quorū primum est. Media regio aeris, vt fatentur omnes, est frigidissima: nam & supra altissimos montes etiam diebus æstiuis maximum frigus sæuit; vt inter alios refert Tit. Liu. lib. 40. Nam inquit, Philippum Macedoniæ Regem in vertice montis Aetnæ frigora, caniculę ortu, similia brumalibus reperisse. Antonius quoq; philoteus in descript. montis Aetnæ, qui in regione valde calida reperitur, & flāmas etiam emittit, tamen refert in eius summitate adeo vehemēs esse frigus vt feruentiori etiam æstatis tempore impossibile existime-

tur, absq; vitæ dispendio ibidem pernoctare, cum & interdiu vix ad illud sustinendum sufficiant vires. Scio, Zabarellam lib. de regionibus aeris cap. 8. testari, se in summitate mõtis Veneris altissimi hoc vehemens frigus non sensisse, sed vix animaduertisse aliquam differentiam inter illum aerem, & inferiorem: fortassis tamen non inter altissimos montes est hic recensendus. Præterea in causa propria non cogimur ei credere, præcipuè reclamantibus cęteris, & si etiam credamus sufficit nobis, frigidiorem esse aere infimæ regionis, quod & ipse concedit: huius enim qualiscunque frigoris nulla potest assignari causa extrinseca; ergo prouenit à forma intrinseca ipsius aeris: Ad hoc autem argumentum varię afferuntur ab aduersarijs responsiones, quas omnes reijcere, non erit difficile.

Prima, & vulgatissima est, reddi frigidam illam regionem à vaporibus, & exhalationibus, q̃ ex natura frigidæ, cum eò peruenerint, ad naturam suam redeunt, & aerẽ ipsum etiam frigefaciunt: sed multis scatet hæc responsio mendis. Primum, quoniam illa regio est lõgè purior & serenior, quàm regio infima; testantur enim omnes, in locis altissimis aerem esse puriorẽ, & ferè vaporibus expertem. quare etiam Zabarella cap. 8. supra citato inquit, *ibi per totum diem haberi aerem serenissimum, sed infra circiter medium montis videbam nubes, vesperi autem postquam de illo monte descendi, inueni factã eo die in infera parte magnam pluuiam, cũ in montis cacumine nihil pluuisset*: Patet igitur, longè minùs abundare vaporibus illam regionem hac nostrate, consequenter immeritò dici frigidiorẽ, eò quòd frigefiat à vaporibus: nam hac ratione frigidior hæc infima esse deberet, in qua longè plures hi sunt. Secundum quando vapores perueniunt ad secundam regionem, calidi sunt, nõ frigidi, alioqui enim ascendere non possunt, potius igitur deberẽt eam calefacere, quàm frigefacere: Nam experimento quoque cõstat, calorem tendere sursum; ita vt in ollis feruentibus calidior sit aqua in summo, quàm in imo, & in locis calidis semper pars superior sit calidior; vt Puteoli in locis sudationi destinatis euidens est: si dicas, ibi frigefieri, primò inquirendum est, à quo frigefieri possint; si enim aer esset calidus, eorũ calorem vtique conseruaret; sequitur ergo, vt frigefiant ab ipso aere iam frigido, vt etiam clarè asserit Aristoteles in primo meteor. capite de nube. Præterea dum vapores incipiunt frigefieri, statim descendunt, quia condensantur, & deficit causa, quæ sursum eos impellit, ergo non possunt in ea regione ad magnam frigiditatem deuenire: frigidiores igitur sunt in nostra infima regione, quàm in illa superiore; ergo hanc longè magis frigefacerẽt, quàm superiorem: saltẽ quando radij solis eam non calefaciunt, cuius tamen contrarium nos experimur.

Præterea, vt rectè notat Zabarella lib. supracitato cap. 3. quandoq; aer serenus manet duos, vel tres menses, absque aliqua nube, quo tempore dici non potest aer frigefieri ab exhalationibus, tunc ergo reduceret se ad naturalem calorẽ, quod tamen non euenit.

Secunda responsio est, aerem illum

lum mediæ regionis esse frigidū per antiperistasim, cum sit medius inter supremam regionem calidissimam ob ignis propinquitatē, & infimam calidam quoque ob radiorum solis reflexionem; sed meritò hanc quoque impugnat Zabarella cap. 4. quia antiperistasis auget qualitatem, non producit, si igitur calidus esset ille aer, nō posset p antiperistasim fieri frigidus. Adde, quòd non semper hæc infima regio est calida, & figmentum est, supremam regionem esse calidam ob ignis vicinitatem, quem ibi non esse, supra ostendimus.

Tertia respōsio est, propagari frigus vsque ad eam ragionem ab aqua, & terra, quæ frigida sunt: sed hæc quoque improbabilis est. Primò quoniam multò magis frigefacerent aerem propinquū, cuius contrarium cernimus in æstate, Secundò, quoniam Aristoteles 4. met. sum. 2. cap. 3. inquit, terram, & aquam esse elementa passiua, ignem verò, & aerem actiua; quia scilicet magis illa patiuntur, quā agant, ergo potius calefient ab aere, quàm ipsum frigefacere poterunt.

Quarta responsio est Zabarellæ eodem libro cap. 6 & 7. nullam posse assignari causam illius frigoris positiuam, sed tantùm negatiuam, remotionem scilicet caloris, siue causę calefacientis, eo enim ipso, quòd cœlum non calefacit illum aerem, vel per motum, vel per reflexionem radiorum, sicuti calefacit supremam, & infimam regionem aeris, remanet ille aer frigidus: Verùm hac responsione confirmat Zabarella sententiam nostram; si enim remota causa calefaciente aer fit frigidus, calor ergo non est illi connaturalis, sed aduenit ab extrinseco: frigus verò est illi proprium, & connaturale, sicuti quia connaturalis est calor igni, non opus est, vt calefiat ab extrinseco, calor .n. ab ipsius forma oritur: & ab hac sententia non videtur longè abesse Suarez disp. 15. in metaph. sectione prima, vbi agens de modo, quo aqua se reducit ad pristinum frigus, inquit, non esse reducendam illam actionem in aerem, qui *vel naturaliter* (sunt eius verba) *non est tam frigidus, sicut aqua, vel ex accidenti relinqui solet aquè calidus, ac ipsa aqua, vnde ipse etiam se reducit ad pristinum statum, quantum potest* vbi notandum est, rectè Suarez aeris refrigerationem non tribuere alteri, quàm ipsimet aeri, qui se reducat ad pristinum statum, ergo status connaturalis ipsius aeris supponitur ab ipso frigus exposcere, præcipuè cū non loquatur de calore intenso; sed de eo, qui in æstate sentiri solet, qui, si verè aer esset natura calidus, non posset illi esse magis violentus, quam frigus, ad quod aer se ipsum reducit. Minùs etiam ab hac sententia abest Iosephus à Costa lib. 2. de Nat. noui orbis capit. 12. vbi hanc eamdem quęstionem, cur media regio aeris sit frigida, proponens, tandem respondet: *E quidem non mediocriter harere me fateor, parumque abest, vt eorum sententiam teneam, qui Aristotelis istas symbolas, & disymbolas qualitates contemnunt, magisque arte depictas, quàm vlla experientia allatas aiunt itaque aerem frigidum natura sua contendunt, idque multis, & magnis experimentis probant.*

Confirmatur etiam, quia licet daremus, aerē mediæ regionis per

accidens esse frigidum, adhuc argumentum contra eos militaret, quoniam nullum per accidens, aut violentum potest esse perpetuum: atqui aer mediæ regionis perpetuò est frigidus, ergo non potest esse frigus contra illius naturam.

Secundũ experimẽtum est, quia noctu aer fit frigidior, neque ob aliam rationem, nisi quia abest sol calefaciens: statim enim ad pristinum frigus incipit se reducere: & confirmatur, quia citiùs aer refrigescit, quàm aqua calida; ergo signum est, non minùs aerem sibi vendicare frigus, quàm ipsam aquam; quamuis enim densitas aquæ possit esse ratio, cur calor magis in ea resistat, eadem tamen dẽsitas potest esse ratio, vt aqua vehemẽtiùs agat, ad calorẽ expellendũ.

Tertium experimentum est de aere tempore hyemis, qui totus est valde frigidus, non ob aliam rationem, nisi quia remotum est calefaciens: neque potest hoc frigus acceptum referri exhalationibus, quia sæpe aer est serenissimus; ita vt neque perflent venti, & tunc præsertim frigidissimus esse solet.

Quartũ est de locis clausis, vbi exclusis omnibus causis extrinsecis, aer euadit frigidus, vt æstate comperimus, hoc ergo non potest aliunde oriri; nisi ex eo quòd aer se reducit ad suum naturale frigus. Dices, hyeme esse calidiora cubicula clausa; ergo licebit argumentari, aerem esse calidum. Respõdeo, esse diuersam rationem, quoniam hyeme in cubiculis clausis nõ deest aliqua causa intus calefaciẽs, scilicet vel ignis, vel homines, consequenter impeditur aer, ne possit se reducere ad statum suum naturalem, cum foris, & ob maiorem quã titatem, & quia caret impedimento, & quia sæpe etiam adiuuatur vel à ventis, vel à pluuia faciliùs frigescat: si autem nullum esset huiusmodi impedimentum, nunquã cubicula clausa essent calida: In locis autem subterraneis apparet aer calidus ob eam rationem, qua & aqua est in puteis calida, ob calidas scilicet exhalationes, quibus à frigore, ne erumpant, præcluditur aditus; & certè mirum est, cum videamus, eodem pacto tum hyeme, tum æstate aquam, & aerem frigefieri, & calefieri, dicere tamẽ aduersarios, aquã natura sua esse frigidam, aerem verò calidum.

Quintũ experimentum ex locis maximè aquilonaribus, quæ directè subijciuntur polis, desumitur, in his .n. perpetuò riget sæuissimũ frigus, ita vt nondum potuerint explorari loca illa, & credibilius sit, ab hominibus habitari non posse. Quænam igitur, quæso, potest esse causa tam immensi frigoris? an exhalationes? sed hæ dum eleuantur, calidæ sunt, potiùs igitur calefacerent, vel saltẽ nõ adeo possent frigefacere, an terra, vel aqua? Verùm quamuis hæ sint natura sua frigidæ, non possunt tamẽ in longinquum frigus emittere, vt experientia constat, & si aer calidus natura sua esset, maiores vtique vires haberet ad eas calefaciẽdas, quàm ipsæ ad illum frigefaciendum, quia, vt supra notauimus ex Aristotele, ex elementis duo se habent vt actiua, ignis scilicet, & aer, & duo vt passiua, terra, & aqua. Et confirmatur, quia dum calidi spirant venti, statim calore æstuamus, frigore terræ, & aquæ nequaquã impediẽte: et hęc quidẽ oĩa experimenta suffragãtur primo argu-

argumẽto, nũc ab alijs experimẽtis reliqua argumenta deducemus.

Sextũ, igitur sit experimẽtum. Dum calore affligimur, & æstuamus, solemus aerem flabello ciere, atq; ita refrigeramur, ergo natura sua est frigidus. Probatur consequentia, quia calida, dum mouentur, magis calefiunt, immo & frigida, vt lapides, dummodo aliquid caloris saltem virtualis in se habeant, hunc experiuntur effectum, vnde ẽt natũ axioma, motum esse causã caloris, quomodo igitur aer si natura sua calidus esset, non magis calefieret? Respondent aliqui, aerem non reddi frigidiorem per motum, sed videri, quia mutatur, & aer, qui prius adhærebat faciei, ab ipso naturali calore redditus erat calidior. Sed hæc responsio, & Aristoteli repugnat, qui sect. 25. probl. quæst. 18. fatetur, aerem per motum frigefieri, & experientia ipsa reijcitur, nam si ratione huius mutationis tantùm aer videretur frigidus, quando quis mouetur, & mutat aerem, eodem beneficio potiretur, quod est falsum. Præterea dum quis diutius aerem hoc pacto flabello mouet, semper aer apparet frigidior, & tamen idẽ est aer, qui modò recedit, modò aduenit, neq; in eo decursu potest ita calefieri contactu faciei, vt tanta differentia inter ipsum, & immediatè sequentem percipiatur. Denique etiamsi quis frigidam habeat manum, adhuc experietur, aerem motum esse frigidiorem.

Septimum experimentum. Aer ab animalibus attractus eorum corda refrigerat, ergo aer natura sua est frigidus: Dicent aduersarij, aerẽ refrigerare, non quia natura sua sit frigidus, sed quia per accidens, & ab extrinseco est frigidior, quã sit cor: At contra: Aqua quia natura sua est frigida, etiamsi calida bibatur, tamen refrigerat, quia reducit se ad pristinum frigus, cũ est pota, ergo multò magis si aer natura sua esset calidus, licet actu frigidus esset, tamen statim se reduceret ad natiuum calorem, adiutus maximè à calore naturali hominis, sicque non refrigeraret cor, sed calefaceret: Nec obstat, quòd paululum in homine cõmoretur, quia facillimè alterari posset, præcipuè quia & ab intrinseco, & ab extrinseco ad hoc impelleretur, nec sit in paruа quãtitate: Nãẽt obstat, quod non obstante etiã frigore suo cõnaturali, citò à corde calefit; & opus est alio nouo aere ad ipsum cor refrigerandum.

Octauum experimentum, inclusus aer in ventriculo, vel in intestinis, ob frigus dolore non paruo illas partes afficit; ergo natura sua est frigidus; nã si calidus esset, a calore ẽt naturali adiutus, facilè calefieret, & nullam inferret molestiã; neque dici potest, non ratione sui, sed ratione flatuum frigidorum, quos inuehit, doloris esse causam, quia isti flatus, nil aliud sunt, quàm aer; si ergo hic esset calidus, nõ esset illi frigidi: Alij respondent, aerem non ob frigiditatẽ, sed quia in intestina nimis agit, dum exitum quærit, ipsa molestare: sed contra, pãnis calidis appositis minuitur dolor, cõtraria autem contrarijs curantur, ergo ex frigore hic prouenie bat. Præterea nulla est ratio, cur exitum quęrat, quia hoc non accidit, nisi quando aer est ita circunseptus, vt raritatem suã naturalem sibi vendicare non possit. quod ibi non accidit: si enim potuit ingredi,

di, etiam poterit remanere. Praeterea si exitum quaereret, facilè per varias partes corporis egredi posset; atque ita leuaretur non parum infirmus.

Nonum experimentũ, constat, corpora à daemonibus assumpta, esse maximè frigida: id enim fatetur Caiet. 2. 2. quaest. 95. art. 3. Card. lib. 16. de variet rerum cap. 93. Alex. ab Alex. lib. 2. gen. dier. cap. 9. Peretius lib. 8. in gen. disp. 3. & alij: addit vero Caietanus, dęmonem fassum esse, se non posse ea calida efficere; cum autem haec corpora fint aerea, planè sequitur, aerem frigidum natura sua esse, dumque daemon illum condensat, vt sibi corpus adaptet, necessariò quoque frigus ipsum aeris roborare, si enim aer esset natura sua calidus, cum dęmoni ad homines fallendos, vtilissimum foret calidum corpus sibi formare, nulla esset ratio, cur id nõ posset, vel non vellet. Quòd autem corpora à daemonibus assumpta, vt plurimum sint aerea, ex eo patet, quòd subito dum volunt, euanescunt, nulla crassa materia post se relicta: quòd si demus etiam, ad soliditatem corpori tribuendam adhibere dęmonem aliam materiam, saltem eam ita posset aere calido pmiscere, vel circundare, vt tactui non appareret adeo frigidũ eorũ corpus.

Decimũ experimẽtũ ventus praebet nobis, qui nil aliud est, quã aer cõmotus, & tamen est per se frigidus, & tantũ per accidens calidus, ergo idẽ dicẽdũ de aere. Ventũ nil aliud esse, quàm aerem commotũ scio non credituros, qui quidquam scire, quod Aristoteles non tradiderit, nefas putant, voluit enim is, exhalationem calidam, & siccã materiam esse ventorũ 2. meteor. cap. 6. sed haec eius opinio inextricabilibus scatet difficultatibus. Nã flante Borea aer est purissimus, nullisq; permistus exhalationibus, quas aerem inficere, & impurum reddere, cum alterius sint naturae, nulli dubium esse debet. Deinde, nullus est ventus, qui sit calidus, & siccus, nam auster calidus est, & humidus, reliqui ferè sicci, & frigidi, quomodo ergo eorum materia calida est, & sicca? Tertiò, in mari praecipuè regnãt venti, nõ solũ mediterraneo, sed & longè magis in Oceano; at ex mari, quod humidum est, & frigidum, exhalationes calidae, & siccae quomodo prodire possunt? Neque dicas, è terra in mare progredi ventos, quia sequeretur, quò quis à terra longiùs distat, eò minori percelli vento, cũ tamen contrarium accidat. Quartò, explicari non potest, cur potius in hãc, quàm in illam partem ferantur vẽti, immo quanam vi omnino cieãtur; quod enim à Peripateticis vsurpari solet, exhalationes ab aere secũdę regionis frigido, & dẽso protrudi deorsum, & ob insitam leuitatem in superiora contendere, dũque neutra pars vincit, obliq; fluere, figmento poetico videtur simile. Nam neque frigus vim habet propellendi deorsum, alioqui frustra qualitates motiuae elementis concederentur, neque exhalationes natura sua sunt leues, sed graues, neque, si vtrumque verum esset, sequeretur, vt in obliquum ferrentur, sed ut in medio quiescerent, multòque minùs reddi posset ratio, cur in hanc potius, quàm in illam partẽ cierentur venti, curue cum caligo, siue nebula in terrã descendit, tunc maximè sileant.

Hac

Hac igitur opinione de exhalationibus exclusa, reliquum est, vt dicamus cum Hippocrate lib. de flatibus, Seneca lib. 5. Natur. quæst. cap. 1. Vitruuio lib. 1. archi. cap. 6. D. Isidor. lib. 13. D. Damasceno lib. 2. fid. orthodox. cap. 8. & alijs multis, nil aliud esse ventum quã aerem commotum, siue fluentem, sicuti & fluuius, & fluctus maris nil aliud sunt, quàm aqua fluens, siue fluctuans. Docet id experientia; nam flabello, & follibus quis neget cieri vẽtum? immo, si quantitatis tantùm non habeatur ratio, vt habenda non est, nil prorsus à magnis ventis ipsum differre fatebimur, at quid aliud efficiunt folles, vel flabellum, quàm mouere aerem? Deinde aer calore rarefit, & rarefactus maiorem locum desiderat, vt pulchris experimentis in primo libro quæst. de rarefactione ostendimus, cum igitur sol aerem valde calefaciat, consequens est vt aer rarefiat, & quærens maiorem locum, aerem propinquum propellat, & ita oriatur ventus; at inquit Colleg. Connimbr. tract. 6. in Meteorolog. cap. 3. quò maior uiget æstus, eò magis aer torpescit. Resp. ventum non sentiri, vbi rarefit aer, sed in locis propinquioribus, quò tendit aer rarefactus, eò enim aliũ aerem propellit, & hinc apparet ratio, cur oriente sole aura spiret, videlicet è locis nobis propinquis, vbi sol calefacit aerẽ, & extenuat, ad nos fertur. Occidente etiam sole redeunt venti, quia discedente sole aer, qui circa nos est, ad suum naturale frigus paulatim redit, & è contra eo in loco, ad quem sol accedit, rarefit, & ita aduersum nos fertur, ex quo principio alia quoq; problemata ad ventos spectantia resoluit Io. Baptista Porta lib. 1. de transmutationibus aeris cap. 6.

Quòd autẽ ventus sit per se frigidus, probatur, quoniam illud per se alicui conuenit, quod frequentius conuenit, quæ enim sunt præter naturam, rarò accidunt, atqui ventus vt plurimum est frigidus, vt experientia patet, ergo per se. Confirmatur, quia quando est calidus, accedit ei calor ratione regionum, quas pertransit. Neque verò dici potest, eadem ratione frigidũ esse, quoniam æstiuis diebus oriẽte, & occidente sole venti frigidiusculi perflãt, quãuis aer vndiq; sit calidus, non est igitur frigidus ratione regionis, quam pertransit, sed natura sua. Præterea aer, siue ventus, qui follibus, siue flabello cietur, apparet frigidus, quamuis alioqui aer sit calidus, vt supra etiam diximus, ergo ventus ex se frigidus est, quod erat probandũ.

Vndecimũ experimentum pro siccitate sit: experimur aerem exsiccare vestes humidas, ergo natura sua est siccus. Respõdent aliqui exsiccare aerem, non quia sit siccus; sed ui frigoris, quo ex accidẽti est præditus: nonnunquam etiã ui caloris, quo ex humidis corporibus humorem euocat. Verùm nõ satisfaciunt, quia frigus humidũ non exsiccat, vt videmus in aqua frigida, neque verò calor humidus, vt apparet in aqua calida; quòd verò aiunt, humorem euocare, si esset verum, prius redderet vestes magis humidas, ac postea per accidens exsiccaret: at nos videmus statim in principio eas exsiccare; ergo aliunde hoc non prouenit, quàm ex sua natiua siccitate: Pro qua etiam omnia ferè argumenta, quæ supra allata sunt pro

frigore, videntur æquè militare. Nam quando non adsunt peregrinæ impressiones, apparet aer non solùm frigidus, sed etiam siccus, & ab omni humiditate alienus.

Duodecimũ experimentum, aqua non potest amittere humiditatem, quin etiam amittat esse; at negari non potest, saltem ex accidenti aerem esse frigidum & siccum, quomodo ergo, si natura sua esset humidus, & calidus, non desineret esse? Si dicas, aliquando etiam esse humidum, & calidum, neque tamē corrumpi. Respondeo, nunquam esse intensè calidum, & humidum. Nam licèt multos dies pluat, non propter hoc aer redditur valde humidus, quia nimium læderentur animalia, ipsum attrahentia, cuius contrarium apparet, & quando etiam est humidus aliquo pacto, nunquam est valde calidus; quare numquam habet qualitates sibi contrarias in summo, immo neque valde intensas, at siccitatē, & frigiditatem habet aliquando maximè intensas, vt apparet, dum in hyeme ventus aquilonaris dominatur, ergo hę non possunt illi esse violentæ.

Decimũtertiũ id etiam postulat ratio vniuersi: nam calor est longè magis actiuus, quàm cæteræ primę qualitates, & cęlum suo lumine hæc inferiora perpetuò calefacit; Si ergo totũ etiam spatium, quod inter cœlum, & terram reperitur, esset plenum corpore calido, vt volunt aduersarij (nam est plenum vel igne, vel aere) quomodo iam calor omnem humorem, & omne frigus non consumpsisset? Congruum ergo fuit, vt cęli maximus calor temperaretur frigore aeris, qui inter cœlum, & terram, vel aquam mediat.

Decimũquartũ, ex elemētis duo sunt passiua, scilicet aqua, & terra ex Aristotele 4. meteor. summa 2. cap. 3. duo verò actiua, scilicet ignis, & aer, porrò ex primis qualitatibus duæ etiam sunt passiuæ, videlicet siccitas, & humiditas, duę verò actiuæ, calor, & frigus; ergo congruũ fuit, vt sicut elementis passiuis datæ sunt humiditas, & siccitas; ita etiam elementis actiuis distribuerētur calor, & frigus; cumque igni datus sit calor, congruum fuit, vt frigus cōcederetur aeri, vtque in agendo segnis non esset, adiungeretur ei siccitas, qua eadem ratione est igni tributa, alioquin si ambo elementa actiua etiam calida essent, iam à passiuis frigus omnino exturbassent.

Decimũquintũ. Natura nihil frustra facit, at calor, & humiditas frustra essent in aere; non sunt autem frustra siccitas, & frigus; ergo hæ qualitates, & nō illæ sunt in eo ponendæ: probatur antecedens quoad priorem partem, quia totũ id, quod præstare posset calor aeris, præstat aliunde calor cœlestis, quodque haberetur ab aeris humiditate, supplet sufficienter pluuia. Immo quorsum pluuię de cœlo ad terram irrigandam descendunt, si aer est humidus? Quorsum calor solis, si aer est calidus? Dices, aerem refrigerari à vaporibus, & idcirco opus esse, vt solis calore calefiat. Verùm vt quid eleuātur à sole vapores, nisi vt conuertantùr in pluuiam, vel niuem vel in cœtera similia meteorologica? At si aer esset humidus, opus non esset, vt huiusmodi vapores eleuarentur. Præterea numquam videmus aerem se solo humectare, vel calefa-

calefaccre, vt quid ergo illi hæ qualitates otiosæ? At frigus, & ſiccitas non paruo ſunt emolumento, temperant enim primò cœleſtem calorem, ſecundò vapores ab eodem calore ſubleuatos cogunt in pluuiam: tertiò ſunt cauſæ viciſsitudinis temporum in his inferioribus, quia recedente ſole, aer ab ipſo calefacta refrigerat, & pluuia transfacta, congruè ſuccedit aeris ſiccitas, quartò, Ab animalibus attractus cordis caliditatem temperat. Quare ob vniuerſi bonum ſummè ſunt neceſſaria in aere frigus, & ſiccitas, cur ergo hanc notā naturæ inuramus vt dicamus, ineptas qualitates aeri feciſſe connaturales, ſummè vero neceſſarias illi denegaſſe, vel tantùm per accidens, & ipſius natura reclamante, ei tribuiſſe?

Denique pro ſiccitate aeris eſt pulcherrimus locus in Iob. cap. 12. num. 15. *Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur*. Si enim aer natura ſua eſſet humidus, etiamſi nō adeſſet aqua, humiditatem retineret, atqui ſcript. ſancta inquiit, quod omnia ſiccarentur ſi non adeſſet aqua, ergo aer natura ſua non eſt humidus.

Nec Ariſtotelem, nec aduerſariorum rationes nobis obeſſe.

SECTIO III.

ANte omnia occurrendum eſt Ariſtotelis authoritati, quæ nobis in primo argumento obijcie batur, & qua nos maximè vrgent aduerſarij. Licet enim eam rationi non anteponam, maximi tamen facio, optoq; omnibus meis ſentētijs eam patrocinari. Notandum eſt igitur, Ariſtotelem agere de elementis in ſecundo de generatione in ordine ad miſtionem, non verò ſecundum eorum propriam eſſentiam, vt omnes concedunt; hac enim ratione diſtinguunt tractationem de elementis in libris de cœlo, ab ea, quæ habetur in libris de generatione, quòd ibi agat de elemētis, vt ſūt partes vniuerſi, hic verò, vt ad miſtionē cōcurrunt. quapropter ibi ipſorum numerum ex motibus, hic verò ex qualitatibus venatur. Quoniam igitur vidit, frigus, & ſiccitatem repugnare miſtioni, & generationi rerum: Nam videmus, hyeme omnia ſterileſcere ob frigus; calore verò, & humiditate omnia fœcundari, dixit, & meritò, aerem, vt concurrētem ad generationem miſtorum eſſe calidum, & humidum, quia niſi has qualitates habeat ex accidenti, numquam poterit concurrere ad generationem. Dices, eadem ratione debuiſſet quoque aſſerere, aquā, & terram eſſe calidas, & humidas. Nequaquā, quoniam hæ concurrunt ad miſtionē, vt paſſiuæ, atque vt contemperantes qualitates aliorum elementorum; & videmus, generationes ēt fieri ſub aqua maris, vbi probabile eſt, eam non eſſe calidam, contra verò videmus in aere maximè requiri calorem ad generationem. Hanc ergo fuiſſe Ariſtotelis mentem, colligitur planè ex cap. 4. primi meteor. vbi non omnem aerem inquit eſſe calidum & humidum, ſed tantùm, qui circa terram, propterea quod vapores, & exhalationes habeat terræ; *eſt enim* inquit *vaporis natura humidum, & calidū*. En igitur Ariſtotelem tribuentem calorem, & humiditatem aeris, nō

ipsius naturæ, sed vapori, ergo existimauit, natura sua aerem calidũ non esse, neque humidum. Item cap. 2. sum. 3. eiusdem primi lib. meteor. inquit, mediam regionem aeris frigidã esse, propterea quod desinunt ibi refractiones radiorũ à terra. existimat igitur Aristoteles, per solam remotionem calefacientis aerem fieri frigidum, quod verum esse non posset, nisi natura sua talis esset, vt supra etiam contra Zabarellam argumẽtati sumus.

Refert Iacob. Maron conclus. 3780. Confirmatur hæc responsio, nam etiã Simplicius, vt conciliaret Aristotelem cum Platone in elementorum concordia, & sympathia vsus est eadem destinctione, dicẽs, Aristotelem considerasse elemẽta, vt conducunt ad mistionem: Platonem verò, vt sunt partes vniuersi. Immo & recentiores, vt tueantur, formas elementorum esse substantias, Aristoteli dicenti, à qualitatibus constitui elementa occurrunt dicentes, loqui eum non de elementis secundum propriam naturam, sed quatenus mistioni deseruiunt; non mirum igitur, si nos etiam eadem distinctione vtamur. Dices, si aeri opus erat calore ob mistionem, ergo non est credendũ, à natura illi fuisse denegatã, cum ad hoc institutus fuerit. Respondeo, ob varia munera aeris tum calorem, tum frigus illi fuisse necessaria, cum aũt naturaliter non posset vtrumque possidere, meritò natura frigus illi attribuit, quod aliũ de non poterat adipisci, nõ tribuit calorem, quem facile è Cœlo haurire poterat & qui si aeri connaturalis fuisset, vniuersi bono plurimum obfuisset, vt supra notauimus.

Præterea tex. 24. primi de generatione loquens Aristot. de trãsmutatione elementorum, inquit, qualitatem symbolam, quæ erat in corrupto, manere quoque in genito, & exemplum affert de aqua ex aere genita, in qua inquit, permanere perspicuitatem, & frigiditatem, & quamuis videatur loqui dubitatiuè, mirum non est, quia mos est Aristotelis etiam certa dubitatiuè proferendi. Nam si de hoc re uera erat dubius, cur non potius attulit exemplum de humiditate, si, vt aduersarij contendunt, pro certo habebat eam esse aeris propriam? Dices, loqui Aristotelem de frigore, quod est in aere per accidens. Reijcietur, quoniam tunc non vna, aut altera qualitas diceretur permanete in genito, & præextitisse in corrupto, sed omnes, nõ enim aer in aquam mutatur, nisi priùs humiditatem, & cętera aquæ accidentia receperit. Ex eodem etiam textu probatur, aerem esse siccum. Nam si concedit Aristoteles, aerem frigidum mutari posse in aquam frigidam, ergo oportuit corrumpi per mutationem alterius qualitatis; at si aer esset humidus, iam nulla daretur contrarietas inter aerem, & aquam, consequenter neque actio; vt hæc igitur detur, oportet cõcedere, quod in humiditate, & siccitate differãt. Concludamus igitur, Aristotelem, dum dixit, aerem esse calidum, & humidum, non de eo locutũ fuisse secundum propriam naturam, quam hic non considerabat, sed de eo, vt concurrente ad generationem, ac proinde nobis non aduersari, qui de eo secundum propriam naturam loquimur. Si quæras autem, cur nobis alibi saltem non tradidit qualitates aeris cõnatura-

turales, in promptu responsio est, supposuisse, neminem de eis meritò dubitare posse, cũ sensibus percipiantur, sæpe & in libris meteor. vt supra notauimus, insinuasse.

Ad primam rationem respondeo, ex qualitatum combinatione probari, elementa non debere esse plura, quàm quatuor ex quadã proportione, & verisimilitudine, non verò efficaci ratione, vt supra animaduertimus; & si quam habet vim hæc qualitatum proportionata destributio, est tantùm in ordine ad mistionem, non verò ad naturam ipsorum elementorum secundum se.

Ad secundam, respondeo aërẽ etiam secundum nos in vna qualitate conuenire cum igne, & in altera cum aqua, illa autem est siccitas, hæc frigiditas.

Ad tertiam respondeo, debitam proportionem inter elementa non esse metiendam ex qualitatum numero, sed ex virtute, ex muneribus, & ex alijs similibus. Sicuti neque in homine proportio inter mẽbra desumitur ex numero; nõ enim quia decem digitos habet, habere quoque debet decem capita, sed multa alia consideranda sunt; & sicuti etiam in ipsis elementis proportio non attenditur in magnitudine quoad æqualitatem, sed quoad bonum vniuersi; nam maior est terra, quàm sit aqua, & longè maior aer, quàm terra, & aqua simul. Optima igitur est proportio inter elementa ratione qualitatum, quoniam licet plura sint elementa frigida, longè maior tamen est actiuitas caloris, & virtus cœli calefaciẽtis ea, quã sit virtus frigoris, quod in ipsis reperitur, & ita optimè sũt disposita, sicut vniuersi bono congruebat.

Ad quartam respondeo, raritatem non esse effectum conuertibilem cum calore, neque densitatem cum frigore, alioquin liceret argumentari, etiam in cęlo dari calorẽ, & frigus, quia aliæ sunt partes densę, aliæ raræ, colligendumque esset, sydera, quæ magis calefaciunt, esse magis rara, cum tamen sint densiora. Calor igitur est causa raritatis, cœteris paribus, quia aqua calida erit rarior, quàm frigida, non tamẽ aqua calida erit vnquã rarior aere frigido: & homo calidus habet carnem rariorem, & porosiorem, non tamen rariorem aqua frigida; cum igitur raritas non semper proueniat à calore, neque ab eo sit raritas mensuranda, non mirum, si aer frigidus possit etiam esse rarus, & idem dicendum de leuitate; & multò etiam magis, quia non reperitur elementum aere calidius, quod etiam non sit eodem aere leuius. Ad alteram partem, quòd frigus per se condensat, negandũ est illud (per se) re uera.n. nõ est effectus per se frigoris, sed per accidens, ratione subiecti, & diuersarum ipsius partium, & quia exsiccat, quare aqua, quæ simplex omnino, & pura esset, non posset à frigore condẽsari, vel congelari. Adde, quòd hoc esset etiam intelligendum, sicuti supra diximus de calore, respectu raritatis cœteris paribus. Denique condensatio proueniens à frigore est intelligenda iuxta proportionem subiecti, aer autem cum non sit capax magnæ condensationis, quamuis sit frigidissimus, semper erit rarus. Nam si frigus haberet hanc vim condensandi, quodlibet, cur aquilo frigi-

disfimus, nō est densus? Cur aer ipse quando ex aduersariorū mente saltem est per accidens frigidus nō est magis densus, quàm quando est calidus? valeant igitur huiusmodi argumentationes longè peritę, nec contra experimenta clarissima cōsistere audeant.

Ad quintum respondeo, argumentum esse pro nobis, quia reperitur quidem aer, qui semper est frigidus, tum sub polis mundi, tū etiam in media regione aeris: at qui semper sit calidus, nusquam reperitur, non prope terram, vt patet: neque prope ignē, tū quia cōmētitius ille ignis sub luna nō datur, tum etiam quia si adesset, ob raritatem, vt aduersarij volunt, nō adeo superaret aerem, vt non esset continua pugna inter eos, & modò alter totum vinceret, modò idem vinceretur.

Ad sextum respondeo, aquā verti in aerem, sed non totaliter, neq; immediatè per calorem. Nam ab aqua eleuantur priùs partes subtiliores, & rariores valde humidæ, & adhuc non differentes essentialiter ab aqua, deinde amittunt illam humiditatem, & magis etiam rarefiunt, & conuertuntur in aerē; non igitur calori per se tribuenda est hæc generatio, sed raritati, & siccitati. Ad alteram partem respondeo, ad eam corruptionem multa concurrere. Primò enim aer ille phialę adhærens nō est purus, vnde in phialis recentibus, vel magna diligentia lotis id non euenit. Secundò, concurrit aquæ humiditas, quæ & aeri natura sicco est cōtraria, & frigori coniuncta vires maiores ad agendum assumit; cum è contra aer calidus sit minoris resistentiæ. Tertiò, concurrit etiam condensatio; cum enim aer phialę adherens hinc ab ipsa phiala, illinc verò à calore contrario constipetur, densitatem acquirit, atq; conglobatur in aquam. Confirmatur hæc responsio, quia quamuis aer, & aqua sint frigida, tamen nō adeo repugnant calori, vt ab ipso, si nihil aliud adsit, corrumpantur: Nam alioqui sequeretur, aerem immediatè igni propinquum semper corrumpi, licet enim aduersarij ipsi ponant, aerem esse calidū, nolunt tamen, vt plurimum esse calidum in summo, sicuti est ignis, & consequenter ab illo calore summo ignis concederent corrumpi, q̄ tamen non euenit, alioqui iam totus aer conuersus esset in ignem: qualitas igitur, quæ magis aeri repugnat, est humiditas cum densitate; siue cum calore sit coniuncta, siue cum frigore. Nam & in distillationibus eleuantur ab igne vapores ex floribus, qui deinde vertuntur in aquam non à frigore, quod vel nullum est, vel non adeo vehemens in operculo; sed quia ibi condensantur. Flante etiā Austro, qui est aer calidus, & humidus, videmus parietes madidos esse, & ex ipsis marmoribus aquæ guttas defluere, quod non à frigore prouenit, cum sit ventus calidus, sed ab humiditate, & densitate, quibus corrumpitur aer, & in aquam vertitur; quod est argumento, aerem non esse humidū, sed siccū; alioqui ab humiditate nō corrumperetur.

Ad septimum, negari in primis posset in oleo, & melle prędominari aerem, vnde enim colligunt: an quia aquæ innatat? at argumentabor & ego, prædominari in eis aquam, quia in aere descendunt. Præterea dum afferunt, oleum, & mel

mel esse calida, loquuntur ne de calore actuali, an de virtuali? nõ de actuali, quia potius frigida sunt, & facilè congelantur, siue condensantur, si de virtuali, longè maiorẽ calorem virtualem reperiemus in rebus, quibus aqua, vel terra prædominatur; in vino enim nõ prædominatur aer, nam aquę non supereminet, & tamen virtualiter est calidissimum, in pipere quoque, & in multis alijs herbis, & lapidibus, quæ virtualiter sunt calida, neque prædominatur aer, ergo vana est consequentia, à qualitatibus misti ad qualitates elementi prædominantis. Confirmatur, quia absolutum prædominium elementi desumi solet ex virtute motiua; ergo non ex qualitatibus primis, alioqui enim posset contingere, vt in aliquo misto ratione virtutis motricis prædominaretur vnum elementum, & ratione primarũ qualitatum aliud, ratio autem est, quia grauitas, & leuitas cum raritate, & densitate materiæ coniungi solent, ex quibus non pendent calor, & frigus, nam qđ frigidius, & humidius niue? & tamen est etiam leuis, dum rara, neque in aquam descenderet, nisi ab ea liquefieret, è contra aurum est grauissimum, neque tamen in frigore, vel humiditate, aut siccitate excedit alia multa, quę ipso sũt leuiora; ergo non valet argumentum à qualitatibus primis ad virtutes motiuas, neque consequenter ad prædominium elementi, quod ex his desumitur. Confirmatur etiam, quoniam ignis, & calor cœlestis, cum sint maximè actiua, concurrere possũt ad mistionem calefaciendo, quamuis leuitatem non imprimant, & terra præbere potest suam substantiam in magna quantitate, & cum se habeat magis passiuè, quàm actiuè, patietur in qualitatibus actiuis, non tamen in motiuis, quæ à suis contrarijs, cum non sint actiuæ, nõ per se corrumpuntur. Tandem potest retorqueri argumentum, quia nullum mistũ inanime reperitur, quod ab intrinseco sit formaliter calidum: atqui si aer esset calidus, esset credibile, aliqua talia non fore, quia concurrerent ad mistionẽ duo elementa calida, & duo frigida; ergo cum non eueniat, signum est, magnum esse excessum frigoris in elementis, ac proinde tria elementa, quæ secundum suam substantiam concurrere solent ad mistionẽ, esse frigida, frigida, inquã, naturaliter, quamuis enim per accidens sint calida, vt diximus in responsione ad primum, hoc parũ refert, quia cum ille calor non habeat principium intrinsecum, facilè dilabitur.

Ad octauum respondeo, aerem à calore conseruari puriorem, quoniam ab eo vapores extranei consumuntur, & humiditas ab aere expellitur, quæ illi magis aduersatur, quàm modicus calor: nam si hic cum humiditate sit cõiunctus, non solùm aerem non conseruat, sed insalubrem, & ferè pestiferũ reddit.

Ad nonum respondeo, primas qualitates esse passiones elementorum, idest fluere ab ipsorum formis, non tamen singulas, vel binas earum esse passiones in quarto modo; sicut enim omnia animalia in hoc conueniunt, quòd indigent calore naturali, & hic fluit ab ipsorum anima, ita non mirum, quòd etiam aliqua elementa conueniãt

in aliqua, vel in aliquibus qualitatibus. Nam si per aduersarios possunt duo elementa conuenire in vna qualitate, cur non etiã in duabus, cum non desint aliæ, in quibus differant?

Ad decimum respondeo, sicuti supradiximus, aerem non habere eam terminabilitatem, quæ ponitur in definitione humidi, scilicet actiuam quasi ipse aer indigeat termino, quia non defluit; sed esse terminabilem, quia est maximè penetratiuus, & implet omnia; qua ratione etiam ignis dici posset humidus, quia eodem pacto est facilè terminabilis, præcipuè si concedamus opinionem eorum, qui volũt, ignem cum maxima raritate esse subconcauo lunæ; ibi enim terminaretur termino alieno, quia figura circularis non est propria ignis, & sicut aqua defluit ad centrum, ita ignis ad cœlum ascenderet, & non minùs, quàm aer impleret vasa, vel alia corpora vacua, si ibi adessent.

Quo in gradu qualitates primę reperiantur in elementis.

QVÆSTIO II.

Statuimus, aerem esse frigidũ, & siccum, & quas etiam ex primis qualitatibus cætera elementa sibi vendicent, non tamen determinauimus, an habeant has qualitates in summo, vel in gradu remisso, hoc ergo nũc est inquirendũ.

Aliorum sententiæ referuntur:

SECTIO I.

Magis recepta sententia est, in quolibet elemento alteram qualitatem esse summè intensam, alteram verò remissam. In igne summè intensum dicunt esse calorem, remissam siccitatem: In aere remissum frigus, siue calorẽ, summè intensam humiditatem: In aqua summè intensum frigus, remissam humiditatem: In terra summè intensam siccitatem, remissum verò frigus, & hanc sententiã amplectuntur præcipuè Alex. 1. meteor. com. 13. Conciliat. differentia 22. Buccafer. t. 23 Zimara in t. 28. Tolet. hic quæst. 6. Marsil. q. 4 & 6. Doct. Connimb. cap. 3 q. 5. art. 4. Præcipuum fundamentum huius sententiæ est Aristotelis auctoritas 2. de generat. t. 23. cuius hæc sunt verba. *Sed tamen simpliciter quatuor existentia vnius vnumquodque est Terra enim sicci magis, quàm frigidi: Aqua autem frigidi magis, quam humidi: Aer aut humidi magis, quàm calidi ignis aũt calidi magis, quàm sicci.*

Præterea, quòd cuilibet elemento competere debeat aliqua qualitas in summo gradu, ꝓbatur; quia qualitas naturalis in sua maxima perfectione competit corpori, cui primò, ac peculiariter debetur: at cuilibet elemento competit aliqua qualitas primò, & per se, quia cũ primæ qualitates sint quatuor, consequens est etiam, vt quatuor primis corporibus ita distribuantur, vt vnicuique sua prima qualitas conueniat; ergo debet illi in sua maxi-

maxima perfectione; scilicet in sũmo gradu competere.

Quòd verò is ordo, quo supra distributæ sunt, sit optimus, probatur, quia elemento nobilissimo, quod est ignis, nobilissima etiam qualitas debetur, quæ est calor, nobilissimę verò actiuæ, congruum erat, vt succederet nobilissima ex passiuis, nempe humiditas, tertio loco meritò ponitur ignobilior ex actiuis scilicet frigus, quarto autẽ ignobilior ex passiuis .s. siccitas.

Sigillatim quoque de quolibet elemento idem ostenditur. Igni enim, dubium esse nequit, summũ calorẽ conuenire, tum quia leuissimus est, tum quia solus ex se est summè calidus, vt experientia testatur. Aquæ etiam summum frigus meritò tribui, probatur, tum quia est summè contraria igni, cõsequenter etiam eorum qualitates summè debent esse contrariæ, tum etiam experimento patet, ab aqua cœtera elementa in frigore superari: Aeri summam humiditatem competere, probatur ijs argumentis, quibus supra ostendere conabantur multi, aerem esse calidum, & humidum, cũ enim calor summus iam destinatus sit igni, relinquitur, vt humiditas debeatur aeri, & tandem siccitas terræ.

Non esse autem ambas qualitates in summo in quolibet elemento, probatur: Ab vnica natura simplici non fluunt multę passiones immediatè, & primò, sed vna per aliam: at huiusmodi qualitates sunt passiones elementorũ, ergo vna fluit ab vno immediatè, & consequenter vnica tantùm erit in summo: maior probatur, quia ab vno, vt vno non proueniunt immediatè, & primariò plura.

Confirmatur, quia si omnes qualitates essent in summo in elementis, nullus daretur inter ea excessus, ac per consequens nulla daretur inter ea actio. Vel saltem ita melius saluatur dispositio elementorum secundum actionem, & passionem, quia sicut vnũ alteri prædominatur secundũ vnam qualitatem, ita etiam superatur ab alio secundũ alteram. Differunt tamen hi autores inter se, quia aliqui volunt, remissam qualitatem habere contrariũ admistum, alij verò nequaquam.

Secunda sententia est asserentiũ, ignem, & terram habere vtrãque qualitatẽ in summo: aerẽ verò remissum calorẽ, sed summã humiditatẽ: Aquam autẽ non summè frigidam, sed summè humidã esse, ꝓbatur à Zab. quia ignis opponitur aquę, vt leuis graui, nõ tñ extrema oppositione, cũ aqua nõ sit summè grauis, ergo neque debent opponi extremè in qualitatibus actiuis; cum igitur ignis sit summè calidus, non debet aqua esse summè frigida, sed terra, quæ igni est sũmè contraria: Præterea, quoniã duæ qualitates actiuæ, scilicet calor, & frigus, possunt esse remissæ in elementis, quoniã pendent à cęlo, at passiuæ scilicet humiditas, & siccitas, necessariò sunt in summo, quia sequuntur materiã elementorũ neque possunt remitti, nisi per contrarij admistionem.

Tertia sententia est, Ignẽ, & Terrã habere qualitates in summo, Aerem verò esse remissè calidũ, & humidũ, Aquã autem humidam quidẽ in summo, frigidã verò remissè: Ita Auicenna cap. vltimo libri sui de cęlo, & Albertus hic tex. 23. Valesius autẽ cap. 2. suæ philoso-

phiæ idem censet de aere. Probatur hæc sententia primò. Aeri, & Aquæ non conuenit locus simpliciter leuis, neque simpliciter grauis, sed medius, ergo neque eis conuenient qualitates primæ in summo, sed remissæ. Secundò probatur experientia, quoniam aer apud nos nullam qualitatem in summò habet, neque tamen dicendũ est, semper esse in statu violento. Tertiò. Magis videtur repugnare elemento, habere duas qualitates in summo, quàm duas remissas, & tamen videmus, in igne esse duas qualitates in summo, ergo etiam erunt in aliquo remissæ.

Quarta sententia est asserentiũ, vnumquodque elementum habere vtramque qualitatem in summo: Ita Suessanus hic tex. 23. Achillinus tertio de elementis dub. 6. Piccolom. lib. 6. de prima materia cap. 13. & alij.

Propria sententia explicatur.

SECTIO II.

Dico primò. Elementa nõ possunt habere aliquam qualitatem remissam per admistionem cõtrarij, est contra Marsilium Conn. Doctores, & alios, probatur 1. Vel ambo hæc duo contraria remissa essent à forma elementi, vel alterũ ab extrinseco, vt volebat Zabarella, si hoc posterius, ergo malè dicitur elementum tale esse ex sua natura, quia quod conuenit alicui ab extrinseco, non conuenit ex propria natura, si ab intrinseco, ergo ab eadem forma prouenient contraria, frigus scilicet, & calor, quod non videtur probabile, quã-uis. n. in gradu remisso se compatiantur, & idcirco propriè non sint contraria, attamen spectant ad qualitates secundum genus suum cõtrarias: Prӕterea, mista potiùs, quã simplicia essent elementa dicenda, probatur consequentia, quoniam mistio non tam attenditur vel saltem nõ tam potest cognosci ex forma, & materia, quæ etiam in mistis simplices sunt, quã ex qualitatibus. Illa. n. dicitur forma mistionis, quæ continet virtutes elementorum refractas, at virtutes elemẽtorum non aliud sunt, quàm qualitates, si igitur aer esset remissè calidus, & humidus, haberet etiam aliquid frigoris, & siccitatis, ergo contineret omnes virtutes elementorum, quòd si alteram tantùm haberet in summo, dici posset mistũ imperfectum. Nos enim rerum naturas cognoscimus ex qualitatibus; at tunc in qualitatibus nulla esset differentia inter elementa, & corpora mista, præter quàm in qualitatibus secundis, quæ ex multorũ sententia oriuntur ex primis, & omnino sunt posteriores mistione.

Ab alijs etiam probatur hoc dictum, quia omnia elementa essent symbola, quòdque plures esse possent coniugationes, quàm quatuor sed hæc facilè diluentur. Nam dici posset, Aristotelem considerasse illam qualitatem, quę contrariam excedit, & ita quamuis aer secundum hanc sententiam habeat remissum calorem, & remissum frigus, quia tamen calor excedit, dicitur simpliciter calidus, & habere qualitatem symbolam cum igne, non autem cum terra.

Dico secundò. Non possunt elementa habere qualitatem remissã absque admistione contrarij. Est hoc

hoc dictum contra Toletum, Alex. & alios. Probatur, quoniam remissio in qualitatibus habentibus cōtrarium semper est cum admistione contrarij ex Aristotele 5. phys. t.19.& 2. Cęli t.37. sed omnes qualitates primæ habent contrarium, ergo, &c.

Secundò Elementū minùs calidū remittit magis calidū, vel ergo hoc efficit per frigus, vel per calorē: nō per calorē, quia actio est inter contraria, ergo per frigus; nō est igitur vnum contrarium remissum sine admistione alterius contrarij.

Tertiò sequeretur, inter elemēta dari alterationem magnā in instanti, nam minùs calidum posset fieri summè calidum absque vlla resistentia passi, quia non haberet frigus, ergo in instanti.

Quartò sequeretur etiam, posse introduci frigus in elementū absq; eo quòd corrumperetur calor. Nā cum remisso calore potest consistere frigus remissum, ergo in calidū remissè poterit introduci frigus, absque eo quòd calor expellatur. Vel etiam posset idem moueri cōtrarijs motibus. Nam si aer sit calidus vt 3. poterit simul acquirere vnum gradum caloris, & alios frigoris; vel etiam si sit calidus vt 6. poterit acquirere simul alium gradum caloris, & vnum frigoris; quia vnus gradus frigoris & septem caloris optimè se compatiuntur.

Dico tertiò, ignis est summè calidus, & summè siccus. Quoad priorem partem, recipitur hoc dictum ab omnibus, quoad posteriorem probatur primò, quoniam summus calor non secum patitur aliquem gradum humiditatis, quia humiditas hebetat aciem ipsius caloris, ergo è conuerso summam requirit siccitatem.

Præterea videmus, ignem absumere omnem humiditatem, vt patet ex cineribus remanentibus ex combustione, qui sunt maximè sicci. Denique nihil apparet, quod sit siccius igne; ergo in ipso est summè intensa siccitas.

Dico quartò, aer est summè frigidus, & summè siccus. Probatur hoc dictum, quoniam, vt vidimus, aer est frigidus, & siccus; sed nulla qualitas potest in gradu remisso alicui elemento conuenire, vt probauimus, ergo conueniunt ei in summo. Præterea si non adsit calefaciens, vel humectans extrinsecum, aer sit summè frigidus, & summè siccus; ergo his qualitatibus affectum esse, conuenit ei ex propria natura: antecedens patet, quia nō alia potest assignari ratio, cur sub mundi polis sit extremum frigus, & summa siccitas, vel in hyeme etiam à nobis sentiantur aliquando. Consequentia quoque est certa, quoniam, vt superiori quęstione argumentabamur, hoc frigus, & hæc siccitas non possunt aliunde originem ducere, quàm ab ipsa forma aeris, quæ se ad pristinum statum reducat.

Dico quintò, aqua est summè frigida, & summè humida. Probatur, quia aqua magis apparet frigida, quàm aer: sed hic habet summum frigus, ergo etiam aqua. Humiditas quoque conuenit omnibus alijs propter aquam, ergo ipsa est humidissima, si enim quicquam esset ex se humidū, esset aer; sed iam ostendimus, ipsum humidum non esse; ergo soli aquæ conuenit humiditas, & consequenter in gradu summo.

Oooo Dico

Dico sexto. Terra est summè sicca, & summa frigida. Probatur facilè ex dictis, tum quia non possunt aliæ qualitates præter has, terræ assignari, tum quia hæ non possunt esse remissæ.

Argumenta contra allatam doctrinam dissoluuntur.

SECTIO III.

Contra primũ, & secũdũ dictũ obijciebatur auctoritas Aristotelis tex. 23. huius secundi pro prima sententia allata, ad quam respondeo, non tribuere Aristotelem elementis alteram qualitatem remissam, sed cum supponat, ambas in summo eis conuenire, alteram, eatum inquit esse magis propriã; ita vt, si vnicuique elemento sua propria qualitas sit assignãda, igni sit ascribendus calor, aquæ frigus, &c.

Secundò obijciebatur, ab vnica forma vnicam tantùm debere qualitatem oriri. Respondeo, falsum assumi. Nam sicuti numeri ab vno incipientes multiplicantur in infinitum, ita pauciora semper sunt principia, quàm quæ ab ipsis procedunt; ita ab vnica anima plures potentiæ oriuntur, ab vnica potentia plures actus, ab vnica causa plures effectus, &c. quomodo etiam qualitates primæ sint passiones elemẽtorum, explicabimus quæstione sequenti. Ad confirmationem desumptam ex actione elementorũ respondeo, qualitates primas licet sint in summo omnes, non tamen habere tam parem virtutem, vt inter se agere non possint: immo si non haberent in summo, non possent rectè inter se contemperari.

Ad argumẽtũ Zab. respõdeo, supponi ab eo multa falsa, vt quòd frigus non habeat causam positiuam, & quòd qualitates primæ actiuæ è cælo dimanent, cum re vera ignis sit ex se calidus, & aer ex se frigidus.

Ad argumentũ Auicennæ, scilicet conuenit locus medius aeri, ergo etiam qualitas media, respondeo negandam consequentiam, tũ quia qualitates actiuæ non pendẽt à motiuis, vel è contra; tum quia idem locus non potest multis competere, potest tamen eadem qualitas.

Præterea obijcies. Quod est primò tale, est causa alijs, vt sint talia 2. Metaph. tit. 4. sed Sol est primò calidus, ergo erit causa alijs, vt sint calida. Confirmatur, quia nõ possunt esse multa primò talia, si .n. vnũ est primum, cætera erunt secunda; ergo vel aqua erit primò frigida, vel aer, si aqua, ergo ipsa erit causa, vt aer sit frigidus: non erit igitur frigus aeri connaturale, vel è contra non erit aquæ. Respõdeo propositionem illam, *quod est primò tale, est causa reliquis, vt sint talia*, fuisse multis causam errandi, eò quòd intellexerunt eam de primitate originis, aut perfectionis, & de causalitate efficienti, cum tamen sit intelligenda de primitate, & causalitate prædicationis, & formali. Probatur ex Aristotele in libr. Posteriorum primo, vbi agit de primo prædicato, inquit enim, illud esse ꝙ adæquatè subiecto conuenit, sicuti est sensibile respectu animalis, & rationale respectu hominis. Conuenire igitur aliquid primò alicui, est conuenire ei adæquatè, & conuertibiliter, & de hoc rectè dixit idem Arist. esse causam cæteris, vt

sint

sint talia, quia & bos, & homo, & aquila cum cæteris brutis sunt sensibilia, quia animalia; & Petrus, Ioannes, Socrates sunt rationales, quia homines. Hinc patet, hanc propositionem nobis nō officere, quia neque calor conuenit adæquatè cælo, neque frigus est prædicatum conuertibile cum aqua, vel aere: solum posset obijci, quòd elementa, quæ habent eamdem qualitatem connaturalem, debeant etiam conuenire in aliquo gradu, ratione cuius illa qualitas sit illis connaturalis, quisnam autē erit hic gradus, qui sit cōmunis aeri, terræ, & aquæ; à quo proueniat frigus? quis ille alius, qui cōprehendat ignem, aerem, & terram, quibus conuenit siccitas? Respondeo, hæc difficilè posse explicari, quia rerum essentiæ latent nos, videri tamen probabile, dari aliquem gradum entis, sub quo conueniant aer, aqua, & terra, non autem ignis, quia re vera videtur à reliquis valde differre; & quoniam hac eadem ratione non videtur probabile, ob siccitatem communem igni, aeri, & terræ nouum gradum constituere, qui ea complectatur, ne eamdem speciē sub diuersis generibus reponamus: dicendum videtur, siccitatem non conuenire per se igni, sed ratione summi caloris, qui humiditatem secum non patitur, aeri verò, & terræ conuenire per se, vtcumque autem sit, eamdem difficultatem patiuntur illi quoque, qui qualitates remissas elementis tribunt, quia cum nihilominus statuant esse illis connaturales, ab ipsorum formis emanare debent, non verò recipi ab extrinseco, & (cum magis & minùs non varient speciem) æquè debebunt conuenire in aliquo gradu communi, nō igitur magis, quā nos, illā propositionem seruant, *quod est primum in vno quoque genere, est causa cæterorum* imo minùs, quia elementum, quod habet qualitatem in summo, videtur esse primum in eo genere; ergo erit causa qualitatis remissæ, quæ conuenit alteri elemento.

Posset etiam quis dicere, eamdē qualitatem prouenire posse à formis diuersis, absque eo quòd in aliquo gradu, qui sit causa illius qualitatis, conueniant. Non enim videtur probabile, vt omnia, quæ in aliquo accidente conueniunt, habeant etiam aliquam eiusdem causam communem, & vnam: quam enim causam communem reperimus albedinis in calce, niue & lacte? Imo videmus aliquando, à cōtrarijs eamdem qualitatem prouenire, vt à calore, & à frigore siccitatem.

Contra 3. dictum obijci potest primò: ignis non potest conseruari sine humiditate, ergo nō est sūmè siccus: Probatur antecedens, quoniam humidum est pabulum ignis, sed sine pabulo non potest ignis esse, igitur. Respondeo, naturam ignis esse, vt humidum depascatur, non tamen vt humiditatem recipiat: ad summum autem hoc argumento probatur, humiditatem esse debere in eadem materia, in qua est ignis, nō verò in ipso igne, nam vt supra diximus, forma ignis cum alia forma substantiali, in eadem materia potest esse.

Contra 4. dictum præter ea argumenta, quibus supra conabantur aliqui probare, aerem esse humidum, & calidum, quæ iam diluta sunt, potest obijci, quia sequeretur,

retur, aerem apud nos vel semper, vel frequentiùs esse extra statum suum connaturalem, quod est inconueniens; quia natura non debet frequentiùs suo fine frustrari. Respondeo, primùm quidem posse nos retorquere argumentum de aqua, quam ferè omnes dicunt esse summè frigidam; vt etiam ait Aristot. t. 23. & tamen non minùs frequenter est calida, vel remissè frigida, quàm sit aer: quoties enim calidus est aer, aqua nequit esse sũmè frigida, immo nunquam aqua maris apud nos est summè frigida, quãuis summè frigidus sit aer. Pro solutione igitur notandũ est, statũ rei naturalem habere latitudinẽ, in qua cõcipi possunt diuersi gradus, exẽpli gratia perfectissimus, imperfectissimus, & medio modo se habens. Perfectissimus est, quando res naturalis habet omnes perfectiones, quas ipsius natura appetere potest, exempli causa in animali sanitatem, robur, pulchritudinẽ, & similia. Imperfectissimus est, quãdo natura illis solis perfectionibus est prædita, quæ necessariæ sunt ad ipsius essentiam conseruandam, vt in animali prope mortem: Medio autem modo se habens, quãdo nec ad illum perfectissimum statũ res peruenit, neque tamẽ in alio extremo imperfectissimo iacet: ex his autem statibus, primum rarò admodum assequitur natura: in 2. nõ diutius permanere potest; quare frequentior est tertius. In elementis ergo perfectissimus status est, quando vtramque qualitatem in summo possident. Imperfectissimus, cum vtramque valde remissam habent: medius, qui ab vtroque extremo recedit: Hinc ad argumentum respondeo, rem aliquã esse extra statũ suũ naturalẽ perfectissimũ, non esse mirum, quia hic est nimis rarus; quare nullum est incõueniens, quòd aliqua pars aeris numquam sit sũmè frigida, & sicca. Esset autem inconueniens, esse extra suum statum mediũ, ita vt magis tenderet ad statũ imperfectissimũ, & ad corruptionem, quã perfectissimo apropinquaret, & in hoc vel numquã est aer, vel non diutius; quia rarissimè erit magis calidus, & humidus & densus, quã frigidus, siccus, & rarus.

Contra 5. dictũ, aquam scilicet sũmè frigidam esse, obijcitur, quia summa frigiditas congelat, sed aqua natura sua non postulat, vt cõgeletur, quia tunc ab ea excluditur humiditas, quæ est naturalis aquæ, igitur, &c. & cõfirmatur, quia nix, & grando secũdum se sunt aqua frigidiores; ergo aqua non est summè frigida. Respondeo, aquã non congelari, nisi habeat admistum aliquid subtile terreũ, & id circo nõ postulat natura sua, vt cõgeletur, non ob defectum frigoris; sed ob defectum mistionis. Ad confirmationẽ nego, niuẽ, & grãdinem esse frigidiores aqua, si hęc habeat frigiditatem sibi connaturalẽ, & contra aduersarios, qui volunt, aerẽ esse calidum, manifestè probatur; quia non potuerunt recipere hanc frigiditatem ab ipso aere, qui non est sũmè frigidus, neq; à terra, à qua & loco, & natura distant; ergo habent ab aqua: & confirmatur, quia in niue, & glacie elementũ prædominans est aqua; quare etiã facillimè in aquam resoluuntur; ergo si habent summã frigiditatem, non aliunde eã possunt habere, quàm ab aqua.

Secundò obijcies, frigus coniũctum

ctum cum siccitate est multò vehementius, quàm cum humiditate vnitum, sed in aqua est summa humiditas, ergo non potest adesse sũmũ frigus. Respondeo, esto vera sit maior quoad actiuitatẽ, negãdũ tñ est, esse verã quoad itẽsionẽ, ęquè enim potest esse intensũ frigus cũ humiditate, & cum siccitate, & nos etiam aliquando experimur, aquã esse frigidissimam. Dices, ergo neque vrgebit argumentũ, quo nos supra probauimus, ignem esse sũmè siccum, quia humiditas remittit calorem. Nego consequentiã, quia humiditas corrumpitur à calore, vt patet experientia, non verò à frigore.

Contra 6. dictum obijcitur, si terra esset sũmè sicca, non haberet partes continuas: nam ad continuitatem requiritur aliqua humiditas ex Arist. hic t.49 Respondeo, vel Aristotelẽ intelligendũ esse de mistis, in quibus oportet, vt miscibilia in minimas partes diuisa, humiditate continuentur, non verò de elementis ui propria consistentibus; nam ignis & est sũmè siccus, & aliquando etiã aer, & tamen habent continuitatẽ inter partes: vel si etiã de terra seorsum, & extra mistionem sumpta est intelligendus Aristoteles, nòn esse inconueniens, quòd ob vniuersi bonũ, non potiatur terra frequentiùs sua qualitate in summo.

Obijcitur 2. aqua multò magis refrigerat, quàm terra, vt docent medici cũ Gal. de simpliciũ medicamentorũ qualitatibus, & experientia ipsa testatur; ergo terra non est sũmè frigida. Respondeo, aquã magis refrigerare, quia est tenuior, & magis penetrat, & cum sit fluxibilior, vna pars alteri succedens, nouum frigus affert. Dices, aqua etiã se reducit faciliùs ad pristinum frigus, quã terra; ergo hæc non est sũmè frigida. Respondeo, quãuis tam terra, quã aqua ad summã frigiditatẽ tendant, non tamen æquali conatu, quia forma terræ, cũ sit imperfectior, nõ est tam actiua; consequenter non tã facilè suũ naturale frigus recuperat: Adde, quòd ob ipsius maiorem densitatẽ, & immobilitatẽ, tenaciùs calorẽ retinet, quàm aqua, sicut etiã aqua magis, quàm aer eadem ratione.

Obijcies 3. terra destinata est habitationi animalium, quæ gaudẽt maximè calido, & humido, ergo non debuit esse sũmè frigida, & sicca. Resp. animalia nõ habitare intra terrã, sed supra terrã, vbi aere calore cœli tẽperato fruũtur, quòd si nõnulla intra terrã degunt, sunt frigidiora, vt serpentes; neque etiã in aliqua parte profundiori terræ habitãt, quò peruenire nõ possint cœli influentiæ, & aer: Adde, etiã terram prope superficiẽ ferè semper esse aliquo pacto permistam, quòd aquæ non tam facilè euenit.

An qualitates symbolæ sint eiusdem speciei.

QVÆSTIO XII.

Symbolæ qualitates dicuntur illæ, in quibus duo, vel tria elementa conueniunt, vt siccitas respectu aeris, terrę, & ignis: & frigus respectu aeris, aquæ, & terrę; disymbolę qualitates autem dicuntur, in quibus duo elementa non conueniunt, vt calor ignis, & frigus

gus aeris: De illis igitur quærimus, an sint eiusdem speciei, nam de his nulla est dubitatio.

Non esse, quæ nam probare videantur.

SECTIO I.

PRæcipua eorum fundamenta, qui partē negantē huius quęstionis amplectuntur, sunt, quæ sequuntur.

Primò. Qualitates primæ sunt proprietates elementorū, sed elementa habent formas, & essentias diuersas, ergo non possunt habere proprietates easdē, aliòqui nō liceret argumētari à proprietate ad essentiā contra oēs Philosophos.

Secundò. Diuersitas operationū arguit diuersitatem formarū, sed diuersę sunt operationes harū qualitatum; ergo & ipsæ qualitates sūt diuersæ: probatur minor, quoniā humiditas aquę extinguit ignem, aeris verò nequaquā, immo potius nutrit, vt patet in oleo, pice, lignis, &c. in quibus elementū aeris prædominatur. Item calor ignis comburit, & secum non cōpatitur humiditatē, non ita autem calor aeris, quòd si dicamus, aerē esse frigidum, idē argumentū fit de frigore, quod in aqua humiditatem fouet, in aere verò siccitatem.

Tertiò. Leuitas ignis, & leuitas aeris differunt spetie, ergo etiā calores, siue aliæ symbolæ qualitates: Probatur antecedens, quoniā Aristoteles ex virtutibus motiuis colligit numerū elementorū; ergo supponit, esse diuersas specie, sicuti etiam sunt ipsa elementa.

Quartò. Si omnis calor est eiusdem speciei, conueniunt etiam calor animalis, qui scilicet ab anima profluit, & dicitur quoque vitalis, & calor ignis: at hoc nō est probabile, quia calor ignis destruit animal, vitalis verò generat, neque hoc tribui potest imēsioni, nā neq; calor ignis remissus potest effectus producere, quos producit calor animalis, quia cibos numquā in chylum conuertet; sicuti neque id operari potest, quod calor solis, qui metalla procreat, alioqui iam professores artis chymicæ artem perficiendi aurum adinuenissent. Immo in eodē animali sunt distincti calores, nam adest calor vitalis, & naturalis, & aliquando etiam febrilis, qui inter se diuersi sunt.

Symbolas elementorum qualitates eiusdem esse speciei, probatur, & aduersariorum argumenta expugnantur.

SECTIO II.

COntraria tamē sententia est cōmunis, & vera, huiusmodi qualitates symbolas specie nō differe, ita D. Thomas in quæst. de spir. creatura Arti. 3. ad 19. Doct. Connimb. cap. 3. quæst. 6. Zabarella lib. 2. de qualit. elementorū cap. 5. & alij.

Probatur hęc sentētia primò, quia frigus aeris, & aquæ se mutuo imēdunt, ergo sūt eiusdem speciei, non enim possent idem indiuiduum constituere, si specie differrent. Secundò sequeretur non tantùm quatuor esse primas qualitates, sed octo, immo tot essent multiplicandi calores, & tot frigora, quot sunt subiecta, in quibus naturaliter reperiuntur. Tertiò, falsa esset sententia Aristotelis, inter elemēta symbola

bola faciliorem esse transitũ, quia tam in symbolo, quã in disymbolo elemento duę qualitates essent corrumpendæ.

Ad primũ igitur in oppositum respondeo, qualitates primas dici posse proprietates elementorum, quatenus ab ipsis emanãt; non tamen sunt proprietates in 4. modo dicendi per se; quas si quæras, vel dicendum erit, aggregationẽ plurium qualitatũ esse cujuslibet elementi proprietatẽ, vel aliquam ex illis, quæ non in eo saltem gradu cęteris semper conueniat; vt ignis calor summus, aquæ sũma humiditas, terræ densitas, aeris tenuitas, & quædam fluxibilitas; licet enim ignis dicatur aere rarior, tamen cũ semper coniunctus sit cũ extranea materia, non habet illam fluxibilitatem, & in quodlibet corpus se insinuandi facilitatem, quã nos hic dicimus se habere, vt aeris proprietatem.

Ad secundũ concedimus, diuersas operationes arguere diuersas formas, si loquamur de operationibus per se, & non aliunde dependentibus: huiusmodi autem operationes non sunt diuersæ à qualitatibus symbolis, frigus enim, siue sit aeris, siue aquæ, siue terræ, semper frigefacit, & calor in quocunque sit subiecto, calefacit; quod verò frigus in aqua sit coniunctum cum humiditate, in aere cum siccitate, nihil refert, quoniam hoc non prouenit à diuersa natura frigoris, sed subiectorum. Ad illud de humiditate, quamuis non sit contra nos, qui in aere nullam humiditatem agnoscimus, dicimus tamen pro eis, qui illam admittunt, neque in aere, neq; in aqua nutrire ignem; sed tantùm in mistis, quia temperata est cum alijs qualitatibus, & est quædam humiditas pinguis.

Ad tertiũ respondeo, neque leuitatem ignis, & aeris, specie differre, Aristot. autem probabiliter argumentatur esse quatuor, quia diuersitas elementorum non solũ colligitur ex essentiali qualitatum diuersitate, sed etiam ex accidentali, dummodo hæc sit connaturalis, & perpetua, quia repugnat, eidẽ elemento cõuenire naturaliter sũmam leuitatem, & remissam.

Ad quartũ. Vt huic argumento satisfaciamus, sequentem quæstionem instituemus, in cuius calce ipsius solutio reperietur.

An vitalis calor ab elementari specie distinguatur.

QVÆSTIO XIII.

Qvoniam, vt qualitates symbolas elementorũ distinguere possent, contendebant aduersarij, hos quoque calores esse diuersos, agedum videamus nos, an verè distinguantur, & clarius apparebit, quid sit dicendũ de reliquis qualitatibus symbolis: nec planè oleum, & operã perdiderimus, quęstionẽ enim scitu dignissimam, & minimè leuem explicabimus.

Affirmans sententia proponitur.

SECTIO I.

Differre prædictos calores inter se, opinati sunt Conciliator defferent. 48. & 59. Marcellus in suo lib. 2. de Anima cap. 143. Fernel.

Fernel. lib. 4. suæ physiologiæ c. 1. Picus Mirandula lib. 3. aduersus astrologos cap. 3. Niphus 1. meteor. com. 35. quæst. 2. Bartholomæus Anglicus de rerum proprietatibus lib. 3. cap. 1. Hieronymus Dandinus lib. 1. de Animati corporis tẽperamẽto cap. 12. qui pro eadem etiam Galenum, & alios laudat.

Probatur autem primò multis Aristotelis auctoritatibus. Nã cap. 3. lib. 2. de animalium generatione inquit, calorem hunc vitalem, neque ignem esse, neque ab igne originem ducere; sed proportione respondere elemento stellarũ, quam ob rem addit, *Ignis nullum animal generat*, & in primo capite eiusdem libri siccitatem docet esse inimicissimã vitæ, humorem amicissimum, ergo infert Dandinus, cum nihil sit amicius vitæ, quã vitalis calor, hunc humidum esse oportet, non siccum, & igneum.

Secundò. Definitur putredo ab Aristotele cap. 2. lib. 4. meteor. proprij, & naturalis caloris interitus, ĩ quouis humore ab alieno ꝓfectus calore, qui rei est continentis: At ea, quæ putrescunt, ignea non sunt, cum ignis putrescat nunquã, vt idem Aristoteles asserit, tũ in lib. de longit. & breuit. vitæ cap. 3. & problem. 20. sect. 25. si ergo naturalis calor putrescit, humidus esse debet, non siccus, & igneus. Confirmatur, quia in libro de longit. & breuit. vitæ tanquam certum ponit Arist. vitã humore calido contineri, siccũ verò, & frigidũ interitũ adducere. Cum ergo, calor vitalis humidus esse debeat, calor verò igneus sit siccus; efficitur, vt hi duo calores sint lõgè diuersi.

Tertiò. Probatur. Calor vitalis consequitur animã, tamquam eius effectus, influentemque temperationem constituit, atque operationum vitalium proprium est, & singulare instrumentum: Igneus autem, & elementaris calor productionem animæ antecedit, velut materiæ, & corporis dispositio, atque ad innatam temperationem pertinet, & in omnibus mistis reperitur; ergo sunt hi duo calores maximè diuersi. Confirmatur, quia si innatam primarum qualitatum temperationem spectes in nostris, & in omnium viuentium corporibus, elementa frigida dominãtur. At influente temperatione abundat calor; ergo hic nequaquam igneus, aut elementaris esse potest, alioqui enim omnia animalia calidæ, & siccæ, hoc est igneę, & cholericæ temperationis essent.

Quartò. Calor vitalis est instrumentum animę, cui tamẽ non posse deseruire calorem elementarẽ, duo testantur. Alterum est, quòd hic calor in corporibus nostris magnopere fractus est, & tenuis, nec tam vehementer operari potest, q̃ est viuentibus necessariũ. Alterum est, quòd instrumentum proportionem habere oportet cũ agẽte principali: at quæ tandem proportio elementaris caloris cum anima? sua enim conditione, & natura deterioris multò, immò & deterrimę formæ, hoc est elementaris, proprium instrumentum est, animaque meliores opes quærit. Si enim perfectissimus, & omnibus suis gradibus absolutissimus calor ad infirmas quasdam operationes igni famulatur, quis eum parte maxima diminutum, ac prope extinctum, instrumentum esse animæ credat ad functiones omnium admirabi-

mirabilissimas? Confirmatur, quia accidens, & instrumentum non accipit à substantia, aut ab anima, cũ qua iungitur, vim vllam agẽdi, sed solam actionis determinationem, & moderationem; ergo cum calor elementatis natura sua debilis sit, & ad agendum inefficax, eamdem semper imbecillitatem, atque ineptitudinem ad effectus illos producendos habebit. Confirmatur secundò, quia aurum, & similia cõplura, vi & actione natiui caloris solleuantur, & ad viuentis temperationem adducuntur, quod ignis calor, vel intensissimus non potuisset.

Quintò. In mistis inanimis ad alias, atque alias, quæ visuntur in singulis, operationes perficiendas, quædam qualitates ab elementaribus longè diuersę traduntur in esse, vt in magnete lapide vis ad trahendum ferrum. Quid ni ergo in viuentibus concedantur, in quibus admirabiliores, ac pręstantiores cernuntur effectus?

Sextò. Omnia viuentia, ne dum animalia calore vegetantur, vt lib. de resp. cap. 7. scripsit Aristoteles at hoc de calore ignis intelligi nequit, si quidẽ pleręque herbæ adeo frigidæ sunt, vt inter venena numerentur, quale est oppiũ, & cicuta. Inter animalia quoque serpentes frigore abundant, & Salamandra adeo frigiditate pollet, vt igni diu resistat, ideoque creditum sit, eam in igne viuere; elementaris autem calor cum tanto frigore cohęrere non potest; ergo ab eo vitalis distinguitur.

Septimò. Eiusdem speciei qualitates non se interimunt, sed potius adiuuant: at calor febrilis, qui est igneæ naturæ, non adiuuat vitalem; (alioqui enim mellus concoquerent cibos febricitantes, quã sani; & robustiores etiam essent;) sed ipsum potius corrumpit; Ergo non est eiusdem speciei cum illo.

Denique, vt ait Galenus lib. 1. de temperam. cap. 2. & lib. 3. de Causis pulsus cap. 4. Indi abundant ascititio calore, Germani natiuo; non ergo sunt idem specie, & lib. 8. de Hyppoc. & Platonis decretis cap. 7. notat, ventres hyeme, & vere calidissimos esse, contra verò æstate frigidiores, cum tamen elementaris calor æstate magis abundet.

Contra sententia prafertur.

SECTIO II.

VT communior, ita etiam longè probabilior est sententia affirmans, eiusdẽ prorsus speciei, & essentiæ esse natiuum, siue vitalem calorem, & elementarem, siue igneum. Amplectuntur eã Albertus Magnus lib. 20. de animal. tract. 2. cap. 4. D. Thomas ad text. 41. lib. 2. de An & ibidem Alex. & Aegid. D. Bona. in 2. d. 17. q. 2. Auerr. 7. colligitur c. 2. Mar. hic quæst. 4. & Alb. de Sax. quæst. 1. Achill. lib. 3. de elem. dub. 10. Doct. Connimbr. hic cap. 3. quęst. 7. art. 2. & alij.

Probatur autem primò. Calor cœlestis idem est cum elementari, & cum vitali, ergo & hi duo sunt idem inter se, antecedens probatur, quia calor cœlestis producit ignem, vt patet ex reflexione radiorum in speculo concauo; ergo ab eius calore non differt. Item est causa productionis omnium viuẽ-

tium; nam ex 2. phy. t. 26. sol, & homo generant hominem, & patet, accedente ad nos sole arbusta omnia germinare, & virescere, ergo non differt à vitali.

Secundò. Calor elementaris adiuuat actionem caloris vitalis, immo etiam sępe eosdem producit effectus; ergo non differunt: probatur antecedens, quia concoctio in ventriculo fit à calore vitali, qui non parum roboratur calore igneo extrinsecus admoto, & ipsi cibi, si calidi sint, igneo calore citius à vitali concoquentur; quodque maius est, sicuti calore vitali oua fouentur, & excluduntur pulli; ita etiam calore igneo temperãter adhibito, vt in Aegypto fieri, testatur Vlysses Aldobr. & Doctores Connimbr.

Tertiò. Calor vitalis si maximè intendatur, producit ignem, ergo est calor igneus: antecedens probatur, quoniam fœnum nondum perfectè exsiccatum, si recludatur, sępe calefit, & concipit ignem, vt sæpius experientia testata est, at quonam calore calefit? non certè igneo, cum non adsit externum calefaciens vllum; ergo vitali, quia viuentia omnia caloris non sunt omnino expertia, qui cum exhalare non possit, roboratur, ac tandem ignem producit, vt alibi explicauimus. At dicet quis fortassis, calorem vitalem nobiliorem esse, quàm calorem igneum, & idcirco non mirum, si possit id, quod præstaret etiam calor igneus. Sed contra. Nam ignis non potest existere sine suo ꝓprio calore, & nõ alius, quàm hic, esse potest eius dispositio; vel ergo dicendum est, calorem vitalem esse dispositionẽ ad ignẽ, & consequenter esse igneum, vel saltem ipsum calorẽ igneum à vitali produci; quòd si posterius affirmes, multa sequentur absurda primum, duplicem eiusmodi calorẽ esse semper in animali; cum enim in eo sit vitalis, & hic generet igneum, semper erunt simul; 2. euertitur totum fundamentum sententiæ aduersariorũ: idcirco enim nolũt ipsi hũc calorẽ esse igneũ, quia hic est contrarius viuentibus, non autem ille, at parum refert, calorẽ vitalem non esse per se contrarium viuentibus, si producit alium calorem illis pernitiem machinantem.

Quartò. Calor vitalis, & igneus mutuo intenduntur; ergo sunt eiusdem speciei: consequentia est clara, quia si coeunt in idem numero indiuiduum; ergo etiam sunt in eadem specie. Antecedens quoque experientia constat. Nam & calorem vitalẽ calore igneo fouemus, & calore vitali res quaslibet inanimatas calefacimus, etiam lapides, qui si in sinu gestentur, calidiores euadunt, quàm antea, non autem credibile est, esse in eis duos calores, alterũ vitalẽ, alterũ elementarem; ergo hi duo non differunt.

Quintò. Vtrique calori contrarium est vnum specie frigus; ergo & illi sunt vnus specie. Negant aliqui antecedens, vt cap. 13. refert Dandinus, sed immeritò. Nam aer frigidus vitalem calorem cordis temperat, ergo inuicem aduersantur: & experimur etiam, nimium frigus non parum lædere operationes caloris vitalis, immo, & ipsum aliquando extinguere. Consequentia autem, quam negat Dandinus, probatur ex primo de Cœlo t. 10. vbi dicitur, vnum vni esse contrarium, quod & antea dixerat sapiẽs Ecclesiast. 33. 18. Intuere in omnia opera

opera altissimi, duo contra duo, & vnum contra vnum. Respondet Dand. hoc non obstare, quia calor vitalis, & igneus, in eo, quòd frigori aduersantur, se habēt, vt vnū; hæc enim calorum diuersitas, quāuis ipsis sit essentialis, comparatione tamen frigoris accidētaria prorsus est: non satisfacit tamen, quia tota vis propositionis euertitur, si enim vni sint centum contraria, dicam semper, illa centum se habere, vt vnum respectu contrarij; quare omnino vana erit illa propositio: certissimum enim est, quæ sunt vni contraria, in hoc conuenire, quòd illi aduersantur. Ad hæc, ruit etiā illa alia propositio, quòd contrariorum eadem est ratio, cū hic vnum contrarium ponatur habere vnitatem genericam, & alterum specificam tantùm.

Præterea sequeretur etiam, posse introduci calorem in aliquod subiectum, absq; eo quòd expelleretur frigus, ponamus enim, esse calorem elementarem vt quatuor, tunc si per quatuor gradus vitalis caloris expellantur quatuor gradus frigoris, sequetur, in aliquo subiecto nullum esse gradum frigoris; & tamen non esse calorem in summo. Nam ex quatuor gradibus caloris vitalis, & ex quatuor elementaris non fieri calorē in sūmo, ex aduersariorum principijs fateri oportet, calorē enim in sūmo sequitur forma ignis, calor autem vitalis, si non est igneus, non potest ad eam disponere materiā. Ad hæc, sint quinque gradus caloris vitalis in aliquo subiecto, vel poterunt in idem introduci quatuor gradus caloris elementaris, vel non poterunt; si poterunt, ergo in eodem subiecto erunt nouem gradus caloris, cumque per 8. priores exclusi fuerint 8. gradus frigoris, 9. introducetur absque expulsione vllius frigoris: vel non poterūt, & tūc calor vitalis, & igneus erunt contrarij, quia gradus vnius qualitatis, non impedit ingressum alterius, nisi aut sit eiusdem speciei, aut contrarius, sed hi calores non sunt eiusdem speciei per aduersarios; ergo erunt contrarij: calori igitur vitali erunt duo contraria, scilicet calor elementaris, & frigus, neque hic dicere poterit Dandinus, calorem elementarem, & frigus differe tantùm accidentaliter respectu caloris vitalis.

Vlterius quando in subiectum, quod habet duos gradus caloris vitalis, & duos elementaris, introducitur aliquis gradus frigoris, quis nam calor expellitur? elementaris, an vitalis? nulla apparet ratio, cur hic potius expellatur, quā ille, ergo uel ambo, vel nullus, vtrum autem dicas, magnum nō vitabis absurdum, Sequeretur etiā, calorem summum existere sine aliquo gradu frigoris; sit enim subiectum habens quatuor gradus caloris elementaris; & quinque vitalis, & in idem introducatur vnus gradus frigoris, per hunc expelletur tantùm vnus gradus caloris; remanebunt igitur 8. gradus caloris, qui est mensura summi in vno gradu frigoris. Possent etiam alia multa similia absurda colligi, quæ ne tædio lectorem afficiam, omitto.

Sextò. Sensus est optimus iudex qualitatum tangibilium, at hic nullum discrimen inter calorem vitalem, & elementarem percipit; ergo nullum re uera est. Probatur minor, quia nemo vnquam tangens

lapidem remisśe calidum, scire poterit, an ab igne, vel ab aliquo, qui ipsum fou, vel manibus calefecerit, cum calorem traxerit. Sensus igitur nullum agnoscit discrimen inter hos duos calores, quod si aliquandò agnoscere videtur, est ob intensionem, quia igneus est sæpe valde intensus, cum vitalis numquam non sit temperatus.

Septimò, non solùm duo calores diuersi speciе essent cōcedendi, sed plurimi alij, sicuti etiam plures humiditates specie differētes, à quibus multiplicationibus valde abhorrent prudentes philosophi. nam si calor vitalis diuersus est ab igneo, cur etiam aereus (iuxta aduersarios, qui ipsum concedunt) nō erit ab igneo diuersus? cur ab alijs calor cœlestis non distinguetur? cur plantarum calor ab animalium, cur animalia specie inter se distincta, specie quoq; distinctos calores nō possidebunt? Heu quot calores fugiat, oportebit, miserrimū frigus, quod solum inter tot aduersarios constitutum est, ne de medio omnino tollatur. Idem de humiditate dicendum erit. Nam sicuti datur calor vitalis, & elementaris; ita etiā datur humidum radicale, & elemētare: non minùs igitur hæc inter se differre debent, quàm illi, neque minùs inter se humiditates reliqua rum rerum, quàm calores.

Octauò. Vanus quoque esset Aristotelis discursus, quo ex primis qualitatibus numerum elementorum venatur; si enim calor igneus elementum constituit, cur non etiā calor vitalis? Dices, non esse ex primis qualitatibus: at hoc ego contēdo inter primas qualitates numerā dum esse, cum non minùs, quàm ille & agat, & repatiatur; solis n. primis qualitatibus hoc genus actionis tribuitur.

Nonò. Frustra manducaremus, si vera esset aduersariorum sententia; cibus enim assumitur, vt calor vitalis, & humidum radicale reparentur: at nullus est cibus, qui huiusmodi qualitatibus sit affectus, quia nihil vita præditum comedimus; ergo vel qualitates elementares subsidio nobis sunt; vel frustra hoc à cibis quærimus.

Denique hanc etiam fuisse Arist. sententiam, & ex dictis colligi potest, ex quibus patet, ipsius principijs esse maximè consonam, & ex multis eius locis. Nā libro de Respiratione cap. 7. ait *concoctionem, qua animalia viuunt, sine calore fieri non posse, quia omnia igne cibum conficiunt*. Item in lib. *de Iuuentute c. 1.* inquit, *animam in corde esse, quasi ignitam, idest, igneo calore præditam*. Item textu 4. libri primi de anima, & cap. 3. lib. 2. de partibus: animā dixit esse præcipuam nutritionis, & accretionis causam, sed ignē, idest, calorem igneum, concessit esse instrumentum, & textu 130. 2. de anima inquit sensibus omnibus inesse ignem, quia nihil sine calore sentiri potest, quæ consequentia nulla esset, si calor, qui ad sensationē necessarius est, non esset igneus.

Argumentis pro priori sententia occurritur.

SECTIO III.

Ad primum respondeo, Aristotelem dum ait, calorem vitalē non esse ignem, neque ab igne produce, verum dixisse, quia est ab anima, neque tam intensus est, quā calor ignis: non hinc tamen sequitur, specie differre ab igneo; sed

tan-

tantùm intensione, alioqui omnia, quę habēt diuersas causas, differrēt etiam specie, dumque ait, esse simi lem elemento stellarum, loquutus est de intensione, & effectibus, non verò de essentia, secundum quam inter calores nullum est discrimen. Ad alteram auctoritatem eiusdem, concedimus, calorem vitalem humidum esse, idest cum humiditate coniunctum; dicimus tamen, malè hinc cōcludi, esse diuersæ speciei; alioquin calor in aqua licet productus ab igne, esset diuersæ speciei à calore ignis, & frigus terræ cum siccitate coniunctum esset diuersum à frigore aquæ, quod humiditati copulatur, quo pede claudicant quoque argumenta reliqua ab Arist. authoritate deducta.

Ad 2. concedimus, ignem non putrescere, & consequenter neque ignea, negāda tamē est illatio; ergo omnia, in quibus est calor igneus, non putrescunt. Nam neque terra est combustibilis, mista tamen terrea maximè combustibilia sunt.

Ad 3. respondeo, nil aliud eo probari, quàm hos calores diuersa habere principia. Nā & frigus, quod ab extrinseco inuadit corpus, non est diuersum specie à frigore, quod natiuam mistionem, & temperamētum componit.

Ad 4. respondeo, verè dici, quòd calor elementaris, idest, qui ab extrinseco prouenit, animæ instrumentum esse nequit, non quia sit diuersæ speciei, sed quia ab anima non procedit, & consequenter non est eius instrumentum; sicuti manus Petri non differt à manu Pauli essentialiter, & tamen si præciderētur, neuter posset vti alterius manu; immo neque propria, quia non haberet amplius coniunctionem cum anima, eiusque primum argumentū est pro nobis, quia hæc impossibilitas non tribuitur essentiæ, sed intensioni, ex cuius diuersitate non licet colligere distinctionem specificam.

Ad 5. respondeo, nullum esse absurdum, quòd idem sit instrumentum deterrimæ, & nobilissimæ formæ, sicuti etiam potest esse dispositio; non negabit enim Dandinus, calorem elementarem, qui admistionē carnis necessarius est, immo & frigus, quod est ignobilius, esse dispositiones ad animam nobilissimam recipiendam; quòd verò nobiliores operationes edat vt animæ instrumentum, quàm vt ignis, aliæ rationes non desunt, prima est societas aliarum qualitatum, nā in igne est cum summa siccitate, in animali cum humiditate coniunctū; secunda sunt partes ipsæ, & locus, in quo operationes edit, has enim maximè huic ministerio conducere, patet, quia licet in manu mea sit calor vitalis, vnà cum humiditate, numquam tamē efficit chylū, sicuti efficit in stomacho, neque tamen concedet quis, diuersum specie esse calorem manus à calore stomachi. 3. est intensio, quæ maxima est in igne, in calore autem vitali est valde temperata, non deficiet hic tamen, quia cum suo principio est coniunctus. Ad illud, quòd de auro additur, negamus, ipsum concoqui posse, refert enim Iosephus de bello Iudaico, multos Iudęos Hierosolymis obsessos, aurum deglutisse, vt tantisper dum obsidentium manus euaderent, lateret, ac deinde in suis excrementis ipsum denuo quæsiuisse.

Quod si quis contendat, aurum contri-

contritum, & in puluerem redactũ & potioni admistum, vt de aureo vitulo legitur fecisse Moysem, concoqui posse, & nutrire, dicam eadẽ quoq; ratione, ab igne consumi posse.

Ad 6. respondeo, in viuentibus nos quoque admittere qualitates à primis diuersas. Nam admittimus plures secundas, vt expultricem, attractiuam, motiuam, & alias multas; negamus tamen, calorẽ ipsum esse debere à calore elementari specie distinctum.

Ad 7. respondeo, nullum viuens esse adeo frigidum, vt aliquem gradum caloris non possideat: quòd verò cicuta & opium occidunt, hoc non prouenit tantùm à frigore actuali, sed multò magis à virtuali, non quòd hoc operetur sine actuali; sed quia frigus actuale conseruatur, & intenditur à virtuali, & idcirco à calore naturali non potest superari.

Ad 8. respondeo, calores eiusdẽ speciei se adiuuare semper quoad effectum ipsorum primarium, qui est calefacio, non tñ semper quoad secundarios, qui sæpe requirunt calorem temperatum; sicuti ad cibos coquendos requiritur calor, neque tamen quò intensior est calor, eò meliùs cibi coquentur; sed oportet, calorem esse temperatum. Idẽ igitur contingit etiam in animalibus. Adde, calorem febrilem euocare calorem internum ad partes externas, humiditatem exurere, spiritus, qui sunt animæ instrumentũ, absumere; quare non mirum, si animæ operationes impediat. Quòd autem calor febrilis à vitali specie non differat, probatur. Primũ quia non reperitur nisi in animalibus, 2. quia non procedit ab extrinseco, 3. quia videmus, homines vitali calore abundantes, faciliùs etiam in febrim incidere: est igitur febris natiuus quidem, & vitalis calor, sed ex accidenti nimium intensus.

Ad vltimum respõdeo, quod sicuti hyeme aqua putealis est magis calida, quàm æstate, neque tamen quis dicet, aquæ calorem esse diuersum à calorẽ aeris: ita etiam loco, & tempore calidioribus, vitalis calor in nobis lãguescit, roboratur verò loco, & tempore frigidioribus; neque tamen sequitur, diuersos specie calores admittendos esse, aut diuersa frigora; causa enim est antiperistasis, vt alibi explicauimus.

Hinc igitur patet, quid sit dicendum ad 4. argumentum superioris quæstionis huc vsque dilatum, videlicet omnem calorem esse eiusdẽ speciei: patet etiam ex responsione ad 5. cur hi calores habeant diuersos effectus; destruit enim animal calor ignis, quia est nimis intẽsus: calor vitalis generat, quia simul cum virtute seminis operatur: digerit etiam cibum, quoniam ab ipso ventriculo adiuuatur, à quo secernuntur diuersę partes alimẽti, & aptior tantùm nutrimento retinetur, cœterę expelluntur. Calor etiam solis producit metalla, quod non potest calor ignis, non tam ex defectu virtutis, quàm materiæ, quæ non potest, vt opus esset, præparari, vt tempus, locum, & alia multa omittam: quod etiã vltimo loco dicebatur de caloris diuersitate in animali, falsũ est, quia distinguuntur tantùm, vel subiecto, vel principio, vel intensione, & ex his diuersitas effectuum procedit.

An

An contrariæ qualitates possint esse in eodem subiecto.

QVÆSTIO XIIII.

Communis opinio explicatur.

SECTIO I.

NOn sine distinctione solet huic quæsito responderi. Dicunt enim philosophi, contraria considerari posse, vel in gradu remisso, vel in gradu intēso, vel in sūmo: porrò gradus remissus appellatur, qui non excedit mediam partem latitudinis ipsius qualitatis, quam latitudinem dicunt Philosophi esse octo graduum, non quòd plures gradus non possint in ea distingui, sed quoniā pro differentiū commoditate, erat ijs aliquis numerus assignandus, & hic visus est cōmodissimus; calor igitur trium, vel quatuor graduum dicitur remissus, intensus è contra dicetur ille, qui 4. gradum excedit, summus verò, vel in gradu summo, qui pertingit vsque ad 8. gradum. Hoc supposito dicunt primò. Contraria in sūmo esse non posse simul. Probatur facilè, quia patet, hæc contraria mutuo se expellere; si enim de aliquibus contrarijs hoc est dicendum, vtique maximè de contrarijs in summo. Dicunt 2. contraria in gradu remisso se posse compati in eodem subiecto; ita vt possit idem subiectum habere quatuor gradus frigoris, & quatuor gradus caloris, & idem etiā dicunt de gradu intenso vnius contrarij cum gradu remisso alterius, dūmodo ambo simul non excedant latitudinem 8. graduū; ita vt possint esse simul quinq; gradus frigoris, & tres caloris vel septem etiam gradus frigoris, & vnus caloris: est autem circa hoc dictum duplex dubitatio.

Altera est, quænam sit causa, quare cōtraria in gradu remisso possint simul consistere, non autem in gradu intenso; & ratio dubitationis est, quia de contrarijs in vniuersū dicitur, quòd mutuo se expellunt: & ita videmus in reliquis, quia lætitia, & dolor: amor, & odium, si sint de eadem re, neque in gradu remisso simul esse possunt, & idem etiā apparet in cōtrarijs priuatiuis.

Altera dubitatio est, an ex duobus contrarijs in gradu remisso fiat vna simplex qualitas tertia, sicut videtur accidere in coloribus: nam ex albo, & nigro fit 3. color, verbi gratia viridis.

Ad priorem quæstionē respondentes Doct. Connimbr. hic cap. 3. quæst. 8. art. 3. dicunt, id prouenire ex incapacitate subiecti, & ex contrariorum natura. Ex subiecti incapacitate, quia cum habeat certam, limitatamque essentiam; ita etiā certam, limitatamque capacitatē ad contraria sustinenda, ratione cuius non potest recipere gradū excedentē latitudinem vnius contrarietatis. ex natura verò contrariorū; quia mutuo se perimunt in gradu intenso. Idemque videtur sentire Suarez disp. 45. in metaph. sect. 4. nu. 6. licet addat, has formas non habere repugnantiā formalem ex præcisis entitatibus essentialibus, in quocunque gradu remisso existant, sed tantùm quoad latitudinem, siue excessum intensionis.

Ad posteriorem respondet Suarez eadem disp. & sec. num. 14. ali-

quando

quando ex contrarijs fieri vnam simplicem qualitatem virtute tantùm ea continentem, vt accidit in coloribus, aliquando verò non, sed tantùm fieri vnionem earum imperfectam per formalem coniunctionem vtriusque contrarij in esse remisso, & ita frigus, & calor in tepiditate vniuntur.

Huic tamen communi sententiæ refragantur Greg. in p. d. 17. q. 3. art. 2. Soncinas 10. metaph. q. 2. Durand. in prologo sent. q. 2. & alij nonnulli, qui dicunt, qualitates cōtrarias in gradu remisso esse nō posse simul, quia sunt contraria secundum essentiam, & contrariorū est proprium, ab eodem subiecto se expellere. Quando autem subiectū videtur participare vtrumque contrarium, dicunt hi authores, non esse ambo contraria simul, sed ex contrarijs corruptis genitam esse tertiam qualitatem mediam, vt tepiditatem.

Communis sententiæ benignè interpretatæ vera ratio affertur.

SECTIO II.

Gregorij, & Durandi sententiam quatenus existimant, ex contrarijs semper oriri vnam simplicem qualitatem, rectè impugnat Suarez loco supra citato. Nam oporteret, secundum eam asserere, per minimum gradum caloris corrumpi totam aquæ frigiditatem, & gigni tertiam aliquam qualitatem, quę item introducto alio gradu caloris corrumperetur, quod esse absurdum, probatur; tum quia tolleretur omnis intensio, & remissio in qualitatibus, cuius contrarium supra ostendimus; tum etiam, quia vel alteratio nōn esset continua, vel mutarentur infinitę huiusmodi qualitates. Adde, quòd cum frigiditas sit dispositio necessaria ad aquæ formam, si tota corrumperetur, non posset non corrūpi etiam ipsa aquæ forma: si dicas, esse sufficientem dispositionem etiam tipiditatem. Contra, quia nō per hoc tollitur, quin debeat aqua corrumpi, quia sicuti dispositio interrumpitur, dum prior recedit, & posterior aduenit, ita etiam deberet interrumpi esse ipsius formæ; quare corrumperetur, & generaretur denuo. Præterea si corrumpitur frigiditas, ergo calefaciens poterit introducere in instanti summū calorem, cū iam non sit resistens. Ad hęc, aqua tepida reducit se ad pristinam frigiditatem, expellendo calorem; at si haberet vnam simplicē qualitatem, non posset expellere calorem tantùm; sed expelleret etiā gradum tepiditatis continentem calorem simul, & frigus; virtualiter fuisset igitur tota illa qualitas aquę contraria, quod non est dicendum, quia tunc nō habuisset forma aquæ vllam propriam dispositionem, præcipuè si supponamus, cœtera quoque eius accidentia alterationē passa fuisse. Quæ argumenta, quāuis non videantur tantam habere vim contra productionem huius tertiæ qualitatis per mistionē, quia præcedens, quodāmodo remanet; quantam obtinerent cōtra eādem, si per generationē esset, relinquūt nihilominus sententiam, quam impugnāt, minùs probabilem, quā oppositam, quæ similibus tricis nō est implicita.

Approbo prætera, calorem remissum cum frigore remisso in eodem subiecto considerare posse; sequitur

quitur enim ferè manifestè ex dictis; si enim tepiditas non est vna qualitas simplex virtualiter continens frigus, & calorem; ergo formaliter componi debet ex calore, & frigore. Non enim dici potest, totum frigus esse corruptum, & parum caloris tantũ esse in aqua, quia tunc absque vlla resistentia intenderetur calor vsque ad summum gradum. Ratio tamen, cur hæ duæ qualitates remissæ possint esse simul, vel rectè tradita non fuit, vel nõ perfectè explicata. Primũ enim quòd hoc referant in capacitatem subiecti, quod possit simul recipere contraria in gradu remisso, non autem in gradu intenso, non mihi satisfacit, si enim loquerentur de capacitate extensiua, ad rem esset, subiectum esse capax tot graduum, & non plurium, at de intensiua loquẽtes, non video, qua ratione hoc dici possit. Nam per receptionem quatuor graduum caloris non fit subiectum magis incapax, quàm prius ad recipiendos alios quatuor gradus caloris; immo fit magis aptum; quia per illos priores perficitur, & disponitur, vt possit alios recipere. Nam hic est finis, propter quẽ tribuit natura subiectis accidentia, vt ea scilicet perficiant, & reddant aptiora, ad recipiendas formas nobiliores; quòd igitur spectat ad capacitatem subiecti, hæc nullo pacto minuitur per receptionem accidentium, quòd si gradus caloris essent multo plures quàm sunt, omnes recipere posset; sicuti etiam videmus, numquam expleri capacitatẽ subiecti ad recipiendum lumen. Hoc igitur posito sequitur, vt subiectum habens quatuor gradus caloris, nõ minùs sit dispositum ad recipiẽdos alios quatuor gradus, ac si illos priores non haberet, & similiter habẽs quatuor gradus frigoris, non minùs sit dispositum ad recipiendos alios quatuor gradus frigoris, quã si non alios haberet. Atqui, deinde subsumo, hoc subiectum habens quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris, si nullos gradus caloris, & nullos frigoris haberet, posset recipere quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris; ergo etiamsi iam eos habeat, poterit denuo alios recipere. Confirmatur, si huiusmodi subiectum non potest recipere duos alios gradus frigoris, vel hoc oritur ex calore, quem habet, vel ex frigore; si ex calore, ergo etiamsi hoc subiectum non haberet quatuor gradus frigoris, sed tantum quatuor gradus caloris, non posset recipere alios duos gradus frigoris, quia totum impedimentũ oriebatur ex calore, non autem ex frigore; si dicas, oriri etiam ex frigore, ergo subiectum per quatuor gradus frigoris minùs aptum redditur ad recipendos alios gradus frigoris, cuius oppositum supra ostendimus.

Confirmatur argumentũ ex Arist. 4. Phys. t. 53. vbi argumentatur, quòd si duo corpora possunt esse in eodem loco, poterunt etiã esse infinita, quia vel pugnat, corpora esse simul, & non poterunt esse neque duo, vel non pugnat, & poterunt esse quotlibet, vt videmus in spiritibus, quorum quotlibet possunt esse in eodem loco, quia nulla repugnantia est inter ipsos: ita ergo argumentari nos quoque possumus, si cum quatuor gradibus caloris possunt esse quatuor gradus frigoris, ergo & quotlibet.

Præterea nõ minor vis requiritur in subiecto ad sustinendam aliã

qualitatē, verbi gratia humiditatē, quàm calorem, vel frigus, sed cum octo gradibus frigoris possunt esse octo gradus humiditatis; ergo etiam caloris. Roboratur, quia in eadem materia possunt esse plurima accidētia & plures etiam formę substantiales vt esse in animalibus, supra ostendimus; tantumque abest, vt per vnam formam impediatur capacitas materiæ ad alias recipiēdas, vt potius magis apta redditur, cur igitur dicemus, esse incapacem ad recipiendos quinq; gradus frigoris, si iam habet quatuor gradus caloris? Profectò si quidā aliud non obstaret, capacissimum esset subiectum. Hæc igitur prior ratio nulla est.

Altera erat ex natura contrariorum, quæ, inquiunt, possunt esse simul in gradu remisso, non autem in gradu intenso, sed hęc quoque infirma est, & imperfecta. Nam si quatuor gradus caloris compatiuntur secū alios quatuor frigoris, cur non etiam poterunt quinq; an quia peculiarem repugnantiam cū hoc quinto habeant? igitur cum quatuor prioribus idcirco cōsistebant, quia repugnantiam non habebāt: non igitur erant contraria. An quia tot gradus se compatiuntur, & non plures? atqui vt modò dicebamus cum Aristotele, si cum quatuor possunt coexistere, ergo & cum infinitis. Confirmatur: Non maiorem habet repugnantiam quartus gradus caloris cū quinto frigoris, quā cum quarto eiusdem frigoris, ergo ex parte repugnantiæ si potest esse cum hoc, poterit etiam esse cum illo; sicuti etiam potest consistere cum octo gradibus siccitatis, quia non habent maiorem repugnantiā cum vno, quàm cum alijs.

Vera igitur ratio desumenda est ex ijs, quæ diximus supra, loquentes de gradibus eterogeneis. Cum enim gradus frigoris, sicuti etiam gradus caloris sint eterogenei, & diuersæ rationis; efficitur, vt non singuli singulis sint cōtrarij; quare qui contrarij non sunt; simul esse possunt, qui verò oppositi, se mutuo expellunt; primi ergo quatuor frigoris non habent oppositionem cum primis quatuor caloris; sed cū alijs quatuor, qui sequuntur, ita vt quartus gradus frigoris opponatur quinto gradui caloris: tertius gradus frigoris sexto gradui caloris: secundus gradus frigoris septimo gradui caloris: primus gradus frigoris octauo gradui caloris; quintus frigoris quarto caloris: sextus frigoris tertio caloris: septimus frigoris secundo caloris: octauus frigoris primo caloris; & hinc optimè redditur ratio, cur si introducatur quintus gradus frigoris, necesse sit, expelli quartum gradum caloris, non verò cęteros, quia videlicet cū eo habet repugnantiam, non verò cum cęteris, cum ē contra qui eterogeneos gradus nō admittunt, nō possint huius rei vllam probabilem afferre rationem.

Hinc etiam patet, quid sit dicendum ad illud argumentum: minus inter se pugnant minus calidum, & magis calidum, quàm calidum, & frigidum; sed illa non possunt esse simul, ergo neque ista: Dicendū est enim, verè minus calidum, & magis calidum esse simul, quia primus gradus caloris, qui est calor maximè remissus, potest esse simul cum octauo qui est calor maximè intensus.

Quoad secundam difficultatem, cur scilicet ex coloribus fiat vnus

calor

color medius, non autem ex calore, & frigore: In primis negari potest id, quod de coloribus dicitur. Nam colores medij non tantùm ex mistione albi, & nigri oriũtur, alioqui omnes colores ex horum mistione consurgere possent, quod est falsum; in aliquibus tamen fortasse est verum. Ratio autem discriminis potest afferri, quia colores secundum quemlibet gradum pugnant inuicem, cum non possint esse simul nigredo, & albedo, neque quoad vnum gradum, & consequẽter inuicem corrumpuntur, & miscentur: at frigus, & calor in gradu remisso possunt esse simul; non igitur corrumpuntur, aut miscentur. Adde, quòd illi gradus, qui in his primis qualitatibus contrarij sunt, adeo opponuntur; vt coalescere nõ possint in vnum indiuiduum. Dices, ergo ex hoc tertio colore ex duobus contrarijs sequentur illa incommoda, quæ supra contra simplicem qualitatem ex frigore, & calore compositã inferrebamus. Respondeo, non sequi, quoniam colores non sunt dispositiones necessariæ ad aliquam formã, neque sunt qualitates actiuæ, vt calor, & frigus; & denique per mistionem coalescunt in vnum tertium, non verò per simplicem corruptionem.

Approbo denique, quod dicunt, opposita esse posse simul per potentiam diuinam, nullamque in duobus casibus habeo difficultatem. Alter est, quando Deus replicat aliquod corpus: tunc enim potest in hoc loco esse calidum, vt octo, & alibi vt octo frigidum. Alter casus est, si Deus impediat eorum actum secundum. Sicut enim in Eucharistia Corpus Christi habet quantitatem, non tamen est extensum; ita etiam posset aliquod corpus habere albedinem, non tamen habere actum secundum, per quem album dignosceretur; at verò ꝙ simul habeant actum secundum albedo, & nigredo in eodem tempore; nõ video, quomodo possit concipi, videtur enim repugnantia, quòd aliquod corpus sit album, & nigrum hoc pacto, sicut repugnat, quòd simul, & ab eodem videatur, vt albũ, & vt nigrum: Non igitur audeo affirmare, hoc fieri posse, sed neque pertinaciter inficior, quoniã immẽsa Dei potẽtia nõ est angustis intelligẽtiæ nostræ terminis coarctãda.

Summa Secunda. De elementorum generatione.

CAP. IV.

De mutua Elementorũ generatione facili, atque difficili.

Quoniam autem determinatũ est prius quod simplicibus corporibus & seinuicẽ generatio: simul autem & secundum sensum videntur, generata (non enim esset alteratio, secundũ enim ipsius tactus passiones alteratio est) dicendum est quis modus adinuicẽ trasmutationis, & vtrũ omne ex omni generari possibile sit, an hæc quidẽ possibile, hæc aũt impossibile. Quod igitur omnia nata sint adinuicem transmutari, manifestũ est. Generatio enim in contraria, & ex contrarijs. elementa autem omnia habent contrarietatem adinuicem, quia differentiæ sunt contrariæ. his enim ambæ contrariæ, vt igni & aquæ. illud enim siccum & calidũ, hoc autem frigidum, & humidũ: Tex.24

illis autem altera solum, vt aeri & aquæ. illud enim calidum, & humidum, hoc autem frigidum & humidum. Qua propter vniuersaliter quidem manifestum est, quod omne ex omni generari natum est. Iam autem secundum vnumquodque non difficile est videre. quomodo quidem omnia ex omnibus erũt.

Tex. 25 *Differt autem ipso citius, & tardius, & facilius, & difficilius. Quæcunque enim habent cognationem adinuicem, velox horum trãsmutatio est: quæcunque autem nõ habent, tarda, quia facilius est vnum quam multa transmutare. Vt ex igne quidem erit aër, altero transmutato; illud enim erat calidum & siccum, hoc autem calidũ, & humidum: quapropter si vincatur siccum ab humido, aer erit. Rursus autem ex aere aqua erit, si vincatur calidum à frigido illud enim erat calidum, & humidum, hoc autem frigidum, & humidum. quapropter transmutato calido aqua erit. Eodem quoque modo ex aqua terra, & ex terra ignis: habent .n. ambo ad ambo cognationẽ: aqua .n. humidum & frigidum, terra autẽ frigidum, & siccum, qua propter victo humido, terra erit. Et rursus quoniam ignis quidẽ siccus, & calidus: terra autem frigida, & sicca, si corrumpetur frigidum, ignis erit ex terra. Quapropter manifestum est, quòd circularis erit generatio in simplicibus corporibus, & facillimus hic modus trãsmutationis, quia cognatio existit in ijs, quæ consequunter.*

In habẽtibus cognationem facilior est trãsitus σύμβολον.

Tex. 26 *Ex igne quoque aquam, & ex aere terram, & rursus ex aqua, & terra aerem, & ignem contingit quidem generari: difficilius autẽ, quia plurium est transmutatio. Necesse enim est, si erit ex aqua ignis, corruptum esse & frigidum, & humidum. Et rursus, si ex terra aer, corruptum esse & frigidũ, & siccum. Similiter autem, si ex igne, & aere aqua, & terra, necesse est ambo transmutari. hæc igitur tardior generatio est.*

Tex. 27 *Si autem vniuscuiusque alterũ corruptum fuerit, facilis quidem erit. non aũt in seinuicẽ transitus, sed ex igne quidẽ, & aqua erit terra, & aer: ex aere vero & terra ignis, & aqua. Quando enim aquæ corruptum fuerit frigidum, ignis autem siccum, aer erit. relinquitur enim huius quidem calidũ, illius aũt humidũ. Quãdo aũt ignis quidẽ calidũ, aquæ aũt humidũ, terra, quia relinquitur, illius quidem siccũ, huius aũt frigidum. Similiter autẽ & ex aere, & terra ignis, & aqua. quando enim aeris corruptum fuerit calidum, terræ autem siccum, aqua erit: relinquitur enim illius quidem humidum, huius vero frigidum. Quando autem aeris humidum, terra autem frigidum, ignis quia relinquitur, illius quidem calidum, huius autem siccũ, quæ quidem erant ignis.*

Ex hoc sumitur quod ex duobus elementis summe contrarijs tertium generari potest.

Tex. 28 *Confessa autem & sensui ignis generatio, maxime enim ignis, flãma, hæc autem est fumus ardens, fumus autem ex aere, & terra.*

Flamma est fumus ardens.

Tex. 29 *In ijs autem, quæ consequenter sunt*

sunt, nō cōtingit, corrupto in vtroque altero, elementorum factum esse transitū in vllū corporū, quia relinquūtur ī ambobus aut eadē, aut contraria: ex neutro aūt cōtingit generari corpus, vt si ignis quidem corruptum fuerit siccum, aeris autem humidum, relinquitur in ambobus calidum. si autem ex vtroque calidum, relinquuntur contraria, siccum, & humidum. similiter autem & in alijs: in omnibus enim ijs, quæ per consequentiam, inest hoc quidem idem, illud autem contrarium. Quapropter simul manifestum est quod quæ ex vno in vnum transeunt, vno corrupto generantur: quæ autem ex

Tex. 30 *duobus in vnum, pluribus.*

Quod ergo omnia ex omni generantur, & quomodo adinuicem transitus fit, dictum est.

PROPOSITIONES ex capite quartò.

tex. 24 1 *Nisi generabilia essent elementa, neque essent alterabilia.*

2 *Quod vis elementum è quouis gigni natum est.*

3 *Generatio in contrarium, & ex contrario fit.*

tex. 25 4 *Elementa, quæ symbolam habent qualitatem, facilius inuicē trāsmutantur.*

5 *Circularis generatio simplicibus competit corporibus.*

tex. 27 6 *Ex duobus elementis contrarijs, in quibus altera eorum qualitas sit corrupta, tertium ab ipsis diuersum gignitur.*

tex. 28 7 *Maximè ignis est flamma, hæc autem est fumus ardens fumus autem ex aere, & terra.*

8 *Si in duobus elementis symbolis altera tantum eorum qualitas corrumpatur, nullum potest gigni tertium corpus simplex.* tex. 29

NOTATIONES.

IN primam propositionem hanc attulit supra Aristoteles in priori libro cap. 1. vbi etiam eius rationem reddidimus.

In secundam propositionē, hāc non esse intelligendam de trāsmutatione immediata, sed de mediata, in quæstionibus ostendimus. Nunc aliam addimus expositionem, quòd scilicet loquatur Aristoteles de transmutatione metaphysica, non autem de physica. Est autem metaphysica transmutatio, quæ fit appositis, vel detractis prædicatis per intellectum nostrum, quidquid sit, an à parte rei transmutari possint, exempli causa dicemus, si ab homine demas rationalitātē, & addas hinnibilitatē, erit equus, non quòd physicè hæc mutatio fieri possit, sed quia fit metaphysicè per conceptionē nostrā. Eodem modo inquit Aristoteles, quòd si ab igne tollatur tantùm calor, & reliquatur siccitas, fiet terra, non quia physicè possit vnquā ignis conuerti in terram, sed metaphysicè tantùm. Probatur autem hæc expositio, quoniam inquit Aristoteles, quòd ex elementis symbolis, si in ambobus altera qualitas tantùm corrumpatur, nullum resultabit corpus tertium, quoniam vel remanebit tantùm qualitas symbola, & tunc nullum poterit resultare elementum, cum vnumquodq; duas qualitates requirat, vel remanebunt qualitates contrariæ, & ex illis nulla poterit consurgere coniuga-

iugatio. At quis non videat, hunc discursum esse de metaphysica trãsmutatione, non autem de physica? physicè enim repugnat, vt duobus inuicem agentibus elementis qualitas symbola corrumpatur, quia simile non agit in simile. Si dicas, corrumpi à tertio, illud tertiũ vincet etiam alteram qualitatem ex contrarijs, quare resultare etiam poterit aliud elementum.

Dices. Mutatio metaphysica elementorum supponit mutationem alicuius prædicati essentialis, at qualitates non sunt de essentia elementorum, ergo hic non de ea loquitur Aristoteles. Respondeo, loqui hic Aristotelem de qualitatibus elemẽtorum tamquam de dispositionibus, & proprietatibus ipsorum, ex quarum mutatione oritur consequenter etiam mutatio elementorum.

In tertiam propositionem. hæc propositio non videtur consona alijs dictis ipsius Aristotelis in hoc capite. Nam si generatio fit tantũ ex contrario in contrarium, ergo ex igne tantùm gigni poterit, cum ea tantùm sit illi contraria. Respõdeo, si in generatione attendatur vltimus terminus, qui est substantia, dici eam fieri ex contrario in contrarium ratione priuationis, at nõ est hæc mens Aristotelis in hoc loco, sed loquitur de contrarietate ratione qualitatum, sine qua nulla fit alteratio, nedum generatio, aut corruptio, hęc autem reperitur in omnibus elementis, suppositis his, quæ supradicta sunt de ipsorũ qualitatibus.

In quartã propositionem. Quomodo sit intelligenda hæc propositio, fusius in quæstionibus explicauimus.

In quintã propositionem. Circulatis generatio mediata potest etiam alijs corporibus conuenire; nam ex hominis cadauere gigni possunt herbæ, quę comedantur à bobus, & hi deinde ab homine, at immediata est propriè corporum simplicium, non tamen omnium, sed aliquorum, nam & ex aere gignitur immediatè aqua, & ex aqua aer.

In sextã propositionem. Intelligenda est etiam metaphysicè hæc propositio, quamuis præcedẽs physicè sit vera. Non est autem incongruum, nunc metaphysicè, nunc physicè loqui, quia facile ex subiecta materia modus loquendi percipitur. Explicat autem exemplis eãdẽ Aristoteles, quia si in igne corrumpatur calor, & in aqua humiditas, remanebit coniugatio ex frigore, & siccitate, & consequenter terra fiet.

In tertiã propositionẽ. Tres partes continet hæc propositio, quarum prima est. Maximè ignis est flamma, quod ab illis, qui ignis sphæram sub Cœlo fingunt, ita exponitur, vt sit maximè ignis inter eos, qui apud nos sunt, quia magis igni in proprio statu accedit. Verùm si ille ignis per eos neque lucet, neque comburit, quomodo flãma est illi maximè similis, quæ omnium maximè splendet, & vrit? Adde, ipsum Aristotelem non consueuisse; appellare ignem corpus illud, quod est in cõcauo lunę. Est igitur maximè ignis, quia & ignis operationem maximè exercet, & cum sit in materia valde tenui, ipse ignis magis dominatur, cum alioqui in materia densa, vt in ferro, quoad multa magis dominetur forma ferri.

Secun-

Secunda pars, est fumum esse terram, & aerem, quod non est ita intelligendum, quasi nil aliud sit in fumo, quia nisi etiam participaret humiditatem aquæ non posset ignis esse nutrimentum, vt patet, aerem .n. non esse humidū, in quæstionibus ostendimus.

Tertia pars est, flammam esse fumum accensum, quod & verissimum est, & verissimam declarat esse sententiam nostram, quòd scilicet forma ignis substantialis sit in eadem materia cum alia forma substantiali misti.

Sed quāuis hæc omnia vera sint, non videntur tamen opposite dici ab Aristotele, præcipuè secundum nostram expositionem. Nam hoc exemplum de flamma affert Aristoteles, vt probet, esse verū, quòd dixerat ex aere, & terra gigni ignē, ergo non tantùm metaphysicè, sed etiam physicè loquitur. Sed neque adhuc in portu res est; nam flamma ex Aristotelis principijs non est elementum simplex, ergo nulla est eius probatio. Respondeo, Aristotelem exemplum de flamma attulisse, non vt ostenderet, in eo verum esse, quod dixerat, sed vt ex similitudine declararet, quomodo concipiamus, ex aere, & terra gigni ignē quare & seruatur eius metaphysica locutio, & etiam argumenti efficacia.

In octauā propositionem, hanc propositionem methaphysicè intelligendā esse, in propositione secunda declarauimus.

C A P. V.

Quod Elementa non sint naturalium corporū materia, nec alterum alteri.

Sed tamen adhuc, & sic considerabimus de eis. Si enim est naturalium corporum materia, vt et videtur quibusdam, aqua, & aer, & quæ talia sunt, necesse est aut vnum esse, aut duo hæc, aut plura. Vnum itaque omnia esse nō est possibile, vt aerem omnia, aut aquam, aut ignem aut terram, si quidem transmutatio in cōtraria. Si enim erit aer, siquidem permanet, alteratio erit; sed nō generatio. Simul autem neque ita videtur, vt aqua sit simul, & aer, aut aliud quodcunque. Erit igitur aliqua contrarietas, & differentia, cuius habebit aliquam alterā particulam ignis, vt caliditatem. Sed tamen nec ignis erit aer calidus: alteratio enim tale, & non videtur. Similiter autem rursus, si erit aer ex igne calido, in contrariam trāsmutatio erit. inerit igitur aeri hoc, & aer erit frigidum aliquid, quapropter impossibile est ignē aerē calidum esse. simul enim idem calidum, & frigidum erit. aliud aliquid igitur, præter ambo, idem erit, & aliqua alia materia communis. Eadem autem est ratio de omnibus, quod non est vnum horum, ex quo omnia. Tex. 31

Sed neque aliud aliquid præter hæc, velut medium aliquod aeris, & Tex. 32

& aqua, vel aeris, & ignis: bis autem crassius, illis autē tenuius. erit enim illud aer, & ignis cum contrarietate: sed priuatio alterū contrariorum. Quapropter non contingit illud solum esse vnquā, vt inquiunt quidam, infinitum, & continens, similiter igitur quodcunque horum, aut nullum.

Tex.33 *Si igitur nullum est, sensibile prius his, hæc vtique erunt omnia. Necesse est igitur aut semper manentia, & immutabilia inuicē, aut quæ mutentur, & aut omnia, aut hæc quidem, hæc autem non, vt in Timæo Plato scripsit.*

Tex.34 *Habentia cognationem citius generantur* *Quod igitur transmutari inuicem necesse est, demonstratum est prius, & quod non similiter celeriter aliud ex alio dictū est, prius, quoniam habentia quidem cognationem citius generantur ex seinuicem: non habentia autem tardius. Si igitur contrarietas vna est, secundum quam transmutantur, necesse est duo esse, materia .n. medium est, insensibilis, & inseparabilis existens. Quoniam autem plura videntur esse, duæ vtique erunt, quæ minimæ. Duabus autē existentibus, non possibile est tria esse, sed quatuor, quemadmodum videtur. tot enim cōiugationes erunt: sex enim existentibus, duas impossibile est generari, quia contrariæ sunt adinuicem, de his igitur dictum est prius.*

Tex.35 *Quòd autem, quoniam transmutantur adinuicem, impossibile est principium aliquod esse horū, aut in extremo, aut medio, ex his manifestum. In extremis igitur nō erit, quoniam ignis, aut terra essē omnia. & eadem est ratio ac si dicamus ex igne, aut terra esse omnia. Quòd autem neque medium, vt videtur quibusdam, aer quidē & in ignem trāsmutatur, & in aquam, aqua autem in aerem & in terrā, vltima autem non amplius in seinuicem. Oportet enim stare, & nō in infinitum ire hoc in rectitudine ad vtraque: infinitæ enim contrarietates in vno erūt. Sit enim Terra, in quo T, Lympha, in quo L, Aer, in quo A, ignis, in quo I. Si ergo A transmutatur in I, & L, contrarietas erit eorum, quæ A I. sint hæc albedo, & nigredo. Rursus, si in L, & A, erit alia. non .n. idem L, & I. sint autem siccitas, & humiditas, S quidem. Siccitas, Hu. autem Humiditas. Quapropter, si quidem manet album, erit lympha humida, & alba, sin autem nigra erit lympha, in contraria enim transmutatio. necesse est igitur aut nigram, aut albam esse lympham. si itaque alba primum. Similiter igitur & ipsi I ipsum S inexistet, siccitas. erit igitur igni transmutatio in lympham, contraria enim existit. ignis enim primum quidem niger erat. deinde autem siccus: lympha autem humida, deinde vero alba. manifestū itaque quòd omnibus ex se inuicē erit transmutatio. & in his, quia & T, terræ inerunt reliqua, & duo cognata, nigrum & humidum. hæc enim nondum coniuncta fuerunt.*

Vt literæ Latinæ distinctæ, nec coincidentes distinctis elementorum nominibus correspondent, vt etiam Græca Græcis correspondent, ideo hic Lympham pro aqua posuimus.

Quod

Quod infinitum in rectum non posſit procedere elementorum generatio, ſed quòd neceſſario ipſa ſint finita.

Tex.36 *QVòd autem in infinitum non poſsibile eſt ire, quod oſtenſuri ad hoc prius venimus, manifeſtum eſt ex his. Si enim rurſus, ignis, in quo I, aliud transmutatur, & non reflectitur, vt in P S, contrarietas quædam in I, & P S alia exiſtat præter prædictas: nulli enim idem ſupponitur T L A I ipſum P S. Sit ergo ipſi quidem I ipſum B, ipſi vero P S ipſum M B. ergo omnibus inexiſtet T L A I: transmutantur enim in ſeinuicem. Sed hoc quidem ſit nondum demõſtratum: ſed illud manifeſtũ, quòd ſi rurſus P S in aliud, alia erit cõtrarietas, & ipſi P S inerit & I. ſimiliter autem ſemper cum appoſitio contrarietas aliqua exiſtet his, quæ ante. Quapropter ſi infinita, contrarietates infinitæ vni inexiſtent. ſi autem hoc, non erit neque terminatũ eſſe aliquid, neque generari: oportebit enim ſi erit aliud ex alio, tot tranſire contrarietates, & amplius plures quapropter in aliqua quidem nunquam erit transmutatio, vt ſi infinita media ſint. neceſſe eſt autem, ſiquidem infinita elementa. Amplius autem neque ex aere in ignẽ, ſi quidem infinitæ contrarietates. Fiunt autem & omnia vnum. neceſſe enim omnes exiſtere, in inferioribus quidem ipſo I eas, quæ ſuperiorum: his autem eas, quæ inferiorum. quapropter omnia vnum.*

CAP. VI.

Quòd Elementa, cũ plura ſint, non ſint immutabilia, præcipuèque aduerſus Empedoclem huius opinionis autorem.

ADmirabitur autem aliquis dicentes plura vno elementa corporum, vt non tranſmutentur inuicem, ſicut Empedocles inquit, quomodo contingit eis dicere comparabilia eſſe elementa. Sed tamen dicit ſic, Hæc enim æqualia omnia. Si ergo ſecundum quantum neceſſe eſt idem aliquid eſſe exiſtẽs in omnibus comparabilibus, quo menſurantur, vt ſi ex aquæ hemina fuerint heminæ aeris decem, idẽ aliquid igitur erant ambo, ſi menſurantur eodem. Si autem non ſic ſecundum quantum comparabilia, vt quantum ex quanto, ſed quantũ poſſunt, veluti ſi hemina aquæ æqualiter poteſt infrigidare & decem aeris, & ſic ſecundum quantũ, non ſecundum quòd quantum comparabilia, ſed ſecundum quòd poſſunt aliquid. erit ergo & non quanti menſura comparare & potentia, ſed ſecundum proportionẽ, verbi gratia, vt hoc calidum hoc album. Hoc autem, vt hoc ſignificat in quali quidem ſimile, in quã to autem æquale. Inconueniens igitur videtur, ſi corpora immutabilia Tex.37

 bilia

bilia existentia, non proportione comparabilia sint, sed mensura potentiarum, & eius, quod est esse æquale calidum, aut simile ignis tantum, & aeris multiplex. idē enim plus, quia eiusdem sit generis, talem habebit rationem.

Tex.38 Sed neque augumentatio vtiq; erit secundum Empedoclem, nisi secundum additionem, igne enim auget ignem. Auget autem terra suum genus, æthera autem æther. Hæc autem apponuntur; videntur autem non sic augeri ea, quæ augentur.

Tex.39 Multo autem difficilius est eidem tradere de generatione secundum naturam. Ea enim quę generantur secundum naturam, omnia fiunt aut semper, aut vt multum. Ea autem, quæ extra ipsum semper, & multū à casu, & à fortuna. Quænam igitur causa existit huius, ex homine hominē, aut semper, aut vt plurimum, & ex frumento frumentum, sed non oliuā?

Tex.40 An & si ita compositum fuerit os. non enim vt contingit conuenientibus aliquid generatur, quēadmodum ille inquit, sed ratione aliqua. Quæ igitur horum causa? non enim ignis, aut terra.

Tex.41 At vero neque amicitia, neque lis congregationis enim solum illa, hæc autem segregationis causa. hoc autem est substantia, quæ vniuscuiusque, sed non solum mistio, & fœdus mistorum, quemadmodū ille inquit. fortuna autē in his nomina tur, sed non ratio. est autem mista esse vt contingit. naturā enim existentium causa est ita se habere, & vniuscuiusque natura hæc est, de qua nihil dicit. Nihil igitur de naturā dicit. sed tamē & bene hoc, & bonū. hic autē mistionē solum laudat, quāuis & elementa segregat non lis, sed amicitia, quæ natu ra priora sunt Deo. Dij autem & hæc.

Amplius aūt de motū dicit simpliciter. non enim sufficit dicere quòd amicitia, & lis mouent, nisi hoc erat amicitiæ esse quòd motu tali, liti autē tali. Oportebat igitur aut definiuisse, aut supposuisse, aut demōstrasse, aut acriter, aut leniter, aut alio quodā modo. Tex.42

Amplius autē quoniam videntur & vi, & præter naturā moueri corpora, & secundū naturā, vt ignis superius quidē non vi, inferius autē vi, ei autē, quod vi, id quòd secundū naturam, contrariū est: est autē vi moueri: est igitur & secundum naturā moueri. Hoc igitur amicitia mouet, an non? ecōtrario enim est terram superius. & segregationi assimilatur. & magis lis causa est eius, qui secundum naturam motus, quā amicitia. quapropter & omnino præter naturā amicitia erit magis. Simpliciter autē, nisi amicitia, aut lis mouet, eorū corporum nullus motus est, neque quies, sed inconueniens. Tex 43

Amplius autem & apparent quòd mouentur, segregauit enim lis, latus autē fuit superius æther, non à lite, sed quandoque quidem, inquit, vel vt à fortuna. Sic enim fuit multoties tunc, frequenter autē Tex.44

" *autem alter.* Quandoque autẽ,
" *inquit*, natum esse ignem sursũ
" ferri, Aether autem longis ter
" ram ingrediebatur radicibus.
" Simul autem & mundum similiter habere, *inquit*, in lite nũc, & prius in amicitia. *Quid igitur est id, quod mouet primum, & causa motus? non enim amicitia & lis, sed cuiusdam motus hæ causæ sunt, si autem sunt, illud principium.*

tex.45 *Inconueniens autẽ est, & si anima ex elementis, aut vnũ aliquod eorum. alterationes enim animæ quomodo erunt, vt musicum esse, & rursus immusicum, aut memoria, aut obliuio? Manifestum enim quòd, siquidem ignis anima sit, passiones inerunt ei, quæcunque igni, secundum quòd ignis. Si autem mistum, corporales: harum autem nulla corporalis est. Sed de his alterius opus est contemplationis.*

Animã ex elementis constare absurdũ.

PROPOSITIONES ex capite 5. & 6.

tex.31 1 *Si aer sit materia cæterorũ elemẽtorũ, & in eorũ productione maneat, non erit ipsorũ productio generatio, sed alteratio.*

Tex.33 2 *Nihil, quod sub sensum cadat, est elementis prius.*

Tex.36 3 *In elementorum transmutatione non licet in infinitum abire.*

Ex capite sexto.

Tex.37 4 *Comparari inter se elementa non possunt, nisi ex mutua transmutatione.*

Tex.39 5 *Quæ natura gignuntur, aut semper, aut plerumque eodem modo fiunt.*

Tex.43 6 *Si motus violentus reperitur, concedendus erit etiam naturalis.*

NOTATIONES.

IN primã propositionem. Fundamentum hujus propositionis est illud commune dictum. *Omne quod aduenit enti in actu, est accidẽs*, cum enim aer sit ens in actu, si forma ignis ei superuenerit, erit dicẽda accidens eius, igitur eius productio erit alteratio, non autem generatio, Quo argumento videtur corroborari sententia de vnitate formæ substantialis in composito, si enim ad illam communem responsionem recurramus, quod aduenit enti in actu non completo, non esse accidens, eneruabimus Aristotelis argumentum. Dicendum tamẽ, & Aristotelis argumentum rectè concludere, & nihilominus contra nos, qui plures formas defendimus, non esse. Ratio est, quia loquebatur ipse de formis eiusdem ordinis, scilicet elementaribus, harum autem vna non potest esse in potentia ad aliam, & cõsequenter si vna alteri adueniret, non posset esse nisi accidens; at nos pluritatem informis tantùm diuersorum ordinum ponimus, quarum exempli gratia vna sit mistionis, altera viuens, &c.

In secundam propositionẽ. Per sensum intelligendus est tactus iuxta prius tradita, alioqui enim cœlum videtur esse elementis prius, nisi dicamus, vel ipsum cœlum ex elementis constare, vel per Aristotelem neque esse elementis prius, cum voluerit, vniuersum esse ab

æterno secundum omnes suas partes.

In tertiã propositionẽ. Non est intelligenda hæc propositio, quasi voluerit Aristoteles, elementorũ transmutationem aliquando terminandam, concedit enim, fore infinitam, & æternam, sed negat in finitatem in multitudine elementorum, ita videlicet, vt ignis trãsmutetur in elementum aliud superius, & hoc idem in aliud, & ita in infinitum.

In quartã propositionẽ. Argumẽtatur Aristoteles contra Empedoclem, qui dicebat, elementa multẽ nũc transmutari, & tamen esse cõpatabilia, idest habere proportionem in magnitudine. Hæc autem duo, inquit Aristoteles, pugnare, eò quòd nulla nobis pateat via inuestigandi elementorum proportionem, nisi ex partibus ipsorum transmutatis, exempli causa si ex vno aquæ sextario decẽ aeris fiãt, colligendum etiam est, totum aerẽ decuplam proportionem habere ad totam aquam. Non definit autem Aristoteles, aerem habere decuplam proportionem ad aquam, sed hanc mensuram ponit exempli causa. Obijci tamen potest contra hanc Aristotelis argumentationẽ, quòd corpora cœlestia neque inuicem transmutantur, neque cũ elementis, & tamen eorum proportionem tradunt astronomi. Respondet Philop. quem sequitur Toletus, & Connimbr. non loqui Aristotelem de comparatione quantitatis quolibet modo sumptæ, sed de ea, quæ virtute continetur in quolibet corpore, ita vt videlicet magnitudo densitate compenset. Fortassis etiam intellexit Aristoteles de magnitudine occupationalis, non autem virtutis, nam & in libris meteororum, vt in quæstionibus notauimus, hoc eodem argumento vtitur ad magnitudines elementorum mensurandas, & existimauit, non alio pacto posse nos deuenire in cognitionem magnitudinis ipsorum. Ad instantiã autem de cœlis respondeo, eorum magnitudines colligi ex astris, quæ à nobis videntur. Nam supponimus, cœlum lunæ extendi vsque ad astrum Mercurij, at verò non possumus scire, quousque extendatur aer, supposito quòd supra ipsum sit sphæra ignis, aut aliud corpus præter cœlum, neque quanta sit aquæ profunditas, aut terræ, præsertim cum Aristotelis tempore nondum iter ad antipodos patefactum esset.

In quintã propositionẽ. Distinguit per hanc propositionem Aristoteles effectus naturales à fortuitis, & meritò, quæ enim casu, & fortuitò accidunt, rarò eadem eueniunt, vt patet in tesseras iaciente. Natura verò cum sit determinata ad vnum, semper eodem modo operatur, aliquando tamen à fine suo deficit ob aliquod impedimentum, vnde oriuntur monstra, & idcirco dixit Aristoteles, non semper omnino, sed vel semper vel plurimum eodem modo accidere.

In sextã propositionem. Non valet tamen huius conuersa, si motus naturalis reperitur, etiam violentus concedendus erit, probabile est enim, cœlorum motum esse naturalem, neque tamen vnquam violenter mouentur. Ratio discriminis est, quoniam motus violentus dicit ordinem ad naturalem, idcirco enim est violentus, quia naturali opponitur, ipsum igitur supponit,

ponit, at naturalis non dicit ordinem ad violentum, sed ad principiũ, à quo procedit, ratione cuius naturalis appellatur. Dices, regula Peripatetica est, quòd si reperitur vnum oppositorum, oportet reperiri & alterum, sed naturale, & violētũ sunt opposita, ergo si vnũ reperitur, debet dari & alterũ Respondeo, veram esse illam regulã de illis oppositis, quæ talia sunt ratione suæ propriæ entitatis, cuiusmodi sunt frigus, & calor, albedo, & nigredo, non verò in ijs, quæ in ordine ad aliquod tertium opponuntur, qualia esse naturale, & violentum patet, quoniam hæc nomina non desumuntur ab ipsorum natura, sed in ordine ad aliud, vnde quod vni est violentum, alteri erit naturale.

Si quis verò contendat, etiam in his verificari debere illam regulã, non admodum repugnabo, dummodo concedat, ad eam tuendam satis esse, quòd in vniuerso violentum, & naturale reperiatur; non verò quod in eo subiecto, in quo naturale reperitur, etiam violentum admitti debeat.

Summa Tertia. De Mistorum generatione.

CAP. VII.

Quo pacto Elementa mutuo generentur, & quo pacto ex eis generentur Mista.

Tex. 46 *DE elementis autem, ex quibus corpora constituta sunt, quibuscunque quidem videtur esse aliquod cōmune, aut mutari in seinuicem, necesse est, si alterum horum, & alterum contingere. Quicunque autem non faciunt ex inuicem generationem, neque ex vno quoque, nisi sicuti ex pariete lateres, inconueniens. quomodo enim ex illis erunt, carnes, & ossa, & aliorũ quodcunque? Habet autem quod dicitur dubitationem, & apud eos, qui ex alterutris generãt, quomodo generatur ex eis aliud aliquid præter hoc. dico autem, ut si ex igne est aqua, & ex hac generatur ignis. est enim aliquod cōmune subiectum. sed vtiq; & caro ex eis generatur, & medulla. hæc autem quomodo generantur? Illis enim, qui dicunt, vt Empedocles, quis erit modus? necesse enim est cōpositionem esse, sicut ex lapidibus, & lateribus paries est. mistũ vtique hæc ex saluatis quidem elementis erit, secundum parua autẽ ad inuicẽ compositis. sic itaque caro, & aliorum vnumquodque.*

Contingit autem non ex qualibet parte carnis generari ignem, & aquam, (quemadmodum ex cera generaretur vtique, ex hac quidem parte sphæra, pyramis autem ex alia aliqua) sed contingebat ex vtraque vtrunque generari. hoc igitur hoc generatur modo ex carne, ex qualibet ambo. Eis autem, qui illo modo dicunt, non contingit, sed vt ex pariete lapis, & lateres, vterq; ex alio loco & parte. Tex. 47

Similiter autem & facientibus vnam eorum materiam habet aliquam dubitationem, quomodo erit aliquid ex ambobus, vt frigido, & calido, aut igne, & aqua. Si enim est caro ex ambobus, & neutrum Tex. 48

eo-

eorum, neque rursus compositio sal natorum, quid relinquitur nisi materiam esse quod ex illis est? alterius enim corruptio, aut alterum facit, aut materiam. Nunquid igitur quoniam est & magis, & minus calidum, & frigidum, quandoquidē simpliciter fuerit alterū actu, potentia alterū erit: quando aūt nō omnino, sed vt quidē calidū frigidū, vt autem frigidū calidū, quia quæ miscentur corrumpunt excellentias adinuicem, tunc neque materia erit, neque illorum cō trariorum vtrumque actu simpliciter, sed medium. Secundum vero, quòd est potentia magis calidum, quàm frigidum, vel econtra, secundum hanc rationem duplo calidum potentia, aut frigidum, vel triplo, vel secundum alium talem modum. Erunt autem mista alia ex contrariјs, aut ex elementis. & elementa ex illis potentia quodam modo existentibus: non ita vero vt materia, sed secundum prædictum modum. & est ita quidem mistio, illo verò modo materia, quod generatur. Quoniam autem patiuntur contraria secundum eam, quæ in primis, determinationem: est enim actu calidum, potentia frigidum, & actu frigidum, potentia calidum. quapropter, si non coæquentur, mutantur in seinuicem. similiter autem & in alijs contrarijs. Et primo quidem elementa ita transmutantur, ex his autem carnes, & ossa: & quæ talia, calido quidem facto frigido, frigido autem calido, quando ad medium veniunt. hic enim neutrum, mediū autem multa, & non indiuisibile. Similiter autem & siccum, & humidum, & alia talia secundum medietatem faciunt carnem & os, & alia huiusmodi.

PROPOSITIONES
ex capite septimò.

1 *Si elementa communem habent materiam, esse quoque inter se transmutabilia, est necesse, & qui trāsmutabilia fatetur; nō potest eis cōmunē negare materiā.* tex. 46
2 *Ex qualibet parte misti plura elementa gigni possunt.* tex 47
3 *In summè calido potentia tantùm adest frigus, in remissè calido actu quoque reperitur.* tex. 49
4 *Sunt elementa potestate in misto, non ita tamen, sicut forma in materia.*
5 *Contraria, nisi ad æqualitatem redacta sint, in se mutuo agunt, & transmutantur.*
6 *Medium, quod ex contrarijs resultat, non est indiuisibile, sed latitudinem habet.*

NOTATIONES.

IN primam propositionem. Videtur hæc propositio fauere illorum sententię, qui asserunt, cœlum constare ex materia diuersa ab elementari, eò quòd in elementa transmutari non possit. Qui tamen contrariam tuentur sententiā, respondere poterunt, Aristotelis propositionem non esse vniuersalem, nō, n. ait, quæcunq; habent eamdem materiam, esse transmutabilia, sed si elementa eamdem mate-

materiam habent, erunt transmutabilia. Ratio autem, cur valeat in his, & non in omnibus, est, quoniã non tantùm eamdem materiam oportet ijs esse communem, sed etiã contrarijs qualitatibus affici, vt inuicem aliqua transmutentur, cum autem elementis, constet, secundã non deesse conditionem, meritò Aristoteles dixit, fore transmutabilia, si prima quoque non desit; at in cœlis non constat adesse secundam, & idcirco non valet argumentum, habent eãdem materiã, ergo sunt transmutabilia.

In secundam propositionẽ. Pendet hæc propositio ex illa conditione, quam supra Aristoteles tradidit, quòd quælibet pars misti debet esse mista, si enim quęlibet pars est mista, ergo in qualibet parte sunt potestate omnia elementa, quare etiam ex qualibet educi poterunt. Hoc autem non est ita intelligendum, vt per resolutionem quælibet particula in quatuor elementa sit conuertenda, numquam enim videmus, mistum aliquod resolui in ignem, & aquã: sed quòd non magis ex hac parte, quàm ex alia potest quodlibet elementum educi contra Empedoclem, ex cuius opinione sequebatur, hanc misti particulã resolui posse in ignẽ, & non in aliud elementum, illam verò in aquam, & sic de cœteris. Sufficit autem Aristotelicæ doctrinæ, vt aliqua arte ex qualibet parte vnumquodque elementum educi possit, non verò, vt singula elementa singulas partes sibi determinatas vendicent.

In tertiam propositionem. Veritas huius propositionis in quæstionibus declarata, & cõprobata est, quamuis, vt verum fatear, ad Aristotelis mentem sufficeret asserere, in calido remisso adesse mediã qualitatem virtute continentem frigus, & calorem, non verò actu, sed quia hanc sententiam improbabiliorem iudicauimus, idcirco in alio sensu Aristotelẽ exponimus, vtrumque enim recipere potest.

In quartam propositionẽ. Quomodo sit intelligenda hæc propositio, in quæstionibus declarauimus.

In quintam propositionem. Nõ ita recipienda est hæc propositio, quasi oporteat, vtrumque contrarium fieri æquè remissum, nimirũ quatuor graduum, nam si alterum sit sex graduum, alterum duorum: mutuo non se interimẽt. Per æqualitatem autem intelligit Aristoteles proportionem virium, non verò pares gradus, vt ipse per sequentem se explicat propositionem.

In sextam propositionem. Quãuis inter duo extrema contraria assignari possit medium indiuisibile, illud videlicet, quod ita est medium, vt in neutram partem magis inclinet, quale est illud, quod ex quatuor gradibus vnius extremi, & ex quatuor alterius componitur, attamen quia etiam illud, quod in alterum extremum magis vergit, dummodo & alterius naturam participet, dicitur medium, meritò ait Aristoteles, medium non esse indiuisibile, sed habere latitudinem.

CAP.

CAP. VIII.

Miſta omnia ex quatuor conſtare ſimplicibus elementis.

Tex. 49 *Omnia autem miſta corpora, quæcunque circa medij locum ſunt, ex omnibus compoſita ſunt ſimplicibus. Terra enim ineſt omnibus, quia vnumquodque eſt maxime, & multum in proprio loco. Aqua autem, quia indigent terminari ipſa compoſita. ſolam autem eſſe ſimplicium facile terminabilem, aquam. Amplius autem & terra ſine humido non poteſt conſiſtere: ſed hoc eſt, quod cōtinet. ſi enim auferatur ex ipſa omnino humidum, decidet vtique terra igitur, & aqua propter has inexiſtunt cauſas. Aer autem, & ignis, quoniam contraria ſunt terræ, & aquę. terra enim aeri, aqua vero igni contraria eſt, vt contingit ſubſtantiam ſubſtantiæ contrariam eſſe. Quoniam igitur generationes ex contrarijs ſunt, inexiſtũt autem altera extrema contrariorum, neceſſe eſt & altera ineſſe. quapropter in omni compoſito omnia ſimplicia inerunt.*

Terra aeri, igni vero aqua contraria eſt.

Tex. 50 *Teſtificari autem videtur & nutrimentum vniuſcuiusque. omnia enim nutriuntur ex eiſdem, ex quibus ſunt: omnia vero ex multis nutriuntur. etenim quæcunque viderentur vno ſolo nutriri, vt aqua plantæ, multis nutriuntur, miſta eſt enim aquæ terra. ideo agricolæ tentant, cum miſcuerint, irrigare. Quoniam autem eſt nutrimentum quidem materia, quod autem nutritur comprehenſum cum materia forma, & ſpecies, rationabile iam ſolum ſimplicium corporum nutriri ignem omnium, ex ſe inuicem generatorum, quemadmodum & priores dicunt: ſolus enim eſt & maxime ipſius formæ ignis, quia natus eſt ferri ad terminum. Vnumquodque autem natum eſt ad ſuam ipſius ferre regionem: forma autem, & ſpecies omnium in terminis. Quod igitur omnia corpora ex omnibus conſtituta ſunt ſimplicibus, dictum eſt.*

Omnia nutriuntur eiſdem ex quibus ſunt.

πότιμον .i. ſimũ, aut ſter ore.

PROPOSITIONES ex capite octauo.

1 *Omnia miſta corpora, quæcunque circa medium ſunt, ex omnibus ſimplicibus componuntur.* tex. 49

2 *Terra ineſt omnibus, quia vnumquodque maximè, & copioſiſſimè eſt in proprio loco.*

3 *Sine aqua non bene terminatur terra, neque conſiſtit.*

4 *Aer, & ignis cum terra, & aqua ſint contraria, nō poſſunt in miſtis non ſimul eſſe cum illis.*

5 *Omnia iiſdem nutriuntur, ex quibus conſtant.* tex. 50

6 *Elementum ſimplex nutrire nequit.*

7 *Alimentum rationem materiæ obtinet, quod aũt nutritur, forma.*

8 *Solus inter ſimplicia corpora nutritur ignis.*

9 *Ignis inter elemēta formæ ſimillimus eſt, proptcrea quod ad terminum fertur vniuerſi.*

NOTATIONES.

IN primam propositionem. Quæ circa medium sunt, ideſt circa terram, quæ eſt centrum vniuerſi, conſtare ait ex omnibus elementis, non omnia ſimpliciter, vt excluderet metereologica, quę ex omnibus elementis non conſtant.

In ſecundam propoſitionem. Probat Ariſtoteles in hac propoſitione, terram eſſe in omnibus miſtis, quia decet, eam abundare in proprio loco. Quæ ratio non videtur probare, terram eſſe in omnibus miſtis, ſed in illis tantùm, in quibus terra prædominatur. In lignis ergo, in quibus videtur prædominari aer, & in liquoribus, in quibus aqua, hęc ratio non militat, quia potius ſunt in regione aeris, & aquæ, quã terrę. Reſpondetur nihilominus, rectè argumentari Ariſtotelem, ſed nõ tam ex loco, in quo ſunt miſta, quã ex loco, in quo fiunt, omnia enim videmus in terra gigni, nam ligna ex terra oriuntur, liquores etiam ex fructibus arborũ fiunt, cũ igitur terra ſit apta ad miſtionem, & miſta fiant, vbi ipſa maximè abundat, conſequẽs eſt, vt in omnibus etiam ipſa exiſtat.

In tertiam propoſitionem. Patet, quòd ſine aliquo humore, quo partes terrę conglutinentur, terra pulueraſcit, vel ſaltem apta non eſt miſto componendo.

In quartam propoſitionem. Oppoſitum potius videbatur deducendum ex elementorum contrarietate, nam vbi eſt vnum contrarium, non poteſt eſſe alterum, ergo ſi aer, & ignis terræ, & aquę aduersãtur, non poterunt ſimul cũ ipſis eſſe. Reſpondeo, rectè concludere Ariſtotelem, quia ſupponit, elementa in miſto nõ retinere integras vires, ſed refractas, at vbi eſt vnum contrarium refractum, oportet etiam, vt ſit alterum, ſicuti ſupradixerat, quod remiſsè calidum eſt intensè frigidum. Dices, ſaltem ſatis erunt tria elementa; nam in illis ſunt omnes quatuor qualitates, exempli cauſa, ſi aquæ, & terræ addatur ignis, vt calore ſuo earum frigiditatem temperet; vt quid amplius requiritur aer? an propter humiditatem? verùm hanc præſtitit aqua. Ariſtoteles enim ipſe iam dixerat, aquam requiri, vt humore ſuo reddat terram terminabilem. an propter calorem? ſed ad hunc ignis eſt perquàm ſufficiens. Reſpondebit quis; quamuis ſi aer deſit, nulla ſit defutura ex primis qualitatibus, tamen non fore proportionem inter ipſas qualitates. Nam contra aquæ humiditatem pugnabunt ſiccitas ignis, & terræ, & ita non ſolùm eam remittent, ſed omnino deſtruent. Quòd ſi dicas, poſſe hanc compenſari à quantitate aquæ, ſequetur aliud abſurdum, quòd frigus ipſius à frigore terrę adiutum calorem ignis omnino extinguet. Verùm neque adhuc ſufficienter declarata eſt neceſſitas omnium elementorum, quoniam aliquas qualitates ſuis contrarijs præualere, eſt omnino fatendum, vt in lapidibus minimum adeſt humiditatis, quid igitur prohibet dicere, ad eorum miſtionem aerem non concurriſſe etiam ſecundum eorum ſententiam, qui exiſtimant, aerem eſſe humidum? ob hæc exiſtimo hanc Ariſtotelis rationem eſſe tantùm

probabilem, vel probare tantùm, elementa esse virtute in misto, ex eo quòd sunt omnes qualitates refractæ, quamuis enim duæ qualitates possint esse ab eodem elemento, quia tamen singulis elementis singulæ qualitates tribuuntur ab Aristotele tamquam propriæ, ex eo quòd omnes sunt in misto, rectè concludit, adesse virtute omnia elementa; quorum illæ virtutes sunt. Melius tamen hoc idem à posteriori probatur, vt quæstione 10. lib. primi notauimus.

In quintam propositionem. Non caret difficultate hæc propositio. Nam nutrimentum debet esse contrarium nutrito, ergo non ex ijsdem nutrimur, ex quibus constamus. Probatur antecedens, quoniam generatio fit ex contrario, at nutritio est quædam peculiaris generatio, ergo debet fieri ex contrario. Confirmatur experientia, quia animalia carne cōstant, & ossibus, & ex his complura herbis nutriuntur, non verò carne, & quę carne nutriuntur, ab animalibus diuersæ speciei solent eam accipere. Consequentia quoque patet, nam si nutrimur ex rebus, quæ sunt contrariæ his, quibus constamus, ergo non ijsdem. Respondeo, constare ex aliquo, intelligi posse dupliciter, vel in facto esse, vel in fieri, si priori modo intelligatur, verum est, quòd illa, quibus nutrimur, eadem non sunt cum illis, quibus cōstamus, quamuis oporteat, esse similia, & proportionata; si posteriori, diximus, veram esse Aristotelis sententiam, quoniam cum nutritio sit quædā generatio partialis, vtique ex illis generari debet pars, ex quibus etiam genitum est totū. Priori autem modo intellecta debet accipi, non de identitate specifica sed potius de quadam identitate similitudinis, & proportionis. Dices, adhuc non concludere Aristotelis argumentum, omnia mista constare ex omnibus elementis, sed tantùm viuentia. Respondeo, Aristotelem supponere id, quod verum est, quoad mistionem eamdem esse rationem in viuentibus, & in cęteris mistis.

In sextam propositionem. Hæc est conclusio, quæ deducitur ex antecedente propositione, & locum proprium habet in libris de anima, ex ijs tamen, quæ de conuersione aquæ in vinum diximus, facilè ipsius veritas constabit.

In septimam propositionem. Tā in nutrimento, quàm in nutrito, tū materia, tum forma adsunt, dicitur tamen nutrimentum habere rationem materię, quia est quid imperfectius, & determinabile, quod nutritur verò, perfectius, & determinans. Adde, quòd nutrimentum, quamuis formā mistionis habeat, dum tamen in substantiam nutriti vertitur, recipit aliam formam nobiliorem, scilicet animam, respectu cuius nō solùm materia ipsius, sed ēt forma se habet vt materia.

In octauam propositionem. Nō vult Aristoteles, ignem verè nutriri, sed tantùm secundum apparentiam, & antiquorum opinionem. Quamuis enim & aqua vertatur in aerem, & hic in illam, horum tamen generatio non est similis nutritioni, tū quia nō ea indigent ad sui conseruationem hæc elementa, sicuti ignis, tum etiam quia per eam non videntur augeri. Adde, quòd saltem, vt plurimum fiunt extra ipsorum sphœram, & alterius virtute: Nam aer vertitur in

aquam,

aquam, vel in cauernis terræ, vel in media regione ipsiusmet aeris, aqua verò vertitur in aerem, virtute solis, aut ignis, potius, quã ipsius aeris.

In nonam propositionem. Dicitur ignis esse formæ simillimus ab Aristotele, quia ad concauum lunæ ascendit, qui locus cum sit terminus corporum corruptibilium, & formæ sit terminare, non immeritò potest dici forma, & consequenter corpus illud, quod illi proximè accedit, rationem quoque formæ magis habet. Adde, quòd hoc idẽ ostendit, ignem esse perfectissimũ elementorum, forma autẽ est perfectior materia.

DISPVTATIO III.

De trasmutatione Elementorum.

QVamuis mista, saltem animata, duplicem habeant corruptionis, & transmutationis modũ scilicet ab intrinseco, eò quòd ex contrarijs componantur, & ab extrinseco aliquo contrario; elementa tamen cum sint simplicia, neque contrarijs qualitatibus subijciantur; ab extrinseco tantùm corrũpuntur, excipiendus tamen videtur ignis, de quo Arist. ait 3. cœli t. 52. corrumpi & à contrario, & etiam à se ipso marcescendo. Verùm hic posterior modus non est ab ipso igne, quasi se ipsum destruat; sed per accidens, quia consumit alimentum, sine quo existere nequit; sed quicquid sit de hoc posteriori modo, nos de priori tantùm agemus cum Aristot. hic cap. 4.

An quodlibet Elementum mutari possit in quodlibet.

QVÆSTIO XV.

Quid alij Sentiant.

SECTIO I.

ADeo clara videtur hac de re sententia Aristotelis t. 24. & deinceps, affirmantis, non posse vt in eãdem partem cęteri omnes Peripatetici consenserint; quamuis enim Marsilius in hoc 2. quęst. 9. referat, quosdam contrarium sentientes; cum tamen nomine careant, videntur reputari, ac si non essent.

Rationibus quoque hæc eadẽ sententia probatur: Primò, Generatio, & corruptio, siue transmutatio fit inter contraria: sed elemẽta omnia habent contrarietatẽ inuicem, vel secundum omnes qualitates, vt aqua, & ignis, vel secundum alteram saltem, vt aer, & aqua; ergo agent mutuo, & inuicem transmutari poterunt.

Secundò. Possunt transmutari qualitates; ergo etiam formæ; cõsequentia est euidens, quoniã formæ substantiales sequuntur dispositiones. Antecedens patet, quoniã quælibet qualitas potest à sua contraria qualitate vinci; poterit igitur corrumpi in aqua humiditas, & frigiditas, & fiet ex ea ignis, vel corrumpi tantùm humiditas, & euadet terra, & sic de reliquis.

Tertiò. Si aliquod elementum non posset verti in aliquod aliud, esset maximè aqua in ignem, quia videntur hæc duo esse maximè cõtraria: atqui quando gutta aquæ

proijcitur in fornacem ardentem, necessariò est dicendum, quòd vertatur in ignem, quia certum est, corrumpi, neque apparet, in quod aliud conuerti possit: Confirmatur, quia videmus, etiam reliqua elementa facilè in ignem conuerti. Nam & pulueris pugillum in se coniectum ignis accendit: & aer flammæ contiguus, ei in pabulum cedit.

Quid nobis videatur.

SECTIO II.

Mihi hæ rationes non admodum firmæ videntur, & autoritati potius, quàm ipsis manus darem; sed neque hoc philosopho dignum videtur; alioqui enim satius foret, quæstiones non proponere, sed simplici præceptoris dicto, veluti pythagorici, acquiescere: quàm ad rationis tribunal opinionem aliquam vocare, ac deinde non ab ipsa ratione, sed tantùm ab autoritate sententiam expectare. Dicam igitur, quod ab ipsa ratione audire mihi videor; non quidē pertinaciter afferens, hoc ipsum à ratione pronunciari; sed tantùm aures meas hoc sono impleri; qui acutiori auditu præditi sunt, aliud fortasse iudicabunt; sed mihi fas non est, aliorum auribus vti.

Censeo igitur, non quodlibet elementum verti posse in quodlibet immediatè. Ac primùm in ignem nullū aliud elementū verti posse, existimo. Probo in vniuersum quia si elemēta omnia posset ignis in se conuertere, sequeretur, semel accensum numquam per se extingui; numquam enim ei deficeret pabulum, ex cuius solo defectu ignis extinguitur; quod enim in ignem vertitur, est pabulum ignis, at elementa nunquam deficiunt, ergo si hæc verti possent in ignem, numquam ei pabulum deesset. Cōfirmatur sigillatim de vnoquoque elemento. Nam ignis semper habet aerem vicinum, ergo si ipsum posset in se conuertere, paulatim totum aerem depastus esset; nō enim est maior ratio de eo, qui modò est ei propinquus, & de alio, qui huic consumpto succedit. Neque dici potest, ex aeris resistentia prouenire, vt possit hanc partem, & non aliam consumere: quanā enim qualitate resistet? frigore ne, an humiditate? sed videmus, has facillimè expelli ab aere, vel si dicatur, numquam perfectè expelli, ergo nec vmquam poterit ignis vllam aeris particulam in se conuertere. Præterea saltem in paruo cubiculo, vbi aer est modicus, & parum resistēs, quomodo poterit magno igni resistere? non verti autem illum aerē in ignem, patet, quia alioqui ab aere deferretur ignis in tabulata, & combureretur totum cubiculum: Si dicas, ignem comburere aliquādo corpus remotum medio aere, ergo hic est ignitus. Respondeo, hoc contingere vel media aliqua scintilla, vel immisso magno calore per aerem, non tamen inflāmato ipso aere, vt in libro priori explicauimus.

De terra idem patet, quia proiecta in ignem numquam consumitur, alioqui lateres, qui in ardentissima fornace coquuntur, consumerentur.

De aqua idē probatur, quoniam lychnus accensus in lampadibus oleo deficiente extinguitur; quamuis adsit aqua, non alia ratione, nisi

quia

quia aqua nutriri ignem, est impossibile.

Præterea idem probatur, quia quod vertitur in ignem, propriam formam non amittit, sed recipit proprietates ignis, immo & ipsius formã, vt patet in ligno, quod idcirco, & refulget veluti ignis, & calefacit; & retinet etiam veluti lignum propriam figuram, & grauitatem, qua descendit, consumpta verò forma ligni, perit etiã ignis. Atqui si elementum posset hoc pacto accendi, quando ne deficeret ille ignis? an quando consumptum esset elementum? Sed cum non possit in nihilum redigi, oporteret, verti in aliquod aliud elementum, vel in mistum; non in mistum, quia ab igne nullum mistum gignitur, immo omnia deuorantur: si in elementum, rursus illud elementum esse posset cibus ignis, quare numquam ille ignis extingueretur.

Dico 2. difficile videri, terram verti posse in aerem, vel in aquã, non esse tamen omnino improbabile. Probatur prior pars, quoniã aer nõ habet qualitates, quibus in terram agat: nam cum ea conuenit in siccitate, & in frigore. Præterea est adeo densa, & grauis terra, vt non videatur immediatè cõuerti posse in aerẽ tenuissimæ substantiæ. Confirmatur, quia si terra posset in aerem transmutari, altissimi montes paulatim deprimerentur, dum eorum cacumina in aerẽ soluerentur, cuius tamẽ contrariũ cernimus. Confirmatur secundò, quia si nõ põt terra vinci ab igne, qui est maximè actiuus, quomodo superari poterit ab aere, vel aqua? præcipuè cum inuicta remaneat ab igne, non ob suam frigiditatẽ, sed ob densitatem, & crassitiem, quæ non minùs aeri repugnant, & aquę, quàm igni.

Probatur altera pars, quoniam sol eleuat à terra vapores, & exhalationes, quæ deinde conuertuntur in aerem, vel in aquam; immo fortè ipsa exhalatio nil aliud sæpe est, quàm aer; ergo videtur terra à sole conuerti in aerem, & aquã; cui obiectioni qui contrariam sententiam tueri vellet, oporteret respondere, non eleuari huiusmodi vapores, aut exhalationes ab elemẽto terræ puro, sed misto, vel ipsas esse mista quædam imperfecta.

Dico 3. æquè difficile videri, aerem, & aquam in terram verti, ac terram in aerem, vel aquam. Probatur eadem ratione, qua superius dictum, ob magnam scilicet distãtiam naturarum, & differentiã inter hæc elementa, & etiã quia cum terra sit minùs actiua, non videtur ea posse in se conuertere. Adde, neque ad hoc adiuuari à sole, quia hic extenuat, & calefacit; calor autem & tenuitas sunt dispositiones ipsi terræ contrariæ.

Dico 4. aquam, & aerem inter se mutuo, & facilè conuerti. Patet experientiã, quia dum aqua igni apposita consumitur, non potest in aliud verti, quàm in aerem, & hic similiter si humidus fit, facilè in aquam transmutatur; vt supra etiã notauimus. Ratio quoque suffragatur, quia hæc duo elementa minùs, quàm alia inter se dissident, & quoad primas, & quoad cæteras etiam qualitates.

Dico quintò. Ad hanc mutuam conuersionem aquę, & aeris non sufficere ipsorum virtutes, sed extrinseco alicui agenti eam principalius tribuendam. Probatur primò,

mò, quoniam aer non habet vim, qua possit rarefacere, & extenuare aquam, quod maximè requiritur, vt in aerem transmutetur; neque aqua virtutem condensandi aerē, qui nisi condensetur, non potest in aquā verti. Confirmatur, quia humiditas, & siccitas, quibus sibi aduersantur aer, & aqua, sunt qualitates minimæ actiuatis, & respectu cæterarum primarum vocantur passiuæ, ergo non est credibile, his gladijs elementa se interimere.

Secundò. Experientia, quia videmus, ignis, vel solis virtute aquā exhalationes emittere, & in aerem verti; aerem quoque vaporibus cō densatum, opaci corporis interuētu in aquam transmutari, alioqui autem, quamuis aer, & aqua se cō tingunt, numquam percipimus, vnum in alterum transmutari, nec inuicem hostiliter pugnare.

Tertiò. Facilius est, se tueri ab aduersario, quàm ipsum in se conuertere, quia facilius est, non vinci, quàm vincere, & ad illud sufficit vires habere pares, ad hoc autem oportet habere maiores. Videntur ergo pugnare hæc duo, aquam sci licet ab aere vinci, & in se conuerti, & rursus aerem ab aqua, nam quod habet vim alterum in se vertendi, multò magis habebit ad se tuendum ab illo, nec inter quæuis alia, hæc mutua conuersio reperitur, ligna enim vertuntur in ignē, at non ignis in ligna. Vinum in san guinem, at non sanguis in vinum. Vinum item in acetum, at non acetum in vinum, homo in vermes, vel serpentes, at non hi in hominem; & sic de cœteris.

Dices, hanc regulam locum habere in mistis, quæ solent verti in peius, & inter se magnam habent dissimilitudinem, non autem in elementis, quæ sunt eius ordinis, nec possunt in aliud simplicius resolui. Respondeo. In mistis quidem hoc clarius apparere, sed rationem factam locum habere etiā in elementis, quorum vnum non potest esse potentius, & debilius altero. Dices, ratione quantitatis, quæ modò fit in vno maior, modò in altero, hoc etiam posse contingere. Respondeo, quantitatem adiuuare actionem agentis, quando hoc agit in contrarium secundum omnes suas partes, quod in illis euenit, quæ actionem emittunt in distans, sicuti est ignis, qui quò est maior, eò longius calorem mittit. At verò aqua, & aer non agunt secundum omnes suas partes, sed tantùm secundum extremam, qua tangunt contrarium, non etiam aqua hume ctat nisi ea, quæ tangit, quare licet sit alicubi in maxima profunditate, si tamen eam non tangas, sed tā tùm proximè manum admoueas, nihil ab ea patieris. Quòd si videatur aliquando humiditatem nō tacta impartiri, est ratione vaporum, qui virtute caloris ab ea eleuantur, & idem dici potest de aere quoad siccitatem, quæ etiam est minùs actiua, quam humiditas. Adiuuat quoque actionem, siue victoriam quantitas, quia est causa, vt vnum contrarium cingat vndique alterū, & ita ex pluribus partibus ipsum oppugnet, sed neque hæc ratio hic locum habet, cum enim aer, & aqua sint substantiæ fluidæ, & ille sit leuis, hæc verò grauis, si per accidens alteruter ab altero ambiatur, facillimè secernuntur, & ad propria loca redeunt. Non igitur facilè reperias, in quo quantitas maior possit alterius victoriam cō-

tra alterum adiuuare, cum nō possit qualitates intendere, neque vim aliquam corruptiuā illis elargiri.

Dico sextò, neque ignem verti posse in aliud elementum. Ratio est, quia ignis numquam est nisi in materia habente aliam formam mistam, cum ergo defficit ignis, remanet illa alia forma in materia; non ergo dici potest ignis verti in aliud elementum. Cōfirmatur, quia si quando dicendus esset ignis verti in aliud elementum, esset, cum flamma videtur euanescere in aerem: atqui tunc potius dicendum esset, verti in fumum, qui semper post flammā extinctā remanet, & cum deficit, ipse vertitur in aerem, potius quam ignis, si dicatur verti in cinerem, & hunc esse puram terram, negandum erit vtrumque. nā nec cinis est pura terra, sed mistū, nec ignis vertitur in cinerem, sed illud mistum, quod ab igne depascebatur.

Obiectorum solutio.

SECTIO III.

AD argumenta igitur in oppositum, ac primùm ad Aristotelis auctoritatē dicere possumus, ipsum loqui de transmutatione mediata, immo hunc esse illius verum sensum, facilè ostenditur. Nam inquit Aristoteles, tunc vnum elementum mutari in aliud, quando qualitates illius in qualitates huius mutatæ sunt, exempli causa ignis est calidus, & siccus, aer verò calidus, & humidus; si ergo, inquit Aristoteles, vincatur siccum ab humido, aer erit; ad hoc autem vt fit aqua, oportet, vinci & calidum, & siccum: atqui semper prius vna qualitas vincitur, quā altera, quia & actiuitates, & resistentiæ qualitatum sunt diuersæ; dum ergo aqua incipit agere in ignem, vt ipsū in se vertat; vel prius siccum vincet, vel priùs calidum, si prius siccum, ergo ignis aer erit ex Aristotelis principijs, vt aiunt, antequam fit aqua: si prius calidum; ergo ignis fiet terra; antequā fiat aqua: non igitur immediatè ignis vertitur in aquam. Dices, ambo simul vinci. Contra, quia Aristoteles inquit, tardius duo vinci, quàm vnum, & difficilius: atqui si simul ambo vincerētur, non citius vinceretur vnum, quàm duo, consequenter non tardius ignis verteretur in aquam, quàm in aerem. Confirmatur etiam, quia experientia patet, vnam qualitatem prius corrumpi, quàm aliam, nam citius aqua fit calida, quàm sicca, ergo numquam poterit aqua verti immediatè in ignem, iuxta hęc principia Aristotelis. Et hoc quidem sufficeret pro argumenti solutione, non tamen pro Aristotelis expositione, nā verè non est concedendum, tam rudē fuisse Aristotelem, vt voluerit, terram in ignem vertendā, si tantùm eius frigiditas corrupta fuerit, sciebat enim, terram esse maximè densam, & hanc densitatem esse maximè igni contrariam, & oportere, hanc etiam destrui, quando dispositiones vnius in dispositiones alterius commutantur: quomodo autem hoc contingeret, explicauit in primis qualitatibus, non quòd horum commutatio sufficiens sit ad elementorum trasmutationem, sed vt ex illis disceremus, quid de reliquis etiam esset iudicandum.

Ad primā rationem respondeo,

nec omnia elementa habere qualitates contrarias actiuas, quia terra, & aer in frigore, & siccitate conueniunt, neque ea, quę habent, necessariò admittere transmutationem, vel quia sint minimæ actiuitatis, vt siccitas, & humiditas, vel quia nō sufficiet vnius qualitatis transmutatio. nam licet aer fiat calidus, nō propter hoc fieri potest ignis, quia non potest esse eius pabulum, vt supra explicauimus.

Ad secundam patet ex responsione ad primam. nam non omnes qualitates possūt in quaslibet alias immediatè commutari; alioqui sequeretur etiam, ex quolibet misto fieri posse quodlibet aliud mistum immediate, victis tantùm, & cōmutatis qualitatibus, quibus differunt.

Ad tertiam respondeo, difficilius etiam cœtera elementa verti posse in ignem, quàm aquam, quia aer facilius diffluit; terra autem ob siccitatem magis resistit: negatur etiam, aquæ guttam immediatè verti in ignem: nam vel verteretur in flammam, vel in prunas, nō in prunas, quis enim hoc asserat? oporteret enim eā acquirere multò maiorem, quàm antea haberet densitatem, & soliditatem, & hæ non possunt esse effectus ignis; neque verò in flammam, quia hæc est fumus accensus; prius igitur oporteret verti in fumum: at fumus nō est aqua, neque ignis; ergo aqua non verteretur immediatè in ignē; sed prius in fumum. Verùm neque hoc est probabile, quia licet aliqualis fumus videatur eleuari ab aqua, dum igni in vase ęneo apponitur, attamen nō est talis fumus, qui possit in flammam accendi. dicendum est igitur, potius verti in aerē, vel in quoddam mistum imperfectū. nam quando aquę gutta in ferrum candens proijcitur, statim videmus tenuem ex eo vaporem, siue fumum eleuari, qui paulò post omnino vertitur in aerem. Dices, videtur augeri ignis, dum paululum aquæ in eum proijcitur. Respondeo, si modò augetur, non augeri immediatè ab aqua, sed mediatè, qa videlicet humectādo subiectū, in quo est ignis, est causa, vt fumus copiosior assurgat, qui deinde inflammatus maiorem reddit flāmā, & ignem; vel quoniā prius ab aqua remittitur ignis, & eius quodam modo ius reprimitur ea euanescente, pristinum vigorem recipit, & quod amisisse videbatur, resarciens, maior apparet. Reliquas instantias de puluere, & aere, iam constat ex dictis, falsas esse.

An inter Elementa symbola detur facilior transitus.

QVÆSTIO XVI.

Dubitandi rationes, & falsæ multorum solutiones.

SECTIO I.

AFfirmat Aristot. hic cap. 4. cui tamen opponuntur non contemnendę rationes; prima, non minùs facilè vincuntur duo à duobus, quàm vnum ab vno; sed vt detur transitus inter elementa dissymbola, oportet, duas qualitates vincià duobus contrarijs, vt autē inter symbola, vinci vnam ab vna; ergo eadem est difficultas, vel facilitas in vtrisque; secunda, faciliùs videtur

videtur conuerti in ignem gutta, aquæ, quàm pugillus terræ, & tamen terra est elementum symbolũ cum igne, aqua verò dissymbolũ, ergo doctrina Aristot. nulla. 3. similia minùs inter se pugnant, & facilius conseruantur inuicem, ergo etiam difficiliùs dabitur transitus inter elementa similia, qui non potest esse sine corruptione alterius, quàm inter dissimilia, 4. affirmant omnes, ita fuisse disposita elemẽta; vt symbola sint propinqua, tanquã bene inuicem cohærentia, & minùs pugnantia; at si faciliùs symbolũ verteretur in symbolum, malè natura elementorum conseruationi cauisset cõstituẽs symbola sibi propinqua, falsòque diceretur, res materiales conseruari in loco sibi connaturali, nam cum elementum symbolum sit locus naturalis alterius symboli, illud potius destrueret, quàm conseruaret.

Vt igitur Aristotelis doctrinam tueantur eius interpretes, varia sũt commenti. Marsilius 2. de generatione q. 10. & Niphus in t. 25. dixerunt (facilius) posse sumi dupliciter, vel vt idem sit, quod velocius, vel vt significat minori negotio, quamuis eodem tempore; & asserunt, non intelligi priori modo, sed posteriori, quia in mutatione symbolici elementi pauciora deperduntur, scilicet vna tantùm qualitas. Verùm non est hæc expositio ad mentem Aristotelis, qui apertissimè inquit, non tantùm facilius, sed etiam velocius, & celerius elementa symbola inuicem transmutari.

Secunda responsio est Ægidij in tex. 24. Elementum symbolum facilius mutari, quia vna eius tantũ qualitas per se corrumpitur à contrario, altera verò per accidens ad corruptionem subiecti: in dissymbolo verò ambę corrumpuntur per se. Verùm hæc responsio, & falsũ supponit, quòd scilicet accidentia corrumpantur ad corruptionẽ cõpositi; & neque satisfacit; quia remanet eadem difficultas, cur vna qualitas citius ab vna corrumpatur, quàm duæ à duabus.

Tertia responsio est Niphi, qui symbolum facilius dicit mutari, quia non reagit: supponit enim, reactionem fieri non posse secundum eãdem contrarietatem, quod supra, falsum esse, ostendimus.

Quarta responsio est Toleri in hoc 2 quæst. 9. symbolum facilius mutari, quia qualitas contraria minùs resistit contrariæ, eò quòd sit coniuncta cum alia qualitate symbola, &c. humiditas aeris minus resistit igni, quàm humiditas aquæ, quia illa est coniuncta cum calore, qui ipsius resistentiam nõ adiuuat, hæc autem est coniuncta cum frigore, à quo non parum adiuuatur. Sed hæc responsio licet subtilior, nec est ad mentem Aristotelis, nec difficultati satisfacit. Probatur primum dictum, quia Arist. hanc assignauit rationem suæ doctrinæ, quia facilius vnum contrarium vincitur, quàm duo, alia igitur ratio, quæ desumitur à minori resistentia per accidens, non est ad ipsius mentem. Probatur posterius dictum, quia aliquando à qualitate symbola potest etiam adiuuari resistentia alterius qualitatis sibi coniunctæ. Nam frigus in terra roboratur à siccitate, vt magis resistat calori ignis, quamuis in hoc quoque sit siccitas. Præterea etiamsi demus, in elemento dissymbolo adiuuari resistẽtiam qualitatis patien-

tientis, adhuc compensabitur hoc auxilium concursu alterius qualitatis in contrario dissymbolo, quæ actionem sibi coniunctè adiuuabit.

Quinta responsio est Doct. Cõnimbr. cap. 4. quæst. 2. qui notant, qualitates actiuas eidem elemento in gradu perfecto non conuenire, consequenter, quando elementũ dissymbolũ vult in se suum contrarium conuertere, oportet, inquiũt, vt agat secundum ambas qualitates, sed alteram ex his habet remissam, ergo secundum hanc remissè aget, quare difficilè totalem victoriam obtinebit; at verò quãdo duo symbolica inuicem agunt; sufficit, quòd agant secundum illam qualitatem tantùm, in qua excellunt, cõsequẽter citius de hoste triumphũ ducent. Verùm hæc etiam responsio, & egreditur limites rationis Aristotelicæ, & est insufficiens; tũ quia falsum est, vt supra ostendimus, elementa habere alterã qualitatem naturaliter remissam, tum etiam, quia hoc concesso, sequeretur, non omne elementum symbolum facilius in symbolum conuerti, sed illud tantùm, quod habet qualitatem dissymbolã remissam, in alterum, quod habet eã in summo, exempli causa secundum ipsorum principia ignis facilius verteretur in aerẽ, quia qualitas dissymbola, .s. humiditas est in summo in aere, non autem siccitas in igne; at verò aer difficillimè verteretur in ignem, quia ignis non potest agere per calorem, in quo conueniunt; virtus autem siccitatis superatur valde ab humiditate aeris, ergo difficillimè ipsum in se conuertet.

Aristotelis mens, & veritas ipsa declaratur.

SECTIO II.

PRo solutione huius difficultatis notandum est, vnum elementum cõuerti posse in aliud, vel per actionem elementi, in quod cõuertitur; vel per actionem alterius, v. g. aqua potest verti in aerẽ, vel per actionem aeris, vel per actionem ignis. si ergo loquamur de conuersione, quæ fit ab eo elemento, in quod aliud conuertitur, sic considerata natura qualitatum, iã difficile est, conuerti symbolum à symbolo, quàm dissymbolũ à dissymbolo, estq; ratio Aristotelis nulla. At verò si loquamur posteriori modo, longè facilius vertitur elementum in symbolum, quã in dissymbolum, quia ad hoc vt elementum vertatur in symbolũ, sufficit, vt vna eius qualitas corrumpatur, in dissymbolum verò, vt ambæ, & quoniam cum dissymbolum elementum agit in aliud, euenire solet, vt vna qualitas citius corrumpatur, quàm altera, idcirco meritò dixit Aristot. quòd cum elementũ corrumpitur, facilius vertitur in symbolum, quàm in dissymbolũ. Quare Arist. numquam exemplũ affert de vno elemento symbolo agente in alterum symbolum, sed simpliciter inquit, si vincatur humidum, siue calidũ, quasi diceret, à quocunq; vincatur, siue à symbolo, siue à dissymbolo.

Ratio autem, cur reliqui aberrarunt, fuit, quia iam statuerant, Aristotelem loqui de immediata elementorum transmutatione, cuius nos contrarium supra docuimus, &

ex

ex dictis verum apparet, quia alioqui non erit vera Aristotelis doctrina.

Ad primam ergo rationem in contrarium concedimus, quod per ipsam intenditur, non difficiliùs ab elemento dissymbolo in se aliud cõuerti, quàm à symbolo, dicimus tamen, faciliùs à dissymbolo conuerti in symbolum, quàm in se, & hanc fuisse mentem Aristotelis.

Ad secundã respondeo, comparationem debere fieri non inter cõuersiones diuersorum elementorũ, sed inter conuersiones eiusdẽ, deberet ergo dici, faciliùs aqua vertitur in ignem, quàm in aerem, quod est falsum, quia, vt supra ostẽdimus, faciliùs aqua vertitur in aerem symbolum, quàm in ignem. Adde, quòd terra licet sit symbola igni in siccitate, est tamen multò magis dissymbola in densitate; & quamuis Aristoteles exempla afferat tantùm de qualitatibus actiuis symbolicis, debet tamen de omnibus vniuersaliter intelligi.

Ad tertiam concedimus, similia non solum omnino (de quibus tãtùm diceremus valere argumentum) sed etiam in aliqua qualitate tantùm, facilius propinqua conseruari, negamus tamen, hoc esse contra nos, qui non asserimus, elementũ symbolũ à symbolo facilius in se conuerti, sed dicimus, à dissymbolo facilius conuerti in symbolum, quàm in se.

Ad quartam, colligitur responsio ex dictis. Nam si dissymbola fuissent propinqua, verbi gratia ignis, & aqua, quamuis non facilè vnum conuertisset aliud in se, tamen facile corrupisset, & conuertisset in elementum symbolum; quare rectè dicitur elemẽtum magis conseruari à symbolo, quàm à dissymbolo, quod dictum sit, vt respondeamus iuxta ipsorum principia, non iuxta nostra, nos enim nõ admittimus hunc ordinem elemẽtorum, qui neque cõcedimus sphæram ignis, nec aerem volumus esse terræ dissymbolum; in quo etiam alij non consentaneè philosophantur, dum volunt esse terræ dissymbolum, & tamen, vt plurimum, illi quoque proximum esse.

An ex duobus Elementis corruptis gigni possit tertium.

QVÆSTIO XVII.

VIdetur affirmare Aristoteles t.29. Nam inquit, ex aqua, & ignes corruptis gigni posse terrã, & aerem, quod non est intelligendum coniunctim, sed disiunctim: duobus enim modis possunt corrumpi ignis, & aqua, vel quia corrumpatur calor ignis, & humiditas aquæ, & resultabit terra, quia remanebunt siccitas, & frigus, vel quia corrumpatur frigus aquæ, & siccitas ignis, & tunc resultabit aer: Dices, nonne poterit contingere, vt corrumpatur calor ignis, & frigiditas aquæ tantùm, vel saltem, vt reducantur ad gradum remissum? Respondeo, posse quidem contingere, sed tunc generabitur mistũ, quia primæ qualitates erunt contẽperatæ, vel elementa non corrumpentur in tertium, quia poterunt existere sub illis qualitatibus refractis. Cõfirmatur primò hæc sententia, quia nulla apparet repugnantia, cur non possit in vnoquoque elemento altera tantùm qualitas corrumpi, & ita fieri tertium ab ipsis distinctum. Confirmatur 2.

Quia per actionem tertij possunt duo elementa in tertium conuerti, vt ab igne, aer, & aqua in ignem, ergo etiam si non adsit agens extrinsecum, poterunt, dũmodò corrumpatur aer, & aqua, in eumdẽ ignem transmutari.

Ego tamen, quamuis metaphysicè non mihi videatur impossibilis hic transitus, saltem physicè crederem non esse possibilem. Probatur, quia hoc non contingit in elementis symbolis, vt omnes concedunt, sed tantùm in dissymbolis, at neque in dissymbolis potest euenire, ergo. Probatur, quia secundũ nos dissymbola tantùm sunt ignis, & aqua, sed iam ostendimus, ignẽ non posse immediatè conuerti in terrã, ergo nõ põt ignis cõuerti in tertiũ. Secundum alios autem dissymbola sunt aer, & terra, sed patet aerem, & terram esse minimè acticitatis, ita vt non sit credibile, inuicem agere posse, & mutuo se corrumpere, quòd etiam ignis verti non possit ab aqua in aerem, probatur, quia maximè agit aqua in ignem per humiditatem, sed humiditas est aeri contraria, vt ostendimus, ergo.

Præterea vel elementa, quæ supponuntur agere inuicem, & se mutuo interimere, sunt æqualis vel ferè æqualis virtutis, vel vnum valde excedit alterum; si primum, omnes qualitates remanebunt refractæ, quare vel generabitur mistũ, vel potius elementa priora conseruabuntur, quàm alterum de nouo producatur. Nam multò plus requiritur ad generationẽ elementi, quàm ad conseruationem, quia ad hoc, vt forma introducatur in materiam, debet hæc esse perfectè disposita, at verò ad hoc, vt conseruetur, sufficit, vt non omnino sit indisposita; quamuis non sit perfectè disposita, & patet experientia, quia aqua potest existere cum sex gradibus caloris, nemo tamen concedet, posse aquæ formam in huiusmodi materiam introduci. Cum igitur supponantur qualitates esse refractæ, potius erũt aptæ ad conseruandum elementũ, quod iam existit, quàm ad producendũ alterum de nouo. Si verò ex duobus elementis confligentibus, alterum sit longè potentius, infirmius tãtũ interibit, nõ verò ambo in tertiũ vertẽtur. Quare euẽrus ille, ꝙ in igne tota corrũpatur siccitas, & in aqua tota frigiditas, vel è cõuerso in igne calor, & ĩ aqua humiditas, nõ videtur possibilis, quia si ignis sit potens ad expellẽdũ humiditatem, poterit etiam multò magis expellere frigus, & aqua si potens sit expellere ab igne siccitatem, poterit etiam multò magis calorem.

Dices, si aqua in prunam ardentem conijciatur, apparet, & aquam consumi, & etiam extingui ignem, sed non in aliud vertuntur, quàm in aerem, igitur. Respondeo, quãdo extinguitur pruna accensa, non mutari ignem in aerem, sed deficere ignem, & remanere formam ligni, siue alterius rei, sicuti quando moritur animal, deperditur anima, neq; tamen gignitur alia forma; aqua verò absorbetur ab illa eadẽ materia, potiusquàm conuertatur in aerem, & dato etiam, quòd conuertatur aliqua eius pars, quam videntur eleuare vapores, non sunt duo elementa, quæ cõuertantur in tertium, sed alterum tantùm, neq; hoc contingit, quia vna tantùm qualitas in vtroque elemento corrumpatur, sed quia corrumpuntur

ambæ

ambæ in aqua. Nam si in ea corrumperetur tantùm frigiditas, & remaneret humiditas, non vtique verteretur in aerem, sed remaneret aqua, cum & vapores illi humidi, qui eleuantur ab aqua, vt communis opinio fert, sint aqua substãtialiter, quare etiam facillimè in aquam conuertuntur.

Confirmatur, quia argentum viuum igni appositum facilè elabitur in fumum, sed si ille fumus colligatur, paulò post expulso calore se in pristinum statũ reuocat, quod est argumento, non fuisse corruptum, alioqui non tam facilè potuisset denuo produci; si ergo mistum in fumum resolutum retinet propriam formam, multò magis id dicendum videtur de elemento aquæ.

Confirmatur prçterea, quoniam ad transmutationem elementorum non tantùm qualitates primæ concurrunt, sed etiam, & non minùs, raritas, & densitas; quia non alia ratione terra difficilimè in aliud transmutatur, nisi ob eius maximã densitatem; quare ruit totus aduersariorum discursus.

Ad Aristotelis authoritatẽ, quæ nobis repugnare videbatur, respõdeo, Aristotelem loqui ex hypothesi, & nihil affirmare; inquit .n. *si autem vnum quodque alterum corruptum fuerit* non ait, de facto corrumpi, sed posito, quòd ita duo elementa corrumperentur, vt duæ primç qualitates remanerent integrç, an autem sit hoc possibile, non explicat, immo cum loquatur hypotheticè, videtur suponere, non esse possibile, quia eo pacto loqui solemus de rebus impossibilibus.

CAP. IX.

Quòd oporteat inquirire caussas rerum generabilium, & corruptibilium vniuersales. Quot, quæue sint istæ caussæ & nonnulli circa ipsas Antiquorum errores.

Qvia vero sunt quadam generabilia, & corruptibilia, & generatio existit in eo, qui est circa mediũ, loco, dicendum est de omni generatione similiter quot, & quænã eius principia. faciliùs enim sic singularia cõsiderabimus, quando de vniuersalibus acceperimus primum. Sunt igitur & numero æqualia, & genere eadem, quæ & in sempiternis, & in primis: illud enim, vt materia est, hoc autem, vt forma. oportet aũt & tertium adhuc adesse, non enim sufficientia sunt ad generandũ duo, quemadmodum neque in primis. Vt materia igitur generabilibus causa est, quod possibile sit, & non sit. Hæc enim ex necessitate sunt, vt æterna, hæc autem non sunt ex necessitate. Horum autem hæc quidem impossibile est non esse. hæc autem impossibile esse, quia non contingit circa necessarium aliter se habere. Quadam verò esse, & non esse possibilia, quod est generabile, & corruptibile, quandoq; enim est hoc, quandoque autem non est. Quapropter necessarium est generationem, & corruptionem esse circa possibile esse, tex. 51 (right margin)

Faciliùs singularia inspicimus quandò de vniuersalibus accepimus primũ.

Eadem numero æqualia & genere ratione, sũt principia, quæ in sẽpiternis, & in primis.

Materia in generabilibus est causa per quã res potest esse, & nõ esse.

Idẽ 7. met. t. 22. & 53.

& non esse. ideoque vt materia quidem, haec est causa generabilibus, vt autem cuius gratia forma, & species: haec autem est ratio vniuscuiusque substantiae.

tex.52. *Oportet autem adesse & tertium, quod omnes quidē somniāt, dicit autem nullus. Sed hi quidem sufficientem existimauerunt causā esse ad generandum formarum naturam, quemadmodum in Phaedone Socrates. etenim ille increpans alios, vt nihil dicentes, supponit quòd sunt entium haec quidem formae, haec autem participatiua formarum: & quòd esse quidem vnūquodque dicitur secundum formā, generari autem secundum susceptionem, & corrumpi secundum abiectionem. quapropter si haec vera sunt, formas existimat ex necessitate causas esse & generationis, & corruptionis. Hi autem ipsam materiam, ab hac enim esse motum. Neutri autem dicunt bene. Si enim sunt causę formae, quare non semper generant continue, sed quandoque quidē, quandoque aūt non, existentibus & formis semper, & participatiuis? Amplius autem in quibusdam contemplamur aliam causam esse. sanitatem enim Medicus facit, & scientiam sciens, existente & sanitate ipsa, & sciētia, & participatiuis. similiter autem & in alijs secundum potentiam operantibus.*

Phaed.

tex.53. *Si autem materiā quis inquiat generare propter motum, naturalius vtique diceret ita dicentibus, alterans enim & transformans, magis causa est generāti, & in omnibus consueuimus hoc dicere efficiens, similiter & in ijs, quae natura, & in ijs, quae ab arte sunt, quod vtique motiuum. Sed tamē, neque hi recte dicunt. materia enim est pati, & moueri: & mouere autem, & facere alterius potentiae. Manifestum autem & in ijs, quae arte, & natura generantur. non enim ipsa facit aqua animal ex seipsa, neque lignum lectū, sed ars. Quocirca & hi dicunt nō recte propter hoc, & quoniam derelinquunt principaliorem causā, auferunt enim quod quid est esse, & formam.*

Materia est pati & moueri, alterius vero potentiae facere, & mouere.

Amplius autem & potentias attribuunt corporibus, propter quas & generant valde instrumentaliter auferentes eam, quae secundum formam causam. Quoniam enim natum est, vt inquiunt, calidum quidem segregare, frigidum autem congregare, & aliorum vnumquodque, hoc quidem facere, hoc autem pati, ex his dicunt, & per haec, omnia alia generari, & corrumpi. videtur autem & ignis, ipsum quod mouetur, & patiens. tex. 54

Amplius vero simile faciunt, vt si quis serra, & vnicuique instrumentorum attribuat causam eorum, quae generantur. necesse .n. est serrante diuidi, & poliente leuigari, & in alijs similiter. Quocirca, si quam maxime facit, & mouet ignis, sed quomodo mouet non vident, quoniam deterius quā instrumenta. nobis autem & vniuer- tex. 55

a I animaduertunt.

uersaliter prius dictum est de causis, & nunc determinatum est de materia, & forma. Amplius autem quoniam secundum lationem motus demonstratum est, quòd est perpetuus, necesse est his existentibus & generationem esse continue. Latio enim faciet generationē incessanter, quia adducit, & abducit generatiuum. Simul autem manifestum est, quòd & priora bene dicta sunt primam transmutationum lationem. sed non generationem dicere. multo enim rationabilius ens non enti generationis causam esse, quàm non ens enti ipsius esse. quod fertur igitur est, quod generatur autem non est: propter quod & latio prior est generatione.

Latio facit generationē incessanter, quia adducit generatiuum. Rationabilius ē ens non enti generationis causam esse, quā non ens enti esse.

PROPOSITIONES ex capite nono.

tex. 51. 1 *Facilius singularia contemplabimur, cum de uniuersalibus prius sumpserimus.*

2 *Et genere, & numero causæ rerum corruptibilium cum causis æternarum conueniunt.*

3 *Forma est ratio uniuscuiusque rei.*

tex. 52. 4 *Præter materiam, & formam aliã tertiã causam generationis addere oportet.*

5 *Ideas esse causas generationis, non rectè statuit Plato.*

tex. 53. 6 *Efficiens solemus appellare, quod vim habet ad mouendum.*

7 *Materia est, pati, & moueri, mouere autem, & efficere, alterius est facultatis.*

tex. 54. 8 *Forma est causa principalis efficiens, qualitates verò sunt eius instrumenta.*

NOTATIONES.

IN primam propositionem. Vniuersalia pēdent à singularibus non solùm quoad esse, quia his destructis, ipsa quoque intereunt, sed etiam quoad cognitionem, quia natura vniuersalis à singularibus abstrahitur, malè ergo Aristoteles videtur exordiri ab vniuersalibus. Resp. vtramque methodū posse seruari, & ab vniuersalibus ad singularia, & à singularibus ad vniuersalia, & posterior quidem magis conuenit ijs, qui proprio labore scientiā acquirunt, prior verò ijs, qui scientiā iā acquisitā alijs tradunt, vt hic faciebat Aristoteles, quoniam cū vniuersalia omnibus singularibus conueniant, quod de illis dicitur, nullo negotio potest his applicari.

In secundam propositionem. Si supponimus, has res esse æternas, quomodo ergo causas eis assignabimus? Adde, quòd in rebus corruptibilibus adest priuatio, quę est principium generationis, quā tamen carent æterna, quia alioqui æterna non essent. Respondeo, nō pugnare, quòd aliquid sit æternū, & habeat causam, saltem quoad Aristotelem, etiam efficientem, & verè si creatura posset esse ab eterno; nihil eius æternitati officeret causa. Ad secundum respondeo, Aristotelem, non loqui hic de priuatione, sed tantùm de causis per se, quas inquit esse tres, materiam scilicet, formam, & efficientem, & has inquit reperiri etiam in æternis, cœlos enim supponit constare ex materia, & forma, efficientem verò statuit intelligentiam, siue respectu cœli, siue saltem respectu

motus

motus æterni. Apertè autem ex hoc loco redarguuntur illi, qui ex Aristotelis mente statuunt, corpora cœlestia non componi ex materia, & forma vt Auerr. Durand. &c.

In tertiam propositionem. Frequenter hæc definitio formæ reperitur apud Aristotelē, ex qua occasionem aliqui desumpserunt asserendi, formā esse totam rei quidditatem, quod tamen & falsum est, cum de essentia compositi non possit non esse illa pars, sine qua compositio existere nequiret, & ab Aristotele alienum, qui semper de materia tamquam de parte essentiali loquitur. Appellat igitur formam rationem substantiæ, non quòd sit tota ratio, sed quia cum in materia omnes substantiæ materiales conueniant, propria vniuscuiusque ratio á forma desumitur.

In quartam propositionem. Per hanc tertiam causam absque dubio efficientem intelligit. Sed cur finalis quoque non meminit? an quia posito efficiente, statim & ipsa intelligitur, cum omne agens agat propter finem? An verò quòd finis à motu abstrahat, & consequēter non sit physicæ considerationis? An denique quoniam animus ei erat, recensere causas, sine quibus concipere non possumus, generationem fieri, at sine fine possumus, quia quamuis omne agēs propter finem agat, si tamen quis neget causam finalem, & dicat, ignē, vel aliam causam agere fortuito, non propterea tollet generationem?

In quintam propositionem. Cōtra Ideas Platonis sæpius disputat Aristoteles, hic autem eas impugnat, quia numquam generatio intermitteretur. Positis enim causis rectè dispositis, non potest non sequi effectus. At huiusmodi Ideę sunt eternæ, & semper etiam adest materia receptiua, cur ergo non semper sequetur effectus? Præterea impugnat, quia videmus, in artefactis ad efficiendam vel statuam, vel sanitatem non sufficere ideam statuæ, vel sanitatis, sed requiri etiam statuarium, vel medicum, ergo etiam in naturalibus non sufficient ideæ.

In sextam propositionē. Describit hic potius ex communi hominum opinione efficiens, quàm definiat, quinto autē metaphys. exactius definiuit dicens, esse *principium, vnde motus*, cuius explicatio videri poterit apud Suarez. disp. 17. in metaphys. sect. prima, non est enim hic eius locus.

In septimam propositionem. Recepta est ab omnibus philosophis hæc propositio, quę tamen nō tam strictè est intelligenda, vt etiā efficientia per emanationem sit materiæ deneganda; quantitas enim tamquam propria passio ab ipsa emanat. Per alteram autem facultatem, cui tribuit Aristoteles vim agendi, intelligitur forma, vt ipsemet paulò infra se explicat.

In octauam propositionem. Duplicem statuūt philosophi causam principalem, alteram appellant vt quod, alteram vt quo: est igitur forma causa principalis vt quo, cōposito enim conuenit esse causam principalē, vt quod. Porro in hoc textu obscurum quoque est, quod ait Aristoteles, ipsum ignem moueri, ac pati. Collegium Connimbr. inquit moueri, & pati à cœlo. Nobilius autem, à natura efficiēte, nō explicat autem, quænam sit hæc natura: Optima autem mihi videtur

Philo-

Philopponi sententia, quam etiam sequitur Toletus, vt ignis dicatur pati ratione materiæ, & ita explicet Aristotelis vim agendi formæ, quia cum ignis agat, & patiatur, patiatur autem ratione materiæ, sequitur, vt agat ratione formæ. Quòd autem in fine huius capitis habet, ignem deterius agere, quã instrumentum, non asserit ex propria sententia, sed tamquam absurdum infert ex antiquorum opinione, qui censebant, ipsum agere tantùm vt instrumentum, immo deterius, quoniam instrumentum habet aliquam vim, siue aptitudinem ad agendum ex se; igni verò nullam ipsi tribuebant, totam enim vim agendi calori acceptam referebant. Vel si velimus, hoc dixisse Aristotelem ex propria sententia, eius mens fuisse videtur, probare vim efficiendi formæ substantialis, & idcirco dixisse, ignem deterius agere, quàm instrumentum, vt contra distinguitur à sua forma, quia egit tantùm denominatiuè, cum instrumenta realem influxum exhibeant.

CAP. X.

Quæ sit causa perpetuitatis Generationis, & Corruptionis. Quod oporteat deuenire ad vnum primum, Et à quo dicatur motus continuitas.

tex.56. *QVoniam autem suppositum est, & demonstratum continuam esse rebus generationem & corruptionem, dicimus autem lationem causam esse generationis. manifestum est, quòd vna existente latione non contingit fieri ambo, quia contraria sunt, idem enim & similiter se habens semper idẽ natum est facere. quocirca generatio erit semper, aut corruptio. Oportet autem multos esse, & cõtrarios motus, aut latione, aut inæqualitate, contrariorum enim cõtrarie causæ. Ideòque non prima latio causa generationis, & corruptionis est, sed quæ secundum obliquum circulum. in hac enim & continuum vnum est, & moueri duobus motibus. Necesse enim, si erit semper continua generatio, & corruptio, semper aliquid moueri, vt non deficiant ipsæ transmutationes: duobus autem, vt non solum contingat alterum. Continuitatis igitur, quæ est totius, latio causa est, accedendi verò, & recedendi inclinatio. contingit enim quandoque fieri longe, quandoque vero propè. Inæquali vero distãtia existente, inæqualis erit motus. Quocirca, si in adueniendo, & in prope esse generat, & in recedendo, & longe fieri, id ipsum corrumpit. Et si in sæpe adueniendo generat, & in sæpe recedendo corrumpit. contrariorum enim contrariæ causæ.*

Et in æquali tẽpore corruptio, & generatio quæ secundum naturam. Ideo & tẽpus & vita vniuscuiusque numerum habent, & hoc determinantur. omnium enim est ordo. Et omne tempus, & vita mẽsurantur circuitu. sed tamen non eædem omnia, sed hæc quidem mi-

Idẽ & similiter se habens semper idẽ innatum est facere

Cõtrariorum contrariæ causæ.

Tẽpus, & vita vniuscuiusq; numerũ habent.

 nori,

nori, hac autem maiori, bis enim annus, bis autem maior, alijs autem minor circuitus est mensura.

tex. 58. *Apparent autem & secundum sensum confessa his, quae à nobis dicta sunt. videmus enim quòd adueniente quidem Sole, generatio est. recedente autem, corruptio. & in aequali tempore vtrumque, aequale enim tempus generationis, & corruptionis, quae secundum naturam. Sed contingit saepe in minori corrumpi, propter adinuicem confusionem, inaequali enim existente materia, & non vbique eadem, necesse est generationes inaequales esse, & has quidem celeriores, illas autem tardiores. quocirca accidit propter horum generationem alijs fieri corruptionem, Semper vero, vt dictum est continua erit generatio, & corruptio, & nunquam deficiet, propter eã, quam diximus, causam.*

tex. 59. Natura semper desiderat quod melius est. *Hoc autem rationabiliter contingit. Quoniam enim in omnibus inquimus, quod melius est desiderare naturam semper: melius autem esse quam non esse: esse autem quot modis dicimus, in alijs dictum est: hoc autem in omnibus impossibile existere, propterea quòd longe à principio distant: reliquo modo compleuit totũ Deus, continuam faciens generationem: ita .n. maxime continuabitur ipsũ esse, quia proxime & substantiae fieri semper generationem. Huius autem causa, vt dictum est saepe, circulo latio: sola enim continua. Ideo & alia, quaecunque trãsmutantur ad inuicem secundum passiones, & potentias, vt simplicia corpora imitantur circularem lationem. cum enim ex aqua aer generetur, & ex aere ignis, & rursus ex igne aqua circulo dicimus reuertisse generationem: quia rursus reflectitur. quocirca & recta latio, imitans circularem, continua est.*

Simul autem manifestũ ex his, quod quidam dubitant, quare vnoquoque corporum in propriam lato regionem, in infinito tempore nõ distrabuntur corpora. Causa enim huius est adinuicem transitio, si .n. vnũquodque maneret in sua ipsius regione, & non transmutaretur ab eo, quod propè, iam vtique distracta fuißet. transmutantur igitur, propter lationem duplicem existentem. quia autem transmutantur non contingit manere vllum eorũ in vlla regione ordinata. Quòd igitur est generatio, & corruptio, & propter quam causam, & quid generabile, & corruptibile, manifestum est ex his quae dicta sunt. tex. 60

Quoniam autem necesse est esse aliquod mouens si motus erit. vt dictum est prius in alijs: &, si sẽper, quòd oportet aliquid semper esse: &, si continuus, vnum, idem, & immobile, & inalterabile, & ingenerabile: & si multi circulares motus, multa quidem, omnia autem quodammodo esse haec necesse sub vno principio: continuo autem existente tempore, necesse motum continuum esse, si quidem impossibile tempus sine motu esse tex. 61

esse: continui igitur alicuius numerus tempus: circularis ergo, quemadmodum in his, quę in principio sermonibus, determinatũ est.

tex. 62 *Continuus autem motus vtrũ, quia id, quod mouetur continuum est, an quia id, in quo mouetur, velut locum dico, aut passionem? Manifestum itaque quòd eo quòd id ꝙ mouetur, quomodo.n. continua passio, nisi q a res, cui accidit cõtinua est? Si aũt & eo quod id, in quo soli loco hoc inest. magnitudinem enim quandam habet, huius autem quod circulo sursum cõtinuũ. quo circa ipsum sibi semper continuum est. Hoc igitur est, quod facit continuum motum, quod circulo fertur corpus: ipse autem motus tempus.*

PROPOSITIONES ex capite decimo.

tex. 55. 1 *Quoniam motus cælorum est æternus, perpetuò quoque generatio, corruptio erunt.*

2 *Motum localem priorem esse generatione, rectè constitutum aliàs fuit.*

tex. 56. 3 *Si vnus tantùm esset motus localis æternus, non esset causa generationis, & corruptionis, sed alterius tantùm.*

4 *Idem eodem modo semper se habẽs, idem facere natum est.*

5 *Contrariorum sunt causa contrariæ.*

6 *Primus motus cælorum nõ est causa ortus, & interitus, sed motus Zodiaci.*

tex. 57. 7 *Ex eodem motu, quòd omnia determinatum, quamuis diuersum, durationis, vel vitæ tempus sortiantur, prouenit.*

8 *Accedente sole, generationem fieri; & recedente, corruptionem, & in æquali tempore vtramque fieri videmus.* tex. 58.

9 *Sæpe euenit, vt breuiori tempore corruptio fiat ob mutuam rerum confusionem.*

10 *In omnibus quod præstabilius est, natura appetere dicitur.* tex. 59

11 *Præstabilius est esse, quàm non esse.*

12 *Quoniam in multis non potuit idem numero semper durare, oportuit, generationem adesse, qua idem specie saltem perseueraret.*

13 *Generatio corporum simplicium circularem imitatur lationem.*

14 *Non omnino sunt loco discreta corpora ob mutuam ipsorum generationem.* tex. 60.

15 *Si datur motus perpetuus, & continuus. Motor quoque dabitur perpetuus immobilis, & generationis, atque alterationis expers.* tex. 61.

16 *Si plures sint motus circulares perpetui, plures quoque erunt motores, sed primo subordinati.*

17 *Tempus sine motu esse nequit, cũ sit numerus eius.* tex. 62.

18 *Continuus est motus, quia mobile continuum est, & potest etiam esse continuus, quia locus, in quo fit, est continuus.*

19 *E magnitudinibus sola circularis continua est.*

20 *Corpus, quod circulariter fertur, motum reddit continuum. Motus verò tempus.*

NOTATIONES.

IN primam propositionem. Quãuis falsò supponat Aristoteles,

Cœlorũ motum esse æternũm, nõ propterea eius illatio continuò est damanda. Videndum igitur, an sit vera, & quo pacto sit vera. Quoad prius ergo dicendum, veram esse Aristotelis consequentiam, ita vt si cœli motus ab eterno fuisset, etiã gnerationes, & corruptiones fuissent. Probatur primò ex fine. Nã causa finalis, cur cœlũ moueatur, est propter generationes, & corruptiones rerum. Non enim mouetur ob acquirendam aliquam perfectionem, neque vt res in suo statu perseueret; quia ad hoc magis conduceret ipsius quies, ergo ad hoc vt mutentur. Præterea constat, Solem medio calore quædã gignere, & alia corrumpere, ergo ex ipsius accessu, & recessu, necessariò multa gigni, & alia corrumpi oportet. Quoad posterius sunt maiores difficultates. Quorum prima est, an hæc propositio sit conuertibilis, ita vt si Cœlum non moueretur, generatio quoque, & corruptio non essent. Qua in re prima opinio est S.Th. in 2.d.2.q.2.ar.3. & aliorũ, nullum motũ (excepta alteratione perfectiua) cessante motu cœlo fieri posse, fundamentum præcipuum est, quia censent, primum in vno quoque genere esse causam cæterorum tex. 75. 8. phys. primus autẽ motus est cœlestis, ergo ab eo cęteri. Secunda sententia est, cessante motu cœli non cessaturos quoslibet alios motus, quæ est magis communis, & meritò; tum quia non cessarent influentiæ cœlestes, nã adhuc sol illuminaret, & medio lumine calefaceret, ergo nulla est ratio, cur alij motus cessarent, tum etiam quia ignis ad comburendam stuppam ex se sufficienter est potens, quare absque alio cœlorum influxu, dum modò Deus suum concursum præberet, posset stuppam comburere. Non solùm igitur si cœlum nõ moueretur, sed etiam si non influeret, neque illuminaret, adhuc generationes, & corruptiones in mundo elementari, mea quidem sententia esse possent. Sed essent ne perpetuę? videntur enim non fore, quoniam pars illa orbis, cui proximus esset sol, nimio ardore combureretur, pars verò aduersa, frigore rigesceret, vtrumque autem extremum generationi obest. Dicendũ nihilominus, generationes tunc quoq; posse perpetuo fieri, nam homines, & animalia degere possent in aliqua parte vniuersi temperata, vel ab vna parte in aliam transire, & plantas etiã secũ ferre.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondet Durand. illam propositionem, primum in vno quoque genere &c. esse verãm tãtùm in genere causarum. Primum enim efficiens est causa omnium efficientium, & primus finis omnium finium. Verùm non hunc esse sensum illius pronunciati, facilè patet, tum quia nimis illud coarctar, cũ tamẽ de vnoquoq; genere in vniuersũ in eo sit sermo, tũ etiã quia in eo sẽsu nõ est verũ in omni causarũ genere, neque .n. prima forma, siue hæc sit anima rationalis, siue forma primi cœli, est causa omnium formarum, neque prima materia est causa cęterarum. Sensus igitur illius pronunciati est, quòd illud, cui primò aliquod prędicatum conuenit, est ratio, vt cõueniat cęteris, vt etiam supra explicauimus. Nã quia sensitiuũ primũ cõuenit animali, cętera oĩa sũt sensitiua, quatenus animalia sunt.

Secun-

Secunda difficultas est. An motus cœli sit causa respectu cęterorum motuum, vel tantùm sit quædam conditio. Capr. in 2. d. 14. q. 1. & in 4. d. 44. q. 4. & Bannes in hoc secundo quæst. 1. in cap. 10. existimant, motum non tantũ esse conditionem, sed etiam rationem agendi. Longe tamen verior est sententia Durandi in 2. d. 15. q. 3. quam sequitur Tolet. hic, Motum cœli esse tantùm conditionem applicantem cęli virtutem. Probatur ex Aristotele hic tex. 55. vbi ait *motum eatenus esse causam generationis, & corruptionis, quatenus est causa accessus, & recessus Solis*. Pręterea motus localis per se nil gignere potest, cum nullam entitatem addat rebus motis. 3. Si cuiusquam rei esset causa motus localis, vtique caloris, sed neque calorem gignere potest Cœli motus, vt aliàs probauimus, quoniã non potest cótetere aerẽ, multominùs verò motus est ipsamet actio, qua cœlũ agit, ut ait Bannes, ita vt cœlũ agat per motũ, sicuti ignis per calefactionem calefacit, nam calefactio non est in calefaciente, sed in calefacto, & cũ calore producto, quomodo ergo motus, qui est in cœlo, & non identificatur cum effectu, qui reperitur in rebus sublunaribus, dici poterit esse respectu cœli agentis, sicut calefactio respectu calefacientis?

In secundam propositionem. Hanc propositionem probat diffusè Aristoteles in 8. phys. quò remittimus lectorem.

In tertiam propositionem. Si generatio non potest esse sine corruptione, neque hæc sine illa, quomodo inquit Aristoteles, vnam fore sine altera, si vnicus tantùm esset æternus motus? Prætèrea etiãsi vnicus tantùm motus esset, adhuc sol accederet, & recederet, saltem enim nocte recederet, die verò accederet, ergo posset esse causa generationis, & corruptionis. Respondeo, generationem sumi dupliciter, vt superius diximus, vel pro cuiuslibet rei productione, vel pro illius tantùm ortu, quæ est perfectior, quàm sit res corrupta. Aristoteles igitur non accipit priori modo generationem, sed posteriori. Argumentum autem concludit de generatione priori modo spectata. Vel dicendum est, non loqui Aristotelem de generatione, & corruptione, quæ simul sunt, sed de generatione, & corruptione eiusdem rei, & asserere, quòd si tantùm sol accederet, esset tãtùm causa, vt res generarentur, non verò, vt eædem corrumperẽtur, quamuis esset causa corruptionis aliarum rerum. Sed ablata est difficultas, quoniam etsi sol numquam recederet, adhuc multæ res genitæ corrumperentur, præsertim viuentia, quæ habent intrinsecum corruptionis principium. Addendum est igitur, Aristotelem nõ omnẽ generationem, vel corruptionẽ negare, sed tãtùm asserere, quòd non tam ordinata vicissitudo generationis, & corruptionis procederet, qua responsione etiam secundum argumentum diluitur.

In quartam propositionem. Ratio huius propositionis est, quia entia naturalia sunt determinata ad vnum. Non valet igitur hæc propositio in causis liberis; & in naturalibus patitur exceptionem, quando ab extrinseco determinantur. Nã sol eodem modo se habens, liquefacit ceram, & lutum indurat, non

quia,

quia, quantum est ex se, eodem modo non agat, sed quoniam diuersa est dispositio in materia.

In quintam propositionem. Hęc quoque est intelligenda de effectis per se, & supposita eadem dispositione in materia, alioqui enim & à calore, & à frigore potest res exsiccari, & viuens interimi.

In sextã propositionem. Ex ijs, quæ diximus in notatione ad tertiam propositionem patet, non esse hanc intelligendam de qualibet generatione, & corruptione, sed de ordinata, & quæ contingit in toto terrarum orbe, si enim esset tantùm primus cœlorum motus, nulla esset vicissitudo hyemis, & æstatis, veris, & autumni, quam vicissitudinem maximè rerum generationi, & corruptioni conferre videmus.

In septimam propositionem. Hæc quoque vt superior est intelligenda. Nam quamuis non esset motus Zodiaci, adhuc citiùs morerentur canes, quàm homines. Aliqui autem interpretantur hoc dictum Aristotelis de duratione illa, quam ex syderum configuratione in ortu vniuscuiusq; hominis astrologi colligunt.

In octauam propositionem Explicanda hæc est etiã vt superiores, & præcipuè intelligenda de generatione rei perfectioris. Nam verè videmus, cum sol ad nos accedit, omnia viuescere, & germinare. Meritò autem hæc simpliciter appellatur generatio, non solùm quia habet terminum perfectiorẽ, sed etiam, quia cum fit viuentium, gignitur anima, & nulla forma corrumpitur. Et è contra dum corrũpuntur viuentia, nulla forma de nouo gignitur, quia mistionis iam ante aderat.

Notandum autem, quòd quamuis Aristoteles afferat, æquale esse tempus accessus, & recessus solis, Astrologos tamẽ deprehẽdisse, Solẽ tardius à nobis recedere, & celerius accedere: E contra verò Antipodis tardius accedere, & celerius ab eisdem recedere; nam à die 21. Martij, circa quem fit æquinoctiũ hyemale, & sol dicitur ad nos accessisse, vsque ad 24. Septembris, quã do à nobis recedit, sunt dies 187. at verò à die 24. Septembris, vsque ad 21. Martij, quo tempore distat à nobis Sol, dies tantùm 178. prætersfluunt, cũ igitur diutius nobiscũ moretur, tardius etiam dicitur à nobis recedere.

In nonam propositionem. Generationem, & corruptionem non accipit hic in rigore Aristoteles, ita enim ambæ in instanti fiunt, sed simul cum præcedente alteratione, vel attenditur distantia, quæ est inter vtramque, sicuti ille homo dicitur tardè mori, qui diu viuit, quoniam igitur ver est tempus generationi destinatum, autumnus verò corruptioni, rectè inquit Aristoteles iuxta ea, quæ iam dixerat, æquali tempore fieri generationem, & corruptionem, addit tamen in hac propositione ob variam confusionem, idest permistionem rerum citius aliquando aliquid corrumpi, quàm alioqui corrumperetur. Patet enim, homines, & reliqua viuentia sæpe ante tempus illis à natura constitutum, ob varias causas extrinsecas interire.

In decimam propositionem. Natura dicitur suo fine non frustrari, quomodo ergo si quod pręstabilius est, appetit, non semper illud consequitur? Respondeo, naturam

turam nō frustrari in omnibus, sed in aliquo indiuiduo particulari ob materiæ defectum, vel aliud impedimentum, nullum est inconueniens.

In vndecimam propositionem. Hinc aliqui colligunt, esse, quamuis miserijs pluribus obsitum, esse præferendum non esse, ita vt optabilius sit, in inferno degere, quàm omnino non esse; cui sententię ego numquam subscribam, sicuti enim melius est, non agere, quàm malè agere, ita etiā melius est, non esse, quàm malè esse, & nihilominus vera est Aristotelis sententia, quòd præstabilius est esse, quàm non esse, idest ipsum esse præcisè sumptum, sicuti si dicamus, melius est, esse diuitem, q̃ pauperem, verū dicemus; nemo tamen concedet, melius fore diuitem esse, sed ægrotū, doloribus tortum, imprudentem, deformem, impium, infamem, quā pauperem sanum, prudentem, hilarem, pulchrum, iustum, gloriosum. Confirmatur, quia multi se ipsos occidunt, vt doloribus, & pœnis huius vitæ eximantur, idq; facilius efficiunt illi, qui credunt, animam mortalem esse, ergo hi appetunt potius non esse, quàm miserè esse. Confirmatur etiam ex capite 9. Apoc. vbi dicitur, quòd damnati *quærent mortem, & non inuenient*, quod est idem, ac velle non esse, quia mors tantùm corporis nihil, aut parum eos iuuaret. His adde locum Euangelij. *Melius erat illi, si natus non fuisset homo ille.* Scio, aduersarios, vt huic authoritati illudant, afferere, sensum illius loci esse, quòd melius illi fuisset, in vtero mori, quàm nasci, quia, tunc retinuisset esse, neque tamen cruciatibus æternis damnatus foret, sed est cauillum nullius momenti, & ponderis, nam nasci in scriptura accipitur etiam de his, qui sunt in vtero matris, vt Matt. 1. *Quod .n. in ea natū est idest quod est in eius vtero.* Deinde potius dicendum fuisset, melius illi fuisset, infantem mori, quia tunc expiatus originali culpa beatam vitam consecutus fuisset. Tandem quid respondebunt B. Iob. qui ait apertè. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo?* non enim tantùm natali, sed etiam conceptioni maledixit, hac scilicet ratione, quòd existimauerit, satius fore (præsenti tantùm vita spectata) non fuisse conceptum, quàm tot ærumnis affici, quo loco ad hoc idem probandum vtitur Rabanus in cap. 22. Hier. Et hoc sensu videtur etiam dixisse Ecclesiastes cap. 4. *Laudaui magis mortuos, quàm viuētes, & fæliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est.* Sed hæc hactenus.

In duodecimam propositionem. Explicatur in hac finis generationis à natura intentus. hinc videmus, quòd neque angeli, neque corpora cœlestia generatione gaudent, quoniam cum interitus sint experta, generatione quoque non indigent, indigent autem corruptibilia, vt quoniam suum esse in indiuiduo cōseruare nequeunt, illud saltem in specie tueantur. Excipienda est tamen æterna generatio Verbi diuini, quæ non propter vllam indigentiam, sed ob summam ipsius perfectionem & personæ tum producentis, tum productæ, non potest non esse.

In tertiam decimā propositionē. Hæc propositio alteram ex sententijs nostris confirmare videtur, & alteram

alteram infirmare. Confirmat eã, quòd non omnia elementa immediatè transmutentur. Nam si vult Aristoteles, generationem elementorum esse circularem, vt videlicet aqua vertatur in aerem, aer verò in ignem, deinde ignis in aerẽ, & aer in aquam, iam patet, aquam non immediatè ex ipsius mente conuerti in ignem, alioqui non esset circularis hæc generatio. Videtur autem infirmare eam, qua diximus, aerem non verti immediatè in ignem, cui obiectioni occurrendum est, non loqui Aristotelem de igne hoc nostrate, de quo nos locuti sumus, sed de igne, quem forte putauit ipse esse sub concauo lunæ, quem tamen nos non admisimus; vel explicari poterit de cõuersione mediata, & de circulo latè sumpto.

In quartã decimam propositionem. Non esse omnino loco discreta corpora simplicia, experientia constat, nam sub terra & aqua, & aer, & aliquando etiam ignis reperitur. Hæc tamen Aristotelis ratio contrarium suadere videtur. Nam si inuicem possunt transmutari, ergo quælibet pars elementi, quæ reperiatur extra proprium locum, statim immutabitur ab elemento, in cuius sphęra reperitur, quis .n. dubitat, longè maiorem vim elementi in propria sphęra existentis futuram, quàm alterius, qui extra patriam, veluti in exilio degat? Respondeo, veram nihilominus esse Aristotelis propositionẽ, quoniam cum vnumquodq; elementũ tendat ad propriam sphæram, non potest extra eam reperiri, nisi aut violentet ab ea extrahatur, aut alibi generetur: At cum elementa abstrahi extra propriam sphæram, raro omnino contingat, & per accidens, sequitur etiam, vt extra generentur. Ad argumẽtum, quo cõtrarium suadebatur, respondeo, si vera essent, quæ de mutua elementorum transmutatione communiter afferuntur, efficacissimum fore; at iuxta ea, quæ nos tradidimus, nullam vim habere. Non.n.quodlibet simplex elementum se solo potest aliud in se conuertere, sed potius in tertium, ita enim dicitur terra vertere aerem in aquam, & ignis aquam in aerem, & hinc oritur maxima elementorum commistio, quia elementũ, quod in sphęra alterius includitur, non solet verti in illud, sed in aliud, nisi adsit alia virtus pręter ipsum elemẽtum, ita videmus, in aere gigni aquam, & ignem, in aqua lapides, & terrã, in terra aquam, & aerem, quòd si in aere gignitur aer, hoc oritur ex virtute ignis, & Solis potius, quã ipsius aeris.

In quintã decimam propositionẽ. Probat diffusè hanc propositionem Aristoteles 8. phys. an autẽ efficaciter, illius est loci, examinare, non huius.

In sextã decimam propositionẽ. Hæc quoque egreditur limites pręsentis considerationis, & ad lib. de cœlo, siue ad metaphysicã spectat.

In decimã septimã propositionem. Intelligenda est de tempore reali, eiusque veritas patet ex dictis in 4. phys.

In decimã octauã propositionẽ. Dupliciter sumitur nomen continui, aliquando enim significat speciem quantitatis, cuius partes dicuntur copulari termino communi, aliquando verò durationem perpetuam. In priori parte huius propositionis loquitur Aristoteles

de priori continuo, in altera verò de posteriori. Dicitur .n. motus cótinuus, id est cuius partes subiectiuæ dicuntur copulari termino cómuni, quia eius subiectum est cótinuũ. At verò est perpetuus, quia locus, in quo fit, caret fine, cum sit circularis.

In vigesimam propositionem. Sumitur hic continuum posteriori modo. Nam hæc tantùm continuitas repugnat magnitudini rectæ.

In duodecimam propositionem. Vtraque pars huius propositionis satis per se clara est. Nam & motus est ppetuus, quia est circularis, vt 8. phys. ostenditur & ex motu perpetuo tempus quoque perpetuum oritur. Prior pars tamen non includit necessariã cósequentiam, quia potest effici motus circularis, qui non sit perpetuus, sed dicit non repugnantiam, quia scilicet motui circulari non repugnat, fieri sine termino, quamuis repugnet, fuisse ab æterno ob rationes alibi allatas.

CAP. XI.

Quo pacto fiat in ipsis rebus consecutionis, & reuersionis necessitas, ac quo etiam pactò non fiat.

tex.63 *QVoniam autem in his, quæ continue mouentur secundũ generationem, aut alterationem, aut omnino transmutationem, videmus consequenter existens, & quod generatur hoc post hoc, vt non deficiat, considerandum vtrũ est aliquid, quod ex necessitate erit an nihil, sed omnia contingit non facta esse.*

Quòd enim quædam, manifestũ est, & mox ipsum erit, & ipsum erit futurum, alterũ propter hoc. tex 64. Vide comm. Zim. *Quod enim verũ dicere quòd erit, oportet hoc esse quandoque verũ, quod est. quod autem nunc verum est dicere quòd futurum est, nihil probibet non factum esse. ambulaturus enim quis non ambulabit.*

Omnino autem, quoniam contingit quædam entium esse, & non esse, manifestum est, quòd & quæ generantur, ita se habebunt, & nõ ex necessitate hoc erit. Vtrum igitur omnia sunt talia, an non? sed quædã necesse est simpliciter fieri. tex.65.

Et est, quemadmodum in ipso esse, hæc quidem impossibilia, non esse, hæc autem possibilia, ita & circa generationem, vt factas esse versiones necesse est, & non possibile est non contingere. tex.66.

Si igitur quod prius necesse est factum esse, & quod posterius erit, vt si domus, fundamentum, si vero hoc, lutum, nunquid, si fundamentum factum est, necesse & domum factam esse, an non amplius, nisi & illud necesse sit generatum esse simpliciter? si autem hoc necesse, & fundamento generato, generatam esse domũ, sic enim quod prius, se habebat ad posterius. quare, si illud erit, necesse illud prius generatum esse. Si igitur necesse generatũ esse posterius, & ꝙ prius necesse. & si ꝙ prius, et ꝙ posterius igitur necesse: sed non propter illud, sed quoniam suppositũ erat tex.67

ex necessitate futurum. In quibus igitur posterius necesse esse, in his conuertitur, & semper priori generato necesse est generatum esse posterius.

tex. 68 Si igitur in infinitum tendat ad inferius, non erit necesse posterius hoc generatum esse simpliciter, sed neque ex suppositione. semper in aliorum antea necesse erit, ideo & illud necesse generatum esse. quocirca, si non est principium infiniti, neque primum erit aliquod, propter quod necesse erit generatum esse. At vero neque in terminum habentibus hoc est dicere vere, quod simpliciter necesse sit, generatum esse, vt domum, quando fundamentum generatum fuerit. quando enim generatum fuerit, nisi necesse semper hoc generari, accidet semper esse, contingens nō semper esse, sed oportet generationi sēper esse, si ex necessitate est eius generatio. ipsum enim ex necessitate, & semper simul, quod enim esse necesse, non possibile non esse. quocirca, si est ex necessitate, sempiternum est: &, si sempiternum est, ex necessitate. &, si generatio, igitur ex necessitate sempiterna & generatio huius: &, si sempiterna, ex necessitate. Si igitur alicuius ex necessitate simpliciter generatio sit, necesse circuire, & reuerti: necesse enim est aut terminum habere generationem, aut non: &, si non, aut in rectum aut circulo. Horum autem, si quidem erit sempiterna, non in rectum possibile est, quia nequaquā est principium, neque, si inferius, vt in futuris accipiamus: neque superius, vt in generatis. necesse autem est esse principium, non finita existente: & sempiternam esse: ideo necesse est circulo esse. Conuerti igitur necesse erit, vt si hoc ex necessitate est, & quod prius ergo: sed, si hoc, & quod posterius necesse generari: & hoc semper vtique continue: nihil enim hoc differt dicere per duo, aut multa. In circulari igitur motu, & generatione est quod ex necessitate simpliciter: &, si circulo necesse vnumquodque generari, & generatum esse, &, si necesse, horum generatio circulo.

Hæc itaque rationabiliter, quoniam perpetuus. & alibi apparuit circulo motus, & qui cœli: quoniam hæc ex necessitate generantur & erunt, quot huius motus sunt, & quot propter hunc. Si enim quod circulo mouetur, semper aliquid mouet, necesse est & horum circularem esse motum: vt superiori latione existente circulari, Sol sic. Quoniam autem sic anni tempora propter hoc circulo generantur, & reuertuntur his autem ita generatis, omnia ab his. tex. 69

Quare ergo hæc quidem ita videntur, vt aqua, & aer circulo generari, &, si nubes erit, oportet & pluere: &, si pluet, oportet & nubem esse? homines vero, & animalia non reuertuntur in seipsa, vt rursus generetur idem? non .n. necesse, si pater generatus est, te generatum esse: sed, si tu, illum, in tex. 70

in rectum autem videtur esse: hæc generatio. Principium autem cõsiderationis rursus hoc, vtrum similiter omnia reuertuntur, an nõ, sed hæc quidem numero, hæc autem specie solum. Quorumcunque igitur incorruptibilis est substantia, quæ mouetur, manifestũ quod & numero eadem erunt, motus enim sequitur, quod mouetur. Quorumcunque autem nõ, sed corruptibilis, necesse est specie, numero autem non reuerti. ideo aqua ex aere, & aer ex aqua specie idẽ, non numero. Si autem & hæc numero, sed non quorum substantia generatur, existens talis, qualis potest non esse.

PROPOSITIONES ex capite vndecimo.

tex.65. 1 *Sicuti ex entibus quædam necessariò existunt, quædam non necessariò, sic etiam aliqua necessariò generantur, aliqua contingenter.*

tex.67. 2 *A posteriori ad prius argumentari possumus; nõ autẽ ẽ conuerso a priori ad posterius.*

tex.68. 3 *In infinito in multitudine, sicuti dari non potest primum, ita neque aliquid necessarium, aut simpliciter, aut ex suppositione.*

4 *Quod est æternũ, non potest nõ esse necessarium, & quod necessarium, æternum.*

5 *Vt generatio sit perpetua, oportet, eam esse circularem.*

6 *Circulus datur in generationibus, non tamen fit reditus ad idem numero, sed ad idem specie.*

NOTATIONES.

IN primam propositionem. Particula (sicut) non habet vim illatiuã, sed simplicis similitudinis, non enim ex eo quòd quædam necessariò existunt, quædam necessariò generari debent, quia quæ necessariò existunt, neque generantur, neque generant.

Sed quærendum, an hæc, quæ necessariò gigni; ait Aristoteles, sint necessaria quoad indiuiduum, vel quoad speciem tãtùm. Si quoad indiuiduum, nihil videtur necessariò gigni, quia quòd hoc indiuiduum potius generetur, quàm aliud, pendet à Deo solo. Si quoad speciem, nihil contingenter, quia omnia videntur quoad speciem necessaria, si naturæ cursum spectemus. Respondeo, intelligendũ esse posteriori modo. Ad impugnationẽ dico, necessariũ aliquid dici posse dupliciter, vel scilicet quoad substantiã, vel quoad circunstãtias, vt tempus, locum, &c. priori modo haud dubium, omnes species esse necessarias, posteriori verò nequaquam, nullum enim potest assignari tempus, vel locus, quibus necessariò sit coniuncta generatio hominis, & hoc modo intellexisse Aristotelem, patet ab exemplo, quod attulit, ait enim verbi gratia solstitia fore, necesse est, sunt autẽ huiusmodi plures res in rerum natura, vt generationes fontiũ, & ea, quę proximè pendent à cœlorum motibus, quare & vera fuit Aristotelis sententia, & non superflua.

In secundam propositionẽ. Extra controuersiam est hæc propositio, nam cum posterius esse ne-

queat sine priori, vt tectum sine fundamento, vtique est optima consequentia ab huius existentia ad illius. Cum vero è contra prius possit esse sine posteriori, vt fundamentum sine tecto, non valet argumentum ab hoc ad illud. Excipe tamen, nisi sit necessaria connexio inter prius, & posterius, sicuti est inter rationale, & risibile, tunc .n. rectè infertur, aliquem esse rationalem, quia est risibilis.

In tertiam propositionem. Dari nõ posse primum in infinito, ex ipsa ratione infiniti constat, primo enim finitetur. Porro si non datur primum, neque dari aliquid necessariò, siue absolutè, siue ex suppositione, probatur, quia oporteret, hoc esse determinatum, scilicet aut secundum, aut tertium, sed cum nõ detur primum, neque assignari poterit secundum, aut tertium, ergo nullum erit necessarium.

In quartam propositionem. Hoc dictum secundum nostram sententiam, qui existimamus, creaturæ repugnare æternitatem, verissimũ est. At secundum eos, qui arbitrantur, posse creaturam ab æterno fieri, falsum esset, quare nostra sententia est Aristoteli cõformior. Habet tamen difficultatem vtcunque in principijs ipsius Aristotelis. Mundus .n. per ipsum est æternus, ergo verum est etiam dicere, quòd aliquis homo fuit ab ęterno, sed ille homo non fuit necessarius, quia numquam mortuus fuisset, ergo non omne, quod est æternum, est necessariũ. Responderi posset, nullum assignari posse hominem, qui fuerit ab æterno. Verùm quamuis à nobis assignari non possit, verum est tamen, fuisse aliquem, alioqui mundus ab æterno fuisset sine homine, quod est falsum. Sed posito principio falso, quòd scilicet mundus fuerit ab æterno, non mirum, si multa absurda ex eo deducantur.

In quintam propositionem. Qualis sit generatio circularis, exposuimus propositione 13. præced. capitis. Ratio autem, cur sola circularis sit perpetua, est, quia alioqui oporteret abire in infinitũ in multitudine, neque species rerum conseruarentur, sed semper nouæ in lucem prodirent, quæ omnia absurda sunt.

In sextam propositionem. Recipitur ab omnibus ferè philosophis hoc dictũ, & ꝓbari põt à posteriori ex multis absurdis, quę ex cõtraria opinione orirentur. Nã & idem homo sępius nasci posset, & interire, & antequam moreretur iterũ nasci, & simul esse senex, & infans. Nam si semel genitus potest iterũ gigni, quid ad hoc refert, quòd mortuus sit, vel non mortuus? Si dicas, sufficere quòd existat, quia quod existit, produci non potest. Quæram, an hæc existentia impediat effectiuè, vel obiectiuè, si effectiuè tantùm, ergo si existens sit remotum, non poterit impedire, quia non datur actio in distans; si obiectiuè, huius est afferenda ratio, quia quod est in potentia causę, est etiam obiectum ipsius, non potest autem vlla reddi ratio, cur ex eo tantùm quod obiectum existit, non sit in potentia causæ; vel si ad hoc tollendum sufficit, quòd existat, dicemus etiam nos sufficere, quòd extiterit, ad hoc vt produci nequeat. Confirmatur, quia obiectum existens si præsens sit, & debitè applicatum, potest conseruari à causa, vt patet in lumine, at non

minor virtus requiritur in cõseruatione, quàm in effectione, ergo si potest conseruare; poterit etiam producere, quando effectus, ex eo quod distat, non est capax conseruationis. Ne igitur dicamus, existens iterum produci posse, vel (ne fiat vis in verbis) replicari posse; videtur et dicẽdũ, quòd semel productũ fuit, siue existat, siue nõ, nõ amplius produci posse, huius aũt rei ratio à priori, nisi fiat recursus ad Dei prouidentiam, & voluntatem, à qua determinatio indiuiduorum pendet, non videtur reddi posse, vt optimè probat Suarez disp. 5. in metaph. sect. 3. num. 5. & sequentibus.

DISPVTATIO IV.

De qualitatibus motiuis Elementorum.

DE elementis, quatenus ad propria loca mouentur, agit Aristoteles potissimum in libris de cęlo, quoniam tamen etiam in hoc secundo, textu 22. motus, & loca ipsorum explicat, non videtur alienum à nostro instituto, de ipsis quoque agere; sicuti & alij quidam facere consueuerunt, vt de elementis integra habeatur consideratio.

An dentur in Elementis grauitas, & leuitas.

QVÆSTIO XVIII.

Rationes dubitandi, & aliorum sententiæ.

SECTIO I.

RAtio dubitandi potest esse, quoniam nulla videtur esse neccessitas eas ponendi: nam motus sursum, & deorsum, propter quos huiusmodi qualitates sunt introductæ, vel ab extrinseco proueniunt, vel ab intrinseco, si ab extrinseco, videlicet, à generante; aut à cęlo, aut à loco ipso connaturali, ergo non oportet, ponere aliquam virtutem intrinsecam, & cõnaturalem ipsis elementis; quales dicuntur esse grauitas, vel leuitas: si verò dicantur esse ab intrinseco, poterunt immediatè prouenire à forma substantiali, non ergo opus est grauitate, & leuitate. Confirmatur primò, quia ad hoc, vt aqua se reducat ad propriam frigiditatem, non opus est alia qualitate virtuali super addita; sed immediatè oritur hæc reductio ab ipsa forma substantiali; ergo etiam ad hoc, vt elementa ad propria loca reuertantur, non est opus alia virtute super addita, sed sufficit ipsorum forma substantialis. Confirmatur secundò, quia si grauitas esset qualitas à forma distincta, vbique eam retinerent elementa grauia, sed nõn retinent, quia aqua in mari non est grauis: alioqui natantes magnum supra se pondus sentirent, quod falsum est.

Præterea frustra ponuntur duo gene-

genera qualitatum motiuarum, altera enim tantùm est sufficiens, nã si omnia elementa dicãtur grauia, sed magis, & minùs, idem effectus sequeretur; grauiora enim descendent, minùs verò grauia ascendent. Confirmatur, quia aqua respectu aeris est grauis, at verò respectu terræ est leuis; sed grauitas, & leuitas non possunt esse, simul, ergo cum non sit maior ratio de vna, quàm de altera, neutra erit in aqua, & idem de aere dici potest; ignis autem sphæra non datur: ergo grauitas tantũ remanet in terra.

In contrarium tamen est Aristotelis autoritas.

Aliorum sententia.

IN hac quæstione fuit prima Opinio Empedoclis, vt refert Aristoteles, in hoc secundo, tex. 42. litem, & amicitiam esse principia motiua elementorum, fortassis autem Empedocles per litem, & amicitiam intellexit optimam dispositionem vniuersi, qua quædam propinqua esse debent, quædam verò remota, & hanc dicit esse causam finalem motus elementorum, in quo deceptus nõ fuisset. Alij apud eumdem Arist. 1. cœli tex. 89. & 4. cœli docuerunt, omnia elementa esse grauiora; aliqua verò moueri sursum per quemdam impulsum extrinsecum, impressum illis à grauibus rebus propinquis, sicuti, & visus est dicere Plato in Timęo, quamuis eum benignè aliter interpretetur simplicius 1. cœli cõm. 20. in tex. 19. quasi tantùm voluerit, omnia moueri sine electione, sicuti grauia, non quòd omnia essent grauia. Impugnatur autem ab Aristotele tex. illo 89. hęc sententia, quia sequeretur, tardius moueri maiorẽ ignem, quia esset grauior, & magis resisteret impellenti. Præterea si aer ascendens supra aerem, propelleretur ab aqua, oporteret, ipsam aquam, vim facere, sicuti dum expellitur nucleus inter digitos; nullam tamen huiusmodi vim experiuntur, qui natant, neq; est prædita aqua ingenio, vt sciat, quænam corpora oporteat expellere sursum, quæ verò deorsum detrudere. Denique aere quiescente, ignis ascendit, ergo vi propria.

Resolutio quæstionis.

SECTIO II.

DIcendum est igitur, reperiri grauitatem, & leuitatem in elementis; quamuis non sit facile probare, esse qualitates realiter distinctas ab ipsa forma substantiali. Ex mysterio tamen Eucharistiæ hoc suadetur, quia non adest in eo forma substantialis, & tamen species sacræ eamdem, ac priùs grauitatem, vel leuitatem possident; & quamuis qui contrarium tueri vellet, dicere posset, ministerio Angelico illas species deprimi, ac si haberent grauitatem, non est tamen hoc credibile, tum quia à nullo vnquam theologo excogitatum, tum quia non videtur congruum tanto Sacramento.

Philosophicè autem generali ratione idem probari posset, eò quòd substantia immediatè non concurrat ad motum, sed & hoc principium est valde incertum; nam & multi censent, substantiam immediatè operari posse, & potẽtias non distingui ab ipsa anima.

Præ-

Præterea pro eadem argumentari possumus nulla substantia est per se sensibilis, at grauitas est per se sensibilis, ergo non est substantia: probatur minor, quia ferens aliquod pondus, sentit eius grauitatē, nō ratione alicuius operationis eius, quia non descendit, ergo sentit eā per se; quare etiam Aristoteles secundo de generatione tex. 8. numerat illam inter qualitates tangibiles, & idem habet 7. physicorum tex. 11. 5. metaphysicorum tex. 19. & 2. de partibus capite 1. & alibi, qui tamen contra opinaretur, diceret, non sentiri grauitatem, sed actum eius, qui vel est descensus, vel quidam veluti nixus & conatus descendendi. Verùm difficile est explicatu, quis nam actus sit hic nixus; quare non est discedendum à communi.

Notandum autem, nunquam Aristotelem definiuisse grauitatē, & leuitatem, sed semper graue, & leue, sic 4. cœli, 6. graue, inquit, esse illud, quod mouetur deorsum, leue, quod sursum, aliàs verò per extremum, & mediū, vt 1. cœli 17. graue est illud, quod est aptum ferri ad medium, leue, quod est à medio: interdum etiam per vtrumque, vt 4. cœli 6. graue est, quod mouetur deorsum, & ad medium, leue, quod sursum, & à medio, & hæ definitiones traditæ sunt per motum, aliquando etiam eas definit per quietem, vt 1. cœli 17. grauissimum est illud, quod substat omnibus, leuissimum, quod supereminet omnibus, ex quibus possumus colligere sequentes definitiones, grauitatis, & leuitatis; grauitas ergo erit *principium instrumētale, quo aliquid naturaliter mouetur deorsum & ad medium*, leuitas verò *principiū instrumentale, quo aliquid mouetur sursum, & à medio*. Notandum tamen, has definitiones simpliciter conuenire grauitati, & leuitati simpliciter, quales sunt grauitas terræ, & leuitas ignis, quia leuitas aeris non semper tendit sursum, si enim sit intra ignem, mouebitur deorsum, sicuti etiam aliquando aqua mouetur sursum; aer igitur non est leuis simpliciter, sed secundum quid, & idē dici debet de grauitate aquæ.

Ad argumentum, quo hæ qualitates impugnabantur, respondeo, motum sursum, & deorsum non prouenire immediatè à forma substantiali, sicuti, vt neque cęterę operationes, accidentia enim data sunt à natura subiecto, vt per ea operetur.

Ad primam confirmationem respondeo, frigus esse aliquid intrinsecum, quare non mirum, si aqua per suam formam ipsum recuperet, nam si vteretur alia qualitate intrinseca; dici etiam posset, opus esse alia qualitate priore, qua hanc acquireret, & sic posset procedi vsq; in infinitum, at verò locus est quid extrinsecum, quare non mirum; si per qualitatem intrinsecā acquiratur. Dices, motus est quid intrinsecum, ergo hic poterit per se prouenire à forma substantiali. Respondeo, motum esse actum secundum, qui proinde requirit actum primum, sicuti frigefactio supponit frigus.

Ad secundam confirmationem respondeo, vbique retinere elementa suam grauitatem, vel leuitatem; cur autem non vbique sentiantur, dicemus infra.

Ad tertiā non sufficere alterā tātū virtutē motiuā, iā supra ꝓbauim⁹.

Qua-

Quanam sit origo grauitatis, & leuitatis.

QVÆSTIO XIX.

Videri primas qualitates.

SECTIO I.

CVm plura reperiãtur in elemẽtis, materia, forma, primę qualitates, quantitas, & raritas, vel dẽsitas; meritò dubitatur, cuinam sit accepta referenda grauitas, vel leuitas; quæ in vnoquoque elemento reperitur. Et primò non prouenire à materia, certum est, quia cũ hæc sit in omnibus elementis, omnia æquè essent grauia, vel leuia, immo idem dicendum esset de cœlis, qui etiam materia prędit sunt, nec ab elementari diuersa spetie, si quis autem diceret, ex maiori quãtitate materiæ oriri raritatem, ex minori leuitatem, iam hoc potius spectare videretur ad densitatem, & raritatem, quàm ad materiam. Præterea si materia, vt sic, esset origo grauitatis, nullum elementum esset leue, sed tantùm minùs graue, quod supra impugnatum est.

Certum est secundò, non prouenire à quantitate ob easdem rationes, quia æquè quantitas, ac materia reperitur in omnibus elementis, & in cœlis.

Certum est tertiò, non prouenire à raritate, & densitate, quamuis non parum videantur conferre; quoniam reuera videmus, quò res sunt rariores, esse quoque leuiores, probatur tamen nostrum dictum, quoniam etiam in cœlis adsunt raritas, & densitas, neque tamen grauitate, vel leuitate prædit sunt. Præterea si rectè consideremus; apparebit, densitatẽ augere quidẽ raritatẽ extensiuã, nõ aũt intẽsiuã, quoniã quàuis terra sit magis rara, nunquã tamen erit leuior aqua, vel aer ob densitatem eadem grauior, aut ignis aere, immo fumus est densior aere, & tamen ascendit supra aerem.

Dubium ergo remanet, an orian tur à forma substantiali, vel à primis qualitatibus, aut ab his omnibus simul cum raritate, & densitate.

Videntur ergo prouenire à primis qualitatibus ex Aristotele secundo de generatione tex. 10. vbi omnes alias qualitates ad has reducit. Præterea probatur, quoniã calor est causa leuitatis, frigus verò leuitatis. Nam ignis, & aer, qui sunt calidi, sunt etiam leues; aqua verò & terra, quæ sunt frigidæ, sũt etiam graues. Tertiò videtur magnum argumentum, quia exhalatio, & vapor substantialiter retinẽt formam terræ, & aquæ, & tamen ob calorem, & raritatem sursum eleuantur, calore autem euanescente pristinam grauitatem recuperant.

Reuera non esse primas qualitates, sed elementorum formas.

SECTIO II.

HIs tamen nõ obstantibus ego existimo, formam ipsam substantialem esse veram originem grauitatis, & leuitatis in elementis. Probatur primò, quia si essent qualitates primæ, sicuti ignis est leuissimus, ita aqua, quæ habet qualitates illi contrarias, esset grauissima,

contra-

contrariæ etenim causæ contrarios producunt effectus. Dices, hoc prouenire ex raritate, quę maior est in aqua. Contra, quoniam aduersarij etiam ipsam raritatem volunt prouenire à primis qualitatibus, ergo si calor, & siccitas sunt causa summæ raritatis, & leuitatis; ita etiam erunt causa summæ densitatis frigus, & humiditas, præcipuè cum ab aduersarijs frigus magis proprium dicatur aquę, quàm terræ.

Secundò, aer, vt supra probauimus, non minùs est frigidus, & siccus, quàm sit terra, & tamē hæc est grauissima, ille autem leuis; ergo primæ qualitates non sunt causa illarum qualitatum. Apud eos autē, qui volunt, aerem natura sua esse humidum, & calidum, argumentum contorquetur, quoniam negari non potest, quin aliquando aer sit frigidus, & siccus, vt sub polis, & in media regione aeris, & tamen semper vbique est eodem modo leuis, ergo ad leuitatem nihil primæ qualitates conferunt. Confirmatur etiam, quia si ferrum, aut terra calefiat, non propterea reddūtur leuia.

Tertiò. Argumentor, quia maximè proprium est formæ substantialis esse principiū motus, & quietis, idcirco enim est natura, at non potest esse principium motus, & quietis, nisi sit principium grauitatis, & leuitatis, à quibus hæc proueniunt, ergo.

Quartò. Qualitates symbolæ elementorum non differunt specie, nec possunt esse nisi in summo naturaliter in illis, vt est communis sententia, & nos supra probauimus; at grauitas terræ, & aquę secundum multos non sunt eiusdē speciei, vel si sunt, altera earum est remissa; ergo hæ ab illis non procedunt, consequentia probatur, quoniam effectus imitatur caussā.

Quintò. In mistis ex grauitate, & leuitate non arguimus temperiē primarum qualitatum; sed prædominium formæ elementaris, & in omnibus grauibus dicimus prædominari terram, quamuis non in omnibus prædominetur frigus: in lignis quoque prædominatur aer, quia leuia sunt, neque tamen sunt omnia calida, immo vt plurimum sunt frigida, & idem clarius apparet in herbis.

Sextò. Tenacius formæ adhęrēt grauitas, & leuitas, quàm primę qualitates; ergo illę ab his non pēdent. Consequentia est clara, quia si dependerent medijs primis qualitatibus, non possent magis, quàm ipsæ qualitates dependere. Antecedens probatur, quia facilè primę qualitates vel expelluntur, vel diminuuntur; at verò hæ virtutes motiuæ non nisi corrupta forma deperduntur.

Responsio ad argumenta.

SECTIO III.

Ad argumenta, quæ fiebāt prò primis qualitatibus, & primū ad Aristotelis auctoritatem iam supra respondimus. Addimus modò, calorem, & frigus dici causas grauitatis, & leuitatis, non quòd hæ sint ab illis, sed quoniam per accidens ab illis augentur, dum enim calor rarefacit, reddit leuius, dum frigus condensat, reddit grauius, non quia à raritate, vel densitate proueniat grauitas, vel leuitas: sed generali ratione, qua etiam

cęterę qualitates cōdēsatæ videntur maiores vires acquirere, rarefactæ hebetari, non verè igitur res leuiores redduntur per rarefactionem quoad actum primum, sed tantùm quoad actum secundum.

Ad secundum; quod assumitur in hoc argumento, iam ostendimus esse falsum, quia frigus & cum leuitate, & cum raritate cōiungitur, non mirum autem, si calor, & leuitas sæpe reperiuntur coniunctæ, tū quia ambæ sunt qualitates suis contrarijs nobiliores, quare non mirum, si nobiliori elemento ambæ conueniant, tum etiam quia calor cum luce cœlesti affinitatem habet; leue etiam ad cœlum tendit, quare non mirum, si in eodem subiecto vniantur; quamuis alioqui vna ab alia non dependeat.

Ad tertiū respōdeo, quoad exhalationes mihi videri certum, nō retinere formam terræ, tum ob maximam differentiam inter eas, tum etiam quia facilè in terram exhalatio rediret, quare plueret aliquando è cęlo terra loco aquæ. Quoad vapores verò probabile est, cum retineant humiditatem, quæ est aquæ propria, retinere quoque eius formam substantialem. Respondeo tamen, non ascendere per innatam sibi leuitatem, quia alioquin non tam citò descenderent, sed per vim attractiuam solis, vt etiam supradiximus.

An qualitates motiuæ symbolæ differant inter se specie.

QVÆSTIO XX.

Symbolæ qualitates sunt grauitas aquę, & terrę, & leuitas ignis, & aeris, quęrimus ergo, an qualitates symbolę differant inter se tantùm secundùm magis, & minus, vel etiam specie.

Differre specie, prior opinio fert.

SECTIO I.

Prima opinio est nonnullorū recentiorum doctrina præstantium, has qualitates differre inter se specie. Probatur primò, quoniā huiusmodi qualitates sunt simplices, ergo differunt specie. Antecedens probatur, quoniam supra probauimus, non posse elemento conuenire naturaliter aliquā qualitatem contrario admistam, quare conclusimus, primas qualitates omnes in summo conuenire elemētis; ergo eadem ratione non possūt habere qualitates motiuas, contrario admistas; quare leuitas aeris nō erit mista cum grauitate aliqua, sed erit qualitas simplex. Confirmatur, quia si daretur hæc contrariorum qualitatum admistio, vel esset æqualis, & tunc non esset ratio, cur elementum sursum potius moueretur, quàm deorsum, vel altera præualeret, & tunc elementa mouerentur à prædominante, sicuti etiam mista; denique Arist. primo cœli tex. 7. docet, corporibus simplicibus motus etiam simplices conuenire, si ergo motus sunt simplices, oportet etiam, simplicia esse eorum principia. Consequentia probatur, quia qualitas non remittitur, nisi p admistionē cōtrarij, si aūt leuitas aeris non differret specie à leuitate ignis, esset leuitas ignis remissa, ergo haberet admistionē cōtrarij, nō ergo esset simplex.

Secundò. Probatur. Corpora simpli-

simplicia specie distincta debent habere qualitates motiuas specie distinctas, quia sunt veluti proprietates ipsorum, sed elementa media differunt specie ab extremis; ergo etiam ipsorum qualitates motiuæ. Confirmatur, quia motus sunt specie distincti; ergo etiam principia. Antecedens probatur, quia loca, quæ sunt termini motus, sunt distincta, ignis enim mouetur ad concauum lunę, aer verò, vt sit infra ignem, ergo.

Tertiò. Illa, quæ sunt eiusdem speciei, intenduntur inuicem; sed leuitas ignis non intendit leuitaté aeris, ergo. Confirmatur, quia minima qualitas motiua ignis mouet ad locum, ad quem mouere nõ potest maxima aeris, ergo differunt specie, alioqui maxima virtus motiua aeris excederet minimam ignis.

Quartò. Multa aqua est in aere grauior, quàm modica terra; at verò modica terra est grauior in aqua, quàm multum aquæ, huius autem problematis non potest alia reddi ratio, nisi quòd huiusmodi grauitates differant specie.

Quintò. Virtus motiua ignis, & terræ differunt specie, ergo & virtus motiua aquæ, & aeris, ergo etiã aeris, & ignis. Prior consequentia probatur, quoniam si grauitas differt specie à leuitate, non est ratio, cur grauitas aquæ specie non differat à leuitate aeris. Confirmatur, quoniam vel aeris leuitas differt specie à leuitate ignis, vel non, si differt, ergo multò magis differet à grauitate aquæ, si non differt, ergo si neque differre dicatur à grauitate aquæ, cum hæc sit eadem specie cum grauitate terræ, neque different specie ignis leuitas, & terræ grauitas. Posterior cõsequentia probatur, quia non magis videtur in virtute motiua differre aer ab aqua, quàm ab igne, sicuti enim aer est grauior igne, ita etiam aqua est grauior aere, & sicuti aer est leuior aqua, ita etiam aere est leuior ignis, si ergo virtus motiua aeris differt à virtute motiua aquæ, non minùs differre debet à virtute motiua ignis.

Opposita sententia præfertur.

SECTIO II.

Contraria sententia, quam amplexus est Philopponus referente Auer. 1. Cœli com. 8. verior mihi videtur. Probatur primò, quoniam sensus noster nullum discrimen inter eas agnoscit, siue enim quis ferat pondus aquæ siue terrę, eodem modo grauari se sentit: Nõ est autem credibile; cum hæ sint qualitates sensibiles, si specie differrẽt, eodem prorsus modo affecturas sensum.

Secundò Qualitas inferioris ordinis nunquam potest transgredi qualitatem superioris, at grauitas aquæ aliquando excedit grauitaté terræ, ergo non sunt diuersi ordinis. probatur minor, quoniam grauior est multa aqua, quàm paululũ terræ. probatur maior, quia quando maius, & minùs proueniunt, nõ ex indiuiduo, sed ex specie, impossibile est, ordinem retrouerti, quia quod est in specie inferiori, nunquam potest excedere superius, sicuti homo nũquam potest excedere angelum.

Tertiò. Grauitas aquæ, & grauitas terræ tendunt ad eumdem

terminum scilicet ad certum, ergo sunt eiusdem speciei, consequentia patet, quia motus specificantur à terminis. Antecedens autem probatur, quia si non adsit impediēs, aqua descendit vsque ad centrum, patet enim eò magis aquam descēdere, quò profundius terra exhauritur, & similiter aer tendit vsque ad concauum lunæ. Confirmatur, quia si essent diuersę speciei, maior grauitas non posset tendere ad locum, quò tendit etiam minor grauitas, sed terra ad hoc vt ad centrum pertingat, ex aere descendit ad locum aquæ & eodem motu cōtinuo transit ad suum centrum, ergo non est diuersa virtus, qua aliquid tendit ad centrum, & qua tēdit ad sphęram aquæ. Et confirmatur etiam, quia nullum potest assignari discrimen essentialiter inter motum terræ, & aquæ, dum per aerem descendunt, ergo neque est vllum discrimen in eorum principijs.

Quartò. Grauitas aquę, & terrę mutuo se intēdunt, ergo sunt eiusdem speciei. Probatur antecedens, si vas terreum aqua repleatur, erit magis graue, quàm aqua sola, vel uas vacuum, ergo mutuo se intendunt, cōsequentia patet, quia quæ sunt diuersæ speciei, non possunt in vnicum indiuiduum conuenire.

Quintò. Nullum apparet discrimen inter grauitatem terræ, & aquæ, nisi quòd illa descendit infra hanc, & hoc non esse discrimē sufficiens ad distinguendas specie diuersas grauitates, probatur apertissimè, quoniam innumerabiles essent species grauitatis, nam alia quoque esset grauitas auri, & alia argenti, si enim simul liquefiant, superpatabit argentum, neque dici potest, hoc oriri ex densitate, quoniam per calorem æquè vtrūq; liquefit.

Dices, oriri ex varia mistione grauitatis terræ cum grauitate aquæ verùm etiamsi hoc concedamus, sufficit mihi, grauitatem terræ, siue ex mistione contrarij, siue aliunde, posse suscipere magis, & minus, ex hoc enim sequitur, vt intensio, vel remissio in qualitatibus motiuis non sit certum signum diuersitatis specificæ.

Confirmatur etiam ex Arist. qui eadem definitione vt supra vidimus, definit grauitatem terræ, & aquæ, nam illud inquit esse graue, quod tendit ad medium, ergo supponit, habere eamdem etiam essentiam.

Denique si omnis calor, siue cœlestis, siue animalis, siue igneus, siue intensus, siue remissus vnica specie concluditur, cur idem dicendum non erit de virtutibus motiuis aquę, & terræ, quæ longè minùs inter se distare videntur? Minùs inquam, & ratione subiecti, nā vtriusque est elementum, cum caloris sit animatum, & inanime, & ratione termini, cum hæ tendant ad eumdem terminum, illi autem calores, tam diuersos terminos habeant, vt vnus tendat ad corruptionem, vt calor ignis, altet ad generationem, & conseruationem, vt animalis, & ratione effectus, & intentionis, vt patet.

Prioris sententię argumenta diluuntur.

SECTIO III.

AD primum responderi posset, proprium esse primarū quali-

litatum, vt non nisi ex admistione contrarij remittantur. Nam neque color minùs albus dicitur habere admistum aliquem gradum nigredinis, neque sapor minùs dulcis habere aliquid amaritudinis, quare non mirum, si etiam in elementis detur minor grauitas, sine admistione leuitatis. Verum est tamen, in hoc videri non paruam rationē dubitandi. Nam aqua ascendit supra terram, descendit verò infra aerem, ergo videtur habere admistam leuitatem cū grauitate; neque improbabiliter posset hoc defendi, quoniam ad illud, quòd contraria non possunt oriri ab eodem principio, dici posset, has duas qualitates non esse contrarias. Nā optimè eidem simul competere potest, & aere grauiorem esse, & terra leuiorem. In qualitatibus autem actiuis est maior dubitandi ratio, quia videtur esse proprium mistorum, habere qualitates contemperatas.

Qui nihilominus voluerit defendere, has qualitates in elementis non esse mistas, dicere poterit, minùs graue respectu grauioris videri leue, quare non mirum, si ascendat, quia, hoc non est simpliciter tendere in locum superiorem, sed tantùm supra grauius. Dices, ergo etiam dicere quis poterit, ignem non esse leuem, sed ascendere supra aerem, eò quòd sit minùs grauis. Respondeo, ignem dici nullo pacto posse grauem, quia nullo modo descendit, neque terram leuem, quia supra nullum corpus ascendit; at verò aerem, & aquam, eò quòd habeant qualitates remissas, dici posse, & graues & leues. Fortassis etiam negari posset, aerē descendere, & aquam ascendere (nisi ad implendum vacuum, quod ad hanc difficultatem non spectat) Nam aqua, quamuis ponatur sub terra, numquam tamen ascendit, quòd si ascendit, est quia prius descendit, & illo impetu, quo deorsū ferebatur, etiā sursum impellitur, neque aer visus est vmquam descēdere infra ignem, quamuis ignis, quia est leuior aere, supra ipsum ascendat, & terra quia grauior est aqua, et ipsa descendat, sed aliud est, terram descendere, aliud, aquā ipsam ascendere, nam ex illo non potest colligi, nisi quòd terra sit grauior, ex hoc autem videretur etiam colligi, quòd aqua esset leuior, vel dicamus, quòd quamuis aquā ascendat, & aer descendat, tamen aquā ascendere per accidēs, descendere verò per se, aerem autem ascendere per se, descendere verò per accidens, vel descendere secundum quid, quia etiam si descendat, remanet tamen in superiori loco.

Ad secundū respondeo, leuitatem, & grauitatem non esse proprietates elementorum in 4. modo, sicuti etiam supra diximus de qualitatibus actiuis, consequēter opus non esse, vt specie distinguantur, quamuis à formis specie distinctis oriantur. Ad confirmationem negatur, motus illos esse specie distinctos.

Ad tertiū respondeo, leuitatem non esse actiuam, & idcirco nō tam clarè apparere, quomodo possit intendere aliam leuitatem, nam nec grauitas terræ videtur intendere aliam terræ grauitatem: ignis etiā non potest cum aere vniri, quare non mirum, si eorum leuitates non intendantur: at intendi grauitatē terræ, & aquę, nos supra ostendimus;

mus; quãuis neque illa sit in rigore propria intensio, sed potius compositio; sufficit tamē nobis, eo pacto intendi grauitatem terræ à grauitate aquæ, quo intendi potest ab alia grauitate ipsius terræ. Ad confirmatonē negatur antecedēs, quia tam aer, quàm ignis ascendere possunt ad concauum lunæ, sicuti etiam tam aqua, quàm terra possunt descendere ad centrum mundi.

Ad quintū respondeo, negandā esse vltimam consequentiam, ad impugnationem negatur, non minùs differre aerem ab igne, quàm ab aqua; quoniam aer non descendit infra ignem, quãuis ignis ascendat supra aerem; at verò non solū aqua descendit sub aere, sed etiam aer ascendit supra aquam.

An Elementa grauitent, vel leuitent in proprijs locis.

QVÆSTIO XXI.

Communis sententia inficiatur.

SECTIO I.

SEntentia communis est, elemēta in proprijs locis retinere quidem grauitatē, vel leuitatē in actu primo; nō tñ has virtutes habere actū secundum, quatenus significat nixum, siue motū deorsum, aut sursum; nam alium etiam actū secundum habent hæ virtutes, scilicet retinere in proprijs locis, & esse in illis principium quiescendi, quem vtique habent in elementis, proprijs in locis existentibus. Hanc igitur sententiam non solùm mathematici, sed etiam præstantiores philosophi difendunt vt referunt Doctores Connimbr. 4. Cœli cap. 6. quæst. 2. art. 2.

Probatur hæc sententia rationibus, & experimentis. primò, quia sequeretur, elementa in proprijs locis violenter existere. Nam si grauitant, vel leuitant; ergo tendunt deorsum, vel sursum, non ergo naturaliter ibi quiescunt, cum aliò naturaliter tendant.

Secundò. Ad hoc sunt virtutes motrices elementis attributæ, vt propria loca obtineant; ergo adepto fine, non est, cur amplius vires suas exerant, alioqui à fine ipso recederent.

Tertiò. Natantes sub aqua; quãuis maximam aquæ molem super caput gestent, nullum tamen pondus sentiunt, ergo signum est, non grauitare aquam in propria sphæra.

Quartò. Terra nōn potest in centro grauitare, neque ignis in concauo lunæ leuitare; ergo elementa in propria sphęra neq; grauitant, neque leuitant. Antecedens probatur, quia natura nihil efficit frustra: at terra frustra grauitaret in centro, cum nō possit amplius descendere, & ignis etiam frustra leuitaret in concauo lunæ, cum non possit amplius ascendere. Idem autem dicendum esse de aqua, & aere, probatur; quia sicuti se habent ignis, & terra ad propria loca; ita etiam aer, & aqua; si ergo illa non grauitant, neque leuitant, idem de istis videtur dicendum.

Quintò. Vel omnes partes elementi in suo loco grauitarent, & leuitarent, vel aliquæ tantùm, non aliquæ tantùm, quia cum sint omnes eiusdem rationis, non est maior ratio de vna, quàm de altera; ne

neque omnes, quia tenderent extra proprium locum.

Eadem in dubium reuocatur.

SECTIO II.

HÆc tamen sententia non leuibus vrgetur dificultatibus. Primò enim, si aqua nō grauitaret in propria sphęra, sequeretur, hominē ferre posse maximā aquę quātitatē absq; vllo labore, probatur cōsequentia, quia locus proprius aquæ est supra terram, & super mista, in quibus prædominatur terra, quales sunt homines, quare etiam descendunt in aqua, cum igitur aqua super hominem existens sit in proprio loco, grauitare non deberet. Vrgeri etiam potest argumentum, quia vase terreo fertur aliquando aqua, negari autem nō potest, quòd esse super terram sit locus aquæ proprius.

Secundò, quoniam saltem ligna, in quibus prædominatur aer, non deberent grauia videri hominibus, dum ab ipsis ferūtur, cuius tamen contrarium cernimus.

Tertiò. Accedit Aristotelis, authoritas 4. de Cœlo tex. 29. 30. & 39. vbi docet, elementa media in suis locis grauitare, & affert experimentum tum tex. 30. tum etiam sect. 25. problemat. 13. de vtris aere plenis, quos inquit esse grauiores, quàm vacuos.

Quartò. Ex eodem libro t. 29. lignum centum librarum celerius in aere descendit, quàm plumbum vnius libræ & tū in aqua plumbū vnius libræ descendit, non autem lignum, cuius rei non alia videtur esse posse causa, nisi quia aer inclusus in poris ligni in sua regione grauitans lignum deorsum trahit, non itē in aqua, vti idem aer non grauitat, plumbum autem ob suā densitatem aerem non admittens, non solùm in aere; sed etiam in aqua descendit.

Quintò. Subtracto inferiori elemento, superius elementum descēdit, siue aer sit, siue aqua, ergo in proprijs locis grauitant; alioqui enim non descenderent.

Sextò. Vasa vacua, & naues mercibus onustæ, & vestes, idque genus alia, tamdiu aquæ supernatāt, quamdiu aqua non replentur, statim autem, ac aqua replentur, merguntur; ergo signum est, aquam in propria sphæra grauitare, alioqui corpora nō deorsum traheret.

Quæstionis resolutio.

SECTIO III.

PRo solutione notandum, locū naturalem elementorum non esse determinatum ratione spatij, siue distantiæ à cœlo, aut à centro terræ, sed ratione corporum propinquorum, locus enim aquæ est supra terram, & infrà aerem, siue terræ, siue cœlo hic sit propinquus, locus aeris est supra aquam, & terram, & infra ignē, quotiescunq; igitur erit supra aquam, vel terram, & infra ignem, siue cœlum, erit in loco naturali.

Notandū 2. aliquod elementū grauitare, posse intelligi dupliciter, primò respectu corporis inferioris, secundò ratione partiū inter se. Dico primò. Elemēta in propria sphęra respectu alterius corporis inferioris grauitant. Probatur experimētis supra allatis pro 2. sententia. Nam; vt in primo notabili diximus, aqua dum est supra terram, est in proprio loco, & tamen

men videmus eã grauitare. Præterea aqua supra terram existens eã penetrat, & peruadit, quod non contingeret, si non grauitaret. Neque sufficit dicere, quòd eam penetret, eò quòd ibi adsit aer, vel ne detur vacuum, quia non tantùm peruadit terram porosam, sed etiã eam, quæ non habet poros, dummodo non sit admodum densa, & dura.

Dico 2. partes elementi inter se non grauitant, neque leuitant. Probatur primò, quoniam non est maior ratio de vna parte, quàm de altera, & se habent omnes tamquam vnũ quid. Secũdò quoniã se cõprimerent, & nimis condensarentur. Denique id probatur argumentis pro prima opinione; & quamuis hac vnica responsione dici possent soluta omnia argumenta, quòd scilicet argumenta pro priori sententia probant nostrum 2. dictum, argumẽta verò pro posteriori primũ, sigillatim tamen ad vberiorem doctrinam, & vt meliùs nostra sententia intelligatur, quatenus contra tres militare possunt eadem, diluemus.

Argumentorum vtriusque partis explicatio.

SECTIO IV.

AD primum respondeo, negandam esse consequentiam, quia quamuis aqua, verbi gratia, grauitet in sua sphæra, non tamen est ibi violenter, quia graui nõ est violentum, esse supra aliquid grauius, quamuis ergo tendat deorsum, non tamen tendit, vt descendat sub grauiori se. Dices, descendit infra terram, ergo sub grauiori se. Respondeo, terram, sub qua descendit, non esse propriè super aquam, sed ab alia parte terræ sustineri, qua ratione etiã potest esse supra aerem.

Ad secundum respondeo, virtutes motiuas datas esse elementis, nõ vt aliquem locum determinatum obtineant, sed vt debitum ordinẽ inter se conseruent, quare aqua sẽper grauitat, vt descendat, quantũ potest, & semper descẽdet, quousque corpus grauius se inueniat, vt autem hunc debitum ordinem seruent, non est opus, vt non sit grauis, sed vt non sit grauior, quàm terra.

Ad tertium respondeo, natantẽ non sentire super se pondus, quia partes aquæ inter se non grauitãt, quare & natans cum sit in medio partium, nullum sentit pondus, eo pacto, quo quis degens in aliqua terræ cauerna, quamuis montem super se habeat, pondus tamen non sentit, quia partes montis vndique in semetipsis sustinentur.

Ad quartum respondeo, terram non grauitare in centro, quia non habet aliud corpus infra se, supra quod grauitet, neque ignem leuitare in concauo lunæ, quia non habet aliud elementum supra se, sicuti etiam ignis nõ combutit, quãdo non habet combustibile propinquum.

Ad quintum respondeo, grauitare partes omnes elementi, neque hinc sequitur, tendere extra proprium locum ob rationem in respõsione ad primum allatam.

Ad 1. & 2. pro 2. sententia; patet, hęc argumenta confirmare tantùm nostrum primum dictum.

Ad Aristotelem auctores contrarias

trariæ sententię nullam afferunt responsionem, nullaque vénia pe tita, vel excusatione verborũ pręmissa, à præceptore discedunt.

Nos autem non incõmodè eius dicta explicare possums, quòd scilicet voluerit tantùm, elementa grauitare in propria sphæra respectu corporis inferioris, vt supra exposuimus.

Ad quartum respondeo, lignũ centum librarum esse grauius in aere, quàm plumbum vnius libræ, quoniam illud lignum plus habet substantiæ terreę, & aqueę quam plumbum, quia tamen quoque plurimum aeris, hinc efficitur, vt in aqua lignum non descendat, vbi aer leuitat, & aqua vel nihil, vel paululum grauitat, in aere verò, vbi & aqua grauitat, & aer non leuitat, fit grauius, quàm plumbum.

Ad quintum respondent alij, aquam, & aerem descendere, vt impediant vacuum, verùm non sufficit hæc responsio. Nam si ad hoc tantùm descenderent, vi mouerentur, vt patet, quando aqua ascendit, vt vacuum impleat, tunc enim violenter pertrahitur, quare nõ sine labore corpus propinquũ eleuatur propter aquam, quæ violenter simul sursum trahitur; at verò deorsum sine vlla difficultate, vel violentia trahitur; ergo signũ est, maiorem habere propensionẽ ad descendendum, quàm ad ascendendum. Confirmatur, quia si aqua sit in aliquo loco sublimi, vel etiam in plano, statim descendit, vbi terra est humilior, non quidẽ, vt impleat vacuum, quia nullum ibi adest, neque vt aerem depellat, quia eadem ratione supra mõtem ascenderet; ergo verè descendit, quia est grauis, nec habet à quo sustineatur, quãuis sit in proprio loco, cum sit supra terram, idque videmus esse verum & in fluminibus, & in mari.

Ad sextum respondent nonnulli, vasa vacua, & alia huiusmodi, aquæ supereminere, dum sunt vacua, quia ab aere, quo implentur, sustinentur, verũ non sufficit hæc responsio, quia aer non est ita inclusus in illis, vt si vas demergatur, aer etiam debeat esse infra aquam, hac enim ratione rectè diceretur, aerem impedire demersionem; sicuti impedit in vtribus aere plenis; at verò aer est supra ipsũ vas, & vase descendente aer ipse remanet supra; nullo modo igitur poterit aer impedire eius descensum, præcipuè si vas sit patulum. Adde, quòd vasa lignea non ratione aeris, sed ratione sui, aquæ innatant, & tamen si aqua impleantur, descendunt; ergo cum huius descensus debeat assignari aliqua ratio positiua, & hæc non sit in ipso ligno, ab aqua necessariò est desumenda, & iuxta nostram sententiam optimè desumitur, quia scilicet aqua, licet sit in proprio elemento; attamen, (præcipuè si ab alijs partibus eiusdem elementi non sustineatur) grauitat respectu alterius corporis inferioris. Non mirum igitur, si in vase, & alijs huiusmodi, & grauitet, & ea demergat.

A quonam moueantur immediatè proiecta.

QVÆSTIO XXII.

CVm virtutibus motiuis elemẽtorum non paruam affinitatẽ videtur habere virtus illa motiua, qua, siue elementa, siue mista violenter extra proprium locum mouentur, quæ omnia nomine proiectorum complectimur, & merità cum tractatione motus naturalis elementorum, eorumdẽ motum violentum coniungimus, quia contrariorum eadem est disciplina. Arist. autem 8. physicorũ t. 82. hanc quæstionem mouet, sumpta occasione ab illa propositione *omne quod mouetur, ab alio mouetur*, de qua nos supra egimus. Quęrimus autem de causa immediata, siue principali, siue instrumentali, quia causam remotam, & mediatam esse ipsum proijcientem, nulli est dubium.

Prima sententia explicatur, & reijcitur.

SECTIO I.

PRima sententia in hac quęstione est, aerem esse proximam, & immediatam causam motus proiectorum, quando scilicet per aerẽ proijciuntur, aquam verò, cũ per eamdem. Est hæc sententia multorum Peripateticorũ pręcipuè veterum, simpli. Auerrois & Burlęi in t. 82. & 76. 8. physicorum Themistij in sua paraphrasi cap. 9. D. Thomę 3. de Cœlo sect. 7. & videtur etiam Aristotelis expressa sententia cap. vltimo lib. 8. phys. & Platonis in Timæo, sed diuersimode, nã Plato, vt ei tribuit Alexander, existimauit, fieri per antiperistasim, idest reuersiuam actionem, ita vt lapis primò impellat aerem, & ipsum præteruolet, aer deinde, ne detur vacuum, à tergo insequens lapidem, ipsum propellat, qui iterum pellat alium aerẽ, & ab eodem postea propellatur; & ita continuatur motus. Aristoteles autem opinatur, aerem à proijciente moueri, ab eo verò alium aerem subsequentem propelli, & ita successiuè deferri lapidem.

Probatur autem primò hæc sententia, quoniam si motus proiectorum non esset à medio, posset etiã fieri in vacuo, quod est contra Aristotelem 4. physicorum t. 68.

Secundò. Quædam proiecta patet moueri ab aere, vt dum per fistulam arundineam proijciuntur pillulæ, ergo idem dicendũ est de omnibus.

Tertiò. Videmus, quando lapis proijcitur in aquã, circulos quosdam fieri, per quos posset aliquid impelli. Item videmus fluctũ maris aliũ fluctũ pattere vsq; ad littus, quos fluctus vim habere ad aliquid propellendũ, patet, quia maximè naues his fluctib. mouentur. Itẽ nauis mouetur, remigantibus nullam vim in ipsam nauem imprimentibus, sed tantùm cientibus vndas, & tamen mouetur velocissimè, cum sit maximi ponderis, ergo idem dicendum est contingere in aere, quamuis propter eius raritatem sensibus non percipiatur; non igitur opus erit aliqua virtute impressa, sed ab aere moueri proiecta poterunt.

Hanc tamen causam, vel nullam esse, vel saltem insufficientem docent

cent ferè omnes recentiores, Scaliger exercit. 28. Valles. controu. vltima ad tyrones, Alb. de Sauonia 8. physicorum q. vltima, Dominicus Sotus 8. physic. q. 3. ad 2. Toletus 8. physic. ad c. 83. Doct. Conimbr. septimo physic. q. prima, Artic. 8. Suarez disp. 35. in Metaph. sect. 4. num. 34. Ruuius 8. physic. tract. de motu violento q. 2. & alij, qui nequaquam à veteribus discessissent, nisi rationibus, & experimentis coacti fuissent, & re vera, ni ego plurimum fallor, à veritate multum aberrant, qui eã tuentur, vt pluribus ostendi potest.

Præcipuè autem aduersantur huic sententiæ experimenta, quibus per eam satisfieri non potest. Primum autem fit. Longè magis mouetur aer follibus, aut etiam vẽto mediocri, quàm manu proijciẽtis; ergo si ab aere esset motus proiectorum, faciliùs lapides magni mouerentur follibus, quàm manibus, quod est ridiculum.

Secundũ. Quando aliquis globus mouetur circulariter per impulsum, non potest ille motus effici ab aere, tum quia in spatio, in quo mouetur globus, nullus adest aer, tum etiã quia alioqui sequeretur, vt si quis flabello aerem in contrariam partem cieret, in contrariam quoque partẽ globum ipsum moueri, quod est manifestè falsum. Confirmatur etiam, quia non possent duo trochi sibi propinqui velocissimè, vt sæpe fit, in partes diuersas moueri, quia idem aer non posset esse causa contrariorũ motuum, & moto aere à vento vel, flabello sisterentur, quod tamen est falsum.

Tertiũ. Flante vento non posset quis proijcere lapidem in contrariam partem, vel lapis proiectus statim caderet, quoniam vehemẽtius mouetur aer à vento, quàm à manu proijcientis.

Quartũ. Non potest quis in distans proijcere festucam, ob eius leuitatẽ, qua redditur incapax ad recipiendum impulsum; at si mouenda esset ab aere, nihil obstaret, quò minùs posset in longinquum proijci, quia ab aere festuca citius fertur, & facilius, quàm lapis. Confirmatur, quia aer est leuior festuca, si ergo hæc non potest recipere magnum impulsum, multò minùs poterit ille.

Quintũ. Tormenta bellica maximo impetu globos æneos explodunt, qui aliquando per tabulas, vel telas transeunt, tam paruo relicto foramine, vt nihil aeris simul cum globo pertransire potuerit, neque tamen eius vis, aut impetus diminuitur, quis ergo credat, tantillum aeris, quod globum illum insequitur (si tamen insequitur) tanta vi globum posse impellere?

Sextũ. Si quis manu aerem lapidi propinquum moueat, nunquã poterit ipsum lapidem mouere, si autem lapidem ipsum tangat, facillimè quocunque voluerit, impellet, ergo signum est euidens, non sufficere ipsum aerem, sed à manu aliquid aliud in lapide produci.

Septimũ. Vel mouet lapidẽ proiectum aer, qui mediat inter manum proijcientis, & lapidem, vel qui circunstat, non prior, quia manus immediatè lapidem contingit, non posterior, quia vel moueret aer, quia recepisset impulsum à manu, vel quia motus à lapide ip-

 sum

sum lapidē insequeretur, aut quiescens implere locum ab ipso relictum, ne daretur vacuum, lapidē vlterius moueret, sed hæc omnia improbabilia sunt, primum quidem, quia sæpe manus proijcientis lapidem tantùm tangit, vt quādo proijcitur aliquid per compressionem digitorum, vel motu manus aliquid impellitur, secundum, verò, aut tertium, quia etiam nos quando mouemus brachium, experiremur hunc aeris impulsum, quem tamen non experimur.

Ad primū igitur argumentum pro aere respondeo, ex defectu medij nō reddi impossibilem motum in vacuo, quia sicuti posset quis mouere brachium, etiam si nullū adesset medium, ita etiam posset proijcere lapidem; an verò ex alio capite repugnet, motum in vacuo fieri, non est huius loci, ego crederem; non repugnare violētum, sed tantùm naturalem.

Ad secundū respondeo, per fistulam arundineam impelli illas pillulas ab aere incluso, quia medio illo recipiunt virtutem impressam, non quòd aer ille semper illas comitetur, quod hoc eodem exemplo ostenditur, cur enim sine fistula non possumus sufflatione eosdem globulos proijceret, nisi quia aer, nisi sit inclusus, diffluit in varias partes, neque est sufficiens medium ad motum?

Ad tertium respondeo, experimentum illud de circulis in aqua nihil aduersarios iuuare, quia illi circuli non fiunt versus partem, in quam proijcitur lapis, sed circum, quare non possunt esse causa, vt lapis versus eam partem moueatur. Ad secundum experimentum de fluctibus respondeo, posse quidē fluctus mouere aliquod lignum, quod supernatat, non tamen lapidem, qui statim descenderet, ergo multò minùs aeris motus, qui est imbecillior, potuit mouere lapidem proiectum.

Ad tertium de remigantibus respondeo, impelli ab eis triremes, non quia aquā moueant, sed quia ea tamquam fulcimento, cui innitantur, vtuntur, quare in fluuijs, si remis terram propellant, idem facilius consequūtur, aer autē, quia facillimè cedit, hoc munere fungi nequit.

Alia recentiorum opiniones refelluntur.

SECTIO II.

Secunda opinio tribuitur Scaligero exerc. 28. s. causam motus proiectorum, neque esse aerē, neque aliquam virtutem impressam, sed immediatè à proijciente effici motum in proiecto; ita tamē vt secunda pars motus efficiatur media prima, & tertia media secūda, & ita deinceps: explicatur exēplo illuminationis, sicuti enim sol illuminans aerem producit immediatè ipsum lumen; ita tamen vt medio lumine propinquo producatur lumen remotius, sic inquit immediatè produci à proijciente motum violentum, sed eius secundam partem media prima. Probatur hæc sententia, quia negari non potest, à proijciente produci immediatè motum, cum tangit ipsū proiectum; Habet enim virtutem in se mouendi, vt quid ergo aliquid aliud requiritur? Idem patet in motu tractionis, dum enim quis trahit aliquid post se, nullam virtutem

tem illi imprimit, vnde etiam statim ac actu non amplius trahit, desinit motus, ergo sicuti incipit mobile moueri absque virtute impressa, ita etiam poterit continuari motus, qui tamen quatenus est causa sequentis motus, dici poterit virtus impressa. Confirmatur primò, quia dum aliquid trahimus, nullā imprimentes in eo, quod trahitur, virtutem, per motum primæ partis efficitur motus etiā in alijs partibus, ergo motus pōtest gignere motum. Confir. secundò, quia in motu vertiginis, qui fit à motore absque vlla virtute impressa, etiā remoto motore mouetur adhuc mobile, verbi gratia globus, vel rota; ergo motus sequens producitur à motu præcedente.

Hæc sententia est longè probabilior præcedente, nō tamē adhuc implet animū meum. Primò enim mouens, & motū debēt esse simul, vel virtute, vel supposito, quando autē mobile est distans, non sunt simul supposito, ergo debent esse virtute, datur igitur in mobili aliqua virtus motoris. Nec sufficit dicere, ipsum met motum esse virtutē, quia tunc nugatoriè diceretur, virtutem motoris esse cum mobili, non minùs, quā si diceremus, in re, quæ mouetur, debere esse motū. Nā si motus ipse est virtus motoris, idem erit dicere, adest virtus in mobili, atque adest ipse motus, nullum autem tunc dubiū esse posset de ipsius veritate, immo esset nugatoria, puerilis, & riducula.

Dicet quis, vera esse hæc omnia, si motus idem, qui fit, diceretur esse virtus respectu sui ipsius; at dicere, unam partem motus esse virtutem motoris respectu alterius partis, nullum esse absurdum, quia iam distinguimus virtutē à motu, qui ab ea procedit. Non tamen satisfaciet primò, quia quando fit motus præsens, iam transactus est motus præcedens, ergo re uera motus & mouens non sunt simul. Dices, sufficere, esse simul, non per coexistentiam, sed per immediatā successionem; quod licet omnino improbabiliter non dicatur, nō tamen videtur esse ad mentem philosophorum, quia re uera non simul sunt, quæ simul non coexistūt, nec dici potest esse præsens, quod non est, & tutior videtur ea sententia, quæ non redigit nos in has angustias, Aristoteles certè, vt defenderet, mouens, & motum esse simul etiam in proiectis, recurrit ad aerem mouentem, vt vidimus, non ergo existimauit, motum ipsum sufficere. Præterea si motus potest esse virtus ad producendum alium motum; ergo etiam erit virtus respectu sui ipsius, redit ergò difficultas prior, probatur consequentia, quia medium, quo fit aliquid, non indiget alio medio, vt ipsum fiat, sed fit se ipso, ita enim actio dicitur fieri per se ipsam, ergo etiā motus si est medium, quo fit alius motus, poterit etiam per se fieri.

Neque verò eadem est ratio de illuminatione, quia in hac illuminans verè est præsens, & actu influit in partem remotam per proximam, neque in proxima est tantùm illuminatio, sed etiam lumē; at verò proijciens neque actu influit, neque est præsens, neque in vna parte adest aliud, quàm motus per aduersarios.

Præterea motus nullam habet realem entitatem præter terminū, à quo ratione tantùm differt, dice-

re ergo, vnum motum esse causam alterius motus, est dicere, terminum illius esse causam termini huius, at terminus motus localis est vbi, vel locus, quæ non possunt vllo pacto esse causa alterius loci, vel vbi; ergo nullo pacto motus potest gignere alium motum. Confirmatur exemplo aliorum motuum, quis enim dicat, calefactionem præteritam esse causam calefactionis præsentis, aut accretionem alterius accretionis? nemo sanè, sed dicent, calorem, & virtutē accretiuam; ergo idem dicendum de motu locali. Dices, motus localis potest esse causa alterationis, nā dicitur motus gignere calorem, ergo poterit etiā gignere alium motum. Respondeo, motum localem esse causam alterationis per accidens, excitando scilicet virtutem ipsius mobilis; at verò hic esset causa per se, & immediata alterius motus.

Tertiò. Experimur, eò velocius lapidem, & longius moueri, quò maiori conatu ipsum proijcimus, at ille conatus quid aliud est, quā impressio quædam virtutis? ad gignendum enim motū propinquū, non requiritur ille conatus. Confirmatur, si quis ferat lapidem velocissimè currens, ac deinde absq; eo quòd aliquam virtutem lapidi imprimat, cesset lapidem ferre, nō amplius hic mouebitur; quæro ergo, cur ille motus præcedens non produxerit alium motum? an quia non fuerit velox, vel intensus? verùm supponimus, esse velocissimū, & intensissimum. an quia ferens lapidem hanc productionem impediat? dici hoc posset, si manu ipsum comprehēsum teneret, sed ponamus, ferri lapidem manu extensa, vel alio instrumento, ita vt non impediatur lapis; quamuis .n. hoc modo aliquando cōtingat, lapidem vlterius aliquo pacto moueri, & cadere, hoc tamen euenit, quia impellitur lapis, licet non aduertamus, sed ablato omni impulsu, re vera lapis non amplius neq; vlterius mouebitur, quàm feratur à manu; cū tamen ex aduersariorū sententia oporteret eum longè valde, & celeriter moueri; patet igitur, ad motum proiectorum præter ipsum motum requiri virtutē, & impulsum ab ipso motu distinctum.

Præterea eadē ratione dici posset, animam absque vlla virtute mouere brachium, sed immediatè ipsum motum producere, & similiter in motu naturali superfluam esse grauitatem, & leuitatem: quæ omnia, licet minùs improbabiliter dicerentur, non tamen asserūtur à philosophis. Esse autem hæc minùs improbabilia, probatur, quoniam licet tolleremus virtutem motiuam, & grauitatem, tamen relinqueremus animam, & formam substantialem, quæ possent esse principium motus; at verò in lapide proiecto, si negamus virtutem impressam, nihil remanet, cui sit tribuendus ille motus.

Ad hæc, non possunt hi autores reddere rationem, cur motus violentus sit velocior in medio, quàm in principio, sed coguntur recurrere ad aerem, quod quàm improbabiliter fiat, infra videbimus.

Ad argumentum in contrarium respondetur, quòd dum mouens coniungitur mobili, & ipsum mouet, vel mouet tantùm ferendo, & nullam virtutem imprimit, vel impellendo, & negamus, non imprimere

mere virtutem. Nam hoc & sensus percipit quodammodo, & ex eo colligitur, quòd separato mouente, non cessat in mobili omnis motus; si verò trahendo, vel hoc efficitur magna violētia, & imprimitur etiam aliqua virtus, vel suauiter pertrahendo, & non imprimitur alia virtus, quia trahitur, vt quod coniunctum, & cū trahens sit præsens supposito, non est opus alia virtute. Qua responsione satisfit ēt primæ confirmationi. Ad secundā confirmationem dicimus, in motu vertiginis vel imprimi virtutem à mouente, vel ab ipsa grauitate rotæ, aut globi, vt infra explicabimus.

Tertia sententia est quorumdā recentiorum, qui nolunt, proiecta moueri ab aere, sed neque ab aliqua virtute impressa, sed ab impulsu proijcientis, verùm facile reijcitur; vel enim volunt, hunc impulsum virtute remanere simul cum proiecto, & in impressam virtutē necessariò impingunt; vel nolunt remanere, & tunc mouens, & motum non erunt simul neque virtute, quod in philosophia est perabsurdum.

Quarta sententia est aliorum recentiorem, qui etiam negant virtutem impressam, & dicunt, proiecta moueri à propria grauitate, sed determinata per proijcientis virtutem; Verùm neque hi scopum attingunt; vel enim hæc grauitas determinaretur per aliquid inhærens lapidi, & hoc aliud esse nequiret, quàm virtus impressa, quo tandem nomine appelletur. Vel supponitur determinata sine aliqua virtute inhærente, & hoc intelligi non potest, cum natura sua sit in oppositum propensa, vel si etiam datur, nunquam cessabit motus, quia semper ita determinata manebit, cum non per aliquid superadditum, quod possit auferri, sed per propriam entitatem, quæ separari non potest, sit ita determinata.

Ab impressa sibi virtute moueri proiecta.

SECTIO III.

POstrema, & vera sententia est à proijciente per impulsum imprimi quamdam virtutem ipsis proiectis, qua feruntur, & hanc recentiores communiter amplectuntur. Probatur hæc sententia, quia mouens, & motum debent esse simul, vel supposito, vel virtute, sed proijciens non est simul supposito cum proiectis, ergo erit simul virtute, hæc autem est, quam nos appellamus virtutem impressam.

Secundò. Experientia ei suffragatur. Nam dum proijcimus lapidem, adhibemus quemdam conatum, per quem quodammodo sentimus imprimi virtutē, & impulsū in proiectū. Confirmatur, quia adest virtus motiua in brachio nostro, qua ipsum quaquauersum mouere possumus, quid mirum igitur, si ab hac virtute brachij prodire possit alia virtus motiua similis, qua mouetur lapis? Nam ceteræ omnes ferè qualitates alias qualitates sibi similes producunt: calor calorem, albedo speciem albedinis intentionalem, habitus producit actus, lux aliam lucem, sonus ipse, & odor non sunt omnino steriles; cur ergo & hæc virtus motiua brachij non poterit virtutē motiuā sibi similē producere? At dicet

aduer-

aduersarij, producit motũ, à quo deinde alius motus producitur. Verùm si motui concedunt, vt aliũ motum sibi similem producere possit, cur virtuti motiuæ negabũt productionẽ sibi similis virtutis, cum ipse motus quicquid habet efficaciæ, ab ipsa virtute receperit?

Præterea magnes trahit ferrũ, nec alia ratione id fieri excogitare possumus, quàm aliquam virtutẽ illi imprimendo, quia nec aer, nec motus hic locum habere possunt, quid mirum igitur, viuens producere in præsenti virtutem motiuã, cum insensatus lapis in remoto eã gignat?

Quartò. In hanc sententiam, velint, nolint, incidunt autores etiã aliarum sententiarũ. Nam quod ad aerem spectat, vel mouet hic lapidem, dũ & ipse mouetur à proijciente, vel postquam desijt moueri, primum dici non potest, sequeretur, enim, quòd cessante motu brachij, lapis non amplius moueretur. si secundum dicatur, ergo necessariò concedenda erit virtus impressa, quia aer non habet à se, quòd moueat lapidem, ergo ab alio recepit, non recepit autem à supposito coniunctò, quia proijciens abest, ergo recepit media aliqua virtute sibi impressa. Secunda quoque sententia, quę motum vult gigni ab alio motu, in eamdem recidit. Nam motui, vt motus est, hoc tribui non potest, quia omnis motus gigneret alium motum, quod patet esse falsum, cũ motus sit institutus à natura propter terminũ, non propter aliũ motũ, ergo vt in proiectis gignat aliũ motũ, habet virtutem à proijciente. De tertia, & quarta hoc idẽ supra ostẽdimus.

Quæres, an saltem aer aliquo pacto adiuuet? Communior sententia est, adiuuare, quod afferunt recentiores, tum vt Aristotelem defendant, cui opinio illa de aere tribuitur; tum etiam, vt causam afferant, cur motus naturalis sit velocior in fine, violentus verò in medio. Ego tamen, si quod sentio, liberè profitendum est, credo, nullatenus aerem motũ proiectorũ adiuuare. Moueor primò, quoniã proiecta longe velocius mouẽtur, quã moueri possit aer à proijciente impulsus, ergo cũ lapis post se statim relinquat aerẽ cõmotũ, ab illo nullo pacto adjuuari potest. Secundò quia si proiecta mouerentur aliquo pacto ab aere, etiam nos, dum manũ celeriter mouemus, sentiremus, ab aere adiuuari motum, & manũ impelli, quod tamen est falsum. Tertiò, aer nullo pacto potest sustinere lapidem, quomodo ergo poterit impellere? Quartò, si aer adiuuaret retro impellendo, nõ minùs etiam impediret ante obsistendo, non ergo potius dici debet, quod adiuuet, quã quòd impediat. Confirmatur. quia Aristot. in 4. phys. successionem motus tribuit resistentiæ medij, ergo mediũ magis secundũ eum resistit, quã adiuuet. quintò si mediũ adiuuaret, magis ad hoc potens esset aqua, quã aer, cũ sit densior, & motum tenacius retineat; at videmus, difficilius proiecta moueri per aquã quã per aerem; ergo verè mediũ nõ adiuuat. Non negauerim tamen, aerẽ commotũ extensa manu, adiuuare motũ plumæ, sed hic tres conditiones concurrunt, leuitas plumæ, tarditas motus ipsius, & aer valde cõmotus, nam si aerẽ quis non moueat, vt cum per cõpressionem digitorũ

gitorũ nucleum cerasis explodit, neutiquam aer ipse mouebit. Cum igitur hæ tres conditiones ferè nũquã in proiectis reperiantur, ferè etiam numquã motui proiectorũ aer suffragatur: Arist. ergo vel ex duabus opinionibus de modo, quo aer concurrit ad huiuscemodi motum relatis, alteram prętulit, non tamquam verã; sed vt minùs improbabilem, vel vt homo, lapsus & ipse est.

Explicatur natura huius virtutis, & à calumnijs vindicatur.

SECTIO IV.

Argumenta, quæ contra hanc virtutem impressã fiunt, eius naturam explicandi, necessitatem nobis imponunt, huius enim explicatione illa omnia euanescent. Non prætermittã tamen, quòd & si perfectè à nobis explicari nequiquiret, non tamen propterea negari deberet: quot enim sunt in rerũ natura, quorum quidditatẽ ignoramus, & de eorũ tamen existentia non ambigimus? Quis enim explicare poterit, queãdmodũ virtute seminis tot organa in animali tãque perfectè cõformentur? quis, quomodo fiat in nobis intellectio? quis, quomodo anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte? quis eiusdẽ substantiã immaterialẽ intelligere? alia multa omitto vt de magnete ferrũ trahente, & similibus, quæ licet explicari nequeant, non ramẽ propterea tãquam falsa reijciuntur: eodem igitur pacto licet perfectè explanare naturã, & generationẽ huius virtutis nõ possemus, non continuò deberet inferri, eam ablegandã esse; conabimur tamen ostendere, non plus difficultatis in ea reperiri, quã in cœteris rebus naturalibus.

Primò ergo quærit Pererius lib. 14. cap. 5. (qui præter cęteros acerrimè in eã inuehitur, atque vt sibi videtur, plane euertit) quid sit hęc virtus motiua, & sibi respondens inquit, aiunt esse qualitatẽ motiuam, & infert, ergo cum mouet sursum, erit leuitas, cũ deorsum, grauitas, at cũ mouet lapidẽ dextrorsũ, sinistrorsũ, antrorsũ, retrorsum, cũ mouet rotã, vel trochum vertit in orbẽ, qualis erit? Pergit deinde impugnare tũ priorẽ partem de leuitate, tum posteriorem de grauitate, sed verè nimis esset leuis, q crederet, hanc virtutẽ sursum mouentem esse leuitatem, numquid enim quando ego moueo brachiũ sursum, moueo per leuitatẽ? quis hoc vnquã somniauit? Dicendum est igitur, quòd sicuti virtus motiua animæ non est leuitas, neque grauitas, sed qualitas quædã superioris ordinis; & idcirco potest mouere in quãlibet loci differentiam, prout determinata fuerit ab animali; ita etiam hæc virtus impressa non est grauitas, neque leuitas, sed virtus quædã alterius ordinis, quæ potest subiectum deferre in quamlibet partẽ, quia tamen non potest determinare seipsam, determinatur à proijciẽte, vel ab aliquo alio extrinseco, vt cum pila proijcitur in parietẽ determinatᶜ virtus, qua ferebatur pila, in contrariam partem. Hinc etiam fit, vt in actu primo non sit contraria grauitati, sed possit simul cũ ea esse in aliquo subiecto; sit tamen sæpe cõtraria in actu secundo, quia hæc moueat deorsum, illa verò sursum, sicuti etiã virtus, qua magnes trahit fer-

rum; non est contraria grauitati ferri in actu primo, sed solùm in actu secundo.

Secundò. Quęrit Pererius, à quo producatur hęc virtus. Respondet autem à proijciente; sed qui fieri potest, inquit, vt eadem numero manus, nunc producat leuitatem, nunc grauitatem? sed iam ostendimus, quęnam sit hæc virtus, & ex motu brachij sursum, vel deorsū potuisset & ipse facillimè discere, non omnem virtutem sursum mouentem esse leuitatē; nec omnem deorsum impellētē esse grauitatē.

Tertiò. Quęrit, per quē motum producatur hæc virtus, & respondet, produci per motū localem, quia alius non occurrit, & subdit, hoc esse cōtra Arist. qui docet tex. 59. 8. phys. per motū localē nihil produci. Verùm non magis rectè respondet, quā argumētetur. Non enim formaliter producitur hæc virtus per motū localem, sed per alterationē; quælibet enim acquisitio qualitatis in subiecto est alteratio, cum ergo hæc virtus sit qualitas, vtique per alterationē acquiritur à subiecto. Requiritur tamen motus localis ex parte principij tāquam conditio quædā. Sicuti enim vinū, quod est calidum virtuale, non calefacit, nisi fiat calidū formale; ita non possumus nos per virtutem motiuā aliquid mouere, nisi & ipsi moueamur.

Quartò. Quærit, an educatur ex potentia materia hæc virtus, si .n. educitur, inquit, oportet præcedere præuiam alterationem, quod hic non contingit. Resp. quòd sicut verissimum est, educi, ita falsissimū est, requiri ad eductionem præuiam alterationem, alioqui lumen non educeretur ex materia; immo neque calor, qui non requirit præuiam alterationem, alioqui abiremus in infinitū, vel tandem deueniendū esset ad creationē, si vera sunt, quæ ipse dicit, scilicet illud creari, quod non educitur, & nihil educi nisi præuia alteratione, nam quæram, hæc præuia alteratio, vel est eductio, vel non; si nō est, ergo est creatio, si est, ergo requirit aliā præuiam alterationem, & sic in infinitum.

Quintò. Quærit vbi recipiatur ista virtus impressa, & omissis eius impugnationibus, quæ omnes falsas responsiones supponunt, respōdeo, recipi in toto lapide; nā si lapis dum mouetur, compingatur, quælibet eius pars mouebitur.

Sextò. Quæritur, an hæc virtus producatur in instanti, vel in tempore. Respondeo, produci in instanti, sed augeri in tempore; sicuti lumen producitur in instanti, sed crescit vsque ad perfectū diem in tempore. Prior pars probatur, quia non habet contrarium formaliter, quod debeat ad eius introductionem expelli, ergo poterit produci in instanti. Pręterea. Ad productionem istius virtutis sufficit contractus cum quodā conatu, qui superet grauitatem lapidis, sed non apparet ratio, cur iste cōtractus fieri non possit in instanti, ergo. Probatur posterior pars, quia post primū impulsum, si quis per aliquod tempus continuum idem corpus impellat, longè velocius illud mouebit, ergo multiplicabitur, & augebitur virtus, qua corpus illud feratur.

Septimò. Quæritur, quomodo minuatur, & desinat, cum & careat contrario, & non influxu causæ conseruationis. Respondeo, & ex acci-

accidentibus quædam esse, quæ ita indigent causa conseruante, vt hac ablata statim deficiant, vt lumen; quædam verò, ita non indigere, vt nisi adsit contrarium corrumpens, conseruari possint sine influxu alterius causæ, vt primæ qualitates. Quædam tandem sunt medio modo se habentia, quę per absentiam causæ conseruantis non statim deficiunt, sed paulatim desinunt, etiamsi non adsit contrarium corrumpens, huiusmodi sũt odor, sonus, & hæc virtus impressa, quare quamuis non habeat contrarium formale, natura sua tamẽ tendit ad corruptionem, sed paulatim. Notandum tamen, quòd licet non habeat contrarium formale, habet tamen contrarium resistens, & quodammodo virtuale, nempe grauitatem, cum ipsa determinatur ad motum sursum, quod non debet alicui mirum videri. Nam lux quoque non habet contrarium formale, & tamen à densitate, vel opacitate impeditur. Denique omnia, quæ diximus de hac virtute impressa, exemplo virtutis motiuæ, qua brachium ipsum ab anima mouetur, confirmari possunt, vt facilè consideranti patet, & maxima etiam ex parte exẽplo virtutis, qua magnes trahit ferrum. Quare contra Pererium optimo iure concludere possumus: laudetur, & suscipiatur ab omnibus hæc virtus, quæ nihil non solidũ, non firmũ habet, nihil rationi, & experientiæ, nihil denique Peripateticę doctrinæ non consentaneum, valeant verò eius argumenta, quę omnia inania, fictitia, & nulla sunt, & aeri hoc tantùm concedatur, vt ea, veluti nullius ponderis, & roboris deferre, immo deijcere, & quò numquam appareant, impellere possit.

Cur motus naturalis velocior sit in fine, violentus verò in medio.

QVÆSTIO XXIII.

VErum esse, quod ab omnibus philosophis dicitur, motum naturalem esse velociorem in fine, præter Aristotelis autoritatem 5. phys. t. 61. & 8. phys. t. 76. & 1. de Cœlo t. 89. vbi hoc idem supponit, probatur manifestis experimentis, quorum duo ex Stratione Lampsaceno apud Simplicium in t. 61. 5. phy. refert Perer. lib. 14. cap. 3. alterum est aquæ ex tegulis defluentis, quæ initio quidem cõtinua defluit, sed in progressu motus in varias guttas diuiditur, eò q vna pars velocius, quàm altera moueatur: alterum est lapidis è sublimi loco cadentis, quem grauiorem ictum facere, quã si è propinquo caderet, si quis ambigeret, malo suo id experiri mereretur.

Plures aliorum rationes reijciuntur.

SECTIO I.

HVius igitur rei causas varias excogitarunt philosophi, nec frustra dixi excogitarunt, nam cõfinxerunt eas potius, quã ex vera, & reali ipsius natura deprompserunt; ex ijs nonnullas retulit Pererius, & reiecit, nos iam ab alijs impugnatas breuissimè percurremus. Prima igitur fuit sententia Hypparchi, velociorem esse motum lapidis deorsum, eò quòd remittatur

contraria virtus, qua sursum proiectus fuerat, sed conuincitur falsitatis, quia idem euenit in lapide, qui in altum delatus sit, vel ibi genitus, in quo proinde nulla potest esse virtus impediēs motū deorsū.

Secunda sententia causam refert in medium, cuius prope finem sit minor quantitas superanda, sed facilè reijcitur, quia lapis cadens ex loco humili, q̄uis paruū mediū superandum ei sit, non tamen mouetur tam velociter, quàm si ex alto decidisset.

Tertia est Alexandri, lapidē in principio tardius descendere, eò quòd sit affectus contrarijs qualitatibus in loco sublimi receptis, sed non minori negocio refellitur, quia idem contingit in lapide, qui parum, & in eo, qui diu in alto loco fuit, cum tamen is, qui diu fuit, contrarijs qualitatibus magis affici debuisset.

Quarta sententia est Themist. in t. 86. 8. phys. & Sancti Thomæ p. de Cœlo t. 88. in fine lect. 17. virtutem motiuam ex propinquitate loci naturalis roborari, & idcirco motum efficere velociorem, sed hanc quoque commentitiam esse, probatur primò, quia cōstat, eamdem esse grauitatem lapidis in loco sublimi, & prope terram, ergo virtus motiua tendens deorsum non redditur maior è centri propinquitate. Secūdò quia si lapis cadat è sublimiori loco, longè velocius mouebitur prope terram, quā in eadem distantia moueatur lapis, qui è loco inferiori decideret, quo etiam argumento refutatur opinio Durandi in 2. d. 14. q. 1. qui huius rei causam refert in aerem prope terram impuriorem.

Est igitur 6. & valde communis opinio propter aerem tum praecedentem, tum sequentem, lapidem velocius moueri in fine, quàm in principio, ille enim, qui aerem insequitur, vt locum à lapide relictū impleat, ipsum impellit, & eius motum velociorem reddit, qui verò antecedit, minùs semper resistit, immo adiuuat ipsius motum; quod, vt explicent, notant primò, mobile facilius moueri per mediū quiescens, quàm per medium, quod moueatur contrario motu, vt patet in naui, quæ difficillimè mouetur aduerso flumine, longè verò facilius moueri mobile, dum medium mouetur simul in eamdem partem, vt patet in naui, quæ mouetur secundo flumine: notant secundò, dum lapis propellit primā partem aeris, hanc etiam propellere secundam, & secundam propellere tertiam. Hinc fit; vt cum lapis cœperit descendere, & aer est quiescens, resistentiam in eo reperiat, non tam citò moueatur, quoniam verò dum incipit moueri, impellit simul primam partem aeris, & hæc secundam, efficitur, vt cum deuenerit ad secundam partem, inueniat eam iam motam versus eumdem locum, & consequenter facilius propellat, & velocius moueatur, & semper quò vlterius tendit, semper aerem magis cōmotum reperiat. Sed hæc quoque sententia plus habet subtilitatis, quàm veritatis, & multis experimentis, & rationibus funditus euertitur. Primum autem experimētum, & ineuitabile est de aqua cadente è tecto, cuius prima gutta diuiditur à cœteris, secundū autē hanc sententiam nullo modo posset hoc contingere. Nam secunda gutta reperit aerem magis cōmotum,

tum, quàm prima, & longè etiam minorem resistentiam, quia reperit aerem diuisum, cur igitur tardius mouetur, quàm præcedens? nulla certè potest fingi ratio ab aere desumpta, vel ab ipsa fictione, & hoc experimentum alijs similibus cōfirmari potest, vt si quis duos lapides, vnum post alterum proijciat; quamuis enim secundus reperiat aerem commotum, non tamen idcirco velocius mouebitur; & clarius si post lapidē, qui ab altissimo loco cadat, cum prope terram descenderit, dimittat quis alium lapidem; quamuis enim hic reperiet aerem valde commotum, non idcirco tamen celerius mouebitur; & idem argumentum vrgeri poterit exemplo lapidis per filum demissi, sed prope terram paululū sustentati, cui deinde si præcidatur filum, quamuis aer sit commotus, non propterea citius descendet.

Secundū. Videmus, lapidē velociter in terram descendentem resilire; at vnde, quæro, habet illū motum sursum? A grauitate? at hæc deorsum tendit. An ab ipsa terra? sed hæc non minùs est grauis. An ab aere? at aer mouetur in contrariam partem, oportet ergo reperire aliam causam.

Tertiū. Lapis in fine non solùm duplo, sed etiam decuplo maiorē celeritatem habet, quàm in principio, qui ergo fieri potest, vt eam recipiat ab aere leuissimo, & minimæ virtutis? oporteret certè decuplo maiorem virtutē in aere esse, quàm in lapide, quòd quā sit improbabile, ipsi aduersarij iudicent.

Quartū. Flāte Borea, si lapis decidat, totum cōmentum de aeris commotione euanescit, ridiculum enim esset dicere, magis à paruo lapide aerem commoueri, quàm à præualido vento; vel tunc motum lapidis non fore velociorem in fine.

Quintū. Nos ipsi currentes experimur medio cursu velociùs nos currere, quàm in principio, neque tamen vllum aeris impulsum sentimus, vel vllam differentiā quoad aeris resistentiā in principio motus, & in medio percipimus; vanū est ergo, maiorem velocitatem in motu aeri tribuere.

Sextū. Aer cum sit natura fluidus, & facillimè separabilis, & leuis, dum à lapide descendente impellitur, diuiditur potius, quàm deorsum detrudatur, præcipuè si hasta, vel sagitta, cuius conus sit peracutus, descendat; non igitur in his locum habet hęc ratio ab aere desumpta, & tamen nō minùs quā reliqua grauia, videmus, eas velociores esse in fine. Confirmatur, quia etsi deorsum trudatur aer, nō potest tamen recta ferri, vel tam velociter, quàm lapis descendit, quod necesse esset, vt aduersariorum ratio efficax esset.

Septimū. Si aer est causa, vt lapis (qui alioqui ita placidè descenderet, & suauiter, vt caput alicuius percutiens, vulnus non infligeret) tanto impetu descendat, vt caput, quod percutit, frangat, ergo aer ipse, antequam lapis caput contingat, ipsum percutiet, & deijciet. Nam ventus præualidus homines ipsos, & plantas concutit; cum tamen lapidem ferre non possit, neq; eius maiorem velocitatem in fine motus impedire; ergo aer ille, qui huius velocitatis est causa, debet esse commotior, & validior; magis igitur cōcutiet caput subiecti hominis, quàm ille ventus, quod falsissimū

sissimum esse, experientia constat, & posset clarius perspici, si quis funiculo lapidem appendens, cadere sineret proximè ad caput alicuius; procul dubio enim nec ille læderetur, nec motum vllum aeris super se sentiret.

Octauũ. Posita securi super lignum, & si omnes venti congregẽtur, vt ipsam premant, vel impellant, numquam poterunt esse causa, vt lignum scindat, & tamen, & si paululum eleuata, decidat, vel super eam lapis ex alto cadat, lignum secabit, quomodo igitur hic effectus erit aeri tribuendus?

Iudicet ergo lector, quàm verè Pererius post hanc causam ab aere deductam pronuntiarit: *Contra hanc ne probabile quidem argumentum fingi potest, nihilque ponit, quod non sit congruens rationi, & experiẽtia, & quod non ex ipsa natura rerũ depromptum esse videatur.*

Vera sententia explicatur.

SECTIO II.

PRo veræ sententiæ explicatione notandum est primò, virtutẽ motiuam duos habere posse effectus, alter est motus ipse, alter verò est alia potentia, siue virtus motiua. Nam virtus motiua brachij & mouet ipsum brachium, & etiam generat aliam virtutem motiuam in proiecto. Sicuti etiam calor & calefacit proprium subiectum, & producit etiam alium calorem, lux & aliam lucem producit, & etiam reddit subiectum visibile: & sonus non solùm auditum excitat; sed etiam alium sonum producere potest, siue hic sit realis, siue intentionalis. Hoc igitur, quod de effectu duplici virtutis motiuæ dicimus, non solùm verum est in virtute motiua animalis; sed etiam in grauitate, & leuitate, & in ipsa virtute impressa. Nam virtus illa, qua lapis descendens, reflectitur & resilit, terram percutiens, quęnam alia potest esse, quàm virtus quædam à grauitate producta? non enim potest esse grauitas ipsa, quia hæc tendit deorsum, neq; est virtus illi impressa ab aliquo extrinseco, quod nullum adest; est ergo virtus quædam ab ipsa grauitate simul cum motu producta. Item lapis descendens impellere, & mouere potest lignum, vel aliud corpus quiescens, non autem alia ratione, quàm illi imprimendo virtutem quamdam motiuam, ergo grauitas ipsa potest hanc virtutem producere.

Notandum secundò, hanc virtutem productam esse eius naturę, vt diu conseruari non possit, neque tamen statim deficiat, vt supra de virtute impressa diximus.

Notandum tertiò, augeri hanc virtutẽ per gradus homogeneos, quod etiam supra ostendimus. *lib. 1. q.*

Notandum quartò, hanc virtutem à grauitate productam, non esse grauitatem, sed similem omnino virtuti impressæ proiectis, quare mouet subiectum, prout determinatur siue à producente, siue à quolibet alio extrinseco. His notatis non solùm, cur motus naturalis sit velocior in fine, intelligitur, sed etiã, cur motus violentus velocior sit in medio, & alia plurima problemata apertissimè dissoluentur.

A motu ergo naturali exordientes dicimus, esse velociorem in

fine,

fine, quoniam in principio motus mouetur deorsum à grauitate tantum, sed postea à grauitate, & à virtute motiua genita ab ipsa grauitate, quæ simul cũ motu ab ipsa grauitate producitur, & quoniam quò magis lapis descendit, semper etiam magis multiplicatur hæc virtus; idcirco etiam lapis semper velocius mouetur, & hinc fit, vt quoniam hæc virtus ex se est indeterminata, à grauitate ipsa determinetur ad motum deorsum, si verò corpus obsistens reperiat, facilè resiliet, & eò maiori impetu, quò ex altiori loco descendit; quia tunc determinatur ab illo corpore. Et hinc etiam deducitur, cur si foramen esset in terra, transiens per cẽtrũ, & per ipsum demitteretur lapis, non quiesceret in centro, sed vlterius moueretur ascendens, & iterum descenderet ad centrum, quia videlicet virtus hæc motiua, à grauitate producta tendit deorsum, non tanquam ad centrum, sed tanquam ad partem, ad quã determinatur à grauitate, quæ determinatio non tolleretur per ipsum centrum.

Deducitur hinc etiam ratio, cur motus violentus sit velocior in medio, quia videlicet virtus impressa statim incipit non solũ mouere lapidem proiectum, sed etiam producere aliam virtutem impressam sibi similem, & vsque ad medietatem motus multiplicat hanc virtutem; deinde verò simul cum principali virtute incipit etiã diminui, & deficere virtus secundò producta, & multiplicata, & consequenter fit segnior motus, & deficit tandem.

Hinc etiam apparet ratio, cur in medio cursu velociores simus; mouemur enim à nostra virtute motiua, quæ, dum currimus, imprimit in membris aliam virtutem motiuam, quæ dici potest actualis, & hæc multiplicatur, sicuti diximus in proiectis, efficitq; motum velociorem, sed quia deinde vires potentiæ motiuæ principalis deficiũt paulatim, deficit etiam hæc alia virtus, & ita remittitur cursus, & ex eadem causa efficitur, vt currentes magno impetu non possint repente se ipsos sistere, quamuis .n. cohibeant virtutem motiuã principalem, & habitualẽ, ne in actũ exeat, non possunt tamen cohibere illam aliam virtutẽ secundã, & actualem, & ita vlterius, quàm vellent, feruntur. Immo si contingeret, ipsos in medio cursu emori, crederem adhuc motum fore continuandum; sicuti etiamsi in parietẽ impingant, velint, nolint, resilient.

Ex eodem fonte ratio hauritur illius quæstionis mechanicæ, quã num. 19. proponit Aristoteles. Cur scilicet si quis super lignum magnã imponat securim, & desuper illi adijciat magnum pondus, ligni quippiam, quod curandum fit, nõ diuidit; si verò securim extollens percutiat, illud scindit. Ratio, in quam est, quia dum securim ex alto mouemus, nouam semper illi virtutem adiungimus, & replicamus; & idcirco maximam quandã vim ad scindendum distribuimus: quam rationem ipse ibidẽ innuit, nullam enim mentionem de aere faciens, inquit: *An quia omnia cum motu fiunt, & graue ipsum grauitatis magis assumit motum, dum mouetur, quàm dum quiescit.* Per hanc enim grauitatem acquisitam non potest intelligere pondus, sed hæc

ipsam

ipsam virtutem motiuam, de qua nos loquimur, quam idcirco grauitatem appellat, quia & ipsa grauitat, & adiuuat motũ deorsum, quo nomine eamdem etiã appellauit in 1. de Cœlo tex. 88. quam eãdem sententiam sequi videntur Doct. Conimbr. 2. de Cœlo cap. 6. quæst. 1.

Non videntur tamen eam perfectè penetrasse, quia eadem quoq; vsi essent ad dissoluendum problema, cur motus violentus sit velocior in medio, nõ verò ad aerẽ recurrissent 7. phys. cap. 2. q. 1. ar. 8.

Si quis autem quęrat, cur calor, qui etiam potest producere calorem, non se ipsum in subiecto intendat, sicuti dicimus hanc virtutẽ se ipsam intendere. Respondebo, hoc oriri, ex eo quòd intensio caloris requirit gradus eterogeneos, non verò intẽsio huius virtutis, vt in propria quæstione de intensione fusius ostendimus.

Similis huic nostræ rationi videri potest ea, quam excogitauit Antonius Ruuius in 8. phys. cap. 6. quæst. 6. inquit enim, impulsum primum imprimi in partibus superficialibus intensiorem, quàm in partibus profundioribus, motu deinde succedente, impulsum, qui est intensior in vna parte, intendere remissiorẽ in alijs partibus, quare totum lapidem plus virtutis impressæ acquirere, & ita velocius moueri. Sed hoc ipsius dictum neque verũ videtur, neque sufficiẽs. Non verum, quia cum primo statim iactu moueatur totum proiectum æquè velociter, non videtur dicendum, maiorẽ impulsum impressum fuisse in vna parte, quàm in alia, sicuti enim non potest imprimi in vna parte impulsus, quin etiam imprimatur in omnibus; ita neque aliquis gradus in vna, qui non sit in reliquis. Confirmatur experientia, quia si quis proijciat plures lapides simul, non minùs mouebitur medius, quàm extremi. Item dum quis aquam ex aliquo vase proijcit, vel totam in eũdem locum eijcit, vel si qua pars propinquior remanet, est ex his, quæ proijcienti fuerunt magis propinquæ, ergo non maiorem impulsũ in propinquas imprimit, quàm in remotis. Neque verò hæc ratio si vera esset, sufficeret primò, quia hic impulsus in partibus remotioribus intenderetur, statim ac proiectum extra manũ esset proijcientis. Nam si lapis proiectus, alium lapidem quiescentem contingat, videmus, statim suam virtutem illi imprimere; ergo tota accessio velocitatis in motu esset vel in principio, vel paululum post principiũ; non ita autem accidit, sed maior velocitas motus est in medio, ergo nõ vera causa est allata. Pręterea, vt eodẽ exemplo lapidis scilicet proiecti, alium lapidem impellentis, ostẽditur, si prima pars imprimet impulsum in alias, ipsius ẽt impulsus pari ratione remitteretur, ex eo quòd esset ei superanda resistentia ipsarum partium; parũ igitur, aut nihil velocitatis acquireret motus. At, inquit Ruuius, agentia magis agunt in sibi propinqua subiecta, vt patet in illuminatione, ergo idẽ accidet in proijciente. Respõdeo, antecedens verũ esse, quando receptio effectus in prima parte non pẽdet à reliquis partibus, tunc enim maior potest virtus in illa recipi, non verò quando dependet: dependere autẽ primam partẽ à reliquis in receptione huius virtutis, patet,

pater, quia si omnes partes alicuius lapidis simul excedant vires meas, ego in nullam earum hanc virtutem imprimere potero, & tamen possem in quamlibet, si à reliquis separata esset.

An inter oppositos motus detur necessariò quies.

QVÆSTIO XXIV.

EGimus & de motu naturali elementorum, & de violento, qui inter se opponuntur; non erit igitur abs re considerare, an inter eos, si quando sibi succedant, & omnino an inter quoslibet oppositos motus detur necessariò quies. Per oppositos autem motus eos intelligimus, qui & terminos habent oppositos, & fiunt etiam per eamdem lineam. Nam si terminus à quo vnius motus sit A, & terminus ad quem sit B, & alterius terminus à quo sit B, & ad quem A, ille autem sit rectus, hic verò circularis, non erunt oppositi motus, sed si ambo sint recti, vel ambo circulares, & per eamdem lineam fiant. Solet autem hæc quæstio alijs etiam verbis proponi, scilicet *an in puncto reflexionis mobile quiescat*, vel *an inter motum directum & reflexum necessaria intercedat quies*. Pluribus autem modis contingere potest, duos motus oppositos sibi succedere.

Primus est inter duos motus naturales, quales dicunt esse dilatationem, & restrictionem cordis. Verùm hi motus dici non debent simpliciter naturales, quamuis enim sint naturales respectu animæ; ratione tamen corporis sunt violenti, cum corpus sit graue, & grauitati repugnet omnis alius motus præter descensum.

Secundus modus reflexionis est inter duos motus, quorũ prior sit violentus, posterior verò naturalis, vt cũ pila sursum proijcitur, & deinde per propriam grauitatem descendit.

Tertius. Quando vterque motus est violentus, vt cum pila in parietem proijcitur, & ab eodem resilit, qui tamen immeritò ab aliquibus appellantur nec naturales, nec violenti.

Quartus modus affertur inter motus, quorum prior dicitur naturalis, posterior violentus: ut cum graue descendit naturaliter, & in pauimentum decidens resilit. sed neque hic prior motus est merè naturalis; alioqui enim non resiliret, sed mistus ex violento, & naturali; est enim naturalis ob grauitatem; violentus verò quodammodo ob impulsum, siue virtutem illi à grauitate impressam, vt supra explicauimus, licet enim ad centrum tendat, maiori tamen velocitate, quam sibi congenita vis poscat ad ipsum fertur, sicuti etiã ex parte violenter mouetur lapis; dum in terram proijcitur.

Dari necessariò quietem in puncto cuiuslibet reflexionis, quæ nã argumẽta suadeãt.

SECTIO I.

PRobatur hæc sententia primò in genere, argumentis Aristotelis in 8. phys. vbi ex professo hãc partem tuetur: Motus contrarij non possunt esse continui: at si

nulla intercederet quies inter motus oppositos, essent hi inter se continui, ergo &c.

Secundò. Non potest idem in eodem instanti accedere, & recedere ab eodem puncto; ergo in puncto reflexionis datur quies. Probatur consequentia quoniam punctus reflexionis est finis prioris motus, & principium posterioris, prior autem motus est accessus, posterior verò recessus; ergo si in eo puncto mobile non quiescat, tunc in eodem instanti erunt finis accessus. & principium recessus cõsequenter in eodem instãti, in quo mobile definit accedere ad punctum A, incipiet etiam ab eodem recedere, quod est accedere simul, & recedere.

Tertiò. Omnem motum præcedit quies in termino à quo; alioqui enim non inciperet motus ab eo termino, sed iam antea incœpisset: sed punctus reflexionis est terminus à quo motus reflexi, ergo oportuit, mobile antea in ipso quieuisse.

Quartò. Quod in primo modo reflexioni detur quies probatur, quoniam valde laboriosum esset, cor per totum vitæ tempus absque vlla quiete moueri, verùm hæc ratio nullẽ quidẽ vim habere apud hos auctores deberet, cum censeãt, hos motus esse naturales, & nullus labor possit esse in motu naturali, absolutè autem paruam etiã vim habet, ob magnum excessum virtutis mouentis supra resistentiam mobilis, qua ratione etiam nõ defatigamur, dum linguam loquendo mouemus.

Quintò. Dari quietem in secundo modo, probatur, quoniam virtus impressa, qua lapis sursum mouetur, paulatim debelitatur, deueniet ergo ad gradum, in quo erit ęqualis grauitati, & tunc necessariò quiescet, quia neque sursum mouebitur, neque deorsum. Confirmatur, quia aer resistit lapidi tendenti deorsum, ergo etiamsi grauitas lapidis superet ipsius virtutem impressam, non adhuc deorsum impeller, donec superet etiã aeris resistentiam, ad quod requiritur necessariò tempus.

Sextò. Dari quietem in tertio modo, probatur à Ruuio quæst. vnica in cap. 9. 8. phys. quoniam pila tangit parietem in parte diuisibili, ergo si recederet ab eo in instanti, daretur necessariò vacuum. Probatur consequentia, quia aer non posset occupare totum illud spatium, quod à pila relinqueretur in instanti, quia motus localis fieri nequit in instãti, per aliquod ergo tempus daretur vacuũ, quousque scilicet aer in omnem partẽ se extenderet.

Septimò. Idem probatur. Quia pila attramento infecta, inficit etiã parietem, sed infectio fieri nequit in instanti, quia est alteratio, ergo.

Octauò. Idem dicendum de quarto modo probatur. Graue tendit deorsum, vt quiescat; si ergo absque vlla quiete sursum resiliret, priuaretur & frustraretur natura suo fine, quod est impossibile.

Contraria sententia approbatur.

SECTIO II.

NOn esse veram in vniuersum Arist. regulam, rationes, & expe-

experiméta tam clarè demonstrāt, vt nullum dubitandi locum relinquant. Primum autem est experimentum de magno lapide, qui descendens occurrat pilæ ascendenti; cum enim ille numquam quiescat, neque pilæ in puncto reflexionis quiescendi spatium concedet.

Præterea non dari quietem necessariò inter motus expositos primo modo, probatur: quia in oppositas partes potest quis velocissimè mouere manum, ita vt nulla in reflexione intercedat quies, vt ei, qui periculum fecerit, patebit. Cor verò etiamsi non semper, saltem frequenter, vel in magnis febribus, vel in alijs euentibus probabilissimū est, nullo pacto quiescere. Confirmatur, quia mouetur naturaliter cor, non liberè; At quod naturaliter mouetur, dummodo non sit impeditum, semper mouetur, cum ergo in corde nullum adsit impedimentum, semper mouebitur ab anima, quæ naturaliter ipsum mouet. Confirmatur, quia si quiescit in puncto reflexionis per aliquod spatium temporis, quæro, cur post medietatem illius temporis motum non fit? non propter aliquod impedimentum, quia non apparet quodnam hoc sit, neque ob reflexionem, quia ad hanc sufficit aliquo tempore quiescere, longiori verò, vel breuiori nil refert, neque potest se determinare, ergo cum non possit assignari vllum tempus determinatum, argumento est, nullo pacto oportere quiescere.

Idem autem dicendum quoque de secundo modo, probatur primò, quia virtus impressa numquā potest æqualis esse grauitati, sed aut superat, aut totaliter desijt; sed cum superat, mouet lapidem sursum, cum iam desijt, mouetur lapis deorsum, ergo. Probatur maior experimentis. Nam si quis impellat lapidem, numquam dicetur illi imprimere virtutem, nisi superet ipsius grauitatem, neque occurras, imprimi quidem, sed non percipi; quia si vel parua virtus imprimeretur, nullus esset tam magnus lapis, qui etiam ab homine imbecillimo moueri non posset, dummodo in ipso impellendo diutius persisteret. Ponamus enim, lapidē esse grauem, vt septem, hominem verò vires habere vt duo; accedat autem hic homo ad mouendum lapidem, in primo vtique accessu imprimet illi virtutem; vt duo, cū autem iterat impulsum, imprimet alios duos gradus, ergo si absque intermissione decies impellat lapidem, imprimet illi maiorem virtutem; quàm sit eius grauitas, ipsūque mouebit, quod est falsum. Præterea sequeretur, lapidem ab alto demissum longè velocius moueri, quàm descendat lapis proiectus. Nam quod ab alto demittitur, nullam habet impressam virtutem sibi resistentem; at proiectū deorsum tendens, habet etiam residuum virtutis, quæ impediet grauitatem, consequens tamen experiméto constat falsum esse. Ad hęc sequeretur, si quis proiectum, immediatè postquam desijt ascendere, ferret, minus illi visum iri graue ob impressam virtutem, quæ grauitati adhuc resisteret: Adde, quòd efficeretur, proiectum etiā post aliquantulum à projcientis virtute moueri. Ponamus enim, proiecto in medio motu aliquid occurrere, quod ipsum sistat, tunc

per aduersarios non desinet tota virtus; ergo etiamsi paulò post illud impedimentum auferatur, ab illa virtute iterū moueretur, quod non minùs, ac superius dicta, est contra experientiam. Confirmatur etiam hoc dictum, quia sensus nullam deprehendit quietem in puncto reflexionis, quamuis enim quando proiectum est valde remotum, ob magnam distātiam videatur quiescere; si tamen è propinquo aspicias, nullam verè quietem notare poteris. Potest etiam pro hac conclusione argumentum superius adductum afferri, quòd nō daretur agens, à quo posset determinari illud quietis tempus.

Quoad tertium modum idem asserendum quoque esse de mobili secundum se totum, facilè probatur; si enim proiectum quiesceret i pariete, nō esset deinde, à quo moueretur. Non enim à pariete, quia non habet hanc vim, vt patet; neque à virtute proijcientis, quia hæc etiam eo tempore, quo corpus quiescere dicebatur, ipsum mouisset; quo argumento quoque probatur, non quiescere pilam dū quarto modo reflectitur.

Responsio ad argumenta.

SECTIO III.

Aristotelis auctoritas, quæ pro contraria sententia affertur, difficillimè eludi potest, cum non solùm id afferat, quod ipse intendit, sed etiam argumentis id se demonstrasse crediderit; ne tamen, qui contrarium sentiunt, videantur ipsum deserere, dicunt, non intendisse eum probare, hoc esse verum in vniuersum, sed tātùm maiori ex parte, & probabilibus tantùm argumentis vsum esse. Verū, & nos iam ostendimus, maiori ex parte id falsum esse, & Aristoteli non videbatur deseruire hæc regula, nisi vniuersaliter veram ostendisset, quia intendebat probare, nullum motum esse posse perpetuum, præter circularem; vtque ostenderet, motum rectum necessariò admittere quietem, quia necessariò oportet mobile reflecti; vsus est illa regula, *quòd inter motus oppositos necessariò datur quies;* in hunc igitur errorem crediderim disputationis impetu lapsum esse Aristotelem, à quo tamen, si velimus eum vindicare, non alia melior occurrit via, quàm asserere, ipsum locutum fuisse de motibus omnino naturalibus. Nam reuera ipsius instituto hoc satis erat, quia motum violentum iam constat esse non posse perpetuum, sicuti nec ille, qui ex naturali, & violento conflatur, ergo relinquebantur tantū motus naturales, inter quos, si ambo sint naturales, necessariò dandam esse quietē, facilè patet, quia ab eodem principio non possunt motus oppositi prouenire, ad hoc igitur, vt aliquid motibus oppositis naturaliter moueatur, oportet, eius motus principium mutari, quod in instanti fieri, est impossibile.

Quòd autem posset obijci de motu animalis, quod potest esse principium oppositorum motuum, iā solutum est, ostendimus enim, illos motus non esse dicendos simpliciter naturales, quare constat etiam, non posse esse perpetuos.

Ad 1. ergo Aristotelis argumentū negamus, illos duos motus oppositos fore continuos, sed tantū dicimus fore contiguos, sicuti licet

inter

inter duo corpora nullum detur spatium, non sequitur, illa duo corpora esse continua; sed tantùm contigua.

Ad 2. respondeo, vel punctum reflexionis assignari in ipso motu, vel in spatio, si assignetur in motu, nego, idem punctum esse principium, & finē diuersorum motuum erit enim vel principium, vel finis illius motus tantùm, in quo est, si in spatio; concedimus respondere principio, & fini diuersorum motuum, sed nullū est inconueniēs, quia respondet illis, quatenus indiuisibilia sunt à parte extrinseca secundum nos, vel simpliciter secundum opinionem communem. Declarari hoc potest exemplo ligni, quod partim sit in aere, & partim in aqua; finis enim aquæ, & aeris principium vni lineę indiuisibili ipsius ligni respondent. Cōfirmatur etiam responsio, quoniā idem argumentum fieri potest cōtra punctum continuans duas partes motus, qui est principiū vnius, & finis alterius, quam instantiam videns Aristoteles conatus est eam diluere; dicens in medio esse puncta potestate, non autē actu, quod tamen difficultatem non euacuat, quia designari poterunt.

Ad 3. respondeo maiorem intelligi posse de quiete priuatiua, & de positiua, est autem quies priuatiua sola priuatio motus, positiua verò includit etiam consistentiam in eodem loco, quæ necessariò requirit tempus. Si ergo maior intelligatur de quiete priuatiua, vera est, sed nihil concludit contra nos, est enim sermo in hac quæstione de quiete positiua. Si de hac verò intelligatur, est falsa maior. Nam si generetur lapis in sublimi, statim incipiet deorsùm moueri absque vlla priori quiete in termino à quo.

Ad 4 sufficienter ibi responsum est.

Ad 5. patet ex dictis; ostendimus enim, non posse dari hanc æqualitatem inter impressam virtutem, & grauitatem. Adde autem, commentitium esse id, quod additur de aere, non enim vllam vim habet ad resistendum grauitati lapidis, vt supra probatum est.

Ad 6. respondeo si hoc argumētum quicquam concluderet, probaret etiam, nec post quietem recedere posse pilam à pariete; non enim celerius potest subintrare aer, si pila in pariete quieuerit, quā si non quieuerit. Non igitur hoc argumentum probat, quiescere pilam, sed vel non moueri totam simul, vel non omnino in directum, vt aer successiuè ingredi possit in locum ab ea relictum. Non recedit ergo pila à pariete tota simul, quia aliqua pars eius comprimitur, cumque pila resilit, redit illa pars ad locum suum; atque ita per partes redeuntes ad suum statum recedit pila à pariete, & nō tota simul, vel non resilit omnino directè, & ita etiam non secundum se totam simul relinquit parietem. Adde, aerem quoque esse in poris pilæ, qui rarefactus impedire poterit vacuum.

Ad 7. respondeo, parietem infici non per alterationem, sed per adhæsionem alicuius substantiæ; & quamuis per alterationem inficeretur, non oporteret tamen, pilam ei adhærentem quiescere, quia etiam alteratio fieri potest in instanti, vt patet in illuminatione.

Ad 8. respondeo, Motum illum grauis deorsum, quamuis à principio sit naturalis, effici tamen deinde magna ex parte violentum ob impulsum, quē ex motu acquisiuit, vt explicauimus, quatenus autem est naturalis, acquirit quidem suum finem, sed non potest eo potiri, quia impeditur ab ea impressa virtute, qua violenter mouetur; hæc tamen paulò post deficit, & ita tandem non frustratur possessione finis. Quo Deo fauente neque nos in huius operis molitione frustrati sumus. Ipsi ergo sit honor, & gloria. Omnia autem Sanctæ Romanę Ecclesię correctioni subiecta sunto.

FINIS.

TYPO-



TYPOGRAPHVS LECTORI.



D calcē huius libri peruenerã, cum in meas manus ſequens corollariū peruenit, neſcio quo modo, loco ſuo auulſum; quo nè priuatus eſſes malui hic tibi eū tradere, quàm nullibi.

Corollarium quæſtionis 23. libri primi de modis incipiendi, & deſinendi rerum.

TAmquam abſurdum ex aduerſariorum ſententia indiuiſibilia admittentium deduximus ſupra argumento ſcilicet 8. & ſect. 3. res ſucceſſiuas incipere per vltimū ſui non eſſe, & per primum ſui nō eſſe deſinere. Verùm contrarium potius abſurdum eſſe, multis videbitur, cum omnes philoſophi poſt Ariſtotelem in illa ſint ſentētia; neceſſarium ergo duximus, diffuſius id ipſum oſtēdere, & ſimul hanc totam difficultatem de modis incipiendi, & deſinendi rerum diligenter examinare, cum ex ipſa plurimę quæſtiones, non in philoſophia tantùm, ſed etiam in theologia dependeant.

Cōmunis ſententia explicatur.

VT varios modos incipiendi, & deſinendi rerum iuxta ipſorum ſententiam explicarent philoſophi, quatuor vocabula excogitarunt. *Primum ſui eſſe. Vltimū ſui eſſe; Vltimum ſui non eſſe, Primū ſui non eſſe*. Priora duo ſunt affirmatiua, & conueniunt rebus, quæ incipiunt, & deſinunt intrinſecè per aliquid ſui. Nam *primum ſui eſſe* eſt inſtans durationis rei intrinſecum, in quo res in cœpit eſſe, cū immediatè ante non eſſet. *Vltimum ſui eſſe*, eſt inſtans intrinſecum durationi rei, in quo res eſt, ſed immediatè poſt non erit. Duo poſteriora ſunt negatiua, & tribuūtur rebus, quę incipiunt, & deſinunt extrinſecè. Quare *Vltimum non eſſe*, eſt inſtans extrinſecum durationi rei, in quo res non eſt, ſed immediatè poſt erit, & vocatur *vltimum non eſſe*, quia illud inſtans eſt vltimum totius illius tēporis, in quo res non fuit; Denique *primum ſui non eſſe* eſt inſtans extrinſecum durationi rei, in quo res non eſt; ſed immediatè ante erat.

Supponunt præterea, non poſſe alicuius rei aſſignari ſimul terminum intrinſecum, & extrinſecum, id eſt non poſſe in inceptione habere primum ſui eſſe, & vltimum ſui non eſſe, & in deſitione vltimū ſui eſſe, & primum ſui non eſſe. Mouentur, quoniam ex[illegible] duo inſtantia eſſe non p[illegible]

[illegible]diata,

mediata, at si alicuius rei daretur Primum sui esse, & vltimum sui nõ esse, illud esset immediatè post hoc, vtrumque autem est instans, quare duo instantia essent immediata, & idem argumentum fieri potest de vltimo sui esse, & primo sui non esse. Hinc

Dicunt primò. Res successiuas, vt tempus, & motum, incipere per vltimum sui non esse, desinere per primum sui non esse. idest incipere, & desinere extrinsecè. Fundamentum est, quia si inciperent per primum sui esse, vel hoc esset diuisibile, vel indiuisibile, si indiuisibile, ergo nõ esset aliquid temporis, vel motus, quia de ipsorum essentia est successio, & diuisibilitas vsque in infinitum; si dicas, esse diuisibile, ergo habet plures partes, quarum vna erit prior altera, quia non possunt plures partes temporis, vel motus esse simul, est enim contra rationem entis successiui, non igitur illud fuit primum esse secundum se totum, quia iam inuenimus in eo partẽ non primã; si dicas, non secundum hanc esse pri mum esse, sed secundum alteram priorem, iterum quæram de hac, an sit diuisibilis, quod si fateare, redibit idem argumentum, quòd non ratione sui totius potuit esse prima, & sic in infinitum, quare oportebit tandem deuenire ad aliquid indiuisibile, quod consequenter non erit pars entis successiui, nec primum illius esse, sed vltimũ illius non esse. Quod argumentum desumptum est ab Aristot. 6. physicor. tex. 46. & sequentibus.

Præterea potest idem dictum hoc alio argumento confirmari. Si daretur primum esse, siue prima pars in motu, vel in ea mobile aliter se haberet, ac prius, vel non se aliter haberet; si aliter, ergo mutatum est, sed quodlibet mutatum esse precedit motus, prius est enim, moueri, quàm mutatum esse, ergo illa nõ est prima pars motus, sed iã alia antecessit.

Secundò dicunt, neque quietẽ incipere posse per primũ sui esse, & probant, quoniam illud dicitur quiescere, quod non aliter se habet modò, ac se habebat prius: sed quod incipit per primum sui esse, aliter se habet modò, ac se habebat prius, quia prius nõ existebat, modò existit; ergo non quiescit. Confirmatur, quoniam in primo instanti post motum licet mobile prius etiam existeret, tamen aliter se habebat, quàm nunc, ergo nondum quiescit. Præterea quies dicitur esse in subiecto apto moueri, sed nihil moueri potest in instãti, ergo neque in eo quiescere. Hinc dicunt quidam cum Doct. Connimb. 6. phys. q. 2. cap. 8. art. 2. neque posse quietem desinere per vltimum sui esse, quia adhuc esset in instanti. Alij tamen probabilius asserunt, id, quod in tempore antecedenti quieuit, quiescere quoque in instanti, quo tempus illud clauditur, quia in eodem instanti non aliter se habet. Ad argumentum non potest in instanti adesse motus, ergo neque quies, neganda est consequentia, estò .n. quiescere non possit, quod moueri nequit, non est tamẽ necesse, quòd in eodem ipso instanti, in quo quiescit, moueri possit, sed satis est, vt habeat potentiam ad recipiẽdum motum in tempore sequenti. Aristoteles tamen 6. phys. t. 30. videtur magis fauere Connimbricensibus.

Tertiò

Tertiò dicunt, Omnia, quæ cum motu, & tempore incipiunt, & desinunt, eodem pacto, ac ipsa, incipere, & desinere, extrinsecè scilicet per vltimum sui non esse, & primum sui non esse. Sequitur hoc ex dictis præcedentibus. Nam quę motu, & tempore mensurantur, necesse est, vt eodem modo, atque ipsa incipiant, & desinant. Possunt autem incipere cum motu & tempore omnia; quæ latitudinem diuisibilem habent, cuiusmodi sunt qualitates ferè omnes, & etiā plurimę formæ substantiales quoad extensionem in subiecto, quamuis non quoad intensionem, quia non suscipiunt magis, & minus; similiter etiā actiones, & passiones; quæ ex terminis solent diuisibilitatē accipere. Dixi autem, posse, non verò semper incipere, quia non repugnat aliquid diuisibile incipere totum simul, vel quia contrarium non habeat, vt lux, vel alia ratione, quæ non est hic examinanda, de hac tamen re non pauca quæstione 23. lib. 1. diximus.

Quartò dicunt, formam substantialem, quamuis incipiat intrinsecè per primum sui esse, desinere tamen extrinsecè per primum sui non esse. Ratio prioris partis est, quia huiusmodi forma est indiuisibilis, & tota simul acquiritur, ergo non successiuè, sed in instanti, quòd autem requirit esse in instanti, habet primum sui esse in illo instāti; contra hoc enim non militat illa ratio, qua probatum est, res successiuas non posse habere primum sui esse. Posterior pars probatur, quoniā corruptio vnius cū sit generatio alterius, & formæ; quæ gignitur, generetur in instanti; si etiam forma, quæ corrumpitur, amitteret suum esse in instanti, vel hæc duo instantia essent simul, sed tunc duæ formæ contrariæ simul informarent eamdem materiam, quod est impossibile, vel immediatè, sed neque possunt esse duo indiuisibilia vnum immediatè post alterum, quia tunc ex ipsis componi posset continuum, vel mediaret aliquod tempus, sed tūc eo tempore materia esset omni forma priuata, vt igitur hæc incommoda vitentur, fateri oportet, in tempore corrumpi formam præcedentem, ad hoc vt sequens gigni possit in instanti.

Quintò dicunt, reliquas res omnes, quarū esse consistit in indiuisibili, intrinsecè, hoc est per primū sui esse, & per vltimum sui esse incipere, & desinere. Comprehenduntur autē hoc dicto primò ipsa indiuisibilia, vt instantia, puncta, mutata esse. Secundò substantiæ spirituales quoad inceptionē in creatione, & quoad desitionem, si per potentiam diuinam in nihilum redigerentur. Tertiò gradus quidam rerū determinati, vt quartus, quintus, vel octauus; aut, quilibet alius gradus caloris, hos .n. consistere in indiuisibili, probatur, quia alioqui sequeretur qualitatem recipere posse augmentū; nec tamen intendi. Nam si quartus gradus habet plures partes, acquisita vna priori parte, iam est comparatus quartus gradus, verbi gratia caloris, acquiratur deinde per nouam calefactionē alia pars eiusdem gradus, tunc quæro, an adhuc calor sit in quarto gradu; si neges, ergo illa pars acquisita nō fuit quarti gradus, quia per illam exceditur, sin affirmes, ergo per nouam calefactionem nihil est acqui-

 situm,

situm, oportet igitur concedere has determinatas qualitates, quas Doct. Connimb. appellant formas certas, consistere in indiuisibili, & per consequens ex propria natura indiuisibiliter acquiri, quamuis ratione subiecti diuisibilis possint etiam successiuè, quòd explicabat Collegium per formam certam in subiecto incerto.

Sed quoad substantias spirituales affirmant Doct. Connimb. q. supracit. ar. 6. simul cum Greg. in 1. d. 17. q. 2. ar. 2. non posse quidem incipere per vltimum sui nõ esse, sed tamẽ eorum creationem, licet indiuisibilem, in se posse coexistere initio temporis.

Sententia precedens impugnatur.

NE primam, & vltimã partem in continuo admitterent, hęc omnia cõmenti sunt philosophi, non solùm difficultatibus inexplicabilibus inuicem perplexa, sed etiam singula per se improbabilia, vt mox lectori, qui sincerè iudicandi facultatem autoritate sibi præripi, passus non fuerit, mox, ni fallor, apparebit. Primùm enim, dum dicunt aliquid incipere per vltimũ sui non esse, vel nominibus abutũtur, vel maximè pugnãtia dicunt. Nam nulla est maior repugnantia, quàm quod de eodem dicatur simul esse, & non esse; atqui si quidpiam inciperet per vltimum sui nõ esse, simul esset, & non esset, ergo hoc dici maximopere repugnat. Probatur minor, quoniam quod incipit, est, ergo incipere per non esse, est esse, & non esse. Quòd autem incipere secum inuoluat esse, probatur, quia quòd incipit, ex futuro fit præsens, & non est amplius futurum, nisi forte secundũ alias partes, non autem secundum se totum, quod autem est præsens necessariò est, ergo quod incipit, est. Confirmatur, quia quod incipit, iam non est totaliter intra suas causas, quod autem est futurum, est totaliter intra suas causas, ergo quod incipit non est totaliter futurum, sed præsens. Cõfirmatur magis ex actibus, & operationibus liberis, quæ quoad non existunt, semper sunt in potestate liberi arbitrij, dum autem existunt, impossibile est, eas non existere ex suppositione præsenti, & in futuro impossibile erit, eas non extitisse. Si ergo incipiãt, nõ amplius earũ inceptio erit in potestate liberi arbitrij, & ipso volente, nolente, semper verum erit dicere, illam actionem habuisse initium, quia, quòd semel fuit, numquam potest non fuisse; at huiusmodi actiones eatenus tantùm non pendent à libero arbitrio, quatenus habent, vel habuerunt existentiam, ergo in illa inceptione habuerunt existentiã, inceperunt autem per non esse, ergo simul extiterunt, & non extiterunt. Dicent fortè, eatenus dici, quòd nunc incipiant per vltimum sui non esse, quatenùs voluntas immediatè post est illas actiones editura, quòd si eas non producat, illud non dicendum vltimum illarum non esse. Verùm incident in aliud non minùs absurdum, prius videlicet aliquam rem durare, quàm incipere. Probatur consequentia, quia illud est prius, à quo alterum dependet; atqui vltimum non esse actus liberi, quod est eius initium, pendet ab ipsius duratione sequenti, & hæc non dependet ab il-

ab illo, ergo hæc est prior, minor patet ex dictis, quia eatenus hoc non esse dicitur vltimũ, quatenus sequetur actus, quòd autem sequatur actus, non pendet ab hoc non esse vltimo. Præterea numquam licebit dicere de operatione libera, *Nunc incipit*, quia si existit, iam incœpit, si non existit, non possumus esse certi, quòd immediatè post existet, quod esset, ipsam incipere. Quare etsi detur intellectus, qui cognoscat omnia præsentia, nõ poterit tamen cognoscere, quando operatio libera incipiat, quia nunquam poterit esse certus, quòd immediatè postea futura sit, incipiet igitur, & tamẽ latebit eũ, qui omnia videt. Dum etiam quis attentè respicit cursurum, nũquã poterit videre, quando currere incipiat, quia si videat actu currentem, iam initium cursus, i. vltimũ eius non esse pertransijt, & dum nõ est præsens, non potest cognosci, quia nisi sequatur cursus, non est initium ipsius: omnes tamen homines dum aliquem è meta descendentem inspiciunt, existimãt, se initium ipsius cursus videre, & quem audierint contrarium dicentem, deridebunt.

Secundò principaliter argumẽtor, quia sequeretur, actionem positiuam habere pro termino initio suo non esse rei, quod esse inconueniens, ex eo patet, quia actiones specificantur à terminis, si igitur terminus est non ens, non poterit actio habere entitatem positiuã, alioqui ens identificaretur cũ non ente. Natura quoque tenderet per se in non ens, quæ omnia sunt absurda. probatur consequẽtia, quia omnis actio, quæ est productio, terminatur ad initium rei producte, non, autem ad durationem, res enim, quæ durat, præsupponitur iam prius extitisse, & consequenter producta fuisse: At initium rei, quæ incœpit cum motu, & tempore, fuit vltimum non esse, ergo eius productio terminata fuit ad non esse. Porro si productio terminata fuit ad non esse, quis deinde produxit esse? Maximum certè miraculum admittunt hi auctores, videlicet, Non esse haberi per actionem positiuam, veram, & realem agentis, esse verò reale, & positiuum haberi absque vlla actione, & agente. Similiter quando qs impulsu mouet lapidem, cum per se, & immediatè sit causa tantùm principij motus, terminabitur impulsus ad non esse motus, deinde verò absque nouo impulsu lapis celerrimè mouebitur.

Tertiò sequeretur, res maximè diuersas, & contrarias idem omnino habere principium. Nam albedo, & nigredo, calor, & frigus, actio bona, & mala, qualitas spiritualis, & materialis, & alia multa produci possunt cum motu, ergo hæc omnia agnoscunt tamquam sui initium non esse. At non esse cum sit purum nihil, non potest differre ab alio non esse. ergo omnia habent idem initium. Ipsum quoque agens dum incipit agere, non magis est determinatum ad producendum vnum contrarium, quàm alterum, & antea albedo habet initium sui esse, quàm agens sit determinatum ad producendã albedinem potius, quàm nigredinem; quia ipsius actio, vt sic, adhuc est indifferens. Immo vnum contrarium erit initium alterius contrarij, vel alterius rei toto cœlo ab ipso diuersę. Nam non esse al-

bedinis potest supponere; vt docet Dialectici, pro quacumque alia re, quæ non sit albedo, poterit igitur supponere pro nigredine, pro calore, pro lapide, p angelo, & vnũ quodq; seorsum dici poterit principium albedinis.

Quartò si generetur lapis sursum, in eodem instanti, in quo genitus est, incipit descendere, ergo incipit eius motus in instanti, & per primum sui esse, sicuti per primum sui esse producta est forma lapidis. probatur antecedens, quia potentia naturalis non impedita statim exit in actum, in lapide adest potentia naturalis deorsum tẽdendi, & nihil eam impedit, statim ergo descendet. Dicent, impediri, quia non potest motus fieri in instanti. At contra, quia in qualibet temporis parte sunt infinita instantia, ergo si motus non potest esse in instanti, infinities interrumpetur motus. Dicent, posse fieri in instantibus continuantibus tempus, sed non in terminantibus. Vrgebo, quoniam & hoc primum instans continuat partes temporis, nec potest afferri ratio, cur magis repugnet, motum incipere in instanti, quàm durare per instantia, cum non minùs in duratione; & in medio debeat esse diuisibilis, quã in principio. Præterea in ipso medio motu, assignato quolibet instãti, possum dicere, hic incipit talis pars motus, v.g. tertia, vel quarta, & eadem est ratio de principio partis, & de principio totius motus; ergo etiam eadem ratio de primo, & de reliquis sequentibus instantibus. Denique quis credat, saxum ingens nullo sustinente, in aere suspendi, donec pertranseat instans, quod vel nulla, vel minima est entitate præditum?

Quintò argumentor contra id quod dicitur de quiete in secundo aduersariorum dicto, nempe nec ipsam incipere posse per primum sui esse. Sequeretur enim, mobile in aliquo instanti nec moueri, nec quiescere, in primo enim instanti post motum, mobile nõ mouetur, quia supponimus, motum transactum esse, & ipsi etiam affirmant, in instanti non posse fieri motum, neq; verò quiescit, quia tũc quies inciperet per primũ sui esse, quod ipsi non admittunt, neque ergo quiescet, neque mouebitur, at quis vmquam somniauit, inter hęc duo dari posse medium? Nihil enim amplius videtur requiri ad quietem, quàm ipsam negationem motus. Sed probatur etiam ex Aristotele, non posse inter hæc duo dari medium. Nam ex text. 31. phys 6. illud quiescit, quod ita se habet nunc, ac se habebat prius, quod verò aliter, & aliter se habet, mouetur, sed de quolibet verum est dicere, quòd vel aliter se habet, vel non aliter se habet, & inter hæc duo non datur medium, ergo neque inter motum, & quietẽ, quia si aliter se habet mobile, ergo mouetur, si non aliter se habet, ergo quiescit. Deinde prius non pendet à posteriori, sed in hoc instanti, si non sequatur motus, mobile dicetur in eo quiescere, quia in instanti continuatiuo non interrumpitur quies, ergo ex eo quòd motus sequatur, cum sit quid posterius, non debet negari, quòd verè mobile in eo quiescat. Tertiò ille status medius, qui neq; est quies, neque est motus, à quonam erit? natura? atqui natura est principiũ tantùm motus, & quietis. Ab aliquo

quo vim inferente? atqui nullum adest, & tamen hic status est maximè contra naturam, cum hæc vel quietē optet, vel motum; nullum igitur habet principium, quia verè nihil est. Quartò sequeretur, mobile numquam quiescere. Nam si non quiescit in primo instanti post motum, quæro, an quiescat immediatè post; si affirmes, contra, vel in eo se habet aliter, ac antea, vel non aliter; si aliter, ergo non quiescit, si non aliter, ergo sicuti tunc non quiescebat, neque nunc quiescet; & ita argumentari poterimus de quolibet alio tempore sequenti. Quintò si vera esset illa consecutio, In instanti non pōt esse motus, ergo neque quies, sequeretur, elementa non posse naturaliter quiescere in suis locis naturalibus, quia in illis non possunt naturaliter moueri, ergo neq; naturaliter quiescere. Si dicas, satis esse, quòd possint moueri, dum è suis locis extrahuntur, ita & ego dicam, satis esse ad quietem in instanti, quòd possit mobile moueri post illud instans: reuera enim aptitudo illa, quæ sufficit ad priuationem, satis est, vt sit in ipso subiecto, non verò opus est, vt simul cū quibuslibet alijs circumstantijs loci, & temporis possit reduci ad actum. Nam si cæci caput cooperiatur, non propter hoc desinet esse cæcus, quia etiamsi oculos haberet, capite cooperto, videre nō posset, sufficit enim vt aptitudo vidēdi conueniat illi, vt homo est, quāuis videre non possit capite cooperto; eodem igitur pacto ad hoc, vt mobile dicatur quiescere in instanti, sufficit, vt habeat aptitudinem ad motum, non verò requiritur, vt eam possit etiam pro illo instanti redigere in actum. Denique sequeretur, nec mobile adepto termino, nec elementa in propria sphæra quiescere. Si enim terra deorsum moueatur in primo instanti, post motum erit in termino, & in propria sphæra, & tamen adhuc nolunt eam quiescere.

Sextò quoad alium modum incipiendi, scilicet per primum sui esse, argumentor: quia data ipsorum sententia, falsò dicūt, aliquid incipere per primum sui esse: Nā vel hoc habet partes, & est diuisibile, vel non habet, & est indiuisibile; si habet, ergo eadem est ratio de ipso, & de tempore, nam cū habeat partes in infinitum, nō poterit assignari prima, si non habet, ergo nō possumus in eo distinguere primum à secundo, sed debem' dicere incipere per totum suum esse; & per totum etiam desinere. Confirmatur, quia ex ipsorū sententia post instans sequitur necessariò tēpus, ergo quod habet primum esse in instanti, habebit reliquum esse in tempore, res igitur, quæ habet totum esse simul, mensurabitur tempore, quod est inconueniens. Præterea attendunt entitatem rei, & non ipsius durationē, & tamen hanc potius attendendā probatur, quia si duratio alicuius rei alioqui indiuisibilis, sit successiua, non poterit ipsa incipere per primum sui esse, quia non potest habere primam partem, incipiet igitur per vltimum sui non esse, & mensurabitur tempore, de eius ergo incœptione ita philosophandum erit, sicut de initio temporis: At quando res indiuisibilis dicitur incipere, non hoc dicitur in ordine ad eius entitatem, quia eius entitas non solùm cœpta est,

sed

ſed etiam perfecta, ergo dicitur in ordine ad durationem, & ſimiliter quando deſinit eſſe, dicitur finita eius duratio; ergo iuxta naturam durationis menſurandum eſt eius initium, & finis, & non iuxta entitatem. Dicet quis, rem in ſua inceptione non durare, ſed tantùm immediatè poſt, quare non mirū, ſi non attendatur durationis diuiſibilitas. Sed primùm hęc euaſio locum nō habet in deſitione, quia non prius rei duratio deſinit, quā ipſa res. Deinde quamuis in ipſa ſui inceptione non dicatur res durare, prout duratio ſignificat, aliquid prius extitiſſe, tamen prout ſignificat coexiſtentiam cum tempore ab eodem tempore menſurabilem, etiam in ipſius initio rei cōuenit, non enim eſt credibile, rei initium menſurari æuo, ſequentē autem durationem tempore, & quamuis plerique ex autoribus, cōtra quos diſputamus, velint, durationem cuiuslibet rei permanentis eſſe indiuiſibilem, tamen neque deſunt, qui concedant eſſe diuiſibilem, ſaltem durationem corruptibilium, quas patet tempore ipſo conſumi, & tamen omnes eodē modo loquuntur de rerum permanentium inceptione, ex quo patet, eos non attendiſſe durationē, ſed entitatem. Sicuti etiam ex eo quòd ad probandam formam ſubſtantialem, vel aliam rem permanentem incipere intrinſecè, ideſt per primum ſui eſſe, omnes pro ſtatione afferunt indiuiſibilitatem ſuæ entitatis, cum potius afferenda eſſet indiuiſibilitas durationis.

Septimò, dum afferunt, inſtantia, & reliqua indiuiſibilia incipere per primum ſui eſſe, & per vltimum deſinere, non ſolùm pugnantia dicunt, ſed etiam totam ſententiam ſuam de indiuiſibilibus euertunt. Nam ſi ponunt primum, & vltimum in inſtanti, ergo ponunt partes, ergo diuiſibile cōſtituunt. Dicent primum, & vltimum non ſumi ab ipſis tamquam duo diſtincta, nec aliud ſibi velle, quàm ipſummet inſtans, & eſſe primum, & eſſe vltimum ſui eſſe. Verùm adhuc argumentum urget. Nam hoc inſtans non poterit ſecundum eumdem reſpectum fungi munere primi, & vltimi, ſed quatenus ſequitur ſuum non eſſe pręcedens, dicetur primum ſui eſſe, quatenus verò præcedit ſuum non eſſe ſequēs, dicetur vltimum. ergo, argumentor ego, habet duas partes, & duas veluti facies, alteram à parte ante, qua reſpicit tempus præteritum, alteram à parte poſt, qua reſpicit futurum, ergo diuiſibile. Vlterius quæro, an non eſſe præcedens vniatur immediatè cum non eſſe ſequenti poſt inſtans, vel inter hæc duo non eſſe mediet aliquod eſſe. Si affirmes, nihil eſſe medium, ergo inſtans numquam habuit eſſe, vel ſimul habuit eſſe, & non eſſe, quia ipſius non eſſe numquā fuit interruptum, ſi dicas, mediare aliquod eſſe in inſtanti, ergo illa duo non eſſe inuicem diſtabunt, nec per aliud, quàm per inſtans. At ſi inſtans poteſt eſſe cauſa diſtantiæ, idem dicendum erit de puncto. Punctum igitur inter duas quantitates collocatum faciet eas diſtare, quod ab ipſorum principijs tantū abhorret, vt è contrario aſſerant, punctum tollere omnem diſtantiam, & omnem diſtinctionem, & efficere, vt duæ illæ quantitates inuicem continuentur, & meritò, quia ſi punctum faceret eas diſtare,

re, necessariò esset quantitas, quia occuparet spatium, & efficeret maius, non posset enim negari illud spatium, quod cōplecteretur duas quantitates inter se distantes, esse maius, quàm illud, quod easdem inter se non distantes contineret, quæ omnia locum etiam habent in instanti, cum eadem sit ratio de omnibus indiuisibilibus. Confirmatur hoc argumentum Aristotelis autoritate, qui simili prorsus, siue potius eodem est vsus 6. physic. tex. 1. & 2. ad probandum, non cōponi cōtinuum ex indiuisibilibus Inquit enim indiuisibile nō posse aliquid tangere nisi secundum se totum, nec posse in eo considerari vltimum, & non vltimum, quia iā esset diuisibile, consequenter non posse esse contiguum, neque continuum cum altero puncto: Atqui si instans, vt aduersarij dicunt, positum inter duo non esse, hoc quidem respicit, vt est primum esse, illud autem, vt est vltimum, dici quoque poterit, punctum positum medium inter duo alia puncta, ad vnum habere, ut ita dicam, faciē, ad alterum verò terga, & consequenter componetur continuum ex punctis: si dicas, instans non esse inter duo instantia, sed inter duo tempora, hoc nihil refert. Si enim semel cōcedatur indiuisibile esse posse medium inter duo diuisibilia, nulla poterit assignari ratio, cur etiam non possit esse medium inter duo alia indiuisibilia.

Octauò sequetur etiam contra sua ipsorum principia instans tantùm esse rationem, vt vnū sit prius altero. Nam si forma substantialis incipiat in aliquo instanti, & in tempore immediatè sequēti calor per motum, tunc verum erit dicere, formam substantialem prius productam fuisse, quàm calorem; quia quando producta illa fuit, nō dum producebatur calor, sed immediatè post productus fuit, ergo forma substantialis præcessit calorem per instans, consequenter instans additū tempori facit ipsum esse prius, & diuturnius, & eodem pacto punctum additum lineæ faciet ipsam esse longiorem, erit igitur punctum longitudo, & consequenter quantitas, imo hinc efficietur aliud longè magis mirandū, videlicet lineam per solam diuisionem augeri posse vsq; in infinitum, nam quoties diuiditur, vnum punctum nouum acquirit, partes enim, quæ antea vnico puncto copulabantur, duobus deinde terminabuntur, sed quodlibet pūctum dat suam longitudinem, ergo longiores erunt partes lineę diuisæ, quàm fuerant copulatæ, sed potest linea diuidi, vsque in infinitum, ergo per solam diuisionem potest linea augeri vsque in infinitum, quod arcanum, si discant auari, totam ætatem in argento, & auro diuidendo consument, si autem vt multi volunt, non sunt actu indiuisibilia in continuo, sed per diuisionem resultant, multò etiam maius erit lucrum diuidentium.

Nonò contra id, quod asserunt in quarto dicto priori loco, scilicet formam substātialem incipere per primum sui esse; Probo ex ipsorum principijs contrarium esse statuendum. Nam forma substantialis v. g. ignis gignitur immediatè postquam productus est calor vt octo, sed productio huius caloris terminatur intrinsecè per vltimum sui esse, ergo ne duo instantia sint immediata, oportebit, formam

mam ignis incipere per vltimum sui non esse. Minor probatur, quoniam calor vt octo est certus, & determinatus, & consistit in indiuisibili, ergo, vt patet ex adductis in quinto ipsorum dicto, debet incipere intrinsecè, scilicet per primũ sui esse, siue quòd idem est, debet alteratio ad ipsum terminari per vltimum sui esse; quòd verò forma substantialis immediatè post producatur, euincitur, quia statim ac materia est disposita, forma in eam introducitur, per octauum autem gradum caloris supponitur materia perfectè disposita, ergo immediatè forma educetur. Si dicas, simul cum octauo gradu caloris produci. Contra, quia idem est agens, quod disponit materiã calefaciendo, & deinde producit formam substantialem, ipsam educendo, non potest autem vtrumq; simul præstare, quoniam substantialis forma saltem est effectus adæquans, & exhauriens omnes eius vires, ergo non potest eam simul cum alio effectu producere. Efficitur ergo, vt immediatè post vltimam dispositionem substantialis forma incipiat esse in materia, & consequenter per vltimum sui nõ esse, cũ illa sit terminata per vltimum esse.

Decimò, quod secundo loco asserunt in eodem dicto, formã substantialem desinere per primum sui non esse, magnam repugnantiam inuoluit, & totam sententiã ipsorum euertit. Nam quod est indiuisibile, non potest diuisibiliter acquiri, aut deperdi, neque per diuinam potentiam, vel si potest, corruit totum fundamentum aduersariorum. Probatur prius dictum, quia diuisibiliter acquiritur, siue deperditur, quod per partes comparatur, aut amittitur: at indiuisibile cum non habeat partes, quomodo potest per partes comparari, aut amitti? Si hoc demus, anima rationalis poterit partim amitti, & partim non amitti, at quatenus est amissa, & à corpore separata, statim defertur ad locũ sibi constitutum, poterit igitur contingere, vt partim sit in inferno, & partim adhuc in corpore. Præterea tota ratio excogitandi hos varios modos incipiendi, & desinendi, fuit rerum diuersitas, quarum nõnullę sunt diuisibiles, alię verò indiuisibiles; at si hæ desinere possunt eodem modo, atque illæ, iam ruit, vt dicebamus, totum fundamentum huius inuentionis. Confirmatur, quia difficilius est, indiuisibile desinere per partes, quàm diuisibile acquiri totũ simul, quoniam acquiri plures partes rei simul non repugnat; diuidi verò in partes, quod partes non habet, est omnino impossibile: At ipsi concedunt hoc posterius, ergo debebant admittere etiam illud prius, & ita ablata fuisset omnis necessitas hos modos introducendi. Tetigit hãc difficultatem Benedictus Pererius lib. 14. cap. 9. dubitatione contra quintam propositionem, in respõsione tamen videtur eiusdem oblitus, quia de ea ne verbum quidem habet, & conatur tantùm soluere quasdam alias difficultates ab ipso sibi propositas, sed non magni faciendas, & tandem fatetur, omnem sibi scrupulum nõ esse exemptum. Posset quis tamen non omnino improbabiliter respondere, formam substantialem desinere diuisibiliter, non ratione suæ entitatis, sed diuisibilitatis subiecti, à quo

quo recedit. Sed neq; satisfaciet, quia sicuti forma, quæ gignitur, introducitur simul in plures partes subiecti, eò quòd requirat determinatas dispositiones, ita oportet, formam recedentem simul eas deserere, si ergo recedit ab illis diuisibiliter, vt aduersarij volũt, hoc non potest intelligi ratione partiũ subiecti, sed sui ipsius.

Vndecimò ex eo, quod dicitur in quinto dicto, formas in certo, & determinato gradu constitutas acquiri, & deperdi indiuisibiliter, argumentor nihil omnino aliter incipere, aut desinere. Nam in rerum natura nihil est, quod in se certum, & determinatum non sit, quamuis certò, & determinatè non cognoscatur à nobis; ergo nihil est, quod per primum sui esse non incipiat, & per vltimum sui esse non desinat. Respondere poterunt, nihil quidem in facto esse reperiri indeterminatum, at in fieri hoc nõ repugnare. Verùm quamuis videatur probabilitate non carere huiusmodi responsio, non tamen difficultatem fugit. Primum enim non tollit, quin saltem ipsa productio cuiuslibet rei desinat indiuisibiliter, cũ habeat indiuisibilem terminum; & quòd etiam eius corruptio indiuisibiliter incipiat, at tam illa productio, quàm hæc corruptio sunt motus; ergo motus & incipere, & desinere potest indiuisibiliter contra ipsorum sententiam. Immo quilibet motus indiuisibiliter terminabitur, cum nullus detur, qui terminum determinatum non habeat. Quilibet etiam, quatenus est corruptio, intrinsecè incipiet, quoniã forma, cum sit determinata, indiuisibiliter incipit desinere, at simul subiectum deperdit frigus, & acquirit calorem, ergo si deperditio illius in instanti incipit, idẽ etiam erit dicendum de acquisitione huius, quare omnis productio, & omnis corruptio incipiet, & desinet indiuisibiliter. Sed fortassis dicent, prius corrumpi frigus, quã producatur calor, ne simul sint hæc duo contraria in eadem materia, sicuti ob similem rationem affirmant, prius corrumpi formam substantialem, quàm alteram generari. Verùm oportebit tũc, etiã calorem incipere intrinsecè, & per primum sui esse, quamuis per motum fiat, si frigus desinat extrinsecè, quia si ambo extrinsecum terminum habeant, dabitur instans medium, in quo materia erit sine frigore, & sine calore; immo duo instantia, quia corruptio, & productio non possunt continua esse; si autem vnicum instans tantùm intercederet inter corruptionem frigoris, & productionem caloris, continuarentur hæ duæ mutatione, siue motus inter se, quoniam quantitates, quæ medio indiuisibili copulantur, dicuntur esse cõtinuæ; si verò duo instantia intercederent, ergo & tempus, quia dati non possunt duo instantia immediata. Præterea si initium deperditionis frigoris præcedit rãtùm per instãs acquisitionem caloris, cum eadem sit ratio de progressu, & de inchoatione, totus motus deperditionis frigosis præcedet per instãs totum motum acquisitionis caloris, & consequenter multa instantia mediata concedenda erũt, quia non potest esse idem instans quod intercedit inter principia horum mo-

minuum, & quod deinde est medium inter eosdem in ipsorum continuatione, alioqui instans duraret simul cum tempore: sed neque potest esse tẽpus, quia, vt supposuimus, est tantùm differentia penes instans, ergo sunt multa instantia immediata, & continuata; Confirmatur, quia post deperditionem frigoris, corrumpitur forma v.g. aquæ; & post acquisitionem totius caloris, gignitur forma ignis, sed prius per instans est corruptio illius, quàm productio huius, ergo etiam deperditio tota frigoris in instanti, est prior acquisitione caloris. Si autem, vt vitẽtur hęc absurda, dicant, esse simul deperditionem frigoris, & acquisitionem caloris, nulla erit ratio, quæ probant, simul deperdi non posse vnam formam substantialem, & alteram gigni, cum non minus repugnet, materiam simul habere duas qualitates contrarias, quàm informari à duabus formis substantialibus diuersis, nec dici possit hoc sequi, si generatio, & corruptio substantiarum fint simul, & non illud, si accidentium, quòd enim horum generatio, & corruptio terminentur extrinsecè, efficit quidẽ; vt difficilius fint simul, non verò dato quòd fint, vt simul quoque non fint eorum termini; Præterea quod dicebatur in illa prima responsione; formam in fieri habere esse indeterminatum, quamuis eatenus possit concedi, quatenus in media alteratione eadem qualitas semper acquirit maiorem perfectionem; tamen re vera semper in se est determinata; & multò magis, quod nobis sufficit, talis cognoscitur in principio, & in fine, vt clarius deprehẽditur in motu locali semper enim mobile etiã in ipso motu occupat determinatum locum, cùm sit in eo circumscriptiuè, sed multò magis eius determinatus locus cognoscitur in terminis ipsius motus, eodem autem modo etiam subiectum alterationis semper quidem habet determinatam qualitatem, sed multò magis hoc deprehẽditur in terminis ipsius. In robore igitur persistit nostrum argumentum, quòd cum aduersarij velint, formas determinatas acquiri, & deperdi in instanti, & nihil sit in mundo non determinatum, necessario efficit vt omnia in instanti acquirantur, & deperdãtur, idest, per primum, & per vltimum sui esse.

Duodecimò omnia, quæ dicuntur de terminis rerum successiuarum, oportet etiam affirmare de terminis quantitatis continuæ, vtrobiq; enim par est periculum, si prima pars admittatur. Corpora igitur omnia per vltimum sui non esse incipient, & per primum sui non esse desinent. Concipient inquam, & desinent, non in ordine ad durationem, quia de hoc supra locuti sumus; sed quoad extensionem, & præsentiam in loco) Quare qui alicuius manum osculatur, tangit tantùm primum, vel vltimum non esse illius manus, & qui dat alapam alicui, non tangit eius faciem, sed tantùm non esse illius faciei; Nam si tangeret esse ipsius, vel hoc esset primum, aut postremum; aut aliquod ex medijs, non ex medijs, quia penetraretur facies, quod nõ fieri supponimus, non primum, aut postremum, quia hæc in rerum natura

non dantur, sed ipsorum loco ab aduersarijs vltimum non esse, & primum non esse substituta sunt. ergo hæc sunt, quæ tanguntur, & alapam recipiunt.

Tertiodecimò hi modi incipiendi, & desinendi extrinsecè excogitati à philosophis fuere, vt primam, & vltimam partem à continuo excluderent; sicuti supra etiã notauimus, atqui id nequaquam præstant. ergo ablegandi sunt. Minor probatur, quoniam vltimũ non esse illud vocant, post quod immediatè erit res, ergo tunc aderit prima pars, siue primum esse illius rei; illud enim est primum, ante quod aliud non præcessit; sed non præcessit aliud esse, nec alia pars, ergo hæc est prima. Confirmatur, quia non possunt sequi immediatè plures partes, ergo illa, quæ sequitur, est prima, quòd si existimant, se posse adhuc tueri, illam non esse primam, sed quandam partem indeterminatam, dicere quoque potuissent, rem eamdem incipere quidem per suum esse, sed per suum esse indeterminatum, & non primum, absque eo quòd huiusmodi non entibus primum locum tribuerint, ex quibus, cum nil habeatur emolumẽti, & plura sequantur absurda, meritò à scholis ableganda videntur, cumque non aliud, quàm non esse sint, pro non entibus habeantur.

Propria explicata sententia aduersariorum argumenta diluuntur.

Vidimus, in quot, & quantas angustias se coniecerint negantes primam, & vltimam partẽ quantitatis, sequitur, vt explicata nostra sententia, omnia plana, & peruia eam amplectentibus fore ostendamus. Nos ergo dicimus, omnia omnino & per primum sui esse incipere, & per vltimum sui esse desinere, quod & facile intellectu est, & planum, & conceptioni omnium hominum conforme, omnes enim censent, cum qualibet res incipit, tunc primum habere esse, & cum desinit, tunc postremum; Similiter cum aliquid tangunt, illius primam, aut postremã partem se tangere, cum autem doceat Aristoteles, non esse relinquẽdum sensum, propter rationem, quæ contrarium persuadere uideatur, nõ debuit hæc prima pars, quam tam clarè indicat sensus, negari propter aliquas rationes cõtrarias, sed harum solutionem quærere oportebat, quod nos hic præstabimus, dissoluere enim tentabimus, quæ supra allata sunt in confirmationem sententiæ communis.

Ad primum ergo argumentum, in quo, tamquam absurdum inferebatur, dandam fore primam partem in rebus diuisibilibus in infinitum, patet, quid sit dicendum ex superiori quæstione, nullum videlicet esse absurdum, quòd detur prima pars in continuo, sed assignabilis tantùm ab extrinseco,

& inadæquata, consequenter di uisibilis ab intrinseco, sed ab extrinseco indiuisibilis, neque impugnatio huius primæ partis aliud probat, quàm non posse adæquatè assignari, quod libenter concedimus, sufficit enim nobis, assignari posse inadæquatè, & extrinsecè. Dices si assignatur ab extrinseco, iam incidis in sententiam communem, quæ etiam affirmat principium rei ab extrinseco assignari, dum dicit, Nunc non est, sed immediatè post erit. Respondeo, pergratum mihi fore, si quis hanc meam sententiam à communi nõ dissidere, ostendat, meus enim finis est, veritatem consequi, non cõmunem sententiam impugnare, à qua numquam, nisi coactus discedo, nec fortè hoc esset difficile in hac quæstione, si assereret communis sententia, motum immediatè post vltimum nõ esse incipere, sed dicit quidem esse, non tamen admittit incipere, ne videatur concedere primam partem, at nos primam partem concedimus, & affirmamus, post vltimum non esse reuera motum, sine quamlibet aliã rem incipere.]

Ad secundum, quod primã partem motus peculiariter impugnabat, ex eo quòd hic præcedere debeat mutatum esse. Respondeo, motum non præcedere mutatum esse tempore, neque instanti, sed tantùm natura, sicuti neque fieri aliter pręcedit factum esse. Ad illam interrogationẽ, an in illa prima parte motus, mobile aliter se habeat, quæ videtur reuera magnam continere difficultatẽ, quia si affirmes, ergo habetur perfectus motus; si neges, ergo nullo pacto est pars motus, respondeo, non aliter se habere adæquatè, aliter tamen se habere inadæquatè, idest incipere aliter se habere. Dices prius non incipiebat aliter se habere, nunc incipit, ergo aliter se habet. Respondeo, aliter se habere negatiuè, non positiuè, idest cœpit relinquere terminũ à quo, sed nondum acquisiuit terminum ad quem. Instabis, esse impossibile, quòd aliquid aliter se habeat negatiuè, non autem positiuè, nisi corruptum sit. Resp. verum hoc esse, & idcirco, esse quoque impossibile, quòd detur inchoatio motus sine alijs partibus, nec posse relinqui terminum à quo, nisi etiã acquiratur terminus ad quem, sed quamuis impossibile sit, hæc duo separare à parte rei, non est tamen impossibile, quòd vnum assignetur, & demonstretur sine altero: Sicuti quamuis sit impossibile, in quantitate continua dari partẽ aliquam indiuisibilem ab exteriori, quæ non sit diuisibilis ab interiori parte, potest tamen hæc pars designari, quatenus est indiuisibilis, absque eo quòd designetur, quatenus diuisibilis, & sicuti impossibile est, reperiri corpus, quod habeat tantùm latus dexterum, & non etiam sinistrum, & tamen possumus vnum latus designare absque altero. Ita ergo & in motu, quamuis non possit esse abiectio termini à quo sine consecutione termini ad quem, possumus tamẽ designare illam, & dicere hic incipit motus, & hanc demonstrare dicentes, hic desinit; quamuis hoc sit difficilius in motu, propter eius successionem, & fugacitatem. Vrgebis, si mobile in principio

cipio motus negatiuè tantum aliter se habet, ergo principium motus erit quid negatiuum. Resp. non hoc necessariò colligi, quia quamuis, vt designabile ab extrinseco negationem inuoluat, simpliciter tamen est quid positiuum, sicuti prima pars quantitatis eodē modo dicitur esse indiuisibilis, nō tamen simpliciter.


Ad argumentum contra quietem in instanti respondeo, illud, quod non aliter se habet modò, ac se habebat prius, quiescere adæquatè, sed ad hoc, vt aliquid incipiat quiescere, quod est quiescere inadæquatè, sufficere, quòd nō amplius moueatur. Dices, Vel tūc se habet aliter, ac prius, vel non se habet aliter, si affirmes, ergo non quiescit, si neges, ergo non tunc incipit quiescere. Respond. se habere aliter, nō tamen sequitur, vt non incipiat quiescere, quia ad tollendam quietem, non sufficit, vt mobile aliter se habeat, sed requiritur, vt transeat ad aliter se habendum, quando autem nos supra argumentati sumus, aliter se habet, ergo mouetur, vsi sumus principijs aduersariorum; & intelleximus, aliter se habere illud, qđ in sua duratione complectitur vtrumque terminum huius diuersæ habitudinis, idest aliter, & aliter se habet, quod sine motu fieri nō potest; hic autem, illud, quod vnicum tantùm terminum huius habitudinis possidet, idest aliter tantùm se habet, & consequenter cōcipi potest sine motu, & in principio quietis. Semper autem est verum, non dari medium inter hæc duo, aliter se habere, & aliter se non habere, si in eodem sensu sumantur, & quod aliter se non habet, vt ibi dicebamus, necessariò quiescit, quia saltem est in termino motus, & mobile, acquisito termino, quiescit.

Ad argumentum, quo posterior pars quarti dicti probatur (Nam prior concedit nobiscum, formam substantialem incipere in instanti) ex eo, scilicet quòd duę formæ essent simul, vel duo instantia immediata, si etiam forma, quæ corrumpitur, per vltimum esse desineret. Resp. neutrum sequi, sed simul vnam desinere, & alteram incipere; neque hinc sequitur, ipsas esse simul, quia simul desinere non est simul esse, & sicuti duo corpora se contingentia simul desinunt, & dicuntur habere extrema simul, non tamen sunt in eodem loco, sed vbi terminatur vnū, terminatur etiam alterum, ita etiā de his formis verum est dicere, quòd quando desinit vna, incipit altera, ita vt non sint quidem in eodem tempore simul in materia, sed vna sequatur alteram, ac si quodammodo continuæ essent, & de illa, quæ corrumpitur, dici possit, hucusque protenditur, & non vlterius, & de ea, quæ generatur, eadem parte temporis signata, nunc incipit, & non antea; quare habent simul extrema, quatenus indiuisibilia, & ab extrinseco designabilia, non verò quatenus partes ipsius sunt. Dices, distinctionē illam de parte diuisibili ab intrinseco, & indiuisibili ab extrinseco nō posse habere locum in his formis, quæ sunt omnino indiuisibiles. Resp. habere locum, quoniā quamuis sint indiuisibiles in entitate, sunt tamen diuisibiles in dura-

ra-

ratione, ficuti & reliqua omnia creata, vt probamus quæst.44. huius primi libri.sect.2. Dices, si omnia incipiunt per primum sui esse, nullum erit discrimen inter alterationem, quæ est successiua, & generationem, quę dicitur fieri in instanti, & si hæc terminatur, ad durationem diuisibilem, & ipsa erit diuisibilis necessariò. Resp. adhuc magnum esse discrimen, quoniam duplex diuisibilitas considerari potest in re producenda, in entitate, & in duratione, substantia autem est quidem diuisibilis in duratione, sed indiuisibiles in entitate, & consequenter quoad hanc producitur tota simul, & sic generatio non est successiua, sicuti neque est respectu durationis, quia hæc non dicitur fieri per generationem, sed per conseruationem. Accidens verò, quod non tantùm in duratione habet diuisibilitatē, sed etiam in entitate, solet produci successiuè per alterationem, id est non totum simul, sed paulatim; & hactenus ad argumenta.

Sed quid dicemus ad autoritatem Aristotelis, & tot philosophorum, qui ante nos fuerunt, & hos modos extrinsecè incipiendi, & desinendi approbarunt? Resp. Aristotelem, & veteres probabiliter exponi posse, ꝙ voluerint tantùm, primam partem rerũ successiuarum assignari posse ab extrinseco, vt nos etiam fatemur, & negasse primam partem quantitatis adæquatam, non verò inadæquatam: recentiores verò, qui apertius videntur eam omnino excludere, credentes, Aristotelem id verè voluisse, quod ei' verba primo aspectu indicabant, eius autoritate duci se passos fuisse. Nos tamen rationi omnem autoritatem humanam postponentes, conati sumus veritatem è tenebris eruere, quod si præstitisse videbimur, scientiarum Domino gratiæ erunt habendæ; sin minus, ob rei perplexitatem venia digni erimus, nec vtcumque inutilis erit hic noster labor, alios enim fortassis ad veritatem felicius inuestigandam excitabit.










INDEX

Rerum præcipuarum, quæ in hoc Opere continentur.



a à

Ani-

Cor-

Dia-

Nec

Frigus.

G

po-

ne-

Qua-

Quan-

Re-





INDEX AVTHORVM,

Qui in hoc Opere vel laudantur, vel improbantur, vel explicantur.



Age-

C

lib.

D

posi-

E

G

H

Ad

Tra-

I

L

M

Pius

Q

R

S

T

Exi-

V

Z

FINIS.

Ex plurimis mendis, quæ in hoc opus irrepſerunt, grauiora quædam hic caſtigata damus, reliquis prudentia, benignitasque tua medeatur, & ignoſcat.

PAg.2.colum.2.lin.36. lacædemonis Corrige lacedæmonijs. 3, 1, 16 ipſe,ipſum 10,1,21 &, en. 15,2,23 tamquam, tamq?, ibidem lin.27. procurate,procreare. 18,1,35 numquam vmquam,ibi. 26, futili,fatali 36 ceuo,quo. 28,2,24 mutare,nutare. 32.2.14. cadere, vadere, 33 impedit, impedio. 34,2, 11 Stricam, Stoicam. 39. tanto,tantum. 35,1,16 vniuerſo,vniuerſum. 53.2 43 in,ex. 54 12,24 extrinſeca.extenſiua 55,1,2 poſt ſimplicia adde intra 59. 2, 7 in prima propoſitione in primam propoſitionem, & ita deinceps quoties occurrerit. 79,1,36 generatione,generante. 81, 1, 26 perinde aquam,proinde aqua. 101,2,11 moralibus,Sacramentis. 113. 2.8 de omnibus,vel de omnibus. 115,1,20 quælibet, quodquælibet. 126,1,42 aliqua,adde alia. 136,2,47 nihil adde aliud. 152,1, 17 eſſet,non eſſet, 33 naturalis,materialis. 158, 2, 12, ſi accidens dele ſi 19 &,vt. 167,12.34,&, eſt 175,2,36, & 37. dele ergo B eſt, & ſcribe & B eſt prius C. ergo etiā A. eſt 185,1.1.deeſt 8.15. per,poſt. 194 2,15 a parte adde rei. 196.1.28 poſt com.deeſt 8.199.2,6, tribulo,tubulo. 201,1,14 dele vel. 207.1.3.corruptiua adde dicitur. 216,2,6, tunc, alioqui. 220,2,31, exprobratum conſpectui, exploratum perſpectiui. 223,1,19 intrinſeca,extrinſeca. 228,1,12 moralibus,ſupernaturalibus. 253.2.31.diuiſibile,indiuiſibile. 237,1,43 qualitatem,alterationem 242,2 24 Chamaleon,Chamæleon, & ita ſemper. 244.1,8 ab alijs adde qualitatibus, 2,20 minorem, maiorē. 265,1, 10 dele deſcitur, 34 ratione latione 269.1,34 qua,quia. 270,1,26 dilationem,dilatationem. 275,1,4, vel,ſed 25 poteſt,patet. 277, 2,37. prius natura,non prius. 282,1,9. quia,quando 281,1,13, ſeorſum. ſurſum. 286.1,23 eſſe ſiue. 300,1,24. poſt ſed adde ſub 2.37 poſt efficere adde poſſe. 314.2.5 dele ſi aliquod. 3 dele; 315,1, 34 dele non poſſibilem. 330.2,32, quia,qui. 332.2. vltima adde, ſed vnicam redditam eſſe maiorem, quàm antea erat. 365,1, 5 omnino,omni. 368 1,40 ante per adde negando 41 poſt relationem adde non. 375, 1, 8 ipſum,ad ipſum 381,1.44 tamen,autem 302,1,19 2 quo adde eſt aliquid. 393, 2, 43 &;in adde primo ſent.diſt.37.item. 399.1,30 mediate, immediate. 400.2,35 propoſitione, propoitione. 402.1,13 ab extremo adde ad extremum. 403,1,20 priori,poſteriori 406,1,11, erigi, dirigi. 420,1, 5, diſcrimine, diſiunctione 425,1,1, motus, motoris 440, 2,19 ante

pro-

propinquum adde in. 43 effectus, excessus. 441, 2, 4, ergo adde non 463 2 47 ipsius adde humiditatis 480, 1, 35 producere, perducere. 492 1 17, &, at. 493. 1. 31. operiantur, aperiantur 498, 1, 27 distans ad-de inducere 23, etiam, eam, 504, 2. 13 intus, ei. 511, 1, 43 in, ex. 525, 1, 18 permeare, penetrare. 527, 1, 38 hæc, hæ 40 illæ, hæ 529 2. 7, scilicet, quinta. 536. 7, 2, dele intercst 538, 1, 5, concessurum Scotum, concessu-sus Scotus, 17 ad, vel 532, 2. 4, in qualibet in summo, sed in remisso, qualitates in summo, sed remissas 544, 1, 31, prius, peius, 2, 26 tam, eã 558, 2, 42 videbantur, iubebantur. 563, 1, 32 dele ascendit, & scribe quoque dicet quis ascendere, 35 quæ, qui. 565 2, 23 altera scibilibus, alteratiuis. 577, 2. 18 ante late adde tam 581, 2, 35, conceduntur, con-cedent 40 dele essentia, & scribe quæ non sit increata. 600, 1, & arbo-rum; astrorum 611, 1, 42, nihil, mihi, 45. ergo, adde datur 618, 1, 40, somnijs, omnibus 620, 1, 34 ante grauis adde res, 623 2, 40, mortui ad de frigida. 624, 1, 5, substantia adde eam 625, 2, 29, ante dissoluitur ad de calore, 30, aqua calor 629, 2, 29, aeris, eius. 630, 1, 2 &c. etiam, ex comprimit, exprimit, 634, 1, 27, ante aer adde nam, 637, 2, 29, Aetnæ Hæmi, 641, 2, 18 dele etiam obstat quod. 647, 2, 29 est adde conden-satio. 661, 1, 15 solleuantur, soluuntur. 663, 2, 29 sine, cum 37 in, cum 671, 1, 24 post contrarijs adde composito. 674. 1, 30 igne adde aqua 680, 1, 17, nunc, non. 688, 1, 23 Pythagorici, Pythagoricos, 2, 45 lyc-nus, accensus, ellycnium. 693, 2, 21. &c. exempli causa. 695, 2, 35 qui-dem, adde hoc posterius. 704, 1, 36 cæteri adde dependent. 714. 2, 28 ante & adde panis. 723. 2, 1, vii, vbi. 33. erit adde aer. 725, 1, 16. post tamen adde habet. 734, 2, 46, conseruationis, conseruantis indi-geat. 743, 2, 43 aliquantulum adde quietis, 756, 1, 17 ante forma adde post.